BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
3 K
3

10-3. F 17

Digitized by Google

X / 76.8

Digitized by Google

HISTORIA
ECCLESIASTICA
VETERIS TESTAMENTI
IN REM THEOLOGIÆ CANDIDATORUM,

Per ſex Mundi Ætates ab Orbe condito ad Natale uſque JESU CHRISTI, Servatoris Noſtri, continenti ordine producta, variiſque Colloquiis digeſta: Ubi Res præcipuæ, quæ vel ad Hiſtoriam Sacram & ejus Chronologiam, Legem, ac Diſciplinam Hebræorum ſpectant, vel quæ ad Prophetarum Geſta, Vaticinia in Jeſu Chriſto adamuſſim impleta, & ad Divinam Sacrorum Librorum, quibus continetur Hiſtoria Veteris Teſtamenti, Auctoritatem attinent; per breves Interrogationes & Reſponſiones perſtringuntur, & in præclaro ordine collocantur.

O P U S

Ex tribus Tomis in unum Volumen redactum.

A U C T O R E

FR. IGNATIO HIACYNTHO
AMAT DE GRAVESON

Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo, Ordinis Fratrum Prædicatorum.

EDITIO TERTIA VENETA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



VENETIIS, MDCCXLIV.

APUD JOANNEM BAPTISTAM RECURTI

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

17

Digitized by Google

BENEDICTO XIII.
PONTIFICI MAXIMO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

C*UM primum, Beatiſſime Pater, ad* **Sedem Sancti** *Petri, & ad ſupremam Chriſti* **in** *Terris Vicarii dignitatem, non tam ſuffragiis hominum, quam Divini Numinis* **Calculo, fuiſti** *evectus; facere non potui, quin* **prodire coram, &** *erumpere quodam modo* **geſtiret mea erga** *Sanctitatem Tuam ſumma* **obſervantia, totque** *memor beneficiorum, quibus me, licet immeritum,* **hactenus cumulavit** *paterna Tua benevolentia, gratum animum* **meum publico, perennique monimento conſecrarem. Qua de re cogitanti mibi, cum exploratum haberem, Sanctitatem Tuam in Sacrarum, & Aſceticarum rerum lectione, jugique meditatione maxime oblectari, propemodum viſum eſt, ut hac ratione utcumque, quod conor, aſſequi liceret, ſi Sacram Veteris Teſtamenti Hiſtoriam, quam ab Orbe condito per ſex Mundi Ætates uſque ad Natale Chriſti Domini digerere, & in optimo lumine collocare ſtudui, offerrem, ac nuncuparem Tibi, Beatiſſime Pater, qui non tantum Chriſti in Terris vices geris, ſed (ſicut docet** S. Bernardus) **Sanctorum Patrum Veteris Teſtamenti, quorum heroica Geſta plurimum commendat Hiſtoria Sacra, hæreditatem, fidem, pietatem, & ſapientiam in Te uno colligis, poſſides, totique, qua late patet, Orbi mirum in modum repræſentas.** Tu enim, *Sanctiſſime Pater, ut*

Digitized by Google

verbis utar melliflui illius Doctoris, (Lib. 2. de Conſideratione cap. 6.) es Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, Tu Princeps Epiſcoporum, Tu hæres Apoſtolorum, Tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, authoritate Moyſes, judicatu Samuel, unctione Chriſtus.

Præterea, BB. Pater, ut iſtud Opus, quod de Sacra Veteris Teſtamenti Hiſtoria concinnavi, tuo auguſtiſſimo Nomini inſcriptum publica luce donarem, admonuit me ſingulare illud ſtudium, quod Sanctitati tuæ ab ineunte ætate maximopere placuit, Hiſtoriæ Sacræ, quæ viciſſim ſuos omnes fontes, intimoſque theſauros ſic tibi aperuit, ut nihil ſit in tota ſacra Antiquitate, & in omni priſcæ Religionis memoria, quod non diligenter excuſſeris, nihil in Sacris Annalibus, & vetuſtis Ritibus, quod non e tenebris erutum, & veſtigiis omnibus indagatum penitus exploraveris. Huic Sacræ Antiquitatis, & Hiſtoriæ ſtudio debes, Sanctiſſime Pater, quod innumeræ pene Conciones, quas ad populum olim tanto cum plauſu habuiſti, & etiamnum habes, mirifica Spiritus Sancti unctione ſint perfuſæ, quod tot libri, quos ad publicam Eccleſiæ utilitatem lucubraſti, omnigena litteratura, & locupletiſſimis Hiſtoriæ Sacræ, Evangelicæ, & Eccleſiaſticæ documentis ſint referti, quod denique plura, quæ celebraſti, Concilia Beneventana, cum Provincialia, tum Diœceſana, puriorem Nobis exhibeant Eccleſiæ Diſciplinam. Memini utique ipſe, & meminiſſe juvabit diu, Sanctiſſime Pater, quantam hic omnibus jure, ac merito tui moveris admirationem, dum in Concilio Romano (quod Jubilæi anno MDCCXXV. habuiſti, cuique ut ipſe intereſſem, hoc me honore dignari voluiſti) Sanctitas Tua ex tempore de rebus Divinis, & Eccleſiaſticis accurate, ornate, & uberrime diſſerebat, Patrum animos huc illuc, prout opus eſſet, oratione flectebat, & Sanctiſſimas Leges, ſive ad inſtaurandam, ſive ad ſartam tectam conſervandam Eccleſiæ Diſciplinam ex ditiſſimo ingenii, ac doctrinæ ſuæ penu depromebat.

His permotus rationibus, Beatiſſime Pater, meum in animum induxi iſtius, quod molitus ſum, Operis quaſi veſtibulum Sanctiſſimo tuo nomine cohoneſtare, meique obſequii publicum ſpecimen malui impar dare, quam nullum: Sed, ut candide fatear, deterruerat me ſtatim ſumma illa, qua præfulges, dignitas, ne iſtud Opus cum

cla-

Digitized by Google

clariſſimi tui nominis inſcriptione vulgarem, quod illud nimirum, & Sanctitatis Tuæ ſplendori, & meo deſiderio parum oppido reſpondere prorſus exiſtimarem. Verum hærenti, cunctantique mihi metum omnem, ac pudorem abſterſit eximia Sanctitatis tuæ affabilitas, ac fuci omnis expers benignitas, miramque addidit mihi illam adeundi, & interpellandi alacritatem, ac fiduciam. Ad tuos igitur, SS. Pater, ſacratiſſimos pedes humillime provolutus, Summum quidem Pontificem, & Chriſti in Terris Vicarium in Te profunda veneratione colui, ſed ſimul in Te nactus ſum amantiſſimum omnium Patrem, ſine faſtu, ſine ſupercilio, facilitate & indulgentia cunctis charum, Majeſtatem Pontificiam cum maximò candore morum, cum incredibili modeſtia ſociantem, & in occupationibus maximis, continuaque orandi aſſiduitate Litterarum ſtudia nunquam intermittentem: Verbo dicam, BB. Pater, Te in Summo Pontificatu talem reperi, qualem antea, cum eſſes Cardinalis, & Archiepiſcopus Beneventanus, & verbis, & factis coram expertus eram, facilem videlicet aditu, comitem in congreſſu, cuilibet patienter aures commodantem, nihil juſta petentibus denegantem, nullis obnoxium affectibus, pauperum, pupillorum, & Viduarum Patronum munificentiſſimum, Paſtorem vigilantiſſimum, Dei, & Eccleſiæ gloriam ſollicite quærentem, natumque ad bene de omnibus merendum; præſertim de Ordine Prædicatorum, cui Te nomen dediſſe palam gloriaris, & de Schola Thomiſtica, cujus doctrinæ, quam apprime calles, Sanctitas tua in Decreto Pontificio, dato die VI. Novembris anni MDCCXXIV. patrocinium ſuſcepit, illam ſua auctoritate adverſus æmulos obtrectatores egregie vindicavit, & Deceſſorum ſuorum Summorum Pontificum veſtigiis inſiſtens, immortale ipſi conciliavit decus.

Video, Sanctiſſime Pater, quam ingens laudum tuarum hic ſeſe mihi aperiat campus, ſed longe impar eſt mei ingenii vis rebus tantis explicandis. Virtutes tuas, omnium ſæculorum memoria dignas, dicendi viribus exæquare non poſſum, & ad Tuæ Sanctitatis in univerſam Eccleſiam merita, nullo unquam tempore intermoritura, mea certe non aſpirat eloquentia, vel potius infantia. Utinam Viri eruditi, & facundia clari hanc in ſe provinciam ſuſcipiant, omneſque ingenii ſui nervos in hoc explicent, ut producant antiquiſſima Monumenta BENEDICTI XIII. proſapiæ, e qua prodierunt tot Pontifices, tot Cardinales, tot Principes, tot He-

roes

Digitized by Google

roes Chriſtiani, quorum bene multos jam Faſtis Sanctorum adſcriptos eſſe legimus in Annalibus Eccleſiæ: Ut referant itidem Templa, & Altaria, quæ Sanctitas Tua erexit, & conſecravit, Xenodochia, & Noſocomia, quæ excitavit, Seminaria, Collegia, ac Monaſteria, quæ fundavit, Sanctiones Cedro, & aureis Eccleſiæ ſæculis dignas, quas promulgavit: Ut denique in medium proferant innumera, quæ Sanctitas Tua Vitæ Religioſæ cultoribus contulit beneficia, atque illa ſecreta pietatis, charitatis, & pœnitentiæ opera, quæ quotidie, remota omnium conſcientia, Cœloque dumtaxat teſte, exercet, & de induſtria occultat. Utinam, inquam, detur Viris eruditis, ut velint, tum ea facultas ut poſſint hæc, & alia id genus, quæ abunde ſuppetunt, præclara Sanctitatis Tuæ geſta, & quæ ipſius Pontificatum ſemper illuſtrabunt, æternæ memoriæ conſecrare. Ipſe vero, B. Pater, virium mearum probe conſcius, tuas laudes intactas, & illibatas Viris eruditis, & diſertis Oratoribus relinquo, tum quia ſi eas proſequi hic vellem, tanta mihi rerum exuberaret copia, ut finem dicendi nunquam reperiret oratio; tum etiam, quia certiſſime ſcio, Sanctitatem Tuam a laudibus ita abhorrere, ut his, quibus ſuum patrocinium indulget, ſevere interdicat, ne quid laudis, præconiique ei adſpergant. Huic itaque legi, ut paream ipſe, nullam hic laudum Sanctitatis tuæ partem attingam, ſed tantummodo quanti fieri debeat hæc in Summo Pontifice humilitas, ſeu in repudiandis laudibus pluſquam humana modeſtia, referam ex S. Bernardo, *qui* Eugenium III. *Pontificem Maximum, ſic affatur;* (Lib. 2. de Conſideratione cap. 6.) Habes ſine defraudatione integrum paternum fundum, pretioſiſſimus fundus virtus eſt. Bonus fundus humilitas, in quo omne ædificium ſpirituale conſtructum creſcit in templum Sanctum in Domino. Cæterum, cum omni indifferenter perſonæ hæc ſit quædam Turris fortitudinis a facie inimici, neſcio quo pacto tamen vis ejus in majoribus, & in clarioribus clarior comprobatur. Nulla ſplendidior gemma in omni præcipue ornatu Summi Pontificis. Quo enim celſior cæteris, eo humilitate apparet illuſtrior & ſeipſo. *Deum Optimum precor, ut Sanctitatem Tuam in plurimos annos incolumem, ac florentem, Eccleſiæ, Litteris, & Orbi ſervet, quo rebus humanis ex animi ſententia compoſitis, & ſuæ tranquillitati reſtituta Eccleſia, ſero in Cœlum redeat. Te vero, BB. Pater, obſecro, & obteſtor, ut æqui, bonique conſulas iſtud*

qua-

Digitized by Google

qualecumque grati animi, & obſequii mei monumentum, quod Tibi offero, ceu legitimo Chriſti Vicario, ceu Vigilantiſſimo univerſæ Eccleſiæ Paſtori, ceu veræ Religionis, purioris Doctrinæ Moralis, & ſanctioris Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Cuſtodi, Aſſertori, Vindici, ac Propagatori maximo.

Sanctitatis Tuæ Benedictionem Apoſtolicam Summa animi demiſſione efflagitans, & implorans.

Fr. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveſon Ordinis Prædicatorum.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO
GENERALIS
In Univerſam Hiſtoriam Eccleſiaſticam Veteris Teſtamenti,
STUDIOSO LECTORI NECESSARIA.

CUM nihil in Vita prius & antiquius unquam habuerim, quam ut meum quantuluncumque talentum in JESU CHRISTI, Domini mei, lucrum impenderem, & omnium animos ad ejus amorem pro viribus in meis lucubrationibus inflammarem; totum me multis abhinc annis addixi ſtudio tam Sacræ Hiſtoriæ Veteris Teſtamenti, quam Hiſtoriæ Evangelicæ, & Eccleſiaſticæ, ut JESU CHRISTI, a quo, ceu fonte, bonorum omnium Summa proficiſcitur, Divina Myſteria cognoſcerem, eademque opera inveſtigarem ſingula Monumenta, quæ pertinent ad Hiſtoriam Eccleſiæ, quam JESUS CHRISTUS ſuo Sanguine acquiſivit. Verum, in hoc utiliſſimo ſtudio poſtquam me diu exercuiſſem, jamque, propitio Numine, Myſteria JESU CHRISTI variis Diſſertationibus illuſtrata, & univerſam Hiſtoriam Eccleſiaſticam a Natali CHRISTI ad hæc uſque noſtra tempora pluribus Colloquiis digeſtam, luce publica donaſſem, iſtud tandem Opus aggreſſus ſum, ut oſtenderem, Hiſtoriam Sacram Veteris Teſtamenti, tota quanta eſt, referri ad JESUM CHRISTUM, tantam eſſe Sacrorum, quos complectitur, Librorum harmoniam cum Hiſtoria JESU CHRISTI, a quatuor Evangeliſtis deſcripta, tantam eſſe concordiam figurarum, cœremoniarum & Sacrificiorum Legis cum veritate Evangelii, tamque mirabilem Vaticiniorum vetuſtiſſimæ Antiquitatis cum exploratiſſima rerum longe poſt geſtarum Hiſtoria relucere concentum, ut, conferendo Veteris Teſtamenti Typos, & Prophetarum Oracula, quorum illi JESUM CHRISTUM delineant atque adumbrant, hæc eum adventantem velut oculis Fidei demonſtrant; nullo negotio quiſque intelligat, nihil geſtum eſſe a JESU CHRISTO, quod multo antea non depinxerint, non cecinerint Sacri Vates; nihil eſſe in illius Doctrina, & in Divinis, quæ in terris peregit, Myſteriis, cui non reſpondeat aliquis Veteris Teſtamenti locus; nihil fere in Litteris Evangelicis proditum eſſe, quod non multis ante ſæculis proditum fuerit Veteris Teſtamenti Voluminibus, ſubindeque omnes Moſaicæ Legis Typos

Digitized by Google

ac cæremonias, omnia ejus Sacramenta & Sacrificia, necnon a Prophetis fuſa Vaticinia in JESU CHRISTO, ad quem hæc ſingula recta collimabant, fuiſſe adamuſſim completa; *Finis Legis Chriſtus eſt*, ait Apoſtolus *Paulus* Epiſt. ad Romanos c. 10. v. 4.

Conſtanti hujus Doctrinæ veritati, quam ipſe in iſto, quod concinnavi, Opere patefacere, atque in præclaro lumine, bene fortunante Deo, collocare ſatagam, luculentiſſimum perhibet teſtimonium JESUS CHRISTUS, qui ſæpius in Sacro Evangelio diſertis verbis ait, Prophetas Veteris Legis prædixiſſe ejus adventum, totius vitæ œconomiam; omneſque illius paſſionis ac mortis prænotaſſe circumſtantias. At enim, Chriſtus Dominus in eo Colloquio, quod poſt Reſurrectionem ſuam habuit cum duobus Diſcipulis ſuis, euntibus in Caſtellum Emmaus, eos, de ipſius Reſurrectione ſubdubitantes, increpuit his verbis: *O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Et incipiens a Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ſe ipſo erant*, Luc. c. 24. Eamdem Veritatem Chriſtus Dominus, dum adhuc in terris eſſet, inculcabat Judæis dicens c. 5. Evang. Jo: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Et, paucis interjectis, ſubdit Chriſtus, alloquendo Judæos. *Nolite putare, quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem: Eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis. Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Hæc Chriſti Domini Oracula locupletiſſimis teſtimoniis confirmant ejus Apoſtoli, quos inter, duos duntaxat, ne longior ſim, proferam in medium, *Petrum* & *Paulum*, qui hujus doctrinæ, quam a Chriſto Domino acceperant, teſtes ſunt omni exceptione majores. In primis, S. *Petrus*, Princeps Apoſtolorum, in ſua 1. Epiſt. c. 1. 9. & ſeq. ſic adhortatur fideles: *Reportantes finem Fidei veſtræ, ſalutem animarum. De qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetarunt: ſcrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti, prænuncians eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias; quibus revelatum eſt, quia non ſibmitepſis, vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nunciata ſunt vobis per eos, qui evangelizaverunt vobis, Spiritu Sancto miſſo de Cœlo, in quem deſiderant Angeli proſpicere.* Nec minus diſerte loquitur Apoſtolus *Paulus*, Doctor Gentium c. 23. Actor. Apoſtolorum, ubi coram Rege *Agrippa* cauſam ſuam adverſus Judæos perorans, hæc appoſite dicit: *Auxilio autem adjutus Dei, uſque in hodiernum diem ſto, teſtificans minori atque majori, nihil extra dicens quam ea, quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe, & Moyſes; ſi paſſibilis Chriſtus, ſi primus ex reſurrectione mortuorum, lumen annunciaturus eſt populo, & Gentibus.*

Quæ cum ita ſint, candide Lector, in hanc præcipuam curam incumbe-

Digitized by Google

re debemus, ut Jeſum Chriſtum ſollicite quæramus in Sacra Veteris Teſtamenti Hiſtoria, quæ bene multis præfulget veritatis characteribus, qui divinam ei aſſerunt auctoritatem, & quorum præcipuos hic breviter indicabo, ut te ad jugem illius lectionem hortari, invitare, & animare poſſim.

Primus Veritatis Hiſtoriæ Sacræ Veteris Teſtamenti character eſt *Antiquitas*. Omnium quippe Gentium non ſolum Perſarum & Græcorum, ſed etiam Ægyptiorum, Chaldæorum, & Aſſyriorum primus Scriptor eſt *Moyſes*, Judæorum legislator, & Auctor Pentateuchi, ex quo Ethnici Philoſophi, Poetæ, Oratores, & Legum latores multa delibarunt, excerpſerunt, ac deflorarunt, ſicut poſtea copioſe oſtendemus.

Alter Veritatis Hiſtoriæ Sacræ Veteris Teſtamenti character, eſt mirabilis illius, tot inter ac tantas viciſſitudines temporum, & rerum perturbationes, conſervatio, quæ ſoli providentiæ Divinæ accepta referri debet, cum alii libri, qui olim ab Ægyptiis, a Romanis, & ab aliis Nationibus, tenebris Idololatriæ immerſis, tanquam Divini habebantur, temporis, rerum omnium edacis, diuturnitate perierint.

Tertius Veritatis Hiſtoriæ Sacræ Veteris Teſtamenti character petitur ex innumeris pene teſtimoniis Ethnicorum Scriptorum, qui de Hiſtoria Sacra, libris Veteris Teſtamenti contenta, vel diſertam mentionem fecerunt, vel diverſarum Nationum, videlicet Aſſyriorum, Babyloniorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum Hiſtorias deſcribentes, multa litteris prodiderunt, quæ cum Sacra Hiſtoria maximam affinitatem & agnationem habent, ſicut ex his, quæ paſſim in iſto Opere dicturi ſumus, liquido patebit.

Quartus Veritatis Hiſtoriæ Sacræ Veteris Teſtamenti character, eſt Legis Moſaicæ & Præceptorum, quæ tradit, Sanctitas. Si enim lex Moſaica cum Gentium Prophanarum legibus conferatur, ſi mores Hebræorum, olim ſecundum illam Legem viventium, cum Ethnicorum moribus componantur, Sole clarius conſtabit, Legem Moſaicam non tantum damnare nefandos Prophanarum Gentium mores, ſed eam etiam tot ad bene ſancteque vivendum præſcribere præcepta, ut multi Scriptores Ethnici Judæos, in hac Lege inſtitutos, ob morum integritatem, magnis celebrarint encomiis, ut videre eſt apud *Joſephum*, Hebræum, in libris contra Ethnicum *Apionem*, & apud *Euſebium* l. 10. *Præparationis Evangelicæ*. Eo de argumento itidem perdocte & eleganter diſſerunt Abbas *Claudius Fleury* in libro, quem Gallice edidit: *De moribus Iſraelitarum*, *Carolus Sigonius* in lib. *De Republica Hebræorum*, & *Petrus Cunæus in* Lib. *de Republica Hebræorum*. Hæc autem Legis Moſaicæ Sanctitas aperte evincit, eam non eſſe opus Dæmonis, qui homines pios & bonos efficere non vult, ſed potius illos præcipitare & deteriores reddere; nec opus eſſe Artis politicæ, a qua *Moyſes*, ſicut in iſto Opere commonſtrabimus, fuit penitus alienus; nec opus eſſe naturæ, quæ ſenſuum voluptati indulget; nec opus humanæ rationis, quam multis erroribus obnoxiam ſuperbia & ignorantia decipiunt, ſed eſſe opus Dei, qui hanc Legem dedit Moyſi, & ritus, cæremonias, atque Sacrificia inſtituit, quibus a Populo Judaico, quem ſibi, præ cæteris aliis Nationibus, ſelegit, coli voluit,

Digitized by Google

luit, multaque edidit Sanctiſſima præcepta, quæ ad bene moratam Rempublicam Judæorum conſervandam erant omnino neceſſaria.

Sextus Veritatis Hiſtoriæ Sacræ Veteris Teſtamenti character, eſt ingens multitudo miraculorum ac prodigiorum, quibus Deus, qui nec falli nec fallere poteſt, divinam illius Hiſtoriæ auctoritatem per *Moyſem*, & Prophetas confirmavit. Hæc autem miracula Deum habuiſſe Auctorem, ex eo potiſſimum conſtat, quod patrata fuerint a viris, quorum Scripta nihil aliud ſpirant quam ſanctitatem, juſtitiam, pietatem, charitatem & quidquid ſublimioris virtutis nomine continetur; quorum doctrina purioribus naturæ & rationis circa Religionem principiis egregie conſonat, & eſt omni humana inventione ſublimior, quorum ſtudium ad unius Dei cultum inſtituendum, & ad abolendam ſacrilegam Dæmoniorum ſuperſtitionem unice tendebat; quorum denique perpetuus, ſibique ſemper conſtans vitæ tenor ſummam erga unum Deum reverentiam, erga homines benevolentiam, erga Magicas Artes maximam execrationem ingerebat.

Septimus Veritatis Hiſtoriæ Sacræ Veteris Teſtamenti character, eſt perfecta illa conſenſio, quam Libri Sacri Veteris Teſtamenti habent cum Novi fœderis Libris; quæ enim *Moyſes*, & Prophetæ in ſuis libris futura prædixerunt, nunc impleta omnino in quatuor Evangeliis, & in cæteris Novi Fœderis libris tam aperte legimus, ut Novum Teſtamentum in Veteri, & in Novo Vetus Teſtamentum contineri videatur. Hæc autem tam perfecta & abſoluta conſenſio nequit eſſe ſolers & ſubtilis commentitiarum fabularum diſtributio, ſed eſt Divinæ Sacrorum Librorum cum Veteris, tum Novi Teſtamenti, Auctoritatis irrefragabile argumentum. Hinc Chriſtus Dominus Hiſtoriæ Sacræ Veteris Teſtamenti perhibens teſtimonium, ait capite 5. Evangelii S. Matthæi: *Amen, amen dico vobis: donec tranſeat Cœlum & Terra, iota unum, aut unus apex non præteribit a Lege, donec omnia fiant.* Et cap. 16. verſ. 39. Evangelii S. Joannis: *Habent Moyſem, & Prophetas, audiant illos.*

Octavus Veritatis Hiſtoriæ Sacræ Veteris Teſtamenti charecter, eſt facilis ac clara intelligentia, quam dat de origine, natura & conditione *Adami*, primi omnium hominum parentis, ante & poſt ejus peccatum. Narrat quippe Hiſtoria Sacra Veteris Teſtamenti, *Adamum* fuiſſe a Deo creatum perfectum, innocentem, beatiſſima cœleſtium donorum copia, & omnigena virtutum ſuppellectili exornatum, ſed eum violaſſe præceptum ſibi a Deo impoſitum, atque hac fatali tranſgreſſione mortem, miſerias, aliorum malorum agmen tam ſibi, quam omnibus ſuis poſteris importaſſe. Ex hac autem conditione *Adami*, a quo ſumus omnes propagati, tria præcipua veræ Religionis Dogmata eluceſcunt, quæ alioqui a nobis nullo pacto comprehendi poſſent, & quorum notitiam viri Ethnici, quantumvis excellenti præditi ingenio, aſſequi nunquam potuerunt, ſed potius, velut noctuæ ad ſolem, prorſus cæcutierunt. In primis, inde intelligimus, peccatum *Adami* non tantum ipſi nocuiſſe, ſed etiam omnibus ejus poſteris, ad quos via ordinaria per generationem tranſfunditur primigenium illud peccatum;

 quod

quod *Originale* appellamus. Secundo, agnoſcimus neceſſitatem Incarnationis Filii Dei, Jeſu Chriſti, qui nos per Gratiam ſuam medicinalem ſanaret, illata per Protoparentis noſtri labem damna reſarciret, & condignam Deo Patri exhiberet ſatisfactionem, cui nos exſolvendæ impares omnino eramus. Poſtremo, perſpectam inde habemus cauſam, cur omnis Homo poſt peccatum *Adami* naſcatur cum ignorantia in intellectu, cum malitia in voluntate, cum propenſione ad malum, cum lucta paſſionum, totque miſeriis & pœnis obnoxius vivat. Hæ ſiquidem ſunt funeſtæ appendices peccati Originalis. Hæc omnia, quibus vera & antiqua internoſcitur Religio, exprimit Sacra Veteris Teſtamenti Hiſtoria, & nullum eorum in prophanis Gentium Hiſtoriis vel minimum apparet veſtigium.

Denique, ut cæteros alios Veritatis Hiſtoriæ Sacræ Veteris Teſtamenti characteres ſilentio prætermittam, certum eſt, ſtylum, quo ſcripta eſt hæc Sacra Hiſtoria, eſſe ſimplicem & incultum, in quo verba non ornant res, ſed ipſa rerum magnitudo Sacrorum Scriptorum mentem & verba ſupra humanum modulum rapit, ita ut eloquii ſimplicitas reſpondeat quidem illis Scriptoribus, ſed rerum magnitudo & doctrinæ ſublimitas tribui debeant Deo, qui infirmis illis inſtrumentis, & impolitis organis utebatur. Si igitur Hiſtoriam Sacram Veteris Teſtamenti conferas cum ſæcularibus Hiſtoriis prophanarum Gentium, vel cum libris Ethnicorum Philoſophorum, vel cum eloquentia Oratorum, hæc certe minima in ſpeciem, propter ſimplicitatem verborum, tibi apparebit: at, ſi, ut par eſt, attendas ad rerum magnitudinem, & ad doctrinæ, quam complectitur, ſublimitatem, ſordeſcent tibi omnes ſuperſtitioſæ gentilitatis libri, & doctrinam Philoſophorum tanquam puerilem ſugillabis, exſufflabis, atque repudiabis.

Hanc Sacram Veteris Teſtamenti Hiſtoriam, tot veritatis characteribus munitam, a creatione Mundi uſque ad Natale Chriſti Domini in hocce Opere deſcribendi officium ſuſcipio, eamque hauriam e Sacris Libris Veteris Teſtamenti, cum quibus, ſicut in progreſſu hujus Operis palam faciam, variarum exoticarum Nationum, præſertim Ægyptiorum, Aſſyriorum, Chaldæorum, ſeu Babyloniorum, Tyriorum, Phœnicum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum Annales in his, quæ ſpectant Hiſtoriam, mirifice conſentire oſtendam. Tempora hujus Hiſtoriæ Sacræ accuratiori, ut puto, Chronologia, quæ ad Sacri Textus Hebræi, & Editionis Vulgatæ, a Concilio Tridentino approbatæ, calculos erit exacta, conſignabo. Sicut enim probari mihi nunquam potuit Græcorum, ſeu Scripturæ Sacræ Verſionis Græcæ LXX. Interpretum Chronologia, qua abutuntur nonnulli, ut fidem aliquam concilient fabuloſis Antiquitatibus, quas de Monarchiarum ſuarum exordiis perperam jactitant Ægyptii, Aſſyrii, Chaldæi, & Sinenſes; ita nullo pacto aſſentiri poſſum quibuſdam Chronographis, qui licet calculos Sacri Textus Hebræi ſectentur, promiſcue tamen confundunt annos ſervitutum Iſraelitarum cum annis Præfecturæ *Judicum*, ſicque Chronologiam Sacram plus juſto contractiorem reddunt, aperte reclamante Textu Hebræo in Sacro Libro *Judicum*, in quo anni ſervitutum Iſraelitarum accurate, ſicut

in

Digitized by Google

in Editione Vulgata, diſtinguuntur ab annis Præfecturæ *Judicum*. Quocirca, candide fateor, me, in putandis annis, qui a condito Mundo uſque ad Natale Chriſti interfluxerunt, diſceſſiſſe a quibuſdam viris doctiſſimis, nimirum *Petavio* in Lib. *De Doctrina Temporum*, Jacobo Uſſerio *in Sacris Annalibus Veteris & novi Teſtamenti*, & *Lancellotio*, cujus Chronologia Sacra edita eſt ad calcem Bibliorum *Antonii Vitrè*. Sed, num juſta de cauſa ab illis Scriptoribus, qui in ſtudio Chronologiæ Sacræ ſingularem navarunt operam, receſſerim? Et an calculus, quem a Creatione Mundi uſque ad Natale Chriſti ſubduco, accuratior ſit, & Chronologiæ Sacri Textus Hebræi, Editioniſque Vulgatæ magis conſentaneus? id totum judicio & examini tuo, erudite Lector, lubens permitto. Ut autem Hiſtoriæ Sacræ Veteris Teſtamenti a Creatione Mundi uſque ad Natale Chriſti Domini abſolutam poſſis habere notitiam, nihil eorum, quæ ad eam ſpectare poſſunt prætermittam, ſed omnia, compendioſe tamen, attingam. Et primo quidem, præcipuas difficultates, quas Theologi, & Scripturæ Sacræ Interpretes circa Hiſtoriam Veteris Teſtamenti ventilare ſolent, paſſim proponam ac dilucidabo. Omnium Librorum, quibus Sacra Veteris Teſtamenti comprehenditur Hiſtoria, Divinam auctoritatem aſſeram ac vindicabo non tantum contra Atheos, Infideles & incredulos, qui horumce Librorum Antiquitatem, revelationem, & inſpirationem negant, ſed etiam adverſus Hæreticos, qui aliquos Veteris Teſtamenti Libros expungunt e canone, cui illas accenſuit Oecumenica Synodus Tridentina, eorumdemque Sacrorum Librorum veros ac genuinos Auctores indicabo. Omnium Patriarcharum ante & poſt Diluvium, deinde *Moyſis*, *Joſue*, *Judicum*, ſingulorum Regum, tam Judæ, quam Iſraelis, dicta ac Geſta perſtringam; atque Hiſtorias *Jobi*, *Ruth*, *Tobiæ*, *Judithæ*, *Eſtheris*, cunctorum Prophetarum, qui ſive ſub Regibus Judæ, ſive ſub Regibus Iſraelis vaticinati ſunt, attexam, nec non Ducum Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum, qui Reipublicæ Hebræorum præfuerunt, res præclare geſtas deſcribam. Legem Moſaicam cum præceptis, quæ complectitur, naturalibus ſeu Moralibus, cæremonialibus & judicialibus cum Sacrificiis, & aliis id genus ad cultum, & Judaicam Religionem attinentibus, datam eſſe a Deo evincam contra duos præſertim Novatores, *Marſhamum*, & *Spencerum*, qui impie pertendunt, Ritus, qui in Lege Moſaica præſcribuntur, non a Deo traditos ac inſtitutos fuiſſe, ſed ex Ethnicorum ſuperſtitionibus eſſe profectos, videlicet *Circumciſionem* ex Æthyopum, Colchorum moribus; *Tabernaculum* ex prophano *Molochi* cultu; *Arcam* ex Ethnicorum Ciſtis; *Cherubinos* ex Ægyptiacis Simulacris: *Templum Hieroſolymitanum* ex ruditate Gentium originem traxiſſe. Hæc, & alia ejuſmodi, quæ Hiſtoriæ Sacræ lucem affundere, vel ſplendorem aliquem afferre poſſunt, ita, auxiliante Deo, in iſto Opere colligere ſcite ac diſponere conabor, ut mihi juſte ſuccenſere haud poſſis, quod in Sacra Veteris Teſtamenti Hiſtoria, variis licet eventibus locupletiſſima, & per multa Sacra Volumina latiſſime diffuſa, quidquam ſcitu dignum prætermiſerim, vel de ſtyli barbarie aut obſcuritate queraris, cum eo inter ſcribendum ſtylo data ope-

ra uſus ſim, qui, ſicut non eſt affectatus, ita nec obſcurus, nec barbarus humi repit, ſicque, ut ſpero, omnia tibi erunt facilia, prona, clara & expedita, modo non te pigeat ad percipienda & memoriæ mandanda ſingula, quæ referam, Hiſtoriæ Sacræ Veteris Teſtamenti Monumenta, patientiam commodare. Denique, ex lectione iſtius Operis, quod in rem tuam adornavi, hunc ſingularem fructum elicies, ut viam, modumque intelligas Jeſum Chriſtum, cui omnia ſtudia noſtra conſecrare debemus, quærendi & facile inveniendi in Sacra Hiſtoria Veteris Teſtamenti. Quam felicem ſortem ut ſecurius nanciſci valeas, auctor tibi ſum, ut ſæpius hanc ad Deum effundas orationem, quam *S. Auguſtinus* cap. 11. Lib. xi. *Confeſſionum* ſtudioſo Sacræ Scripturæ Lectori ſuppeditat, quæque his verbis concepta eſt: *Domine Deus meus, intende Orationi meæ, & miſericordia tua exaudiat deſiderium meum: ſint caſtæ deliciæ meæ ſcripturæ tuæ, nec fallar in eis, nec fallam ex eis. Domine adtende & miſerere, Domine Deus meus, lux cæcorum, & virtus infirmorum, ſtatimque lux videntium, & virtus fortium, adtende animam meam, & audi clamantem de profundo. Largire ſpatium meditationibus noſtris in abdita legis tuæ, neque adverſus pulſantes claudas eas. Neque enim fruſtra ſcribi voluiſti tot paginarum opaca ſecreta. O Domine, perfice me & revela mihi eas. Confitebor tibi quidquid invenero in libris tuis, & audiam vocem laudis, & bibam te & conſiderabo mirabilia de lege tua ab uſque principio, in quo feciſti Cœlum & Terram, uſque ad Regnum tuum perpetuum Sanctæ Civitatis tuæ. Vide Domine Deus meus, unde ſit deſiderium meum. Narraverunt mihi injuſti delectationes, ſed non ſicut lex tua, Domine. Ecce unde eſt deſiderium meum. Vide Pater, adſpice, vide & approba & placeat in conſpectu miſericordiæ tuæ invenire gratiam ante te, ut aperiantur pulſanti mihi interiora ſermonum tuorum, obſecro per Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, virum dexteræ tuæ, filium hominis, quem confirmaſti tibi, Mediatorem tuum & noſtrum, per quem nos quæſiſti non quærentes te; unicum tuum, per quem vocaſti in adoptionem populum credentium, in quo & me: per eum te obſecro, qui ſedet ad dexteram tuam & te interpellat pro nobis, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. Ipſum quæro in libris tuis. Moyſes enim de illo ſcripſit. Hoc ipſe ait, hoc veritas ait.* Cæterum, iſtud, quod in rem ſtudioſæ juventutis lucubravi, Opus ſumma, ut par eſt, reverentia & devotione ſubjicio Eccleſiæ Romanæ, omnium Eccleſiarum Matris & Magiſtræ, & Summi Pontificis, doctrinarum omnium ac librorum ſupremi judicis, examini & auctoritati, palamque profiteor, me ad ultimam uſque vitæ periodum, hoc eſt quamdiu quidquam ſpiritus calebit in corpore meo, ſemper Cathedræ Sancti Petri, ex qua Veritatis funduntur oracula, & Doctrinæ Fidei, Morum Diſciplinæ, quæ in ea docetur & traditur, ab Apoſtolis acceptæ, & ad noſtram uſque memoriam per continuam & nuſquam interruptam Romanorum Pontificum ſucceſſionem propagatæ, jugiterque conſervatæ, firmiter adhæſurum, meque potius membratim diſcerptum iri, quam ut a Sedis Apoſtolicæ Conſtitutionibus vel latum quidem unguem deſciſcam.

NOS

Digitized by Google

NOS FRATER THOMAS RIPOLL

Sacræ Theologiæ Profeſſor,

Totius Ordinis Fratrum Prædicatorum Magiſter Generalis & Servus.

CUM Nobis exponatur, a Te fuiſſe recens editum Opus, cui titulus eſt: *Hiſtoria Eccleſiaſtica veteris Teſtamenti &c.* quod prælo mandari peroptas: Harum ſerie, noſtrique authoritate Officii, Tibi Reverendo admodum Patri Fr. *Ignatio Hyacintho Amat de Graveſon*, Provinciæ noſtræ gallo-Provinciæ Conventus Arelatenſis alumno, in Sacra Facultate Pariſienſi Doctori, ac Collegii Caſanatenſis Conventus S. Mariæ ſuper Minervam de Urbe Theologo, licentiam facimus & facultatem impertimur prædictum Opus publicam in lucem typis mittendi, dummodo prius fuerit duorum Ordinis noſtri in Theologia Magiſtrorum cenſorio judicio comprobatum, aliaque ſerventur de jure ſervanda. In quorum fidem.

Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam die prima Februarii MDCCXXVI.

Fr. Thomas Ripoll, Magiſter Ordinis.

Reg. fol. 89.

Fr. Joannes Sicard, Magiſter & Socius.

APPROBATIO.

HIſtoriam Veteris Teſtamenti, ab Admodum R. P. Magiſtro Ignatio Hyacintho Amat de Graveſon, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo, Ordinis Prædicatorum, viro Urbi, & orbi optime noto, omnigena eruditione pollente, per ſex Mundi ætates clare diſpoſitam, ac mirabili ingenio compoſitam, in tres Tomos diſtributam, ex Commiſſione Reverendiſſimi P. F. Gregorii Selleri, Sac. Palat. Apoſt. Magiſt. tota mentis jucunditate revolvi; atque in ea cum nihil, quod Catholicum dedecet, omne vero, quod Religioſiſſimum virum decet, invenerim; ideo ut publici Juris fiat exiſtimavi, ad hoc ut ſi in Litterario Orbe per priorem Hiſtoriam, (novi ſcilicet Teſtamenti) uberes produxit fructus eruditionis, uberiores producat per Poſteriorem. Ita ſalvo &c.

Dabat in Collegio Sanctæ Mariæ de Victoria Romæ 26. Novembris 1726.

Fr. Leo a S. Felice, Carmelita Excalceatus, S. Theol. Prælector ac Sacrarum Congreg. Indicis, & Sac. Rituum Conſultor.

APPROBATIO.

SUmmis omnium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſorum votis, ut faceret ſatis vir Clariſſimus Fr. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveſon, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, & Collegii Caſanatenſis Theologus, poſt elaboratam, publicique Juris factam præcellentem illam a Chriſti Natali ad noſtram uſque tempeſtatem Eccleſiæ Hiſtoriam, cunctorum jampridem Eruditorum calculis celebratam; eamdem ipſe impræſentiarium Hiſtoriam, ab. orbe condito ad Salvatoris nativitatem, ſuperis bene fortunantibus, perduxit. Quam quidem præſtantiſſimi Authoris Hiſtoriam, ex præſcripto Reverendiſſimi Patris Thomæ Ripoll, Ordinis Prædicatorum Magiſtri Generalis, cum ad examen vocarem, tantum abeſt, ut in ea quidquam offenderim, quod ſive Ariſtarchi grave ſupercilium, ſive mordacem Zoili linguam pertimeſcat, ut potius quid primum ſuſpicere debuerim, haud dictu facile ſit. In ea quippe Patriarchatum, Judicum, Regum Juda & Iſrael, Prophetarum, Ducum, & Pontificum Hebræorum Vitas, ac res præclare geſtas, perſpicuo ordine, atque amœna methodo, ob oculos ponit. In ea majores hiſtoriæ difficultates diſcutit explanatque. In ea graviſſimas Chronologiæ controverſias ad certas epochas, certaſque Criticæ leges exigit. In ea denique ſtyli nobilitate, ſplendore, majeſtate ubique fulget: Id quod lectorem, mirum quantum oblectat, rapit, & ad legendum, vel invitum cogit. Hæc cum ita ſint, Author ſum, ut hoc eximium Opus, numeris omnibus abſolutum, cedroque dignum, atque orthodoxæ fidei, & Chriſtianis moribus conſentaneum, in apertum proferatur. Cæterum, viris Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Veteris Teſtamenti cupidis, id conſilii dederim, neque me dediſſe pigebit, ut Hiſtoriam hancce præ manibus ſemper geſtent, legant, perlegant, in paucis charam habeant. Nam quidquid in infinitis, prope dicam, ea de re, antiquorum, noviſſimorumque temporum Hiſtoricis ſelectum reperitur, totum hoc ſedulo, ac diligenter, hic diffuſum, digeſtumque eſſe, perutili certe experimento comprobabunt.

Datum Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 20. Novembris, Anni 1726.

Fr. Patricius Plonket, Sacræ Facul. Pariſienſis Doctor, & Collegii Caſanatenſis Theol. Ord. Præd.

APPROBATIO.

JUbente Reverendiſſimo Patre Gregorio Selleri, Sacri Palatii Magiſtro, Opus legi, cui titulus: Hiſtoria Eccleſiaſtica veteris Teſtamenti in Rem Theologiæ Candidatorum, authore Fr. Ignatio Hyacintho Amat de Graveſon, Ordin. Prædicator. In quo variam auctoris piiſſimi doctrinam, ubertatem dicendi, omnigenam veteris Hiſtoriæ cognitionem ſum admiratus non ſemel. Cumque omnia Romanæ noſtræ Catholicæ Fidei conſona prorſus repererim, Opus digniſſimum luce publica, imo Religionis Chriſtianæ amatoribus neceſſarium cenſeo.

Datum Romæ die 26. Novembris 1726.

Johannes Bouget, Prior S. Martini di Scey, in Archigymnaſio Romano Linguæ Græcæ, & in Collegio Urbano de Propaganda Fide Linguæ Sanctæ Lectore.

AP-

APPROBATIO.

Hiſtoriam Eccleſiaſticam Veteris Teſtamenti in tres tomos diviſam, ſex Mundi complectentem ætates, ab Orbe ipſo condito ad Natale uſque Jeſu Chriſti, a præclariſſimo Viro Fr. Hyacintho Amat de Graveſon, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo, concinnatam, juſſu Reverendiſſimi P. Fr. Thomæ Ripoll, Sacræ Theologiæ Profeſſoris, ac totius Ordinis Prædic. Generalis Magiſtri, *legi tanta animi voluptate, quanta luculentia ſpendet. Sed (eam) legendo, dum cupio ſedare ſitim, ſitis altera accreſcit* (*Mantuanus in elogio Mirand.*) (fateor cum Mantuano) alia, ſeu nova evolvendi Authoris edenda opera his germana; & præcedentibus, jam iterum, atque iterum, brevi tempore, publica luce donatis, quæ me ſic, gradatim lecta, ſitire fecere. Et primo quidem illud de Vita, Myſteriis, & annis Chriſti, duobus tomis comprehenſum; quo mihi de Authore dicere fas eſt, quod olim (*S. Hieronymus in Epiſt. 3. ad Heliodorum.*) Hieronymo de Nepotiano: *Lectione aſſidua, & meditatione continua, pectus ſuum Bibliothecam fecerat Chriſti*: Nec non & alter de Sacra Scriptura Tractatus, ubi feliciter contra Infideles, Judæos, & Hæreticos laboravit. Hiſtoria inſuper Eccleſiæ a Chriſto nato ad noſtram uſque ætatem, novem tomis, & altero omnium Indice; in qua felicius. Et iſta noviſſime Veteris Teſtamenti Eccleſiaſtica Hiſtoria, ab Orbe condito ad Natale uſque Salvatoris, per ſex Mundi ætates continenter producta, res, Hiſtoriam, Dogmata, Legem, Chronologiam, & Hebræorum Diſciplinam ſpectantes, miro ordine, ac omnigena eruditione, variis digeſta colloquiis, perſtringens; in qua feliciſſime. *Semper enim Sapienti reſtabit quod inveniat*, inquiebat *Seneca* (*Epiſt. 109.*) Et ſane hoc in opere pretioſum a vili ſeparatum inveni; multas Poetarum, Rabbinorum, & prophanorum Fabulas Scriptorum, putidaque quarumdam Nationum caſtigata mendacia: momenta quæque, in rebus controverſis, æqua lance librata, ac pro veritate, aut majori veriſimilitudine latam juſte ab Authore ſententiam: Qui non ventis mentem ſuam, vaniſque figmentis, ſed veritatibus & ſententiis, ratione, & authorite fulcitis paſcere ſolitus, difficultatum confinia conſignat, & nodos quoſque, etſi implicatiſſimos, clare, breviter, ac profunde diſſolvit; tantoque fœdere iſta conſerit, ut nec claritatem minuat profunditas, nec brevitati noceat claritas: ſed ſalva utriuſque proprietate, in unam coeunt Operis & Opificis laudem, quem æterno nomine, felici omine hæreditandum clamant. Atque id equidem in hujus Operis Authore mirandum maxime, quod ſuis in Colloquiis ſimul elegans dicendi, & argutum ſequatur genus diſputandi: *nam de rebus obſcuris, & ad intelligendum difficilibus dilucide dicere, nec ſententiis ſolum argute, ſed verbis etiam ornate, adeo eſt operoſum & arduum*, (vir ille eruditiſſimus Melchior Cano monebat, *Lib. 1. De Locis in Proœmio*) *Ut paucis viſum ſit accidiſſe*. Idcirco Opus hoc, omnibus numeris abſolutum, ſuoque dignum Authore, prælo digniſſimum judico; quod claritate Candidatis, quibus dicatur, profunditate Magiſtri, & veritate, omnibus ſpectetur profuturum, nihilque in eo inveniri Fidei Catholicæ, aut bonis moribus non conſonum. Ita cenſeo ſalvo &c. Romæ in Collegio Caſanatenſi die 25. Nov. ann. 1726.

Fr. Joſeph Salas, Sacræ Theolog. Magiſter & Collegii Caſanatenſis Theologus, Ord. Prædic.

AP-

APPROBATIO.

Nihil Viro Religioſo convenientius eſt ac dignum magis, quam ingenii ſui vires eo convertere, ut Sacræ Doctrinæ promoveat ſtudium, purioreſque ipſius fontes Junioribus candidatis adaperiat. Huic intentus Conſilio R. A. P. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveſon, Sac. Facult. Pariſ. Doctor, & Collegii Caſanatenſis Theologus, Ordinis FF. Prædicatorum, poſt evulgatam per alternas Quæſtiones & reſponſiones Chriſti Eccleſiæ Hiſtoriam, quam Litterarius Orbis ſummo plauſu excepit, eodem ſtyli nitore, parique methodo, fœderis antiqui ſeriem Hiſtoricam adornare conſtituit, ut qui Eccleſiam cum Chriſto ſurgentem, per Apoſtolos propagatam, variis perſecutionum ac hæreſeon fluctibus jactatam, ſed in omnibus glorioſam ac triumphantem exhibuerat, in Synagoga velut delineatam & in umbra Legis deliteſcentem exponeret. Hoc autem Opus in tres Tomos diſtributum, Jubente Reverendiſſimo S. P. A. Magiſtro, attente perlegi, in eoque nihil reperi quod puritati morum, Catholiciſve Dogmatibus repugnaret, imo omnia utriſque maxime conſona: Unde eximium iſtud Opus a Theologiæ Candidatis nocturna ac diurna manu verſandum eſſe cenſeo. In eo enim quiſque Sublimem Theologum, Criticum ſagacem, accuratum Chronographum, Doctiſſimum Interpretem, ac tandem utile dulci permixtum ubique demirabitur. Quamobrem publica luce digniſſimum judico. In Quorum fidem ſubſcripſi Romæ in Regio Sanctiſſimæ Trinitatis Conventu die 24. Octobris Anni 1726.

Fr. Franciſcus Bertrand, Ordinis Minimorum,
S. Theologiæ Profeſſor.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

Avendo veduto per la Fede di Reviſione, ed approvazione del Padre Fr. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro Intitolato: *Hiſtoria Eccleſiaſtica Veteris Teſtamenti, Auctore Fr. Ignatio Hyacintho Amat de Graveſon*, non vi eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Secretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Gio: Battiſta Recurti Stampatore*, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli Ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 19. Luglio 1727.

(Alviſe Piſani Kav. Proc. Rifformator.
(Z. Pietro Paſqualigo Rifformator.

Agoſtino Gadaldini Seg.

IN-

INDEX
COLLOQUIORUM
Quæ in Tribus hujus Voluminis Tomis continentur.

COLLOQUIA
PRIMI TOMI

In Hiſtoriam Primæ Mundi Ætatis.

COLLOQUIUM I.

IN quo ſingula, quæ ad Mundi creationem, & Adami innocentis ſtatum pertinent, explanantur, & fabulæ, ac errores, quos circa primam Mundi Ætatem procuderunt Scriptores prophani, exſufflantur. *pag.* 7

COLLOQUIUM II.

In quo diſcutiuntur ac dirimuntur difficultates, quas de ſtatu Adami poſt peccatum proponere ſolent Theologi. 46

COLLOQUIUM III.

De Vita & Rebus, quæ a Patriarchis antediluvianis geſtæ ſunt, & de vera in eorum ſubducendis annis Chronologia. 74
Genealogia Adami per filium ſuum Cainum, quæ Deo exoſa fuit. 84
Genealogia Adami per filium Sethum, quæ Deo grata & accepta fuit. 85
Tabula Chronologica, complectens annos generationum Patriarcharum antediluvianorum, juxta Codices Hebræorum, Græcorum, & Samaritanorum. 90
Tabula Chronologica, decem Primorum Patriarcharum ante Diluvium, ſtemma, & annorum vitæ ſummam complectens. 91

In Hiſtoriam Secundæ Mundi Ætatis.

COLLOQUIUM PRIMUM.

In quo agitur de his, quæ ſpectant ſecundæ Mundi Ætatis Hiſtoriam. 95

COLLOQUIUM II.

In quo diluuntur Dubia, quæ in Hiſtoriam ſecundæ Mundi ætatis viri eruditi proponere ſolent. 116

COLLOQUIUM III.

De Geſtis Patriarcharum ſecundæ Mundi ætatis, & de accurata in illorum ſubducendis annis Chronologia. 135
Calculus Patriarcharum ſecundæ Mundi ætatis juxta Codices Hebræos. 152
Calculus Patriarcharum ſecundæ Mundi ætatis juxta Codices Græcos. 153
Calculus Patriarcharum ſecundæ Mundi ætatis, juxta Codicem Samaritanum. 154

Digitized by Google

COLLOQUIA SECUNDI TOMI

In Hiſtoriam Tertiæ Mundi Ætatis quæ incipit a vocatione Abrahami, & protenditur uſque ad ingreſſum Populi Iſraelitici in Ægyptum.

COLLOQUIUM I.

IN quo attinguntur ſingula, quæ vel ad Sacram tertiæ Mundi Ætatis Hiſtoriam pertinent, vel clariori ejus intelligentiæ inſervire poſſunt. *pag.* 5

COLLOQUIUM II.

In quo proponuntur Dubia, quæ tam Theologi, quam Scripturæ Sacræ Interpretes, circa Hiſtoriam tertiæ Mundi Ætatis ventilare ſolent. 30

COLLOQUIUM III.

In quo referuntur Patriarcharum tertiæ Mundi Ætatis, præcipua Geſta, & Scripta, quæ Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam, vel adumbrant, vel vaticinantur, ibidemque in putandis annis Patriarcharum ejuſdem ætatis accurata ſtabilitur Chronologia. 60

Tabula Chronologica, in qua Anni, & Geſta Patriarcharum, qui vixerunt in tertia Mundi Ætate, conneƈtuntur cum annis Mundi qui effluxerunt a vocatione Abrahami, *a qua tertia Mundi Ætas ſumit exordium, uſque ad Iſraelitarum ex Ægypto egreſſionem, in qua deſinit eadem Mundi Ætas.* 89

In Hiſtoriam Quartæ Mundi Ætatis.

COLLOQUIUM PRIMUM.

In quo referuntur ea, quæ Hebræis, ab eorum ex Ægypto profeƈtione, uſque ad Legem datam Moyſi a Deo in Monte Sinai, &, poſt Legem datam, acciderunt uſque ad obitum Moyſis, ibidemque explicantur res præcipuæ, quæ continentur in eadem Lege, videlicet, Præcepta, Ritus, Sacrificia, Immunditiæ Legales, Sacramenta, Feſta, Sacerdotum Conſecrationes, & alia id genus, quæ Sacra & Religionem Hebræorum ſpeƈtant. 99

COLLOQUIUM II.

In quo quædam Dubia, ſive ad Legem Moſaicam, ſive ad Hiſtoriam quartæ Mundi Ætatis attinentia, quæ a Theologis, vel Scripturæ Sacræ Interpretibus proponi ſolent, diſcutiuntur ac diluuntur. 129

COLLOQUIUM III.

In quo Geſta Joſue, in regimine Reipublic. Hebræorum ſucceſſoris Moyſis, nec non Judicum, & Regum, qui Hebræis præfuerunt uſque ad IV. annum Regni Salomonis, quo jaƈta ſunt Templi Hieroſolymitani fundamenta, deſcribuntur, ibidemque accurata traditur ſeries annorum, qui in quarta Mundi Ætate, hoc eſt, ab exitu Populi Iſraelitici ex Ægypto uſque ad quartum Salomonis annum effluxerunt. 161

Tabula Chronologica Sexcentorum & ſex annorum qui in quarta Mundi Ætate, hoc eſt, ab exitu Iſraelitarum ex Ægypto uſque ad quartum Regni Salomonis *annum, uſque ad fabricam Templi Hieroſolymitani, interfluxerunt.* 187

COL-

Digitized by Google

COLLOQUIA

TERTII TOMI

In Hiſtoriam Quintæ Mundi Ætatis quæ incipit a quarto Regni Salomonis anno, quo jacta ſunt Templi Hieroſolymitani fundamenta, & producitur uſque ad Captivitatem Babylonicam.

COLLOQUIUM I.

IN quo, juxta Hiſtoriam, cum Sacram tum Prophanam, Series & Geſta Regum Judæ, & Iſraelis deſcribuntur, eademque opera, eorum regiminis accuratus annorum traditur calculus. *pag.* 5

Tabula Chronologica Regum Judæ, a Davide uſque ad Sedekiam. 23

Tabula Chronologica Regum Iſrael, in qua breviter annotantur eorum anni, & præcipua geſta uſque ad integram Regni Iſraelitici everſionem. 25

Series Regum Romanorum, & anni, per quos Romæ regnarunt. 34

COLLOQUIUM II.

In quo excutiuntur ac breviter diluuntur præcipua Dubia, quæ Theologi, & Scripturæ Interpretes circa Sacram Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis proponere ſolent. 35

Canon Chronologicus ab anno undecimo Joakim, *Regis Judæ, quo cæpit captivitas Babylonica, uſque ad annum primum Regni, quod* Cyrus *iniuit in Babylonia tanquam ſupremus Monarcha.* 52

COLLOQUIUM III.

In quo deſcribuntur Vitæ Prophetarum, qui in quinta Mundi Ætate, ſeu ante Captivitatem Babylonicam, vixerunt, & ſub Regibus Judæ, & Iſraelis plura fuderunt Oracula, quæ in Jeſu Chriſto, vero Meſſia, clariſſimo exitu fuerunt adimpleta. 71

In Hiſtoriam Sextæ Mundi Ætatis, quæ a Captivitate Babylonica ſumit initium, & finem habet in Natali Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri. 107

COLLOQUIUM PRIMUM.

In quo deſcribuntur res præcipuæ, quæ Judæis, durante captivitate Babylonica, acciderunt ſub Monarchia Regum Babyloniorum, eorumque exhibetur ſtatus, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, ſub Monarchia Perſarum, ſub Monarchia Græcorum, regnante Alexandro Magno, &, poſt illius obitum, ſub Regibus Ægypti, & Syriæ. 111

Tabula Chronologica exhibens initium & finem Monarchiæ Perſicæ, per continuam ſucceſſionem Regum, qui ei præfuerunt. 112

Series Regum, qui ſucceſſerunt Alexandro Magno in Regno Macedoniæ. 125

Series Regum, qui, demortuo Alexandro Magno, in Regno Ægypti ſucceſſerunt. 127

Series duodecim priorum Regum, qui, defuncto Alexandro Magno, in Regno Syriæ ſucceſſerunt. 136

COL-

COLLOQUIUM II.

In quo proponuntur ac diluuntur Dubia, quæ circa Hiſtoriam ſextæ Mundi Ætatis, tam Theologi, quam Scripturæ Sacræ Interpretes agitare ſolent. 140

COLLOQUIUM ULTIMUM.

In quo produntur res præclaræ geſtæ a Machabæis, qui, poſt Captivitatem Babylonicam, ſumma apud Judæos auctoritate potiti ſunt uſque ad *Herodem*, alienigenam, quo in Judæa regnante, natus eſt Jeſus Chriſtus, ibidemque attexuntur variæ Judæorum Sectæ, aliquot Hiſtoriæ Romanæ monumenta, & Canon Chronologicus annorum, qui a Captivitate Babylonica uſque ad Natale Chriſti Domini interfluxerunt. 174

Tabula Chronologica Sextæ Mundi Ætatis, hoc eſt, a captivitate Babylonica uſque ad Natale Chriſti Domini, non tantum per annos a creatione Mundi, ſed etiam per annos Olympiadum, Æræ Nabonaſſaris, *& a condita Roma, accurate digeſta & ordinata.* 205

HI-

HISTORIA
ECCLESIASTICA
VETERIS TESTAMENTI

TOMUS PRIMUS,

COMPLECTENS

PRIMAM, ET SECUNDAM MUNDI ÆTATEM.

Digitized by Google

HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS TESTAMENTI,

IN REM THEOLOGIÆ CANDIDATORUM,

Per ſex Mundi Ætates ab Orbe condito ad Natale uſque JESU CHRISTI SERVATORIS noſtri, continenti ordine producta, variiſque colloquiis digeſta, ubi Res præcipuæ, quæ ad Hiſtoriam, Dogmata, Legem, Chronologiam, & Diſciplinam Hebræorum ſpectant, per breves Interrogationes & Reſponſiones perſtringuntur, & in præclaro ordine collocantur.

PRÆFATIO, ET INSTITUTI OPERIS RATIO.

DUM mihi gratulari incipiebam, quod ex immenſo, & innumeris in feſto ſcopulis, ad quos non offendere, non allidi difficillimum eſt, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pelago, cui me commiſeram, haud infeliciter enavigaſſem, jamque portum tenens, diu exoptato otio deinceps fruiturum me ſperabam; Ecce ſubito amici aurem meam vellicare, meque ad ſolitum laborem revocare cæperunt. *Heus tu*, dixerunt, *quorſum, poſt illam, quam a Chriſto nato uſque ad noſtram memoriam nuper in lucem emiſiſti, Hiſtoriam Eccleſiaſticam, vis intempeſtive indulgere otio, & porrectis pedibus in utramvis dormire aurem? Numquid vides, Eccleſiæ Hiſtoriam, quam a*

Chriſto nato lucubraſti, mancam & imperfectam fore, niſi ei adjicias Veteris Teſtamenti Hiſtoriam Eccleſiaſticam, quæ tam arctam cum Hiſtoria Eccleſiæ, quam Chriſtus acquiſivit Sanguine ſuo, affinitatem & connexionem habet, ut ſi id genus argumenti intactum omnino prætermittas, aliquid tuis lucubrationibus, jam publica luce donatis, deeſſe jure optimo querantur Lectores? Hiſtoria quippe Eccleſiaſtica Veteris Teſtamenti, tota quanta eſt, recta collimat & ordinatur ad Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam, qui eſt finis & plenitudo totius Legis, quem Patriarchæ expectarunt, quem Prophetæ prædixerunt, in quem venturum antiqui juſti crediderunt, quem poſtremo Legis Moſaicæ figuræ, Ceremoniæ, Ritus, Sacramenta, Sacrificia, Feſta, aliaque id genus Hebræorum monumenta adumbrarunt, & quaſi digito commonſtrarunt. Macte itaque animo, & abjecta omni mora, Veteris Teſtamenti Hiſtoriam Eccleſiaſticam, ſeu res ab exordio Mundi uſque ad Natale Chriſti Domini Sacris Literis editas, compendioſe deſcribendi novum, quod tibi imponimus, alacri animo ſuſcipe onus, ut hoc pacto perfecta, omnibuſque ſuis numeris abſoluta evadat illa, quam concinnaſti, Hiſtoria Eccleſiæ, quæ a Chriſto Domino inſtituta perpetuo eſt duratura. His amicorum pulſatus machinis, non ſtatim morem geſſi, ſed potius ab hoc literario ſuſcipiendo negotio abhorrens, mihique duntaxat ac Muſis intra ſiparium canere tutius, ac opportunius ducens, moras conſulto nectebam, meque tam alto mari permittere non auſus, pedem retrahere cogitabam. Videbam ſiquidem argumentum varium pariter ac vaſtum, quod in ampliſſimum volumen eſſet evaſurum, ſi juſta cura, ut par erat, tractaretur. Sciebam etiam, bene multos hujuſce tempeſtatis ſcriptores, magno & excellenti ingenio præditos, & Linguarum exoticarum peritiſſimos, eamdem Spartam ſuſcepiſſe, eamque tanta cum nominis ſui laude exornaſſe, ut omnes palmam promeriti, nihil novi eo de argumento ſcribendum aliis reliquerint, ac ſubinde nihil reperiebam, in quo mens mea libentius conquieſceret, quam in tranquillo otio, ad quod ſeceſſeram, & in arcanis atque dulciſſimis cum ſolo Deo colloquiis, quibus quidquid ſupereſt vitæ meæ (ſupereſt autem vix brevis palmus) conſecrare animus erat. Verum, ſic me hærentem cum ſæpius rogarent, & tantum non increparent amici, tandem pollicitus ſum, me hoc Opus, meis licet viribus impar, divinæ gratiæ adjutum præſidio,

dio, illico aggreſſurum, & ne viderer malæ fidei ſponſor, cæpi præcipiti calamo quædam in chartis annotare velut uſui futura, ſi quando forte daretur voluntas vel facultas Operi ultimam manum admovendi. Contigit autem, ut non multo poſt has meas recolligendo ſchedas, eaſque attentiori animo lectitando, vehemens inceſſerit animum libido perficiendi iſtud jam a me delineatum Opus, eo vel ſolo nomine, quod Veteris Teſtamenti Hiſtoria nullo pacto ab Hiſtoria Eccleſiæ, quam Jeſus Chriſtus in nova Lege inſtituit, ſeparari debeat, cum certum ſit, juſtos, qui ab exordio Mundi vixerunt uſque ad Legem Evangelicam, credidiſſe in Chriſtum venturum, ac ſubinde pertinuiſſe ad Eccleſiam Chriſti, quemadmodum inter alios Sanctos Patres diſerte docet multis in locis *Sanctus Auguſtinus*, ſed præſertim capit. 4. lib. 3. ad *Bonifacium* contra duas Epiſtolas Pelagianorum, ubi de juſtis Veteris Teſtamenti loquens, hæc habet: *Ex Fide, qua nos vivimus una eademque vixerunt, Incarnationem, Paſſionem, Reſurrectionemque Chriſti credentes futuram, quam nos credimus factam*. Hinc eſt, quod *Euſebius* Epiſcopus Cæſarienſis, lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capit. 4. illos omnes, qui in Veteri Lege teſtimonio juſtitiæ fuerunt probati, appellat non quidem nomine, ſed re, Chriſtianos, eoſque ad Novum Teſtamentum, ſeu ad Eccleſiam Chriſti Domini pertinuiſſe affirmare non dubitat. Quam doctrinam Apoſtolus *Paulus* Epiſtola 1. ad Corinthios capit. 10. non obſcure expreſſit his verbis: *Nolo vos ignorare, Fratres, quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes Mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in Mari, & omnes eamdem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & omnes eumdem potum ſpiritualem biberunt (bibebant autem de ſpirituali, conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.)* Ne igitur quidquam in ea, quam jam publicavi, Hiſtoria Eccleſiæ, a Chriſto Domino in nova Lege inſtitutæ, Lector deſiderare poſſet, neceſſarium eſſe duxi, Hiſtoriam Eccleſiaſticam Veteris Teſtamenti breviter conſtringere, eamque variis colloquiis digeſtam cum diſtinctione temporum deſcribere per ſex Mundi Ætates, quæ ab Orbis conditu uſque ad Natale Chriſti Domini interfluxerunt. Prima Mundi Ætas putatur a creatione Mundi uſque ad Diluvium univerſale. Altera Mundi Ætas exordium habet a Diluvio, & protenditur uſque ad Vocationem Abrahami.

Tertia Mundi Ætas auſpicatur a Vocatione Abrahami, & producitur uſque ad profectionem Populi Iſraelitici ex Ægypto. Quarta Mundi Ætas ducit initium ab egreſſione Populi Iſraelitici ex Ægypto, & durat uſque ad quartum annum Regni *Salomonis*, quo ab eodem Rege jacta ſunt Templi Hieroſolymitani fundamenta. Quinta Mundi Ætas excurrit a conſtructione Templi Hieroſolymitani uſque ad Captivitatem Babylonicam. Sexta Mundi Ætas orditur a laxata captivitate Babylonica, & completur in Natali Chriſti Domini, veri Meſſiæ, & totius Mundi Salvatoris. Dabo autem operam, ut ea, quæ circa illas ſex Mundi Ætates, ſive ad Hiſtoriam, ſive ad Critices, & Chronologiæ Diſciplinas, ſive ad Doctrinam, mores, rituſque Hebræorum pertinent, quæque vel in Sacris Libris, vel in permultis peritorum hujus Ætatis Scriptorum voluminibus præſcripta continentur, attingam, eademque opera explodam fabulas, quas Hiſtorici prophani circa iſtas ſex Mundi Ætates commenti ſunt, ita ut tamen a prolixioribus diſputationibus, quæ homines plerumque meliores non reddunt, conſulto abſtineam, meque ſemper intra præſcriptos brevitatis limites contineam. Ceterum, quod ad hujus Operis, quod molior, ſpem attinet, ſi minus contingat eruditorum calculis approbari, illud fortaſſis efficiet, ut Theologiæ Candidati (quibus opem ferre vehementer deſidero, quæ ſit illis non minus utilis, quam jucunda) ad univerſam Veteris Teſtamenti Hiſtoriam in fonte legendam, quaſi additis ſtimulis, provocentur, intelligantque, mihi ſaltem non defuiſſe voluntatem præſtandi promiſſi, ſi par animo fuiſſet facultas, indeque confido, ut iſtud qualecunque Opus, ad promovenda eorum ſtudia ſubciſivis horis a me lucubratum, boni conſulant, & ſicubi conatum noſtrum vires deſtituant, promptam, quam habui, voluntatem utilitati eorum conſulendi, & ad diſcendam Hiſtoriam Eccleſiaſticam Veteris Teſtamenti compendiariam viam illis parandi, pro officio interpretentur.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIA ECCLESIASTICA PRIMÆ MUNDI ÆTATIS,

Quæ incipit a creatione Mundi, & protenditur uſque ad Diluvium univerſale.

Hiſtoria Eccleſiaſtica primæ Mundi Ætatis complectitur omnia, quæ ſpectant Mundi creationem, feliciſſimum Adami, primi omnium hominum parentis, ſtatum ante peccatum; deploratiſſimam itidem ejuſdem Adami ſortem poſt peccatum: inſuper res geſtas Patriarcharum, qui vixerunt ante Diluvium univerſale; miſerias & calamitates, quas in totum genus humanum invexit primigenia Adami labes, necnon horrenda flagitia, quibus ejus poſteri inquinati iram Dei provocarunt, & per Diluvium univerſale fuerunt ab ipſo puniti. Circa hæc præcipua capita Hiſtoriæ Sacræ a creatione Mundi uſque ad Diluvium, quod in univerſam terram graſſatum eſt, plura Scripturæ Sacræ Interpretes Dubia ventilare ſolent, quæ nos brevitate, quoad ejus fieri poterit, cum claritate conjuncta, expendere, ac dilucidare ſatagemus in tribus Colloquiis, quæ in Hiſtoriam hujus primæ Mundi Ætatis inſtituemus, & in quibus, juxta methodum,

Digitized by Google

quam in deſcribenda Hiſtoria Eccleſiæ, quam Jeſus Chriſtus in Nova Lege inſtituit, tenuimus. Interlocutores erunt MAGISTER, ac DISCIPULUS. In primo Colloquio diſſeremus de his, quæ ad creationem Mundi, & ad ſtatum Adami innocentis pertinent, ibidemque male conſarcinatas repudiabimus fabulas, & errores, quos circa primi hominis, Mundi, & animalium creationem excogitarunt Scriptores propbani. In altero Colloquio diſcutiemus nonnullas difficultates, quas Theologi de ſtatu Adami poſt peccatum proponunt, iiſque breviter faciemus ſatis. In tertio denique Colloquio perſtringemus Vitas, ſeu res præclare geſtas Patriarcharum, qui a creatione Mundi vixerunt uſque ad Diluvium, atque veram Chronologiam, quæ in ſubducendis annis horumce Patriarcharum, ceteris calculis præponi debeat, indicabimus.

COL-

COLLOQUIUM PRIMUM.

In quo ſingula, quæ ad Mundi creationem, & Adami innocentis ſtatum pertinent, explanantur, & fabulæ, ac errores, quos circa primam Mundi Ætatem procuderunt Scriptores prophani, exſufflantur.

MAGIST. Mundum intra ſex dierum ſpatium conditum eſſe narrat Scriptura Sacra. Prima die creavit Deus Cœlum, Terram, ac Lucem. Secunda die fecit Firmamentum, & diviſit aquas, quæ erant ſub Firmamento, ab his, quæ erant ſuper Firmamentum. Tertia die congregavit aquas, quæ erant ſub Firmamento in unum locum, terramque, recedentibus aquis, exſiccatam, herbarum, ſtirpiumque viriditate veſtivit, juſſitque ut arbores fructuſque produceret. Quarta die Solem, ac Lunam, Stellaſque collocavit in Cœlo, ut præeſſent diei ac nocti, & ut eſſent in ſigna, in tempora, dies & annos, atque lucerent in Firmamento Cœli, & illuminarent terram. In quinta die Deus Piſces in Mari, & Volucres in aere procreavit. In ſexta die produxit animantia ſuper terram, & præſertim hominem, quem e limo terræ finxit, a terra *Adamum* appellavit, ad imaginem ſuam formavit, eumque in hunc Mundum induxit, quaſi in domum jam paratam & inſtructam; illius enim cauſa facta ſunt omnia. Denique, ſeptima die cum perfectum, omnibuſque ſuis numeris abſolutum eſſet totius Mundi opificium, quievit Deus, & cuncta, quæ fecerat opera tanquam valde bona approbavit. Hæc ſunt in ſumma, quæ de creatione Mundi, ſeu de ſex dierum opificio, refert Scriptura Sacra cap. 1. Libri Geneſeos.

Hanc compendioſam de creatione Mundi hiſtoricam narrationem, a *Moyſe* loco mox a me laudato deſcriptam, paucis nunc Obſervationibus, ne longior ſim quam poſtulat mei inſtituti ratio, illuſtrare pergam. In primis, certum eſt, hunc Mundum, non ex aliqua præjacente materia, ſed ex nihilo a b omnipotenti Deo conditum fuiſſe. Hinc damnar merito debent Poetæ, qui (teſte *Lactantio* lib. 2. *Inſtitution. Divin.* cap. 9.) *aiunt, Chaos in principio fuiſſe, ideſt confuſionem rerum atque elementorum; poſtea vero Deum diremiſſe omnem illam congeriem, ſingulisque rebus ex confuſo acervo ſeparatis, in ordinemque deſcriptis, inſtruxiſſe Mundum pariter & ornaſſe. Quibus facile eſt reſpondere poteſtatem Dei non intelligentibus, quem credunt nihil efficere poſſe, niſi ex materia ſubjacente ac parata, in quo errore etiam Philoſophi fuerunt .... Deus facit ſibi ipſi materiam, quia poteſt. Poſſe enim Dei eſt, nam ſi non poteſt, Deus non eſt. Homo facit ex eo, quod eſt, quia per mortalitatem imbecillis eſt, definitæ ac modicæ poteſtatis. Deus autem facit ex eo, quod non eſt, quia per æternitatem fortis eſt, per fortitudinem poteſtatis immenſe, quæ fine, ac modo caret, ſicut vita factoris. Quid ergo mirum, ſi facturus Mundum, prius materiam de qua faceret, præparavit ex eo, quod non erat? quia nefas eſſet, Deum aliunde aliquid mutuari; cum in ipſo, vel ex ipſo ſint omnia. Nam ſi eſt aliquid ante illum factum, & quidquam non ab illo factum eſt, poteſtatem Dei & nomen amittet.* Hoc egregio *Lactantii* teſtimonio facile refelluntur, non ſolum Ethnici Poetæ, ac Philoſophi, ſed etiam quidam Hæretici, quos cum *Hermogene* effutire non puduit, Materiam eſſe ingenitam, æternam, & Deo coævam, vel cum Hæretico *David de Dinando*, Diſcipulo *Almarici*, Deum eſſe materiam primam; quo commenro quid abſurdius inſulſiuſque excogitari poſſit, certe non video.

De anni tempeſtate, qua conditus

eſt Mundus, non conveuit inter omnes Scripturæ Sacræ Interpretes. Alii exiſtimant, Mundum fuiſſe creatum in Autumno, qui fructibus abundat. Probabilius quippe videtur, Deum, cujus opera perfecta ſunt, Mundum creaſſe in Autumno fructifero, quam in Vere duntaxat florido. Præter quam quod, annus antiquus apud Hebræos (ante eorum profectionem ex Ægypto) auſpicabatur ab Æquinoctio Autumnali, immo inde incipiebant anni Sabbatici, & Jubilæi, annuſque Civilis Hebræorum. His conjecturis nituntur multi Scripturæ Sacræ Interpretes, quibus hæc probatur ſententia. Alii vero non minus eruditi Scripturæ Sacræ Interpretes, quorum ſententiæ utroque pollice ſubſcribo, autumant, Mundum fuiſſe Verno tempore conditum, tum quia omnia Verno tempore renovantur; tum quia in Æquinoctio Vernali Orbis fuit reparatus, cum Chriſtus Dominus, ſicut alibi oſtendimus, mortuus ſit ad redimendum genus humanum die 25. menſis Martii. Nec tamen defuerunt primis Parentibus noſtris fructus, ſicut & animantibus herbæ, quibus veſcerentur, quamvis Mundus fuerit Verno tempore conditus, quia in locis temperatis, in quibus primum hominem, primaque animantia terreſtria creavit Deus, plures fructus in Vere, & ſalubrium herbarum copia ſuppetit. Addi etiam poteſt, Adamum in Paradiſo terreſtri poſitum fuiſſe, ubi ſemper erant arbores fructiferæ. Denique, Hebræi, antequam egrederentur ex Ægypto, anni exordium duxerunt quidem ab Æquinoctio Autumnali, ſed ejuſmodi anni Hebræorum inchoationem reformavit Deus, præcipiens in Libro Exodi, ut anni initium ſumeretur ab Æquinoctio Vernali. Hanc ſententiam de creatione Mundi Verno tempore conditi tanquam probabiliorem ampleetuntur non ſolum inter Judæos periti Rabbini, ſed etiam multi SS. Patres, præſertim *Cyrill. Hieroſolymit.* Catech. 14. *Ambroſius*, lib. 1. Hexameron cap. 4. & *Theodoretus* in Exodum quæſt. 72. ubi hæc habet: *Propterea quod eodem fere tempore* (ſeu Verno) *Deus creaturas condidit, cui rei fidem facit arborum germinatio. Incipiente enim Vere, prata florere ſolent, ſegetes ſemina concipiunt, arbores fructum emittunt. Ea de cauſa Deus etiam ſub idem tempus liberavit Populum Iſrael a ſervitute Ægyptiorum. Et Gabriel Archangelus Sanctæ Virgini Mariæ lætum Nuntium admirandi partus attulit. Eodem quoque tempore Chriſtus Dominus ſalutarem pertulit paſſionem.* Deus igitur Verno tempore condidit Mundum, non quidem propter ſe illum fecit Deus, quia commodis ejus non indiget, ſed propter hominem, qui eo utitur; hominem tamen Deus creavit propter ſe, *ſcilicet* (ſunt verba *Lactantii* lib. 7. Inſtitutionum Divin. cap. 5.) *ut eſſet, qui opera ejus intelligeret, qui providentiam diſponendi, rationem faciendi, virtutem conſummandi, & ſenſu admirari, & voce proloqui poſſet. Quorum omnium ſumma hæc eſt, ut Deum colat. Is enim colit, qui hæc intelligit: is artificem omnium rerum, is verum patrem ſuum debita veneratione proſequitur, qui virtutem majeſtatis ejus de ſuorum operum inventione, inceptione, perfectione metitur. Quod planius argumentum proferri poteſt, & Mundum hominis, & hominem ſua cauſa Deum feciſſe, quam quod ex omnibus animalibus ſolus ita formatus eſt, ut oculi ejus ad Cœlum directi, facies ad Deum ſpectans, ut videatur hominem Deus, quaſi porrecta manu allovatum ex humo, ad contemplationem ſui excitaſſe:* Notat porro *Moyſes*, hominem ſexta die creationis Mundi fuiſſe a Deo creatum, ex quo facile colligitur, totum Mundi opificium per intervallum ſex dierum naturalium eſſe a Deo perfectum. Id etiam aperte declarat idem Sacer Auctor in ea, quam deſcribit, hiſtorica Mundi narratione, ubi ſex Mundi creationis dies diſtincte, & articulate enumerat, ſingulorum definit ſpatia, & quidquid operis in unoquoque die molitus ſit Deus, accurate exponit. Memorat inſuper *Moyſes* præceptum a Deo datum obſervandi Sabbatum, quia, ſicut Deus Mundum, & omnia, quæ in eo continentur, ſex diebus elaboravit, ſeptimo autem die requievit ab omni opere, ideſt, nova condere ceſſavit; ita Judæi ſex diebus laborare poſſunt, die autem ſeptimo ab-

ab omni opere ſervili ac labore debent in integrum abſtinere. Quæ certe Moyſis ratio, ut nemo non videt, nullius ponderis eſſet, ſi Deus unica die, vel unico momento totum Mundi opificium abſolviſſet, ſicut viſum eſt *Sancto Auguſtino*, qui docet, ſex illos dies, quibus Mundum conditum eſſe narrat *Moyſes*, non in ſenſu proprio & naturali accipi debere, ſed in ſenſu myſtico ac figurato, ſeu per diem intelligi oportere cognitionem Angelicam, ita ut prima dies ſit cognitio primi operis, quam habuit Angelus: ſecunda dies ſit cognitio, quam Angelus habuit, ſecundi operis, & ſic de aliis diebus. Quo fit, ut apud *S. Auguſtinum* diſtinctio dierum creationis Mundi ſumatur non ſecundum ſucceſſionem temporum, ſed ſecundum ordinem rerum cognitarum ab Angelis. Iſti autem dies dicuntur conſtare Veſpere & Mane, ideſt, cognitione Veſpertina & Matutina, quia Angeli duplici pollent rerum cognitione, una videlicet, quæ eſt obſcurior, & qua cognoſcunt res in ſe ipſis: & iſta Angelorum cognitio vocatur *Veſpertina*: Altera cognitio rerum, quam habent Angeli, clarior eſt, & ideo appellatur *Matutina*, per quam cognoſcunt res non in ſe ipſis, ſed in Deo, ſeu in Verbo Divino, tanquam in cauſa rerum omnium. Hæc eſt Sententia *S. Auguſtini*, quam *S. Thomas* Primæ Partis ſuæ Summæ Tripartitæ q. 74. art. 2. & aliis ſequentibus expendit, eique nullam erroris notam, ob reverentiam Aquilino huic Doctori de Eccleſia optime merito debitam, inuri debere cenſet; quamvis inclinet ad communiorem Sanctorum Patrum opinionem, quæ tenet, ſex iſtos dies, quos tam diſtincte dinumerat Moyſes, eſſe veros & naturales dies. Nec enim credibile eſt, *Moyſem*, ſapientiſſimum Legislatorem, voluiſſe in ea, quam texit, hiſtorica creationis Mundi narratione deſignare Hebræis, qui erant omnino rudes & illiterati, dies non veros, & naturales, ſed myſticos & figuratos, per quos intelligere deberent cognitiones veſpertinas & matutinas Angelorum, quæ a ſubtilioribus etiam Theologis vix hodie capi & intelligi poſſunt, necdum dilucide explicari.

Sunt quidam Theologi, & Scripturæ Sacræ Interpretes, qui autumant, Moyſem, rerum creationem recenſentem, ideo Angelorum creationem altiſſimo obruiſſe ſilentio, ut Hebræorum ſaluti conſuleret, cum illos magnopere rudes, & ad Idololatriam impenſe proclives intelligeret, atque adeo, qui ſi creationem tam præcellentis & ſublimis ſubſtantiæ audirent, eam cultu latriæ, diviniſque obſequiis adoraturi eſſent. Creationem itaque Angelorum ſuppreſſit Moyſes, ne ſcilicet tam immane ſcelus Hebræi perpetrarent. Verum, hæc ſententia (ut cum venia dicam) jejuna ac frigida multis nominibus mihi ſemper viſa eſt. Nam primo conſtat, Moyſem ſæpe numero in quinque Libris Pentateuchi, ab ipſo exaratis, meminiſſe Angelorum, eorumque miniſteria ac præſidia creberrime expertos fuiſſe Hebræos: Præterea, doctrina, quæ Angelos facit a Deo creatos, auguſtam facit Dei amplitudinem & potentiam, & elevat ac extenuat Angelos, quos licet inter creaturas ſublimi & excelſo loco reponat, creaturas tamen eſſe fatetur, & a Deo in immenſum diſtantes; proindeque Angelorum creatio homines ab eorum cultu potius abducere & avocare, quam ad illum allicere & adducere poteſt. Nihil ergo Idololatriæ periculi erat, quod pertimeſceret Moyſes, ſi recenſuiſſet creationem Angelorum. Rejecta itaque hac opinione ego ſic mecum reputo, ob hanc potiſſimum cauſam prætermiſiſſe Moyſem de creatione Angelorum aperte ſcribere, quod aliena prorſus a ſuo ſcopo eſſet, quippe qui Geneſim duntaxat rerum, quæ pertinent ad hunc viſibilem & aſpectabilem Mundum deſcribendam ſuſcipiebat. Quorſum igitur creationis Angelorum, qui ſunt omnino ſpirituales & incorporei, meminiſſet Moyſes? His adde, quod ſi Moyſes conditionem & ortum Angelorum expoſuiſſet, eadem opera peccatum Dæmonum, qui Deo contumaces, & perduelles extiterunt, ei explicandum fuiſſet, quod tamen, cum ab illo, quem ſibi propoſuerat, ſcopo videretur alienum, conſulto & prudens omiſit, ne hiſtoricam

de

de hujus Mundi ſenſibilis creatione narrationem inutilibus parergis interrumperet, & ullam infidelibus occaſionem daret, Hiſtoriam, quam ſcribebat ſugillandi, eamque, velut ſcopam diſſolutam, & arenam ſine calce contumelioſe exſibilandi.

D. Mundum a Deo conditum eſſe, ſi divina non perſuaderet auctoritas, ipſa tamen ſola Mundi per ſeſe edoceret contemplatio. Si quis enim adeo ſtupidus eſſet, ut cum Epicureis aſſerere vellet, Mundum nihil aliud eſſe, quam corpuſculorum acervum, ſine vita, ſine providentia, ſine ratione, caſu & temere conflatum, hunc errantem facile revincere poſſet admirabilis hujus Mundi ſtructura, & partium ejus, ac ſapientiſſima rerum omnium diſpoſitio, quæ non caſus, & fortuiti atomorum ſtupidarum concurſus, ſed ſolius duntaxat ſupremæ rationis, omnia ſcite & ordinate diſponentis, poteſt eſſe opificium. Verum, etſi ratio naturalis Mundum a Deo conditum eſſe aperte doceat, quia tamen plus momenti ac ponderis habet divina auctoritas, quam quodlibet argumentum e ratione naturali petitum, vehementer optarem, ut paucis oſtenderes, hunc librum *Geneſis*, in quo Hiſtoria de creatione Mundi deſcribitur, divinam habere auctoritatem, eumque revera ſcriptum eſſe a *Moyſe*, antiquiſſimo Judæorum Legiſlatore. Audivi enim nuperrime, eſſe nonnullos, qui hunc librum Geneſeos non a *Moyſe*, ſed longe poſt tempora Moyſis ſcriptum eſſe pertendebant.

M. Soli Athei, Infideles ac viri quidam increduli, ficulneis adducti conjecturis, negant, *Moyſem* eſſe auctorem libri *Geneſis*, quorum deploratam cæcitatem nihil plane morari debemus, cum perpetua ſit, & ab antiquiſſimis temporibus ſibi ſemper conſtans tam Judæorum, quam Samaritanorum, & Chriſtianorum omnium ſententia, *Moyſem* eſſe verum Auctorem totius *Pentateuchi*, ita dicti, quod quinque iſtos libros complectitur, videlicet libros *Geneſis*, *Exodi*, *Levitici*, *Numerorum*, & *Deuteronomii*. Hos, inquam, quinque libros, eſſe germanos & genuinos Moyſis fœtus una ſemper fuit ſententia omnium Judæorum, quibus, circa libros, quos exaravit Moyſes, eorum Legiſlator, par eſt ut eamdem fidem præſtemus, quam adhibuerunt ſemper homines populis illis, qui de Legiſlatorum ſuorum Legibus locuti ſunt, quales fuerunt *Lacædemonii*, qui Leges a *Lycurgo* ſe accepiſſe profitebantur, & *Athenienſes*, qui ſuarum Legum Auctorem agnoſcebant *Solonem*. Immo, ſicut nemo impræſentiarum audet in dubium revocare, harum Legum conditores eſſe *Lycurgum* ac *Solonem*, tametſi non exiſtant amplius illi populi, qui Legibus *Lycurgi*, & *Solonis* antiquitus regebantur; ita nullus vir prudens in dubium nunc vertere debet, an Judæorum Lex, quinque mox laudatis Pentateuchi libris comprehenſa, conſcripta fuerit a Moyſe, eorum Legiſlatore, cum tota Natio Judaica, per totum Orbem diſperſa, quinque illos libros Moyſi adjudicet, eoſque tanta cum ſolicitudine & veneratione conſervet. Quod ſane abſque ſingulari divinæ providentiæ beneficio fieri non potuiſſe, ex eo potiſſimum liquet, quod alii libri, qui olim ab Ægyptiis, a Romanis, aliiſque Nationibus, tenebris Idololatriæ immerſis, tamquam divini habebantur, temporis, rerum omnium edacis, injuria tandem aliquando perierunt, libri vero, quos pro Sacris ac divinis habet Judaica Natio, in tanta Sæculorum ſerie interire non permiſit divina providentia, ſed potius eos integros conſervavit, illorumque auctoritatem non ſolum Judæis, ſed etiam Chriſtianis Sacroſanctam eſſe voluit.

D. Quinque librorum Pentateuchi auctoritatem non tantum Judæis, ſed & Chriſtianis Sacro ſanctam eſſe certiſſime ſcio. Sed ſi convincere vellem Atheos, Infideles, viroſque incredulos, qui Judæorum, & Chriſtianorum teſtimoniis fidem omnino derogant, hæreret mihi profecto aqua, nec ullum ſuppeteret argumentum, quo illis perſuadere poſſem, Moyſem eſſe antiquiſſimum Judæorum Legiſlatorem, eumque eſſe Auctorem horumce quinque librorum *Geneſis*, *Exodi*, *Levitici*, *Numerorum*, & *Deuteronomii*, qui Pentateucho continentur.

M. A-

Digitized by Google

. M. Atheos, Infideles, alioſque ejuſdem farinæ viros incredulos, qui Judæorum & Chriſtianorum teſtimoniis aſſenſum præbere pervicaciter detrectant, convincere debes teſtimoniis antiquorum Gentilium Scriptorum, qui ultro fatentur, Moyſem eſſe Judæorum Legiſlatorem, & Auctorem Pentateuchi. Horumce Gentilium Scriptorum, quorum teſtimonia, tanquam ſi in hac cauſa eſſent ſuſpecta, nullo pacto repudiare poſſunt Athei, virique increduli, ſeriem breviter hic attexam, ut intelligas, Gentiles etiam Scriptores conſpirare una cum Judæis & Chriſtianis ad vindicandum Moyſi, Judæorum Legiſlatori, Pentateuchum, proindeque Atheos, viroſque incredulos, illorum teſtimoniis ſic convinci, ut nihil prorſus habeant, quod hiſcere aut muſſitare poſſint. In primis, bene multi Scriptores Ethnici, quos inter *Plato*, *Pythagoras*, *Theopompus*, *Diodorus Siculus*, & alii, *Moyſen* inter antiquiſſimos Legumlatores recenſent. Præterea, *Longinus*, Zenobiæ, Palmyrenorum Reginæ, a conſiliis & ſtudiis, *Moyſem* inſigni proſequitur elogio in libro, quem edidit *De ſublimi genere dicendi*, eo quod Moyſes in exordio libri Geneſis ſic Deum inducit magnifice loquentem: *Fiat lux*, *& facta eſt lux*. Tertio, Moyſis diſertam mentionem fecerunt *Cornelius Tacitus*, & Poeta *Juvenalis*, quorum prior lib. 5. Hiſtoriæ Romanæ hæc habet: *Moyſes*, *quo ſibi in poſterum gentem firmaret*, *novos ritus*, *contrarioſque ceteris mortalibus indidit*... *Hi ritus*, *quoquomodo inducti*, *antiquitate defenduntur*. Alter Scriptor, ſeu Poeta *Juvenalis* Satyra decima quarta innuit, Volumen Legum Judaicarum fuiſſe a Moyſe conſcriptum:

Judaicum ediſcunt, *& ſervant & metuunt jus*,
Tradidit arcano quodcumque Volumine Moyſes.

Denique, ne longior ſim, Moyſis meminerunt Gentiles Scriptores, *Philocorus*, qui ſub *Ptolomæo Philopatore*, Ægyptiorum Rege, florebat; *Eupolemus*, qui claruit ſub *Ptolomæo Epiphane*, Ægyptiorum itidem Rege; *Hecatæus*, *Beroſus*, *Manetho*, *Alexander Polyſthor* *Trogus Pompejus*, *Strabo*, *Nicolaus Damaſcenus*, *Plinius*, *Plutarchus*, *Numenius*, *Porphirius* &c. Plura legeſis apud illuſtriſſimum Abrincenſem Epiſcopum, *Danielem Huetium*, qui in ſua *Demonſtratione Evangelica*, Propoſitione quarta, ex variis prophanæ eruditionis monumentis probat, Moyſem, Judæorum Legiſlatorem, eſſe primum omnium gentium Scriptorem, & Pentateuchum, ab ipſo exaratum, unicum eſſe fontem, ex quo totam ſuam Theologiam hauſerunt Ægyptii. Perſæ, Indi, Thraces, Germani, Galli, Britanni, Hiſpani, præcipue vero Græci ac Romani, qui ex Moyſis rivis ſuos hortos irrigarunt, indeque ſuas Leges, Ritus, Religionem, fabulas, aut hiſtorias ſuas depromſerunt. Plura non addam, ad fontem quippe digitum intendiſſe, ſat ſuperque ſufficit.

D. Validum mihi profecto ſuppeditas argumentum, quo convincere poſſim, Atheos, Infideles, viroſque incredulos, qui tot Gentilium Scriptorum teſtimonia, tanquam ſuſpecta, rejicere haud poſſunt, vel ſi ea recipere nolint, digni ſunt, qui in ſuis pluſquam cimmeriis tenebris immerſi relinquantur. Sed dicas, amabo, ſuntne alicujus ponderis, rationes, quas proferunt Athei, Infideles, virique increduli, qui Moyſem eſſe Auctorem Pentateuchi inficiantur?

M. Rationes, quas obtrudunt Athei, Infideles, virique increduli, leves ſunt ac futiles, millieſque eliſæ, quas ſubinde lubens prætermittam, ne tibi tædio & oneri ſim, ac unam duntaxat eorum palmarem & ſæpius decantatam objectionem proponam, ex qua quid de cæteris ſentiendum ſit facili negotio judicabis. Dictitant itaque, Pentateuchum aſſeri ac vindicari non poſſe Moyſi tanquam vero & legitimo parenti, quia quædam in Pentateucho narrantur, quæ duntaxat poſt obitum Moyſis contigerunt. Verum, quam deplorabile ſit iſtud argumentum, nemo eſt, qui ſtatim non videat. Scripſit quidem Moyſes totum Pentateuchum, ſed poſt ejus obitum, *Joſue*, qui in regimine populi Iſraelitici ſucceſſit Moyſi, vel *Eſdras*, qui, poſt laxatam captivitatem Babylonicam, illbros,

Digitized by Google

bros ſactos recognovit , vel alius Sacer Scriptor , Spiritu Sancto afflatus , nonnulla Pentateucho Moyſis , majoris claritatis ergo , addidit , & quædam nomina urbium , montium & locorum immutavit , ut narratio Moyſis facilius intelligi poſſet ab iis , quibus , poſt obitum Moyſis , vetera urbium , montium , & locorum nomina erant ignota . Sic Ex Gr. legimus ad calcem libri Deuteronomii mortem Moyſis , quam inſeruit quidam ſacer Scriptor . Legimus etiam cap. 12. lib. Numerorum laudes Moyſis , quas alter ſacer Scriptor intertexuit . Sic Geneſis cap. 14. Urbs *Lais* vocatur *Dan* , cum tamen diu poſt obitum Moyſis hoc nomine donata ſit . Sic Geneſis cap. 22. Mons *Moria* appellatur *Mons Dominus videbit* , quo tamen nomine hic mons poſt Moyſis obitum vocari cœpit , eo videlicet tempore , quo mons ille *Moria* ædificationi Templi deſtinatus eſt . Has igitur & alias id genus leves additiones , vel immutationes , Pentateucho poſt obitum Moyſis factas fuiſſe , non inficias eo ; ſed eos inſanire dico , qui ob leves illas additiones aut immutationes , præfracte negant , Moyſem eſſe Auctorem Pentateuchi , vel qui aſſerunt , aliquem poſt obitum Moyſis voluiſſe , aut potuiſſe novos ritus , novas inſtituere cæremonias , commentitiam ſcribere Hiſtoriam , & Legem a ſe conditam promulgare , ac venditare ſub ementito Moyſis nomine ; nam ſi quis , poſt obitum Moyſis , eo deſipuiſſet , idque exequi auſus fuiſſet , confeſtim tam inſignis impoſtura , quæ nulla arte celari potuiſſet , a Judæis retecta , & propalata eſſet , ſicque in vulgi fabulam abiiſſet impoſtor.

D. Moyſem eſſe verum ac legitimum Pentateuchi auctorem , eumque , nonniſi ſacro numine afflatum , omnia , quæ in eo refert , litteris conſignaſſe , locupletiſſima , illa omnium gentium , quæ protuliſti , teſtimonia , ſed Eccleſiæ præſertim perennis conteſtatio , ab aliiſque multis rebus petita alia argumenta mihi invicte perſuadent , faciuntque , ut aperte ac evidenter perſpiciam , illos miſere , & infeliciter caligare , qui ſecus ſentiunt , quique ea , quæ in Pentateucho , ſacriſque Litteris continentur , aut contemnunt , aut parvi faciunt . Illos ergo miſeros homines mittamus , & hoc potius inquiramus , cur Moyſes , daturus Leges , quibus in officio Hebræos contineret , a creatione Mundi exordium duxerit ? Quorſum , rogo , tam altum & veluti ab ovo , ut ajunt , repetitum principium ?

M. Primo dici poteſt , Moyſem voluiſſe a creatione rerum , quæ ſenſibus ſubjiciuntur , ad Dei attributa , & perfectiones cognoſcendas , unitatem , omnipotentiam , ſapientiam , beneficentiam , & id genus alia , quæ ſola mente attinguntur , Hebræos ſenſim ſine ſenſu adducere , ut cognitione unius Dei Creatoris , tamquam certo quodam lumine purgarentur , falſaſque Ægyptiorum de multiplicitate Deorum , deque Mundi æternitate opiniones , quibus erant imbuti , protinus ex animis deponerent . Præterea , rerum creationem recenſuit Moyſes , quod inter externa Adamo , primo omnium hominum parenti , collata beneficia , principem ac ſummum locum obtineat , ipſaque Hiſtoriæ ſeries exigeret , ut ab hoc ingenti noſtro generi conceſſo beneficio narrationem ſuam auſpicaretur , & ad ea potraheret , quæ ſpectant Adami formationem , ejus felicitatem in ſtatu innocentiæ , ejus miſerias poſt peccatum , quod ad omnes illius poſteros via ordinaria tranſfunditur , ac denique promiſſionem de venturo Meſſia , ſeu Salvatore , qui damna generi humano per Adami peccatum illata reſarciret . Hunc ſiquidem Meſſiam , ſeu Liberatorem , a Deo promiſſum eſſe teſtatur Moyſes cap. 3. libri Geneſis , ubi poſtquam *Adami* , & Hevæ , ejus conjugis , lapſum deſcripſit , e veſtigio inducit Deum Serpenti , a quo ſeducta fuerat *Heva* , his verbis imprecantem : *Ipſa conteret caput tuum* , ideſt Meſſias , ex muliere aliquando naſciturus , conteret caput tuum . Hanc autem Liberatoris , ſeu Meſſiæ a Deo factam promiſſionem Moyſes in libro Geneſis oſtendit tam alte inſediſſe animis Patriarcharum , qui ante illum vixerant , ut nihil tam in votis haberent , quam ut in ſua familia compleretur . Hinc liberis procrean-

crean-

Digitized by Google

creandis operam dabant, plures uxores ducebant, de jure primogenituræ decertabant. Solemne etiam erat Hebræis Deum appellare *Deum Abrahami*, *Deum Iſaaci*, *Deum Jacobi*, quod perſuaſum haberent, hanc promiſſionem de mittendo Liberatore, ſeu Meſſia, a Deo factam, completum iri in familia Abrahami, cui Deus cap. 22. lib. Geneſis dixit: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes*. Denique, tempus, quo hæc divina promiſſio adimpleri debebat, noverant Hebræi e vaticino Patriarchæ *Jacob*, qui propediem in Ægypto moriturus, prædixit, hanc divinam de mittendo Liberatore promiſſionem ſuum habituram exitum, poſt ablatum de Juda, ideſt, de gente Judaica, Sceptrum: *Non auferetur Sceptrum de Juda & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*. Ut poſſet igitur Moyſes hanc promiſſionem a Deo factam de mittendo Liberatore in apertum ponere, conſultiſſime totam narrationem ſuam a creatione Mundi exorſus eſt, & inde ad formationem Adami, ejuſque peccatum progediens, liquido oſtendit, cauſam, cur Deus promiſerit, hunc a ſe miſſum iri Liberatorem, non aliam eſſe, quam peccatum Adami.

D. Jam vero & facile nunc intelligo perilluſtre Moyſis ingenium in explicando propoſito ſibi argumento, & in aperienda cauſa ruinæ humani generis, ac proinde neceſſitatis noſtræ inſtaurationis. Ex eadem etiam narratione Moyſis pleraque eluceſcunt, quæ alioqui nullo pacto comprehendi poſſent, ſicut, Ex. Gr. peccati originalis, ſeu peccati Adami in omnes ejus poſteros propagatio, & cauſa cur nunc omnis homo naſcatur cum ignorantia in intellectu, cum malitia in voluntate, cum propenſione ad malum, cum lucta paſſionum, totque calamitatibus obnoxius vivat. Quæ difficultas, ſicut nuperrime legebam apud *Cl. Blaſium Paſchalem* in ſuis *Cogitatis* titulo 3. pleroſque ex Gentilibus cordatos viros vehementer olim torquebat, eorumque ingenia quantumvis acutiſſima penitus abſorbebat. Nec mirum, cum illi nec de primo homine cum præclaris dotibus ac perfectionibus naturæ & gratiæ in ſtatu innocentiæ a Deo condito, nec de ejus peccato, per quod ſibi, ſuiſque poſteris omnium malorum agmen importavit, vel minimam notitiam habuerint, nec ad cauſam, unde tot profluxerunt miſeriæ, quibus nunc exagitatur homo, præeunte luminis naturalis face pervenire unquam potuerint. Sed dicas, amabo, quo pacto Moyſes, qui poſt multas a creatione Mundi ſæculorum myriades, prodiit in lucem, potuerit tam accurate deſcribere creationem Mundi, eaque narrare Facta hiſtorica, quæ de formatione Adami, de ejus lapſu, de Patriarcharum, ante & poſt Diluvium Genealogia, Geſtis & annis leguntur in libro Geneſis, cum perſpectum omnibus ac exploratum ſit, nullum temporibus Moyſis extitiſſe hominem, creationi Mundi coævum, a quo Moyſes ejuſmodi rerum geſtarum notitiam audire, vel accipere potuerit? Recurrendum itaque erit ad aliquam ſpecialem Dei revelationem, cujus beneficio Moyſes hanc a Deo notitiam acceperit. Verum, quia Athei, virique increduli divinas revelationes non admittunt, optarem, ut, ad eos facilius convincendos, rationem aſſignares, quæ evinceret, Moyſem, etiam citra revelationem ſibi factam a Deo, habuiſſe certam & indubitatam notitiam rerum, quas de creatione Mundi, de formatione Adami, de ejus lapſu & de aliis id genus Factis hiſtoricis narrat in libro Geneſis.

M. Ex continua certaque Traditione *Moyſes* notitiam habuit rerum, quas de creatione Mundi, de formatione Adami, de ejus lapſu, & de aliis Factis hiſtoricis ipſemet narrat in libro Geneſis. Quod quidem ne gratis a me dictum eſſe putes, ſuppeditabo tibi demonſtrationem Chronologicam, ad Codicis Hebræi calculum exactam, ex qua liquido conſtabit, Moyſem ex certa, & ad ſua uſque tempora traditione propagata habuiſſe notitiam rerum, quas in libro Geneſis literis conſignavit. At enim, Adamus, primus omnium hominum parens, qui ſexta die a creatione Mundi a Deo conditus eſt, vixit annos

930.

930. Mathuſale vero natus eſt anno Mundi 687. Vixit ergo, juxta hunc calculum, Mathuſale cum Adamo Annos 244. ac ſubinde potuit facile Mathuſale diſcere ab Adamo ea, quæ ſpectant creationem Mundi, formationem Adami, ejus lapſum &c. Deinde, Mathuſale, qui vixit cum Adamo annos 244. vixit etiam cum Semo, filio Noemi, annos centum, Semus quippe natus erat annos centum, quando contigit Diluvium, & Mathuſale, poſtquam vixiſſet annos 969. obiit eodem anno, quo accidit Diluvium, hoc eſt, anno a creatione Mundi milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto. Semus itaque, filius Noemi, qui centum annis vixit cum Mathuſale, potuit ab ipſo accipere notitiam creationis Mundi, formationis Adami, ejus lapſus &c. Tertio, Iſaac, filius Abrahami, vixit cum Semo, filio Noemi, quinquaginta annis, ac proinde ab eo habere potuit notitiam rerum, quæ Mundi creationem, formationem Adami, & ejus lapſum ſpectant. Semus ſiquidem, filius Noemi, vixit poſt Diluvium quingentis annis & vita functus eſt anno Mundi 2158. Iſaac vero, filius Abrahami, natus eſt anno Mundi 2108. ex quo conſequitur, Iſaacum, filium Abrahami, vixiſſe cum Semo annos quinquaginta. Quarto, *Jacob*, filius Iſaaci, Hiſtoriam de creatione Mundi, de formatione Adami, de illius lapſu &c. ſæpius a Patre ſuo *Iſaaco* audire potuit. Quin, & Patriarcha Jacob, filius Iſaaci, vidit filios Patriarchæ Joſephi, quibus propediem moriturus benedixit, iiſque tradidit notitiam de creatione Mundi, de formatione Adami, ejus lapſu & de mittendo Liberatore, ei dicens, ſicut legitur c. 49. libri Geneſis: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de ſemore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*. Denique filii Patriarchæ Joſephl, quibus benedixit Patriarcha Jacob, quoſque omnia, quæ pertinent ad creationem Mundi, formationem Adami, ejus lapſum, & adventum Liberatoris edocuit: filii, inquam, Patriarchæ Joſephi viderunt Moyſem, quia a morte Patriarchæ Joſephi uſque ad ortum Moyſis interceſſere duntaxat anni ſexaginta quatuor. Quo fit, ut Moyſes, Judæorum Legiſlator, & Auctor Pentateuchi, plenam ac integram a filiis Patriarchæ Joſephi notitiam habuerit rerum omnium, quas ſcripſit in libr. Geneſis de creatione Mundi, de formatione Adami, de ejus lapſu, de mittendi Liberatoris promiſſione divina, de Patriarcharum ante & poſt Diluvium annis, Geſtis &c. Moyſes itaque hac perpetua, ſibique ſemper conſtanti traditione, ab Adamo primo omnium hominum parente, ad ſuam uſque ætatem, velut de aure in aurem, & per manus traducta, & jugiter conſervata, potuit nullo negotio compertam habere rerum Hiſtoriam, quam in libro Geneſis exaratam nobis reliquit, quamque in tanta ſæculorum ſerie interire non permiſit divina providentia, cum tamen alii libri, qui olim ab Ægyptiis, a Romanis, aliiſque Ethnicis Nationibus ut ſacri ac divini æſtimabantur, omnino perierint, ut paulo ante obſervavi, quod ſane maximum veritatis iſtius Hiſtoriæ, & divinæ, quam præfefert, authoritatis argumentum apud omnes eſſe debet.

D. Multum quidem mihi arridet hæc tua demonſtratio Chronologica, ſed, ut candide fatear, vereor, pace tua dixerim, ne Atheis, viriſque incredulis ſublesta nimis, & elumbis videatur. Supponit quippe hæc tua Demonſtratio Chronologica, Mundum non extitiſſe ante illud tempus, quo eum à Deo conditum eſſe narrat Moyſes. Supponit itidem, Adamum eſſe primum omnium parentem, ſicut aſſerit idem Scriptor. At, id viri increduli, Religioniſque oſores, ſicut nuperrime audivi a viris eruditis, præfracte negant. Volunt quippe primo, Mundum longe antiquiorem eſſe, quam referat Moyſes. Deinde, dictitant, Adamum non eſſe primum omnium parentem, ſed multo ante Adamum extitiſſe homines, quos *Praadamitas* appellant, quod ante Adamum extiterint. Hoc autem ſe poſſe probare putant tum ex Ethnicis Scriptoribus, quorum calculi oſtendunt, Mundum longe antea extitiſſe, quam referat Moyſes, tum etiam ex Ægyptiorum, Aſsyriorum, Chaldæorum, & Sinarum Hiſtoriis, quæ referunt, inſtitu-

ſtitu-

Digitized by Google

ſtitutas fuiſſe in his nationibus Orientalibus Monarchias multo ante tempus, quo Mundum conditum eſſe ſcribit Moyſes. Tua igitur Demonſtratio Chronologica, ſi viri increduli pronuncient judicium, nullius ponderis erit.

M. Futilia & plane indigna ſunt, quæ confutentur iſthæc argumenta, quibus nituntur viri increduli ad probandum, Mundum longe antea extitiſſe, quam referat ſacer Scriptor Moyſes. Illam nihilominus ponamus in trutinam, & Ethnicorum Scriptorum circa exiſtentiam Mundi nænias & deliria ingrediamur, quamvis me vehementer pigeat in id genus nugis male locare tempus. Sed collocabo tamen, ne inſtituto meo defuiſſe videri poſſim. Dico igitur primo, nihil eſſe inſulſius his, quæ circa exiſtentiam Mundi commenti ſunt Ethnici Scriptores. Alii quippe, ut obſervat S. *Auguſtinus* lib. 18. de Civit. Dei cap. 40. *vaniſſima præſumptione dixerunt, pluſquam centum annorum millia numerari, ex quo Ægyptus rationes Syderum comprehendit.* Alii, ſeu Chaldæi, jactanr, ſe comprehenſa monimentis habere *quadringenta ſeptuaginta millia annorum*. Alii poſtremo effutiunt, Mundum eſſe æternum. In hos craſſos errores circa exiſtentiam Mundi impegiſſe illos Scriptores Ethnicos, mirari profecto non ſubit: cum enim ignorat Dei verbo, ſimul quoque ignorarent originem rerum, ſupremumque illud tempus, quo Mundus eſſet effectus, certi quidpiam aſſequi haud potuerunt, quamobrem & digitis, ut proverbio dicitur, micabant in tenebris. Id certe agnovit, & ultro faſsus eſt unus ex Ethnicis Scriptoribus *Marcus Varro*, Romanorum doctiſſimus, qui referente *Cenſorino* lib. *De Natali die* cap. 17. tria Mundi intervalla ſtatuit, quorum primum a principio hominum uſque ad Cataclyſmum, ſeu Diluvium protrahebat, atque quot annorum extiterit, comprehendi poſſe negabat. Secundum a Cataclyſmo ad primam uſque Olympiadem, quod & *Mithicum*, hoc eſt, fabuloſum, prudenter vocabat; de eo enim fabuloſa permulta a Scriptoribus narrantur. Tertium ducebat a prima Olympiade ad ſua illius tempora. Hoc autem ideo *Hiſtoricum* nuncupabat, quia veris narrationibus res geſtas Scriptores bene multi literis conſignaſſent. Juxta igitur illud locupletiſſimum *Varronis*, Scriptoris Gentilis, teſtimonium, poſt primam duntaxat Olympiadem (quæ, ut fatentur omnes ad unum Chronologi, ſeptingentis & ſeptuaginta ſex tantum annis Natale vulgare Chriſti Domini antevertit) cæperunt Scriptores Ethnici vera & Hiſtoriæ conſentanea narrare; Cetera vero, quæ ante primam Olympiadem memoriæ prodiderunt, anilibus fabulis jure optimo accenſeri debent. Dico præterea, ad aniles itidem fabulas ablegari debere Hiſtorias Ægyptiorum, Aſsyriorum, Chaldæorum, & aliarum Nationum Orientalium, tum quia denſiſſimis tenebris involvuntur, næniis, antilogiis, & ineptiis ſcatent; tum quia etiam ne minimam quidem veri ſpeciem habet quidquid de fabuloſa antiquitate ſua jactant Ægyptii, Aſsyrii, Chaldæi, & Sinæ, qui, ur gentis ſuæ primordia auguſtiora redderent, ſplendida mendacia certatim adornarunt, & putidiſſima obtruſerunt commenta, quæ hic, ne plus nimium conterere tempus videar, non confutabo, ſed potius alto ſilentio prætermittam, utpote indigniſſima, quæ a te, tuique ſimilibus, Chriſtianæ Religionis cultoribus, audiantur, ſicut merito obſervat *Ludovicus Vives*, qui mirari ſe ſcribit bonas horas a quibuſdam in talibus collocari nugis. Non immorabor etiam in refellendo Præadamitarum, ſeu Chymericorum hominum, qni ante Adamum extiterint, inſulſo Syſtemate, tum quia iſtud male conſarcinatum Syſtema, ſtatim ac publicam lucem adſpexit, natalitiis tenebris damnatum, diriſque execrationibus fuit ab omnibus proſcriptum; tum quia etiam hujus Syſtematis Auctor, ſeu *Iſaacus Pererius*, natione Gallus, e Calviniſtarum Secta, facti tandem pœnitens, Romæ anno 1657. coram *Alexandro VII.* Pontifice Maximo, palinodiam decantavit, ſuumque hactenus inauditum Syſtema, una cum Calviniana hæreſi, quam cum lacte ſuxerat & hactenus profeſſus fuerat, ejuravit, atque in ſinu Eccleſiæ Catholicæ conſtanter perſeverans ex hac vita migravit.

D. Pu-

D. Putabam ſane, hujuſce Præadamitarum Syſtematis Auctorem fuiſſe aliquem virum incredulum, & ab omni Religione extorrem, nec unquam ſuſpicatus fuiſſem, illum eſſe Chriſtianum, cum quilibet Chriſtianus a teneris annis profiteri teneatur tria præcipua dogmata, quæ hoc infeſtiſſimo *Præadamitarum* Syſtemate penitus convelluntur. In primis, qui ſemel Chriſtianæ Religionis rudimentis imbutus eſt, credit, ideo omnes omnino homines via ordinaria contrahere peccatum originale, quia omnes homines per generationem propagantur ab Adamo, primo omnium parente, in quo, tanquam in capite morali, erant omnes incluſi; quo fit, ut peccatum Adami non ſolum ipſi nocuerit, ſed ad omnes & ſingulos homines ab eo deſcendentes transfundatur. At, hæc Chriſtianæ Religionis doctrina oppido falſa eſſet, ſi revera fuiſſent *Præadamitæ*, ideſt, ſi extitiſſent homines ante Adamum: hi ſiquidem Prædamitæ non contraxiſſent peccatum originale, utpote qui nec per generationem ab Adamo deſcendiſſent, nec in eo, ſeu in capite morali, fuiſſent incluſi. Falſo itaque doceret Chriſtiana Religio, omnes omnino homines contrahere peccatum originale, ſi reapſe extitiſſent homines ante Adamum. Præterea, obſtringitur quilibet Chriſtianus credere, Verbum Divinum fuiſſe incarnatum pro omnibus hominibus, qui peccato originali cum ſint infecti, non aliter, quam per incarnationem Verbi Divini ſanari ac reparari poterant. Hæc autem Chriſtianæ Religionis doctrina falſa itidem eſſet, ſi extitiſſent homines ante Adamum; pro illis ſiquidem hominibus, qui fuiſſent expertes peccati originalis, Verbum Divinum non eſſet incarnatum, proindeque falſo doceret Chriſtiana Religio, Verbum Divinum pro omnibus omnino hominibus eſſe incarnatum. Denique, Chriſtiana Religio docet, Jeſum Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus & ſingulis hominibus, quia omnes & ſinguli homines erant mortui in Adamo, indeque Jeſum Chriſtum proponit tanquam Redemptorem, Mediatorem & Salvatorem omnium hominum. Hæc autem Chriſtianæ Religionis doctrina vera eſſe non poſſet, ſi ante Adamum homines extitiſſent; pro illis quippe hominibus, qui in Adamo non fuiſſent mortui, Chriſtus mortuus non eſſet, ſubindeque dici haud poſſet eorum Redemptor, Mediator, ac Salvator. Falſo itaque doceret Chriſtiana Religio, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus omnino hominibus, eumque Redemptorem, Mediatorem, & Salvatorem omnium hominum. His rationibus permotus, exiſtimabam, hoc Præadamitarum Syſtema, quo præcipua Chriſtianæ Religionis profligantur dogmata, procuſum fuiſſe non ab homine Chriſtiano, ſed a quodam Atheo, omniſque Religionis experte. Verum, mittamus, ſi placet, iſtud Præadamitarum Syſtema, quod aperte adverſatur Scripturæ Sacræ, quæ purum putumque Dei verbum eſt; atque nunc diligenter expendamus omnia, quæ ſpectant naturam & dotes Adami, primi omnium hominum parentis, in ſtatu innocentiæ conſtituti. Primo itaque ſcire velim, quo pacto Adamus fuerit formatus a Deo, & quale corpus habuerit.

M. Adamus, in quo & natura & pacto continebamur omnes, qui ab eo deinceps progeniti fuimus, ex humo formatus eſt, indeque a Latinis dictus homo; vel (ſicut refert Joſephus lib. 1. Antiq. Jud. cap. 2.) a terra rubra dictus eſt *Adamus*, ex qua, ut ajunt, Adami corpus compactum fuit, quod hoc genus glebæ mixtum aqua facilius compingatur, fortiuſque conglutinetur. Voluit autem Deus, ut Adami corpus eſſet eximie robuſtum, elegans, procerum, & præclare compactum, ita ut Adami corporis conſtitutio & temperatura reliquorum omnium corpora æqualitate quadam, ac perfectione, & elegantia prorſus tranſcenderit. Porro, ex ejuſdem Adami dormientis latere detractam coſtam Deus formavit in fœminam, dictam *Evam*, quam ei ſociam, & adjutricem dedit, quamque ideo ex Adami coſta formavit, ut omnium hominum parens eſſet Adamus, ſicque jugis, ac perpetua cognatio & neceſſitudo inter homines eſſet, quippe qui ex uno, ſeu

Ada-

Digitized by Google

Adamo, prodirent omnes, ac propterea & ſe ſe mutuo & ardentius quoque amarent, & ad eamdem conſequendam beatitudinem genitos ſe eſſe omnes intelligerent, ad quam Adamus & Eva certo certius ab opifice Deo creati fuerant. Unam autem duntaxat conjugem uni viro, ſeu Adamo, junxit Deus, ut quid Reipublicæ, quid alendis liberis, quid unitati, ac paci domus magnopere expediret, palam doceret: ægre enim admodum ſervantur hæc, ubi unus vir plures conjuges habet. Sed hic occurrunt duæ ab Hebræis confictæ rejiciendæ fabulæ. In primis, ajunt nonnulli Rabbini, corpora Adami, & Evæ tantæ proceritatis fuiſſe, ut vadoſum Mare pedibus tranſiverint. Quæ quidem fabula adeo illepida & invenuſta eſt, ut eam retuliſſe, abunde confutaſſe ſit. Quidam vero alii Rabbini inepte fabulantur: Adami corpus biforme a Deo conditum eſſe, voluntque, Adamum, & Evam creatos eſſe ſicut unum, a tergis, vel dorſo conjunctos, poſtea diviſos eſſe a Deo, qui dimidiam partem accepit, & fuit Eva. Huic fabulæ, quam de ſuo cerebro finxerunt Rabbini, ut aliquam veri ſpeciem conciliare poſſint, adducunt Scripturæ locum Geneſis cap. 1. verſ. 27. ubi hæc leguntur: *Ad ſimilitudinem Dei creavit illum*, ſeu Adamum, *maſculum & fœminam creavit eos*. Ex quo inferunt, Adamum fuiſſe conditum a Deo Androginum, ſeu, ut, vulgo ajunt, Hermaphroditum. Verum, ut obiter dicam, hæc fabula craſſo non ſolum filo contexta eſt, ſed etiam aperte repugnat Scripturæ Sacræ, quæ diſertis verbis docet, ſolum Adamum creatum eſſe, cumque non inveniretur ipſi adjutor ſimilis, Deum ex ejus latere coſtam tuliſſe, & in mulierem compegiſſe: *Non eſt bonum*, inquit Scriptura Sacra, *hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi... Ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam*. Quin & ille Scripturæ Sacræ locus, quem in ſui abſurdi commenti confirmationem adducunt iſti Rabbini, ipſis minime favet, ſed potius contra illos evidentiſſime facit. Si enim Deus Adamum creaſſet Androginum, certe Moyſes non diceret de Adamo: *Ad ſimilitudinem Dei creavit illum, maſculum & fœminam creavit eos*. Sed dicere debuiſſet: *Maſculum & fœminam creavit eum*, ſeu Adamum. Apage ergo ridiculas ejuſmodi fabulas, quibus dum indulgent Rabbini, qui vento & chymeris paſcuntur, omnibus ſe ſe plenis buccis deridendos propinant.

D. Ex his, quæ mox dixiſti, ſubiit animum ſcrupulus, quem mihi eximas velim. *Evam* fuiſſe a Deo datam conjugem Adamo inſinuaſti, ſed nunc dubius hæreo, utrum Adamus, ſi in ſtatu innocentiæ perſtitiſſet, carnalem copulam cum ſua conjuge habiturus eſſet? & utrum in eodem ſtatu futuræ eſſent nuptiæ, quæ carnalem hominum propagationem per maris cum fœmina congreſſum facerent? Cum enim ejuſmodi nuptiæ inhoneſtum libidinis ardorem, & nimium concupiſcentiæ æſtum importent, videtur mihi, eas in hoc feliciſſimo innocentiæ ſtatu locum habere minime potuiſſe. Explica itaque, ſi placet, quo pacto in ſtatu innocentiæ (ſi ex eo per peccatum non excidiſſet Adamus) fuiſſet genus humanum ſive per Adamum, ſive per ejus poſteros multiplicatum?

M. Adamum in ſtatu innocentiæ (ſi in eo perſeveraſſet) congreſſum ad procreandos filios cum ſua conjuge habiturum, futuraſque in eodem innocentiæ ſtatu nuptias, quæ carnalem hominum propagationem maris cum fœmina conſortium facerent, ſententia eſt Sancti Auguſtini lib. 9. in Geneſim cap. 3. 6. & 7. cui S. Thomas primæ Partis ſuæ Summæ Tripartitæ quæſt. 98. Art. 1. & 2. omneſque Theologi adhærent. At enim, fruſtra Deus diſcrimen ſexuum ante peccatum feciſſet, & utrique parenti organa incaſſum exhibuiſſet, quibus generare poſſent, ſi in ſtatu innocentiæ genus humanum aliter quam per generationem, & maris cum fœmina coitum multiplicari potuiſſet. Nec ratio ulla patitur, ut eorum uſus ante peccatum poſſibilis non eſſet, cum exigat naturæ ordo, ut in quavis genitura virtus activa & paſſiva ſimul exiſtant, ſimulque coeant, quarum prior in mare, poſterior in fœmina eſt. Ad hæc, quorſum Moyſes cap. 1. Geneſeos commemorat, Deum feciſſe unum homi-

nem marem, & deinde fœminam, ac utrique hanc fauſtam benedictionem dediſſe: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*, niſi ut evidens faceret, utrumque, ſcilicet Adamum & Evam, natura, atque adeo dono Dei, procreationem appetere, ac ſubinde futuras fuiſſe in eo ſtatu feliciſſimo honorabiles nuptias, & thorum immaculatum, nullam autem in eo futuram fœditatem, nullam turpitudinem, nullumque genitalium motuum non a ratione, & a voluntate hominis præſcriptum; nullum inhoneſtum libidinis ardorem, nullum concupiſcentiæ impetum, quia turpitudinem omnem, omnemque intemperantiam peccatum invexit, ſicut & erubeſcentiam, quam non fuiſſe ante peccatum palam facit Moyſes cap. 2. lib. Geneſeos v. 25. dicens: *Erat autem uterque nudus, Adam ſcilicet & uxor ejus, & non erubeſcebant*. Quæ verba explicans *S. Auguſtinus* lib. 14. *de Civitate Dei* cap. 26. hæc habet: *Inter ſe* (ideſt Adamum & Evam) *fida ex honeſto amore ſocietas. In tanta facilitate rerum, & felicitate hominum, abſit ut ſuſpicemur non potuiſſe prolem fieri ſine libidinis morbo, ſed eo voluntatis nutu moverentur illa membra, quo cætera: & ſine ardoris illecebroſo ſtimulo, cum tranquillitate animi & corporis, nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris. Non ageret turbidus calor, ſed ſpontanea poteſtas, ſicut opus eſſet, adhiberet. Ut enim ad pariendum non doloris gemitus ſed maturitatis impulſus feminea viſcera relaxaret, ſic ad fœtandum, & concipiendum, non libidinis appetitus, ſed voluntarius uſus naturam utramque conjungeret*. Procreaſſent igitur Adamus & Eva filios, ſi in ſtatu innocentiæ perſtitiſſent, non quidem ad conſervandam ſimpliciter ſpeciem, quoniam filii, quos genuiſſent, dono juſtitiæ originalis immortales evaſiſſent, ſed ad eam in hoc ſenſibili Mundo conſervandam, quoad parentes in cæleſtem patriam vivi conſcenderent; & rurſus ad augendam prolem in Dei cultum & multorum ſalutem; denique, ut primi parentes noſtri vitam in terris feliciorem ducerent, quæ certe minus ſuavis, & minus jucunda illis fuiſſet abſque ſocietate & prole. Hinc, ſi perſtitiſſet feliciſſimus innocentiæ ſtatus, futuræ fuiſſent in eo urbes, pagi, domus, atque adeo Œconomica, Politica, ceteræque honeſte Diſciplinæ, & Artes. Nec ſolum in eo ſtatu innocentiæ fuiſſent geniti mares, verum etiam natæ eſſent fœminæ, tum quia fœminæ, non ſecus ac mares, ad electos pertinent, quorum numero & integritati cum primis conſulere voluit Deus, dum dixit primis parentibus: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*: tum quia etiam uterque ſexus pertinet ad integritatem & perfectionem ſpeciei humanæ. Quamquam enim (ut docet *S. Thomas* 1. p. quæſt. 92. art. 2. ad 1. & quæſt. 99. art. 2. ad 1.) fœmina dicatur *mas occaſionatus*, quia eſt præter intentionem naturæ particularis, utpote quæ occaſione potius ac imbecillitate virtutis ſeminis, quam ex intentione naturæ particularis, naſcatur; non generatur tamen fœmina præter intentionem naturæ univerſalis, quia, ut ibidem ait Doctor Angelicus, *fœmina eſt de intentione naturæ ad opus generationis ordinata; intentio autem naturæ univerſalis pendet ex Deo, qui eſt univerſalis author naturæ*.

D. Unum circa productionem corporis Adami, & Evæ ſupereſt mihi duntaxat proponendum Dubium, cur ſcilicet Deus ſic corpus Adami, & Evæ formarit ac diſpoſuerit, ut ſtaturam habeat rectam, & os ſublime in cœlum, dum tamen alia animalia caput habeant in terram pronum?

M. Hic corporis hominis ſtatus, oriſque figura declarat (teſte *Lactantio lib. de ira Dei* cap. 7.) non eſſe homines cum pecudibus æquales. Illarum quippe natura in humum, pabulumque proſtrata eſt, nec habet quidquam commune cum Cœlo, quod non intuetur. Homo autem recto ſtatu, ore ſublimi ad contemplationem Mundi excitatus confert cum Deo vultum, & rationem ratio cognoſcit. Sed quatuor alias rationes ſuppeditat Sanctus Thomas 1. part. quæſt. 91. artic. 3. ad 3. quibus egregie probat, conveniens eſſe, ut corpus hominis habeat ſtaturam rectam, quaſque, uberioris explicationis ergo, hic inſerere non pigebit. Primo, conveniens eſt, ait Angelicus ille Doctor, ut corpus hominis habeat ſtaturam rectam, *quia ſen-*

ſenſus ſunt dati homini non ſolum ad vitæ neceſſaria procuranda, ſicut & aliis animalibus, ſed etiam ad cognoſcendum; unde cum cetera animalia non delectentur in ſenſibilibus niſi per ordinem ad cibos & venerea, ſolus homo delectatur in ipſa pulchritudine ſenſibilium ſecundum ſe ipſam: & ideo, quia ſenſus præcipue vigent in facie, alia animalia habent faciem pronam ad terram, quaſi ad cibum quærendum, & providendum ſibi de victu. Homo vero habet faciem erectam, ut per ſenſus (& præcipue per viſum, qui eſt ſubtilior, & plures differentias rerum oſtendit) libere poſſit ex omni parte ſenſibilia cognoſcere, & celeſtia & terrena: ut ex omnibus intelligibilem colligat veritatem. Secundo, ut interiores vires liberius ſuas operationes habeant, dum cerebrum. (in quo quodammodo perficiuntur) non eſt depreſſum, ſed ſuper omnes partes corporis elevatum. Tertio, quia oporteret, ſi homo haberet pronam ſtaturam, quod uteretur manibus loco anteriorum pedum, & ſic utilitas manuum ad diverſa opera perficienda ceſſaret. Quarto, quia, ſi haberet pronam ſtaturam & uteretur manibus loco anteriorum pedum, oporteret quod cibum caperet ore, & ita haberet os oblongum, & labia dura, & groſſa, & linguam etiam duram, ne ab exterioribus læderetur; ſicut patet in aliis animalibus: Et talis diſpoſitio omnino impediret locutionem, quæ eſt proprium opus rationis. Hæ ſunt cauſæ, ob quas, juxta S. Tomam, homo habet ſtaturam rectam, dum cetera animalia caput habent inclinatum ad terram.

D. A productione corporis Adami tranſitum nunc faciamus, ſi placet, ad dotes, quibus Deus ejus animum exornavit, & in primis, exponas velim, quo in ſenſu intelligenda ſint hæc verba, quæ Deus, antequam formaret hominem, protulit, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram?*

M. Hominem factum eſſe ad imaginem & ſimilitudinem Dei, una eſt omnium Sanctorum Patrum, & Scripturæ Sacræ Interpretum ſententia. Sed in quo ſita ſit illa Dei imago homini impreſſa? variæ referuntur interpretationes. Prima eſt, quod hominis anima incorporea, immaterialis, & ſpiritualis ſit. In hoc imaginem Dei collocat Sanctus Auguſtinus. Secunda eſt, quod anima æterna ſit & immortalis, ſicut & ipſe Deus. In hoc imaginem Dei, ad quam factus eſt homo, reponit Origenes. Tertia eſt, quod anima ſit intellectu, voluntate & memoria prædita. Et in eo ſenſu hominem ad imaginem Dei factum eſſe cenſet S. Joannes Damaſcenus. Quarta eſt, quod hominis anima ſit liberi arbitrii: Et ſic ad imaginem Dei formatum eſſe hominem docet S. Ambroſius. Quinta eſt, quod ſit capax ſapientiæ, ſocietatis, Religionis, virtutis, gratiæ, & beatitudinis. Et in hac capacitate imaginem Dei, ad quam factus eſt homo, conſtituit S. Gregorius Nyſſenus. Sexta eſt, quod homo cunctis animantibus ſua poteſtate præſit & dominetur. Sic ſentit S. Baſilius. Septima eſt, quod ſicuti Deus Pater, ſeipſum cognoſcens, producit Verbum Divinum per intellectum, & ſe amando, producit per voluntatem Spiritum Sanctum: ita homo, intelligendo ſe, producit in mente ſua verbum intelligibile, ſui ipſius expreſſivum, ſibique ſimile, atque inde procedit in voluntate ejuſdem amor. Sic enim homo habet in ſe imaginem Sanctiſſimæ Trinitatis. Ita imaginem Dei impreſſam homini explicat S. Auguſtinus lib. 10. de Trinitate cap. 10. & lib. 14. cap. 11. cui ſubſcribit S. Thomas 1. part. quæſt. 93. art. 8. Poſtrema interpretatio eſt, quod homo factus ſit ad imaginem Dei, quia homo conditus eſt in Gratia ſanctificante, per quam divinæ factus eſt conſors naturæ.

D. Eſtne Dogma Fidei, Adamum conditum fuiſſe in Gratia ſanctificante?

M. Quamvis probabilius ſit, Adamum fuiſſe conditum in Gratia ſanctificante, ſicut poſt Sanctum Auguſtinum docet Sanctus Thomas in 2. Sent. diſtinct. 29. quæſt. 1. art. 2. perperam tamen *Janſenius*, Iprenſis Epiſcopus, lib. *De gratia primi hominis, & Angelorum* cap. 1. aſſerit, Dogma Fidei eſſe, Adamum in Gratia ſanctificante conditum fuiſſe, idque in controverſiam amplius revocari haud poſſe, ſed tanquam ab Eccleſia definitum, & Fide certum ſupponit. Id, inquam,

falſo aſſerit *Janſenius*, tum quia nec in ſacris litteris aperte continetur, nec in ſacris Conciliis definitum unquam fuit, nec ex Sanctorum Patrum Operibus evidenter colligi poteſt, Adamum conditum fuiſſe in Gratia ſanctificante. Id etiam Celeberrimi Theologi, & de Fide optime meriti, non ſolum in dubium vocarunt, ſed etiam negarunt, quos inter cenſetur *Hugo a S. Victore* lib. 1. *De Sacramentis* part. 6. c. 17. Magiſter Sententiarum lib. 2. diſtinct. 23. *S. Bonaventura* in 2. Sent. diſtinct. 29. art. 2. quæſt. 2. Quibus addi debent *Alexander de Ales* in Summa, 2. parte quæſt. 96. membro 1. *Scotus* in 2. Sent. diſtinct. 29. Quæſt. unica, & alii, quibus referendis ſuperſedeo. Dogma igitur Fidei non eſt, Adamum fuiſſe conditum in Gratia ſanctificante, alioqui doctiſſimis illis Theologis, mox a me laudatis, qui in contrariam abierunt ſententiam, hæreſeos nota inurenda eſſet. Quod ſane nemo Catholicus dicere audeat. Ab hoc itaque *Janſenii*, & aliorum, qui ei hac in parte adſtipulantur, errore cavare debes, & duo, quæ certiſſima ſunt, & omnibus Theologis probantur, conſtanter propugnare. Primo, certiſſimum eſt, Adamum habuiſſe, antequam laberetur in peccatum, dona quædam ſpiritualia, ſcilicet ſanctitatem & juſtitiam, quæ ſunt effectus Gratiæ ſanctificantis, eumque peccando has dotes amiſiſſe, ſicut docent omnes ad unum Sancti Patres, idque definivit Sydonus Generalis Tridentina Seſſione 1. Can. 1. his verbis: *Si quis non confitetur, primum hominem Adamum, cum mandatumDei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & juſtitiam, in qua fuerat conſtitutus, amiſiſſe, anathema ſit*. Et ſeſſione 8. cap. 17. ſtatuit eadem Sancta Sydonus, Chriſtianos accipere in Baptiſmo primam ſtolam, ideſt, veram & Chriſtianam juſtitiam, pro illa, quam Adamus ſua inobedientia ſibi & nobis perdidit, ipſis per Chriſtum donari. Evidens porro eſt, juſtitiam, & dona, quæ in Baptiſmo accipimus, eſſe ſpiritualia & ſupernaturalia, per quæ ad ſpiritualem finem, ſeu ad Vitam æternam conſequendam inſtituimur, & ordinamur. Secundo, apud omnes Theologos in confeſſo eſt, Adamum non fuiſſe conditum in ſtatu naturæ puræ, quia nullum dubium eſt, quin immortalitas ſtatus innocentiæ fuerit Donum ſupernaturale; at certum eſt ex Sacris Scripturis, & perpetua Sanctorum Patrum traditione, Adamum, primum omnium parentem, factum eſſe immortalem: *Creavit Deus hominem inexterminabilem*, Sapientiæ cap. 2. Quo fit, ut temerarius jure optimo audiret ille, qui diceret, Adamum fuiſſe conditum in ſtatu naturæ puræ.

D. Quid ſibi vult iſte ſtatus naturæ puræ, in quo ais, Adamum minime conditum fuiſſe?

M. Quo facilius intelligas, in quo ſitus ſit ſtatus naturæ puræ, advertere debes, octo a Theologis diſtingui naturæ humanæ ſtatus. Primus eſt ſtatus naturæ puræ; alter eſt ſtatus naturæ integræ; tertius eſt ſtatus naturæ innocentis; quartus eſt ſtatus naturæ lapſæ; quintus eſt ſtatus naturæ lapſæ ante Legem Moſaicam; ſextus eſt ſtatus naturæ lapſæ ſub Lege Moſaica; ſeptimus eſt ſtatus naturæ lapſæ ſub Lege Evangelica; octavus eſt ſtatus in pace, ſeu in æterna Beatitudine. Nunc breviter exponam, in quo potiſſimum ſiſtant octo illi naturæ humanæ ſtatus. Et primo, quidem, ſtatus naturæ puræ nihil aliud eſt, quam conditio naturæ humanæ ſine peccato & ſine gratia. In hoc ſtatu naturæ puræ ſi homo fuiſſet a Deo conditus, miſeriis omnibus fuiſſet obnoxius, quas in hac vita mortali experimur, non tamen concupiſcentiam rationi perduellem habuiſſet, quia concupiſcentia, quæ non ſubjacet rationis imperio, ineſt homini contra naturam, eſtque homini duntaxat naturalis, in quantum ſubditur rationi, ſicut luculentiſſime docet Sanctus *Thomas* 1. 2. qu. 82. art. 3. ad 1. In ſtatu autem naturæ puræ nihil rationi in ſuis facultatibus contrarium ſenſiſſet homo, cum in illo eſſet creatus his dotibus inſtructus univerſis, quæ naturæ humanæ conſentaneæ eſſent. Status naturæ integræ eſt conditio naturæ humanæ ſuis dotibus abſolutæ, & perfectæ, nulliſque miſeriis obnoxiæ. In hoc ſtatu ho-

homo ſcientiarum naturalium & virtutum moralium apparatu eſſet inſtructus, a morbis vero & moriendi neceſſitate immunis. Status naturæ innocentis eſt conditio naturæ humanæ juſtitia originali præditæ, addit autem juſtitia originalis ad integritatem naturæ gratiam ſanctificantem, uberrimam illam quidem & perfectiſſimam, cujus beneficio non ſolum ratio hominis perfecte ſubdebatur Deo, ſed etiam ejus voluntas ſubjiciebatur rationi, voluntati appetitus ſenſitivus, & corpus animę. Status naturæ lapſæ eſt conditio naturæ humanæ peccato Adami, quod in omnes poſteros per generationem propagatum eſt, inquinatæ. Status naturæ humanæ lapſæ ante Legem eſt ille ſtatus, qui exordium habuit immediate poſt peccatum Adami, & perduravit uſque ad Legem ſcriptam, ſeu Moſaicam. In hoc ſtatu homines vixerunt ſine ulla Lege ſcripta, ſolam habentes Legem naturalem in eorum cordibus inſculpatam, ſed multum, ob peccata, quibus ſe fœdabant, obſcuratam. Status naturæ lapſæ ſub Lege Moſaica eſt ille ſtatus, in quo fuit Reſpublica Judæorum a tempore Legis Moſaicæ uſque ad adventum Jeſu Chriſti, Salvatoris noſtri. Status naturæ humanę ſub Lege Evangelica, eſt ille ſtatus, qui auſpicatur ab adventu Jeſu Chriſti, & perſtabit uſque ad finem Mundi. Quamvis autem homo in hoc ſtatu ſub Lege Evangelica per gratiam medicinalem ſit a Chriſto Domino ſanatus, ſemper tamen dicitur eſſe in ſtatu naturæ lapſæ, quia licet per Baptiſmum gratia reſtituatur, ſemper tamen manet in homine, etiam juſtificato, peccati fomes, qui eſt appendix peccati originalis, & ad peccatum inclinat, ita ut, licet homo in ſtatu Legis Evangelicæ per Gratiam Sanctificantem perfecte ſanetur quantum ad mentem, remaneat tamen infirmitas quantum ad carnem, per quam propendet ad peccatum, ut docet *S. Thomas*. Denique, ſtatus hominis in pace eſt ille, qui (ut inquit *S. Auguſtinus* in Enchiridio ad *Laurentium* cap. 118.) *poſt hanc vitam in requie ſpiritus, deinde etiam in reſurrectione carnis implebitur*. Habes nunc compendioſam notitiam ſtatus naturæ puræ, & omnium ſtatuum naturæ humanæ.

D. Ex ea, quam mox tradidiſti, notitia ſtatus naturæ puræ, facile nunc intelligo, non ſolum in eo ſtatu Adamum non fuiſſe conditum, ſed nec in eo potuiſſe a Deo creari. Status quippe naturæ puræ, ut mox dicebas, ille eſt, in quo homo fuiſſet obnoxius miſeriis corporis, ideſt, morbis, & morti abſque ullo peccato præcedente. At videtur prorſus impoſſibile, ut Deus, qui juſtus eſt, velit hominem condere eo in ſtatu, in quo, abſque ullo præcedente peccato, iiſdem miſeriis, morbis, & morti homo eſſet addictus, quas nunc in ſtatu naturæ lapſæ, ob peccatum originale, quod in Adamo contraximus, juſte patimur. Sub juſto ſiquidem Deo nemo innocens miſer eſſe poteſt.

M. Siſte, precor; video enim te a recta via deflectere, ad quam te reducam neceſſe eſt. Dum dicis, Adamum in ſtatu naturæ puræ non fuiſſe conditum, recte ſentis. At, dum aſſeris, prorſus impoſſibile eſſe, ut Deus Adamum in ſtatu naturæ puræ crearet, a vero quam longiſſime recedis. Hic enim ipſiſſimus eſt error *Cornelii Janſenii*, Epiſcopi Iprenſis, qui in tribus libris, quos edidit, *De ſtatu naturæ puræ*, totus eſt ut probet, ſtatum naturæ puræ eſſe prorſus impoſſibilem, Deumque fore injuſtum, ſi hominem in ſtatu naturæ puræ condidiſſet, in quo (nullo præcedente peccato) iſdem miſeriis, morbis, & morti ſubjaceret, quibus nos in præſenti ſtatu naturæ lapſæ, propter peccatum originale ſumus obnoxii. Verum, hunc *Janſenii* errorem, quem præformaverat *Michael Bajus*, profligarunt Romani Pontifices *S. Pius V. Gregorius XIII. Urbanus VIII. & Innocentius X.* dum iſtas duas *Michaelis Baji* Propoſitiones damnarunt, quarum prior, quæ ordine eſt vigeſima ſecunda, his verbis concepta eſt: *Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium naturæ divinæ debita fuit integritati primæ conditionis*. Altera vero Propoſitio, quæ eſt in ordine 55. ſic habet: *Deus ab initio non potuit talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*. Has *Mihaelis Baji* Propoſitiones, quas in tribus libris de Statu natu-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

ræ puræ recoxit *Janſenius*, quæque ſtatus naturæ puræ poſſibilitatem plane evertunt, dum confixerunt mox a me laudati Summi Pontifices, ſtatus naturæ puræ poſſibilitatem agnoverunt. His Summorum Pontificum definitionibus aperte adſtruitur doctrina *S. Thomæ*, qui Quodlibeto primo, quæſt. 4. art. 3. hæc ſcribit: *Poſſibile fuit Deo ut hominem faceret in puris naturalibus*, ideſt, nullis inſtructum donis gratuitis, ſeu ſupernaturalibus, ac ſubinde in ſtatu naturæ puræ. Et in libro 2. Sent. diſtinct. 21. quæſt. 1. art. 2. ad 3. difficultatem, quæ tibi circa ſtatus naturæ puræ poſſibilitatem faceſſit negotium, pleniſſime diluit idem Doctor Angelicus his verbis: *Poterat Deus a principio quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem relinqueret in conditione ſuæ naturæ, ut ſcilicet mortalis & paſſibilis eſſet .... in quo nihil humanæ naturæ derogaretur, quia hoc ex principiis naturæ conſequitur; non tamen iſte defectus in eo rationem culpæ & pœnæ habuiſſet, quia non per voluntatem iſte defectus cauſatus eſſet*. Idem inculcat S. Doctor 1. part. qu. 74. art. 5. ad 1. dicens: *Corpus hominis ante peccatum immortale fuit non per naturam, ſed per gratiæ donum*. Quam doctrinam hauſit Sanctus Præceptor ex *S. Auguſtino* qui libro 2. de Geneſi ad literam cap. 15. ait: *Poſſe non mori, præſtabatur Adamo de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ: mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis beneficio conditoris*. Homo itaque, juxta illos Sanctos Patres, ſi in ſtatu naturæ puræ conditus fuiſſet, perſenſiſſet miſerias & mortem, quas nunc patimur in ſtatu naturæ lapſæ, cum hoc tamen diſcrimine, quod in ſtatu naturæ puræ, ſi extitiſſet, miſeriæ, & mors non habuiſſent rationem pœnæ, cum in eo ſtatu nulla culpa, nullum peccatum, propter quod Deus hominibus pœnas infligit, fuiſſe ſupponatur, ſed fuiſſent meri defectus conſequentes hominis in ſtatu naturæ puræ conditionem, cujus natura fuiſſet paſſibilis & mortalis, non ſecus ac miſeriæ & mors, quas patiuntur belluæ, ſunt natuales defectus conſequentes earum naturam, quæ paſſibilis ac mortalis eſt, ſed pœnæ diei haud poſſunt, cum pœnæ non infligantur a Deo niſi ob præcedens peccatum, cujus capaces belluæ eſſe non poſſunt. At vero, in ſtatu naturæ lapſæ, miſeriæ & mors, quibus ſumus obnoxii, ſunt pœnæ peccati originalis, ſeu primigeniæ culpæ Adami, primi omnium parentis, qui, excidendo e ſtatu innocentiæ, immortalitatem, quam a Deo acceperat, perdidit, & peccando violavit pactum, quo ſanxerat Deus, immortalitatem, ei conceſſam, in poſteros illius translatum iri, niſi ipſe in peccatum laberetur, & juſtitiæ originalis, ſibi, poſteriſque ſuis jacturam faceret. Hac autem ſemel de lapſu Adami e ſtatu innocentiæ ſuppoſita hypotheſi (quam Scriptura Novi ac Veteris Teſtamenti, perpetuaque Sanctorum Patrum Traditio confirmant) liquet, Deum immortalitatis beneficium, immunitatem a miſeriis, & juſtitiæ originalis donum ſubtraxiſſe Adamo, & poſteris ejus in pœnam peccati, quo ſe primus ille homo, omneſque alios homines, ex ipſius ſemine naſcituros, reos fecit, ac proinde miſerias, quas nunc patimur, eſſe pœnas peccati originalis. Hinc eſt, quod *S. Auguſtinus*, aliique Patres, qui diſputarunt contra Pelagianos, peccatum quidem originale negantes, ſed tamen ultro admittentes hanc hypotheſim de lapſu Adami ex innocentiæ ſtatu, quam, multis Scripturæ Sacræ cum Veteris, tum Novi Fœderis teſtimoniis ſtabilitam, inficiari non poterant; contra illos, inquam, Hæreticos Pelagianos diſputantes *S. Auguſtinus*, aliique Patres invicte probarunt, mortem, miſerias, & calamitates, quibus nunc obnoxii ſunt homines, eſſe pœnas peccati originalis, ſeu culpæ Adami, primi omnium hominum parentis, quia cum Deus ſit juſtus, & neminem puniat, niſi ob præcedentem culpam, nunquam profecto immortalitatis beneficium, ab omnibus miſeriis immunitatem, juſtitiam originalem, aliaque dona gratuita, quæ, teſtante Scriptura, Adamo conceſſerat, & in ejus poſteros tranſmitti debebant, ſi Adamus non peccaſſet, hæc, inquam, omnia dona ſuper-

pernaturalia nunquam Deus Adamo, ejuſque poſteris ademiſſet, niſi Adamus peccaſſet, & in pœnam peccati, ſibi, ſuiſque poſteris, omnia illa dona ſupernaturalia amiſiſſet. Quamobrem Apoſtolus *Paulus* Epiſt. ad Romanos cap. 5. ait, *Per unum hominem*, Ideſt Adamum, *peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*.

D. Nullam amplius circa poſſibilitatem ſtatus naturæ puræ difficultatem patior. Nam, cum immortalitas, & Gratia ſint beneficia homini indebita, nihil dubii eſt, quin Deus, ſi voluiſſet, hominem condere potuiſſet in ſtatu naturæ puræ, & in eo illum relinquere, juxta naturæ humanæ conditionem, paſſibilem & mortalem. Sed uberius, quæſo te, expone nunc, quid ſit illa juſtitia originalis, qua Adamum, antequam peccaret, fuiſſe donatum, paulo ante obſervaſti.

M. Per juſtitiam originalem, quam habuit Adamus ante peccatum, intelligitur rectitudo & ordo totius hominis, & omnium ejus facultatum, tam inter ſe, quam reſpectu ſuorum actuum. Hæc autem juſtitia dicitur *originalis*, quia homini ab origine a Deo indita eſt, eamque niſi peccaſſet, ad omnes poſteros tranſmiſiſſet, non quidem vi ſeminis, ſed beneficio Dei, qui hoc cœleſte Donum in generatione ſimul cum anima infudiſſet. In tribus autem potiſſimum ſita erat hæc juſtitia originalis. Primo, in ſubjectione mentis hominis ad Deum, quæ ſubjectio perfectiſſimam Legis ejus notitiam, & plenam cognitæ Legis involvebat obedientiam, ita ut hoc in felici ſtatu conſtitutus homo vere dicere poſſet: *Mihi adhærere Deo bonum eſt*. Secundo, ſita erat juſtitia originalis in partium animæ inferiorum, videlicet concupiſcentis, & iraſcentis appetitus, perfecta ſubjectione reſpectu Reginæ rationis, quæ ſupremo & abſoluto imperio potiebatur. Denique, ſita erat juſtitia originalis in obſequio, ſeu ſubjectione corporis ad animam, ſicut dilucide explicat S. Thomas 1. parte quæſt. 95. art. 1. Hæc autem trina ſubjectio, promanans e juſtitia originali, efficiebat, ut primi parentes noſtri, in ſtatu innocentiæ conſtituti, nullis interioribus ſuperbiæ tentationibus agitarentur, nulla cupiditate, inordinative motibus moverentur ad violandum Dei præceptum, nullo dolore vel timore afficerentur, ſed ſumma tranquillitate fruerentur, jugi ad Deum amore anhelarent, & omne peccatum vitarent, ſicut S. Auguſtinus lib. 14. De Civitate Dei cap. 10. teſtatur his verbis: *In illo ſtatu erat devitatio tranquilla peccati, qua manente, nullum malum omnino eſſe poterat*. Docet etiam *S. Thomas* 1. 2. quæſt. 89. art. 3. primos parentes noſtros in ſtatu innocentiæ non potuiſſe peccare venialiter, antequam peccarent mortaliter per internam elationem. Et 1. part. quæſt. 93. art. 4. poſtquam probavit, Adamum in ſtatu innocentiæ decipi non potuiſſe, in reſponſione ad primum ſibi propoſitum argumentum hæc habet: *Dicendum, quod ſeductio mulieris, ſeu Evæ, etſi præceſſerit peccatum operis, ſubſecuta tamen eſt peccatum internæ elationis* (quod fuit mortale) *Dicit enim Auguſtinus lib. 11. de Geneſi ad litteram cap. 30. quod mulier verbis ſerpentis non crederet, niſi jam ineſset menti ejus amor propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumptio*.

D. Craſſiori, ſi placet, minerva expone, cur primi parentes noſtri in ſtatu innocentiæ non potuerint venialiter peccare, antequam peccarent mortaliter. Id quippe, ut candide fatear, necdum ſatis intelligo. At enim, juſtitia originalis in ſtatu naturæ innocentis mentem primorum parentum noſtrorum non perfectius Deo ſubjiciebat, quam Gratia ſanctificans in ſtatu naturæ lapſæ mentem hominum juſtorum Deo ſubjiciat; atqui tamen Gratia ſanctificans in ſtatu naturæ lapſæ non impedit, quominus juſti interdum labantur in peccatum veniale: quidni igitur cum juſtitia originali, qua primi parentes noſtri in ſtatu innocentiæ erant inſtructi, cohærere potuit veniale peccatum? Par enim videtur utrobique ratio.

M. Falleris. Juſtitiam originalem in ſtatu naturæ innocentis inter & Gratiam ſanctificantem in ſtatu naturæ lapſæ non eſt par utrobique ratio. Juſtitia quippe originalis in ſtatu innocentiæ triplicem habebat effectum. Primarius effectus juſtitiæ originalis erat mentem pri-

primorum parentum noſtrorum ſubjicere Deo, illoſque Deo gratos & amicos facere; & hunc primarium effectum, quem juſtitia originalis in ſtatu innocentiæ producebat, reſtituit hominibus in ſtatu naturæ lapſæ Gratia Sanctificans, quæ datur in Sacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ, homines facit Deo gratos & amicos, eorumque mentes ſubjicit Deo. At, effectum alterum juſtitiæ originalis, per quem vires inferiores primorum parentum noſtrorum perfecte ſubjiciebantur rationis imperio, & tertium itidem effectum juſtitiæ originalis, per quem corpus Adami, & Evæ obſequebantur animæ; utrumque, inquam, ſecundarium illum juſtitiæ originalis effectum hominibus in ſtatu naturæ lapſæ non reſtituit gratia Sanctificans. Quo fit, ut etiam in juſtis, qui in ſtatu naturæ lapſæ gratia Sanctificante præditi ſunt, nonnunquam eorum rationis vigilantiam antevertant motus inordinati appetitus ſentientis, qui, rationi cum ſubditi non ſint, peccata ſunt venialia, quæ in ſtatu innocentiæ locum habere haud potuiſſent, quia juſtitia originalis vires inferiores in primis parentibus noſtris perfecte rationi, & corpus ſubjiciebat animæ. Hoc diſcrimen, quod intereſt juſtitiam originalem in ſtatu innocentiæ inter & Gratiam Sanctificantem in ſtatu naturæ lapſæ recte explicat *S. Auguſtinus* lib. *de Correptione & Gratia* c. 11. his verbis: *Ille*, ſeu Adamus, *non opus habebat eo adjutorio, quod implorant ipſi* (ſcilicet homines etiam juſti in ſtatu naturæ lapſæ) *cum dicunt: Video aliam Legem in membris meis repugnantem Legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis: infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Quoniam in eis caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes, dari ſibi propugnandi, vincendique virtutem, per Chriſti gratiam poſcunt. Ille vero*, ſeu Adamus, *nulla tali rixa a ſe ipſo adverſus ſe ipſum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco, ſua ſecum pace fruebatur*. Et lib. de Civitate Dei cap. 14. hæc de primis parentibus noſtris habet Aquilinus ille Doctor: *Quam igitur felices erant primi illi homines; & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporis lædebantur incommodis*. Idemque repetit cap. 26. ejuſdem Libri, dicens: *Summa erat in carne* (Adami & Evę) *ſanitas, in animo tota tranquillitas: ſicut in Paradiſo nullus erat æſtus vel frigus, ſic etiam in ejus habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bonæ voluntatis offenſio, nihil omnino triſte, nihil erat inaniter lętum, gaudium enim perpetuebatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro, patientia bona, & Fide non ficta*. Conſule etiam Doctorem Angelicum in 2. libro Sent. diſtinct. 32. qu. 1. art. 2. ad 2. ubi oſtendit, Gratiam Sanctificantem in ſtatu naturę lapſę vires inferiores hominis non perfecte ſubjicere rationi, nec ejus corpus animę; ſicut juſtitia originalis in ſtatu innocentiæ perfectiſſime ſubjiciebat.

D. Propria experientia, heu nimium! agnoſco diſcrimen iſtud, quod juſtitiam originalem in ſtatu innocentię inter & Gratiam Sanctificantem in ſtatu naturę lapſę mox indicaſti. At, optarem, ut duo Dubia, quę, nonnihil exhibent mihi negotii, eadem brevitate dirimeres. Primum eſt: an (facta hypotheſi, quod Adamus in ſtatu innocentię perſeveraſſet) homines nati fuiſſent cum juſtitia originali, & in ea eſſent confirmati? Alterum dubium eſt: utrum (facta eadem hypotheſi) pueri nati eſſent in ſcientia perfecti, &, ſtatim, ac prodiſſent ex utero matris, habuiſſent perfectum rationis uſum.

M. Certum eſt (ſi Adamus perſtitiſſet in ſtatu innocentiæ) homines naſcituros cum juſtitia originali, quæ erat accidens conſequens naturam ſpeciei, ſeu donum, non ſoli Adamo, ſed toti naturæ humanæ datum. Nam, cum naturaliter homo generet ſibi ſimile ſecundum ſpeciem, neceſſe fuiſſet, ut in ſtatu innocentiæ, in quo non fuiſſet error in operatione naturæ, pueri qui nati fuiſſent, aſſimilarentur Adamo, primo omnium parenti, in juſtitia originali, quæ erat donum toti naturæ humanæ a Deo datum. *Et hoc apparet*, inquit *S. Thomas* 1. part. qu. 100. art. 1. *quia oppoſita ſunt unius generis: peccatum autem*

tem originale, quod opponitur juſtitiæ originali, dicitur eſſe peccatum naturæ. Unde traducitur a parente in poſteros: Et propter hoc, etiam filii (in ſtatu innocentiæ) *parentibus aſſimilati fuiſſent, quantum ad originalem juſtitiam*, ideſt, nati fuiſſent in juſtitia originali. Advertit tamen idem S. Doctor in reſponſione ad ſecundum argumentum ejuſdem articuli, juſtitiam originalem non fore in ſtatu innocentiæ gratiam naturalem, *quia non fuiſſet transfuſa per virtutem ſeminis, ſed fuiſſet collata homini ſtatim cum habuiſſet animam rationalem, ſicut etiam ſtatim cum corpus eſt diſpoſitum infunditur a Deo anima rationalis, quæ tamen non eſt ex traduce*. Pueri igitur in ſtatu innocentiæ nati quidem fuiſſent in juſtitia originali, ſed in ea non eſſent confirmati, quia homines, ut docet Angelicus Doctor 1. part. qu. 100. art. 2. non poſſunt in juſtitia & gratia confirmari niſi per claram & intuitivam divinæ eſſentiæ viſionem, quæ duntaxat poſt hanc vitam haberi poteſt. Porro, nec Adamus in ſtatu innocentiæ potitus eſt viſione eſſentiæ Dei, nec, ſi in eo perſeveraſſet, ipſius poſteri, quamdiu vixiſſent, apertam Dei viſionem habuiſſent: non fuiſſent ergo pueri in ſtatu innocentiæ confirmati in juſtitia originali. *Si itaque Adamus non peccaſſet, non generaſſet quidem ex ſe filios gehennæ, ita ſcilicet, quod ab ipſo contraherent peccatum, quod eſt cauſa gehennæ; poſſent tamen fieri filii gehennæ per liberum arbitrium peccando, vel ſi filii gehennæ non fierent per peccatum, hoc non eſſet propter hoc, quia eſſent in juſtitia confirmati, ſed propter divinam providentiam, per quam a peccato conſervarentur immunes*. Sunt verba *S. Thomæ* in reſponſione ad primam objectionem ſibi propoſitam in art. 2. quæſt. mox citatæ. Quod ſpectat alterum, quod propoſuiſti, Dubium, utrum videlicet pueri in ſtatu naturæ innocentis fuiſſent in ſcientia perfecti? Reſpondeo cum eodem Sanctiſſimo Præceptore 1. part. quæſt. 101. art. 1. *quod pueri in ſtatu innocentiæ non naſcerentur perfecti in ſcientia, ſed eam progreſſu temporis abſque difficultate acquiſiviſſent inveniendo, vel addiſcendo*. Habuiſſent tamen pueri in ſtatu innocentiæ, ut ibidem ait *S. Thomas*, ſcientiam, quæ eis conveniens fuiſſet ſecundum tempus illud, quæque fuiſſet ſufficiens ad dirigendum eos in operibus juſtitiæ, in quibus homines diriguntur per principia juris naturalis, quorum, & aliorum univerſalium principiorum notitiam multo plenius tunc habuiſſent, quam nunc naturaliter habemus. Similiter etiam, pueri, qui nati fuiſſent in ſtatu innocentiæ, non habuiſſent ſtatim perfectum uſum rationis, ſicut habituri erant in ætate perfecta; habuiſſent tamen perfectiorem quam nunc, quantum ad opera puerilia, quæ ad eos pertinebant, & quantum ad ſtatum illum, ſicut explicat *S. Thomas* 1. p. q. 102. art. 2. Denique, in ſtatu innocentiæ pueri, recens nati, non habuiſſent ſufficientem virtutem ad movendum membra ad quoslibet actus, propter cerebri humiditatem, ſed ad actus duntaxat pueritiæ convenientes, puta ad ſugendum ubera, & ad alia hujuſmodi. Qua de re legeſis ſæpius jam a me laudatum Doctorem Angelicum 1. part. qu. 99. art.

D. Doctrinam *S. Thomæ* ſumma, qua par eſt, veneratione proſequor, eique, ſeu ſacræ anchoræ, indivulſe adhæreo. Non ægre tamen, opinor, feres, ſi quaſdam difficultates, uberioris explicationis ergo, hic proponam, quas contra hanc Doctrinam *S. Thomæ* de ſtatu naturæ innocentis nuper mihi ingeſſerunt viri quidam eruditi. In primis, juxta Doctrinam *S. Thomæ*, ideo Adamus non fuit confirmatus in juſtitia originali, quia Adamus in ſtatu innocentiæ clara & intuitiva eſſentiæ divinæ viſione non fruebatur; at, id falſum eſſe pertendebant viri illi eruditi, multaque laudabant teſtimonia Sanctorum Patrum, præſertim *S. Auguſtini*, quibus probabant, Adamum in ſtatu innocentiæ aperta & intuitiva Dei viſione potitum fuiſſe, ejuſdemque claræ & intuitivæ viſionis divinæ eſſentiæ participes fore homines, ſi Adamus non peccaſſet. Præterea, juxta doctrinam S. Thomæ, ſi Adamus non peccaſſet, pueri, qui nati fuiſſent in ſtatu innocentiæ, habuiſſent quidem juſtitiam originalem, in ea nihilominus non fuiſſent confirmati, ſed per liberum arbitrium in peccatum prolabi, & juſtitiæ originalis jacturam facere

po-

potuiſſent. Quod quidem creditu difficile eſt, quia, ut inquiebant viri illi eruditi, cum in ſtatu naturæ innocentis nulla prorſus fuiſſent inſtituta Sacramenta, homines eo in ſtatu innocentiæ, qui in peccata lethalia prorupiſſent, & juſtitiam originalem amiſiſſent, caruiſſent omni medio, quo poſſent a peccato reſurgere, & deperditam juſtitiam originalem recuperare. Id autem conditionem hominum in ſtatu naturæ innocentis (ſi perſeveraſſet) nimis duram reddere videtur, immo eam deteriorem efficeret conditione hominum in ſtatu naturæ lapſæ, quibus tot ſuppetunt remedia, ſeu Sacramenta, a Chriſto Domino inſtituta, quibus homines, in peccatum mortale lapſi, poſſunt facili negotio e peccato emergere, & amiſſam Gratiam ſanctificantem denuo adipiſci. Denique, juxta Doctrinam *S. Thomæ*, ſi Adamus non peccaſſet, pueri, qui in ſtatu innocentiæ nati fuiſſent, juſtitiam quidem originalem habuiſſent, ſed non nati eſſent in ſcientia perfecti, nec ſtatim habuiſſent perfectum rationis uſum, nec ſufficientem virtutem ad movendum membra ad quoſlibet actus. Hæc autem *S. Thomæ* doctrina minus veritati videtur conſentanea, quia ſicut Adamus, ſtatim ac creatus eſt a Deo, non ſolum habuit juſtitiam originalem, ſed etiam in omni ſcientia fuit perfectus, rationis uſum omni ex parte abſolutum, & completam habuit virtutem movendi membra ad quoslibet actus; ita Adamus, ſi in ſtatu innocentiæ perſeveraſſet, genuiſſet filios ſibi ſimiles, qui ſubinde naſci debuiſſent non tantum cum juſtitia originali, ſed etiam in omni ſcientia perfecti, & pollentes ſtatim a nativitate perfecto rationis uſu, & ſufficienti virtute movendi membra ad quoslibet actus. Omne ſiquidem agens generat ſibi ſimile, juxta vulgare Effatum, omnium Philoſophorum calculo in Scholis conſecratum. Hæ ſunt in ſumma difficultates, quas contra doctrinam Sancti Thomæ circa ſtatum innocentiæ paucis abhinc diebus proponebant viri quidam eruditi, quibus diluendis cum me imparem eſſe ultro agnoſcam, tuum nunc auxilium imploro.

M. Si Opera Sancti Thomæ, quibus ejus doctrina continetur, frequenter, ut par eſſet, lectitares, facile profecto te ab iſtis difficultatibus expedire potuiſſes, quibus Sanctus ille Doctor abunde facit ſatis. Verum enim vero, ut incipiam a prima difficultate. Quod ajebant viri illi eruditi, Adamum in ſtatu innocentiæ potitum fuiſſe clara & intuitiva Dei viſione, & homines, ſi in eo innocentiæ ſtatu perſtitiſſet Adamus, ejuſdem pariter apertæ viſionis divinæ eſſentiæ participes fore, tam falſum eſt, quam quod maxime, & a Sancto Thoma invictis argumentis confutatum. Si enim Adamus in ſtatu innocentiæ fruitus fuiſſet viſione clara, & intuitiva Divinæ eſſentiæ, non fuiſſet ad diligendum Deum liber, nec ſubinde mereri potuiſſet. Certum quippe eſt apud omnes Theologos, eum, qui fruitur viſione beatifica, non libere, ſed neceſſario diligere Deum, nec amplius illum mereri poſſe, quia jam non eſt in via, ſed in patria, ſeu in cœlo, ubi non eſt amplius merendi locus. Porro, Adamus, quando erat in ſtatu innocentiæ, erat adhuc in via, & non in patria: non poterat igitur Adamus in ſtatu innocentiæ frui clara & intuitiva Dei viſione, qua homines non in via, ſed duntaxat in patria gaudere debent. Præterea, tantum abeſt, ut Adamus in ſtatu innocentiæ mereri haud potuerit, ut potius (ſicut docet *S. Thomas* 1. part. qu. 95. art. .... *deſſicaciora fuiſſent hominis opera ad merendum in ſtatu innocentiæ quam poſt peccatum, ſi attendatur quantitas meriti ex parte gratiæ, quæ tunc copioſior fuiſſet, nullo obſtaculo in natura humana invento: ſimiliter ſi conſideretur abſoluta quantitas operis, quia cum homo eſſet majoris virtutis, majora opera feciſſet*. Sunt ipſiſſima verba S. Thomæ, ex quibus manifeſto colligitur, Adamum, in ſtatu innocentiæ conſtitutum, mereri potuiſſe, quia erat in ſtatu viæ, in quo non datur clara & intuitiva Dei viſio, ſed ſolum in patria, ubi, poſt emenſum hujus vitæ curriculum, hoc præmio beati donantur in Cœlis. Præterea, Fides, cum ſit obſcura, ſtare minime poteſt cum clara & intuitiva divinæ eſſen-

eſſen-

eſſentiæ viſione, ut concors eſt omnium Theologorum ſententia, *at perfectio primi ſtatus*, ſeu innocentiæ (ſicut docet idem Doctor Angelicus 1. part. quæſt. 95. art. 3. & poſt ipſum omnes fatentur Theologi) *non ſe extendebat ad hoc, quod Adamus videret Deum per eſſentiam, & ut haberet eum fruitione finalis beatitudinis, unde fides & ſpes eſſe poterânt in primo ſtatu & quantum ad habitum, & quantum ad actum*. Cum igitur, juxta S. Thomæ, & omnium Theologorum doctrinam, Adamus in ſtatu innocentiæ habuerit Fidem & quantum ad habitum, & quantum ad actum, nulla ratione dici poteſt, Adamum in ſtatu innocentiæ clara & intuitiva divinæ eſſentiæ viſione fuiſſe potitum. Sed accedit ultima ratio, quæ peremptoria videtur: *nullus videns Deum per eſſentiam* (inquit S. Thomas 1. part. qu. 94. art. 1.) *poteſt voluntate averti a Deo, quod eſt peccare: & propter hoc omnes videntes Deum per eſſentiam, ſic in amore Dei ſtabiliuntur, quod in æternum peccare non poſſunt. Cum ergo Adamus peccaverit; manifeſtum eſt, quod Deum per eſſentiam non videbat*. Verum, quamvis Adamus in ſtatu innocentiæ non frueretur clara & intuitiva divinæ eſſentiæ viſione, nec ſubinde perfecta beatitudine, quæ in clara Dei viſione conſiſtit, habuit tamen in ſtatu innocentiæ, juxta ſtatum viæ, in quo adhuc erat, beatitudinem longe perfectiorem, & cognitionem de Deo multo altiorem, quam habent homines poſt peccatum, quia, ut docet *S. Thomas* articulo mox citato, homines, poſt peccatum, cognoſcunt Deum per ſenſibiles & corporeos effectus, atque a conſideratione plena & lucida intelligibilium effectuum impediuntur per hoc quod diſtrahuntur a ſenſibilibus, & circa ea occupantur; ſed Adamus in ſtatu innocentiæ non impediebatur per res exteriores a clara & firma contemplatione intelligibilium effectuum, quos ex irradiatione primæ veritatis percipiebat, ſive naturali cognitione, ſive gratuita. Sic igitur Adamus in ſtatu innocentiæ per hujuſmodi intelligibiles effectus Dei, clarius Deum cognoſcebat, quam modo cognoſcimus, planeque liber erat ab illa obſcuritate, quæ ex peccato conſecuta eſt, & qua homo in ſtatu naturæ lapſæ impeditur a conſideratione effectuum intelligibilium Dei per ſenſibilium effectuum occupationem. Hoc pacto Doctor Angelicus explicat mentem *S. Auguſtini*, & aliorum Sanctorum Patrum, qui per illam claram cognitionem Dei, quam Adamo in ſtatu innocentiæ tribuunt, non intellexerunt claram & intuitivam Dei viſionem, quæ habetur duntaxat in patria, quæ non conveniebat ſtatui viæ, in quo erat Adamus in ſtatu innocentiæ conſtitutus, ſed intellexerunt, plenam, claram, & firmam contemplationem Dei, quam Adamus in ſtatu innocentiæ hauriebat ex cognitione intelligibilium effectuum Dei. Repudiari igitur jure optimo debet ſententia doctiſſimi alioqui viri, ſeu *Ludovici Thomaſſini*, Congregationis Oratorii Jeſu Presbyteri, tomo 1. *Theologicorum Dogmatum*, & aliorum modernorum Scriptorum, qui docent, & Adamum in ſtatu innocentiæ potitum fuiſſe clara & intuitiva divinæ eſſentiæ viſione. Sed nunc manet ſat ſuperque eliquata prima difficultas.

De altera difficultate propter altum Scripturæ & Sanctorum Patrum ſilentium, pauca dicam. Docet quidem S. *Thomas*, quod, ſi Adamus, non peccaſſet, homines, qui in ſtatu innocentiæ nati fuiſſent, habuiſſent juſtitiam originalem, ſed in ea tamen non fuiſſent confirmati, quia per liberum arbitrium peccando eam amittere potuiſſent. Sed medium, quo illi homines deperditam juſtitiam recuperaſſent, nullibi indicat Doctor Angelicus. Sunt quidam Theologi qui docent, Adamo non peccante, homines, qui in ſtatu innocentiæ juſtitiam originalem per peccatum amiſiſſent, eam recuperaturos per actus charitatis & contritionis, quos, ob excellentiorem, quam de Deo cognitionem habuiſſent, facilius elicere potuiſsent, quam nos. Alii Theologi exiſtimant, Deum in ſtatu innocentiæ pro brevi illo, quo duravit, tempore, inſtituiſse Sacramenta, &, Adamo non peccante, fore Sacramenta, quorum beneficio homines, qui excidiſsent e juſtitia origina-

gina-

ginali, eam recuperare, vel conſervatam augere potuiſſent. Ipſe vero, licet cum Sancto Thoma ultro fatear, nulla in ſtatu innocentiæ, pro breviſſimo illo tempore, quo Adamus in eo vixit, inſtituta fuiſſe Sacramenta, cum de iis nec in Scriptura Sacra, nec in Traditione Sanctorum Patrum vel minima mentio fiat; crediderim tamen, quod, Adamo non peccante, & perdurante innocentiæ ſtatu, inſtituta fuiſſent a Deo Sacramenta, non quæ producerent Gratiam medicinalem, ſeu Gratiam Salvatoris Chriſti Domini, ſicut producunt Sacramenta Novæ Legis (cum juxta Thomiſtarum doctrinam, Scriptura Sacra, & conſtanti Sanctorum Patrum Traditione fultam, Adamo non peccante, Chriſtus non veniſſet, ſeu Verbum Divinum non fuiſſet incarnatum) ſed quæ producerent gratiam Creatoris, qualem habuit Adamus in ſtatu innocentiæ, & quorum ope poſteri Adami, ſi juſti fuiſſent, augmentum gratiæ conſequi potuiſſent, vel, ſi gratiam peccando amiſiſſent, eam recuperaſſent. Addo etiam, quod poſteri Adami, ſi perduraſſet innocentiæ ſtatus, veram Eccleſiam eſſent conſtituturi, atque ita habituri Sacramenta, *quia in nullum nomen Religionis ſeu verum, ſeu falſum, coadunari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, aut Sacramentorum conſortio*. Sunt verba *S. Auguſtini* lib. 19. contra *Fauſtum*, Hæreticum Manichæum, cap. 11.

Poſtremam difficultatem, cur, durante innocentiæ ſtatu, pueri nati fuiſſent cum juſtitia originali, ſed tamen non ſtatim in omni ſcientia eſſent perfecti, nec pleno rationis uſu prediti, nec ſufficienti pollentes virtute movendi membra ad quoslibet actus? hanc, inquam, difficultatem luculentiſſime diluit *S. Thomas* 1. part. qu. 100. art. 1 his verbis: *Dicendum*, inquit, *quod naturaliter homo generat ſibi ſimile ſecundum ſpeciem; unde quæcumque accidentia conſequuntur naturam ſpeciei, in his neceſſe eſt, quod filii parentibus ſimilentur, niſi ſit error in operatione naturæ, qui in ſtatu innocentiæ non fuiſſet, in accidentibus autem individualibus non eſt neceſſe quod filii parentibus ſimilentur, juſtitia autem originalis, in qua primus homo conditus fuit, fuit accidens naturæ ſpeciei*, ſeu donum gratuitum a Deo datum toti naturæ... *& propter hoc, etiam filii parentibus aſſimilati fuiſſent quantum ad originalem juſtitiam*. At vero, eſſe ſtatim perfectum in omni ſcientia, confeſtim habere plenum rationis uſum, & ſufficientem virtutem movendi membra ad ſingulos actus, hæc, inquam, accidentia, data Adamo ſtatim poſt ejus creationem, non conſequebantur naturam ſpeciei, ſed erant accidentia duntaxat individualia Adami, qui, ut docet S. Thomas 1. part. qu. 94. art. 3. *ſicut inſtitutus eſt in ſtatu perfecto quantum ad corpus, ut ſtatim poſſet generare, ita etiam inſtitutus eſt in ſtatu perfecto quantum ad animam, ut ſtatim poſſet alios inſtruere, & gubernare. Non poteſt autem aliquis inſtruere, niſi habeat ſcentiam; & ideo primus homo ſic inſtitutus eſt a Deo ut haberet omnium ſcientiam*. Quapropter, in his accidentibus individualibus Adami, pueri, qui in ſtatu innocentiæ eſſent nati, Adamo, primo omnium parenti, non fuiſſent aſſimilati, quia, ſicut diſerte docet idem S. Præceptor, 1. part. quæſt. 101. art. 1. ad primam ſibi propoſitam objectionem: *eſſe perfectum in ſcientia, fuit individuale accidens primi parentis, in quantum ſcilicet ipſe inſtituebatur ut pater & inſtructor totius humani generis; & ideo quantum ad hoc non generaſſet filios ſimiles ſibi, ſed ſolum quantum ad accidentia naturalia, vel gratuita totius naturæ*.

D. Difficile adducor ut credam, pueros, durante innocentiæ ſtatu, naſcituros abſque ſufficienti virtute movendi corporis membra ad quoslibet actus, eoſque naſcendo ſimiles fore pueris, qui nunc naſcuntur in ſtatu naturæ lapſæ, quique magis imbecilles, & fragiles naſcuntur, quam cetera animalia naſci ſolent, quæ, ut ſunt edita ex utero, protinus in ſuos pedes eriguntur, ſtatimque aeri tolerando idonea ſunt. Homines contra nudi, & inermes, tanquam ex naufragio in hujus vitæ miſerias projiciuntur, & expelluntur, qui neque movere ſe loco, ubi effuſi ſunt, poſſint, nec alimentum lactis appetere, nec injuriam temporis ferre, ſicque inopes, & infirmi, & omni

ni auxilio indigentes, nihil aliud moliri queant, quam fragilitatis ſuæ conditionem ploratu, ac fletibus ominari. Hanc ſane conditionem, cui in ſtatu naturæ lapſæ obnoxii ſunt pueri recens nati, facile crediderim eſſe pœnam peccati Adami, quam ſubinde, Adamo non peccante, pueri, qui in ſtatu innocentiæ nati fuiſſent, non eſſent experti.

M. Quod quædam animalia, ſtatim ac in lucem edita ſunt, habeant uſum membrorum, id eorum nobilitati adſcribi minime debet (inquit *S. Thomas* 1. part. q. 119. art. 1. ad primum) *cum quædam animalia perfectiora non habeant: ſed hoc eis contingit ex ſiccitate cerebri, & quia actus proprii talium animalium ſunt imperfecti, ad quos etiam parva virtus ſufficere poteſt*. Homo autem naturaliter habet cerebrum majus in quantitate ſecundum proportionem ſui corporis, quam cetera animalia: unde naturale eſt, quod propter maximam humiditatem cerebri, in pueris nervi, qui ſunt inſtrumenta motus, non ſunt idonei ad movendum membra, ſicut in eodem articulo docet *S. Thomas*. Quamvis autem pueri, in ſtatu innocentiæ recens nati, caruiſſent ſufficienti virtute movendi membra ad quoslibet actus, habuiſſent tamen ſufficientem virtutem movendi membra ad actus pueritiæ convenientes, videlicet ad ſugendum ubera, & ad alia hujuſmodi, adeoque liberi fuiſſent ab illa infirmitate, quæ pueris in ſtatu naturæ lapſæ apparet, etiam quantum ad actus eorum pueritiæ convenientes, quippe qui, ut ait *S. Auguſtinus* in lib. de Baptiſmo parvulorum, *juxta ſe jacentibus mammis, magis poſſunt eſurientes flere, quam ſugere*.

D. Pueri, qui in ſtatu innocentiæ nati fuiſſent, nullum perſenſiſſent ſenectutis defectum, quia, ut antea dicebas, nati eſſent cum juſtitia originali, cujus beneficio immortales evaſiſſent. Vero igitur ſimilius eſſe videtur, pueros, qui in ſtatu innocentiæ nati eſſent, immunes itidem fore ab omni pueritiæ defectu, ſubindeque illos, recens natos habituros ſufficientem virtutem movendi pro arbitrio ſuo membra ad quoslibet actus.

M. Conſtans Fidei dogma eſt, Adamo non peccante, homines in ſtatu innocentiæ nec morti, nec ulli ſenectutis defectui fore obnoxios. Mors ſiquidem, cui omnes omnino homines, velint nolint, in ſtatu naturæ lapſæ ſubjacent, eſt pœna peccati Adami, ſicut Apoſtolus *Paulus* Epiſtolæ ad Romanos cap. 5. diſerte docet his verbis: *Propterea, ſicut per unum hominem* (ideſt Adamum) *peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Dicitur etiam cap. 2. libri Sapientiæ: *Deus creavit hominem inexterminabilem .... invidia autem Diaboli mors introivit in Orbem terrarum*. Ex peccato itaque Adami concupiſcentia mala, morbi, labores, calamitates, mors ipſa tanquam ex mala radice oriuntur, &, ſicut ait *S. Auguſtinus* Serm. 240. alias 139. de tempore, *malorum omnium noſtrorum cauſa peccatum eſt. Non enim ſine cauſa homines mala iſta patiuntur. Juſtus eſt Deus, Omnipotens eſt Deus: nullo modo iſta pateremur, ſi non mereremur*. Cum igitur mors ſit pœna hominibus inflicta propter peccatum Adami, eo non peccante, poſteri illius in ſtatu innocentiæ a morte, & ab omni ſenectutis defectu immunes extitiſſent, utpote immortalitatis dono præditi; non fuiſſent tamen liberi a quibuſdam pueritiæ defectibus, qui ex peccato originem non habent, ſed conſequuntur generationem, & divelli haud poſſunt a principiis naturæ humanæ, & a naturali corporis humani conformatione. Quo fit ut, quemadmodum mox dicebamus, ſi Adamus non peccaſſet, pueri, in florentiſſimo innocentiæ ſtatu nati, nec in omni ſcientia ſtatim perfecti fuiſſent, nec plenum & abſolutum rationis uſum habuiſſent, nec ſufficientem virtutem movendi membra ad quoslibet actus.

D. Expone, quæſo, clarius, quo pacto Adamus in ſtatu innocentiæ eſſet immortalis, & quo pacto, Adamo non peccante, idem immortalitatis donum conſecuti fuiſſent homines, qui in ſtatu innocentiæ extitiſſent?

M. Adamum non fuiſſe natura ſua immortalem concors eſt omnium Theologo-

logorum, & Scripturæ Sacræ Interpretum ſententia. Quamvis enim Deus voluerit, ut Adami corpus eſſet eximie robuſtum, præclare compactum, ſicque conſtitutum ac temperatum, ut reliquorum omnium hominum corpora perfectione, æqualitate, & elegantia tranſcenderit, attamen corpus Adami (ut docet *S. Thomas* 1. part. qu. 97. art. 1.) non erat indiſſolubile, per aliquem immortalitatis vigorem in eo exiſtentem, ac ſubinde non erat natura ſua immortale. Corpus itaque Adami in ſtatu innocentiæ erat duntaxat immortale ſpeciali Dei beneficio, quatenus Deus (ut exponit ibidem Doctor Angelicus) impreſſerat animæ Adami vim quamdam ſupernaturalem, per quam poterat corpus ab omni corruptione reddere immune, quamdiu anima Adami manſiſſet Deo ſubjecta. Eo in ſenſu Adamus in ſtatu innocentiæ & ſecundum animam, & ſecundum corpus fuit immortalis, imo fuit impaſſibilis, ideſt liber ab his paſſionibus, quæ hominem a ſua naturali diſpoſitione removere poſſunt. Perſenſiſſet tamen Adamus in ſtatu innocentiæ & ſecundum animam, & ſecundum corpus eas paſſiones, quæ pertinent ad bonum, & perfectionem naturæ, cujuſmodi ſunt *intelligere*, *ſentire*, & *dormire*, ſicut explicat *S. Thomas* 1. part. qu. 97. art. 2. Eodem immortalitatis, & impaſſibilitatis gratuito dono, quod Adamus in ſtatu innocentiæ a Deo acceperat, exornati fuiſſent ceteri homines, ſi Adamus, primus omnium hominum parens, juſtitiam originalem, in qua conditus erat, culpa ſua non amiſiſſet. At, peccante Adamo, non ſolum ipſe, ſed & omnes ejus poſteri juſtitiæ originalis, immortalitatis, & impaſſibilitatis jacturam fecerunt, ſeque miſeriis, pœnis, & morti obnoxios reddiderunt.

D. Si Adamus fuiſſet a Deo, ut mox dixiſti, ita conditus immortalis, ut iſtud immortalitatis beneficium, nonniſi peccando, amittere poſſet, certe non indiguiſſet Adamus ante peccatum cibis ad conſervandam vitam ſuam. Et tamen legimus in Scriptura Sacra, Deum præcepiſſe primis parentibus noſtris, antequam peccarent, ut comederent de omni ligno, quod erat in Paradiſo: *De omni ligno, quod eſt in Paradiſo, comedetis*, Geneſis cap. 2. Eva etiam Serpenti dixit: *De fructu lignorum, quæ ſunt in Paradiſo, veſcimur, de fructu vero ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur*, Geneſis cap. 3. Cum igitur primi Parentes noſtri indiguerint, etiam antequam peccaſſent, cibis ad conſervandam vitam ſuam, argumento eſt, eos non ita conditos fuiſſe immortales, ut hoc ipſis conceſſum immortalitatis beneficium tantummodo per peccatum amittere poſſent.

M. Etiamſi Adamus in ſtatu innocentiæ corpus habuerit immortale eo modo, quo mox expoſui, habuit tamen vitam animalem cibis indigentem, ad diſcrimen corporum, quæ poſt reſurrectionem non ſolum erunt immortalia, verum etiam habebunt vitam ſpiritualem cibis non indigentem. Unde ait Apoſtolus *Paulus* Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 15. v. 45. *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem, noviſſimus Adam*, ſeu Chriſtus, *in ſpiritu vivificantem*. Quo in loco agit Apoſtolus Paulus de reſurrectione, & oſtendit, qualis futura ſit corporum poſt reſurrectionem conditio. Talem autem corporum poſt reſurrectionem conditionem futuram eſſe docet Apoſtolus, qualis fuit conditio Corporis Chriſti a mortuis redivivi. Id autem diſcriminis eſt inter corpus Adami, in ſtatu innocentiæ conſtituti, & Corpus Chriſti poſt reſurrectionem glorioſum; quod Adamus in ſua creatione accepit corpus animale, ideſt, agens vitam animalem, indigenſque alimentis more ceterorum animalium. Non enim habebat abſolutam, & indiſſolubilem immortalitatem. Unde ſe ſe tueri debebat a ſenio, & a morte, tum ceterorum ciborum ope, tum maxime fructus ligni vitæ beneficio. At, noviſſimus Adam, ſive Chriſtus, in reſurrectione corpus habuit ſpirituale, hoc eſt, nullis indigens alimentis, utpote quod per ſpiritum ita perfecte regebatur & vivebat, ut abſque corporis alimentis æternum

con-

conſervari poſſet ; cujuſmodi etiam & nos corpus in reſurrectione nanciſcemur, quia reſurrectio Chriſti exemplar eſt, & cauſa reſurrectionis noſtræ , & vita ſpiritualis incæpit in Chriſto , qui eſt primogenitus ex mortuis, ſicut vita corporis animalis incæpit in Adamo . Patet itaque corpus Adami in ſtatu innocentiæ fuiſſe quidem immortale, ſed vitam animalem habuiſſe , in cibis indigentem , ut, ſi Adamus ab alimentis abſtinuiſſet, immortalitatem amiſiſſet , quia , abſtinendo ab alimentis peccaſſet , tranſgrediendo videlicet præceptum ſibi a Deo datum Geneſ. c. 2. his verbis expreſſum : *De omni ligno*, *quod eſt in Paradiſo comedetis* &c. Quo fit , ut vera ſit doctrina Theologorum, & Scripturæ Sacræ Interpretum, qui , poſt *S. Thomam* 1. part. qu. 97. art. 3. ad 3. docent, Adamum ſic fuiſſe a Deo creatum immortalem , ut immortalitatem , ſi non peccaſſet , ſibi , ſuiſque poſteris conſervaſſet. Nullum autem Adamo , ejuſque filiis, ſi in ſtatu innocentiæ ſtetiſſent, nocumentum edulia afferre potuiſſent, quia & eorum omnium facultates illi perſpectas & exploratas habuiſſent , adhibitaque ratione ſemper ſumpſiſſent , & juvamenta , quæ in promptu illis erant , ubi oportuiſſet , adhibuiſſent , hoc eſt, non comediſſent præpropere, non laute, non nimis, non ardenter , non ſtudioſe, quibus modis vitium gulæ hoc tempore nos infeſtat. Quia tamen, ut optime obſervat *S. Thomas* in Reſponſione ad quartam objectionem art. 3. jam citatæ quæſtionis, fieri non poterat, quin in cibis, quos Adamus ejuſque filii, ſi ſtetiſſent in ſtatu innocentiæ , ſuſcepiſſent, non eſſet aliqua fæculentia reſidua , ac minime apta, ut converteretur in eorum nutrimentum , neceſſe fuiſſet , ut Adamus , ejuſque filii , ſi ſtatus innocentiæ perduraſſet , ciborum , quos ſumpſiſſent , ſuperfluitates, ſeu excrementa, alvum purgando , emitterent , citra ullam tamen turpitudinem , quia , ut inquit *S. Thomas*, *fuiſſet divinitus proviſum* , *ut nulla ex hoc indecentia eſſet*.

D. Si Adamus ejuſque filii, perſtante innocentiæ ſtatu , fuiſſent immortales , innumeros procreaſſent liberos , qui terram perpetuo incoluiſſent , quique cum fuiſſent æquales , & ab omni ſervitute immunes, nullius dominio ſubjacere potuiſſent, indeque orta eſſet maxima confuſio inter illos homines , qui nunquam mori potuiſſent , & tamen nullius ſubjecti eſſent dominio . Id autem feliciſſimo innocentiæ ſtatui plane repugnare videtur .

M. Etſi homines , durante innocentiæ ſtatu , fuiſſent immortalitate donati , non perpetuo tamen terram incoluiſſent , ſed poſt diuturnam vitam , maxima cum felicitate ac tranquillitate tranſactam, nulli morti obnoxii , ad Beatitudinem , quæ ſita eſt in clara & intuitiva viſione Dei, quæque præmium eſt eorum, qui ſunt in patria, eſſent a Deo translati . Nec fuiſſent inter ſe æquales homines, perdurante innocentiæ ſtatu, quia (ut oſtendit *S. Thomas* 1. part. qu. 96. art. 3.) fuiſſet inter illos aliqua diſparitas , primo , quantum ad ſexum , cum ſine diverſitate ſexus generatio non fuiſſet. Secundo, quantum ad ætatem . Tertio, quantum ad juſtitiam & ſcientiam. Ex libero quidem arbitrio , & non ex neceſſitate operati fuiſſent homines in ſtatu innocentiæ , ac ſubinde potuiſſent magis vel minus animum applicare ad aliud faciendum , vel volendum , vel cognoſcendum , ſicque aliqui magis profeciſſent in juſtitia & ſcientia , quam alii . Denique, nihil prohibet dicere , quin inter homines , durante innocentiæ ſtatu , eſſet aliqua diſparitas ex parte corporis , & ſecundum diverſam diſpoſitionem aeris , & diverſum ſitum ſtellarum , aliqui robuſtiores corpore generarentur , quam alii , & majores , & meliores , & vegetiori complexione , ſeu corporis temperatura præditi , ita ut tamen hæc diſparitas nullum prorſus tam circa animam , quam circa corpus , defectum , vel peccatum importaret . Hinc facili negotio explicatur , quo in ſenſu verum ſit , homines , ſi perſeveraſſet innocentiæ ſtatus , nullius dominio fore ſubjectos . Duplex quippe diſtinguitur dominium , unum videlicet quod opponitur ſervituti , & in hoc ſenſu homines in ſtatu innocentiæ conſtituti nullius dominio ſub-

ſubditi fuiſſent, quia ſervitus, quæ eſt pœna peccati, ab illo feliciſſimo ſtatu penitus exulaſſet. Alterum dominium illud eſt, quod ad bonum commune refertur; tale eſt dominium patris, cui incumbit officium gubernardi & regendi liberos, & in hoc ſenſu fuiſſet dominium in ſtatu innocentiæ, ſi perſeveraſſet, quia in eo ſtatu, ut mox diximus, 'niſſent aliqui homines, qui ſcientia & juſtitia præ ceteris aliis hominibus excelluiſſent: ad illos igitur, ſupereminenti ſcientia pollentes, pertinuiſſet alios homines regere ac gubernare, eoſque tam ad proprium bonum, quam ad bonum commune dirigere; tum quia id poſtulaſſet ea communis & ſocialis vita, quam egiſſent homines in ſtatu innocentiæ, quæ eſſe non poſſet, niſi aliquis præeſſet, & curam boni communis haberet; tum quia etiam non dignior fuiſſet conditio hominum in ſtatu innocentiæ, quam ſit conditio Angelorum, inter quos quidam aliis dominantur, & ideo inter Angelos unus eſt Ordo, qui dicitur *Dominantium*. Cæterum, de Dominio, quod Adamus ejuſque filii in omnia animalia, & in alia, quæ ſunt in Mundo, habuiſſent in ſtatu innocentiæ, ſi diutius perſeveraſſet, nulla eſt difficultas, cum Scriptura Sacra Geneſis cap. 1. v. 28. palam innuat, Deum primis parentibus noſtris hoc dominium conceſſiſſe, dum eis dixit: *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus Cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram*. Hoc autem dominium ob duas potiſſimum rationes homini conveniebat. Primo, quia, ut inquit *S. Thomas* 1. part. qu. 96. art. 1. imperfectiora cedunt in uſum perfectorum. Plantæ enim utuntur terra ad ſui nutrimentum; animalia vero plantis; & homines plantis & animalibus: Quo fit, ut homo naturaliter dominetur animalibus. Præterea juxta ordinem divinæ Providentiæ, inferiora per ſuperiora gubernantur, adeoque cum homo ceteris animalibus emineat, utpote ad imaginem Dei factus, naturale eſt, ut ejus dominio omnia animalia ſubdantur. Quod ſi nunc aliqua animalia nolint obedire homini, hæc animalium inobedientia, pœna eſt inobedientiæ Adami, quæ tamen non impedit, quominus homo, etiam poſt peccatum Adami, vero potiatur dominio in herbas, animalia, & in omnia elementa, ſicut ait Vates Regius Pſalm. 8. ubi loquens de homine, ſic Deum affatur: *Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris*. At enim, ut obiter dicam, homines etiamnum dominium habent in plantas & animalia, quia illis pro arbitrio utuntur ac veſcuntur; obtinent quoque dominium in elementa, quia Terram, vel invitam cultura ſibi faciunt obtemperantem, formantque ex ea lateres, & calcem, extrahunt inde gemmas ad ornamenta & delicias, marmora & lapides ad ſtruendas, ornandaſque domos; mare navigant, ejuſque aquam in medicamentum exhibent; fluminibus ſitim extinguunt, irrigant agros, aerem pariter levi flabello, ad mitigandum æſtum, ſibi accommodant; odoribus purgant, cum eſt infectus. Eo utuntur ad extruenda molendina, quæ agitata aere & ventis frumenta in farinam redigunt, quibus commodius alimur. Denique, homines dominantur igni, quia illo utuntur, ut cibos coquant, frigus depellant, metalla fundant, & in cineres, atque in aquam per artem Chymicam diſtillationibus redigant, quibus certiſſima, & præſentiſſima remedia ad depellendos, vel certe ad leniendos graviſſimos quoſdam & alioqui incurabiles morbos parantur. Quæ omnia liquido probant, verum dominium in plantas, animalia, & elementa competere homini etiam in ſtatu naturæ lapſæ conſtituto, quamvis, ob peccatum Adami, quo infecta eſt tota natura, non ita facile, prompte, & expedite prędictum dominium exercere poſſit, ſicut illud exercuiſſet in ſtatu innocentiæ, ſi perſeveraſſet.

D. Dominium competit homini ſecundum rationem, per quam præcipit, & imperat. Porro, plantæ, animalia, elementa, & corpora inanimata, cum ratione careant, nata non

ſunt

ſunt obtemperare rationi hominis ; nullum igitur in ea dominium homo ſibi vindicare poteſt . Præterea , nullam in ſtatu innocentiæ ex animalibus utilitatem percipere poterant primi Parentes noſtri . Illis ſiquidem non indigebant ad neceſſitatem corporalem , neque ad tegumentum , quia , ut iniquit Scriptura Sacra , nudi erant , & non erubeſcebant , nullo ſtimulante inordinatæ concupiſcentiæ motu . Neque animalibus egebant ad cibum , quia fructibus arborum Paradiſi veſcebantur ; neque ad vehiculum , propter corporis robur . Uſus itaque dominii in animalia primis parentibus noſtris in ſtatu innocentiæ non conveniſſet .

M. Nec primi parentes noſtri in ſtatu innocentiæ , nec homines in ſtatu naturæ lapſæ dominantur animalibus , ratione deſtitutis , & plantis , aliiſque rebus inanimatis , imperando illis ; ſed eorum utendo auxilio , cum hoc tamen diſcrimine , quod in ſtatu innocentiæ homo abſque ullo impedimento omnium animalium auxilio facile uti potuiſſet ; tum quia , ob ſingularem Dei circa hominem curam , ſingula animalia non ſolum homini innocenti non nocuiſſent , ſed ipſi etiam facile ſubjeciſſent ſeſe ; tum quia etiam homo innocens , propter accuratiſſimam , quam habuiſſet , cognitionem naturarum , proprietatum , & propenſionum animalium , potuiſſet cum maxima ſolertia , atque induſtria omnia animalia domare , eaque in propriam ſervitutem redigere . At , homines in ſtatu naturæ lapſæ , difficile , ita permittente Deo ob peccatum Adami , ferocia animalia domare poſſunt , & ſervituti mancipare , quo plerumque fit , ut , excuſſo jugo , contra homines rebellent , eiſque graviter noceant . Similiter , primi Parentes noſtri in ſtatu innocentiæ cum naturas & proprietates herbarum , atque fructuum apprime noſſent , illis citra ullum periculum ac nocumentum veſcebantur . Sed homines in ſtatu naturæ lapſæ , ob ignorantiam , quæ appendix eſt peccati originalis , aliquando herbarum noxiarum eſu læduntur , nec ad manum habent medicinales herbas , quæ magna ex parte ſine cultu in montibus , arvis , rupibus , paludibuſque ſponte ſua , vel ad fovendam , vel ad reſtaurandam ſanitatem , efficaciores naſcuntur . Scilicet voluit Deus , ut peccati in pœnam cibus nonniſi ſudore laboreque nobis proveniret . Sed , ne nobis afflictis adderetur afflictio , ultronea liberalitate , natura , tanquam miſericors mater , remedia ſuppeditare voluit , & cuilibet veneno ſuum antidotum conjunxit . Quin , experientia notum eſt , eſſe noxias herbas , & venenoſa quædam animalia , quæ dum temperantur , inſerviunt medicinæ , & vel ad conſervandam bonam valetudinem , vel ad reſarciendam , quando eſt deperdita , plurimum prodeſſe poſſunt . Denique primi parentes noſtri in ſtatu innocentiæ neque ad aliquam neceſſitatem corporalem , neque ad tegumentum , neque ad cibum , neque ad vehiculum animalibus indiguiſſent , illis tamen eguiſſent ad habendam experimentalem cognitionem de naturis eorum . Quod , (ſicut obſervat *S. Thomas* 1. part. qu. *96.* art. *6.* ad *3.*) *ſignificatum eſt per hoc , quod Deus ad eum* , ſeu Adamum , *animalia adduxit , ut eis nomina imponeret , quæ eorum naturas deſignant* . Aſt vero , homines in ſtatu naturæ lapſæ indigent animalibus , iiſque pro jure dominii , quod in illa naturaliter obtinent , utuntur ad cibum , ad tegumentum , ad vehiculum , & alias ejuſmodi corporis neceſſitates .

D. Ex his quæ hactenus dixiſti , facili negotio intelligo , quam felix , fauſtuſque fuerit innocentiæ ſtatus , in quo primi parentes noſtri juſtitia originali præditi , nullis perturbationibus & paſſionibus agitabantur , nec miſeriis & morti erant obnoxii , ſed vivebant ſine confuſione nuditatis , & ſine ulla neceſſitate corporis aut moleſtia , naturas animalium , cæterarumque rerum creatarum , in quas pleno pollebant dominio , contemplantes , ſpiritualibus deliciis delibuti . Verum , nunc a te ſcire vehementer cupio , an Adamus in ſtatu innocentiæ conſtitutus , præter Gratiam ſanctificantem , qua fuit exornatus , ubi primum e Divinis manibus prodiit , indiguerit ſive ad operandum ,

Digitized by Google

dum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia, aliqua Gratia actuali? & quænam fuerit ejuſmodi Gratia? an per ſe efficax, quæ liberum Adami innocentis determinaret arbitrium? an Gratia mere indifferens, & verſatilis, quæ libero Adami innocentis ſubderetur arbitrio? De hac quæſtione nihil hactenus certi pronunciare auſus ſum. Licet enim multa nuperrime a viris eruditis, qui eam hinc inde magno animorum æſtu ventilabant, arrectis auribus audiverim, attamen, ut candide fatear, libratis omnibus momentis, quæ ultro citroque adducta ſunt, animus meus, inſtar bilancis in æquilibro poſitæ, ac neutro propendentis, hæſit pendulus, nec in unam, alteramve partem flecti adhuc potuit.

M. Non mediocrem ſane proponis difficultatem, in qua dilucidanda etiamnum inſudant viri eruditi. Certe is ego non ſum, qui tantam velim in præſentia componere litem, quæ adhuc ſub judice eſt; aut longam de illa poſſim habere Diſputationem, quam præſcripta non permittit Colloquiorum noſtrorum brevitas. Abunde itaque ſufficiet, hanc propoſitam difficultatem duntaxat delibare, & quaſi primoribus labiis attingere, ut ſaltem quid in iſta quæſtione, de qua tantopere inter ſe digladiantur Theologi, tanquam falſum repudiare, quid vero tanquam probabilius tenere debeas, compertum ac exploratum habere poſſis. In primis, *Janſenius*, Iprenſis Epiſcopus, cap. 8. & ſequentibus libri *de Gratia primi hominis, & Angelorum* totis ingenii ſui viribus mordicus propugnat, Adamum in ſtatu naturæ innocentis ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia, opus non habuiſſe Gratia per ſe efficaci, ſed tantum indiguiſſe gratia indifferenti & verſatili, quæ non ejus voluntatem determinaret ad operandum, ſed cujus efficacitas ex voluntatis Adami aſſenſu, vel diſſenſu maneret omnino ſuſpenſa. Idem de Angelis in *ſtatu viæ* docet ibidem *Janſenius*, quibus ait adfuiſſe tantummodo auxilium ſufficiens indifferens ac verſatile, quo poſſent agere Angeli, non quo ad agendum applicarentur. Potiſſima ratio, qua *Janſenius* hoc ſuum ſuffulcit Syſtema, in hoc ſita eſt, quod velit, Gratiæ per ſeſe efficacis neceſſitatem ex hoc uno duntaxat capite, videlicet ex naturæ humanæ per peccatum originale vulneratæ conditione & infirmitate eſſe petenda. Cum enim, inquit *Janſenius*, humana voluntas per peccatum Adami fuerit ſauciata, indeque infirma, depravata, & corrupta evaſerit, ad Deum, niſi per Gratiam, ſe ipſa efficacem, adjuta & ſublevata, erigi minime poteſt. Ex quo infert, quod cum in ſtatu innocentiæ nulla eſſet voluntatis creatæ corruptio, depravatio nulla, nulla quoque in feliciſſimo in ſtatu neceſſitas Gratiæ ſe ipſa efficacis ſit admittenda tam in Adamo, quam in Angelis, qui erant in ſtatu viæ. Hac ratione adeo delectatus eſt *Janſenius*, ut non dubitarit aſſerere, eam eſſe baſim, cui doctrina *S. Auguſtini* tota incumbit ac nititur; eam eſſe clavim, qua ſola ad germanam doctrinæ illius Patris intelligentiam patet aditus; eam eſſe annulum, qui ceterorum Aquilini hujus Doctoris dogmatum catenam ſecum trahit; eam denique eſſe filum Ariadneum, quo niſi regamur, tota iſtius Sancti Præſulis Hipponenſis ſumma librorum ſubindeque miſcetur, & nobis inexplicabilis redditur labyrinthus. Verum, hac in re graviter erraſſe Janſenium, ejuſque doctrinæ principia eſſe e diametro oppoſita doctrinæ *S. Auguſtini*, multis, iiſque invictis argumentis demonſtrant Thomiſtæ, Gratiæ per ſe efficacis in utroque ſtatu naturæ, ſeu innocentis, ſeu lapſæ, neceſſitatis aſſertores acerrimi. Et in primis, probant Thomiſtæ contra Janſenium, Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem peti debere non ſolum ex infirmitate naturæ vulneratæ per peccatum, verum etiam ex creaturæ, a Deo neceſſario pendentis, conditione, ſubordinatione, ac ſubjectione, quæ ſubinde ad operandum debet præmoveri a Deo, primo omnium motore; nec non ex liberi arbitrii in partem alterutram indifferentis verſatilitate activa, qua tamdiu hæret anceps, ac veluti ſuſpenſum ac pendulum, donec prævia Dei motione in partem alteram feratur, determinetur, & applicetur; idque præſertim in pietatis operibus, quæ naturæ vires, & in-

& ingenitas facultates excedunt. Ex hoc triplici capite arceſſendam eſſe Gratiæ ſe ipſa efficacis neceſſitatem Thomiſtæ locupletiſſimis Sanctorum Patrum *Auguſtini*, & *Thomæ*, multiſque argumentis, quæ hic inſerere nimis longum eſſet, probant contra *Janſenium*, indeque inferunt, Adamum in ſtatu innocentiæ ad omnes & ſingulos actus, præſertim ad actus ſupernaturales eliciendos, opus habuiſſe Gratia per ſe efficaci, tum quia Adamus in ſtatu innocentiæ liberum arbitrium habebat indifferens ad alterutram partem; tum quia etiam Adamus innocens, propter intimam, quæ inhæret omni creaturæ, ſubordinationem, pendebat a Deo, tanquam a prima Cauſa, primo Motore, primoque principio. Verum, quia Janſenius pertendit, ſe cum *S. Auguſtino*, cujus patrocinio perperam gloriatur, admittere duntaxat Gratiæ efficacis neceſſitatem in ſtatu naturæ lapſæ propter, per peccatum Adami, læſæ infirmitatem; Sole clarius oſtendunt noſtrates Thomiſtæ, Janſenium, a ſtatu naturæ innocentis omnem Gratiam efficacem procul eliminantem, ſibi non conſtare, & ab immo ſuffodere omnia fundamenta, quæ jecit Sanctus ille Doctor ad adſtruendam in ſtatu naturæ lapſæ Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem. At enim, hi, qui in doctrina *S. Auguſtini* de neceſſitate Gratiæ per ſeſe efficacis in ſtatu naturæ lapſæ ſunt verſati, apprime callent, principia, quibus Sanctus ille Doctor probat Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem in præſenti ſtatu, iſta eſſe: *Quod videlicet in ordine ſupernaturali nihil a ſe ipſo habeat homo, de quo in ſemetipſo gloriari poſſit: Nihil a ſemetipſo habeat, ratione cujus poſſit ſeſe ab altero quocumque diſcernere: Quod ſtet penes Deum omnipotentiſſima poteſtas, qua in nullius creaturæ adverſa voluntate vinci ac ſuperari poteſt, cui volenti ſalvum facere, nullum humanum reſiſtit arbitrium: Quod omnis homo ad obtinenda beneficia debeat orare Deum, & de perceptis beneficiis gratias agere Deo: Quod neſique Myſterium inſcrutabile ſit, cur unus præ altero divina vocationi conſentiat; cur unus in accepta juſtitia perſeveret, non item alter?* Hæc principia ad ſtabiliendam in ſtatu naturæ lapſæ Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem ſexcentis plus minus locis adducit & inculcat *S. Auguſtinus*, quibus referendis ſuperſedeo, tum ne longior ſim, tum quia etiam ipſemet *Janſenius*, quicum mihi in præſentia res eſt, apertiſſime docet, *Sanctum Auguſtinum* ex his, quæ mox aſſignavimus, principiis, jure optimo collegiſſe, & adverſus Hæreticos Pelagianos, & Semipelagianos, luculentiſſime probaſſe neceſſitatem Gratiæ per ſeſe efficacis in ſtatu naturæ lapſæ. At, proprio mucrone ſeipſum confodit *Janſenius*, dumque negavit Gratiæ per ſe efficacis in ſtatu naturæ innocentis neceſſitatem, deſtruxit una manu principia *Sancti Auguſtini*, quæ altera manu adſtruebat. Certum quippe eſt, hæc principia, quibus *Sanctus Auguſtinus* probavit Gratiæ per ſe efficacis in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem, nullo negotio poſſe ſtatui naturæ innocentis accommodari, ac ſubinde iiſdem *Sancti Auguſtini* principiis admitti debere Gratiæ per ſe efficacis in ſtatu naturæ innocentis neceſſitatem, quam nemo negare poteſt, niſi vim omnem adimat principiis, quibus Sanctus *Auguſtinus* probavit gratiæ per ſe efficacis in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem. Quod autem principia, quibus Sanctus Auguſtinus evincit, Gratiam ſe ipſa efficacem in ſtatu naturæ lapſæ eſſe prorſus neceſſariam, facili negotio poſſint & debeant accommodari ſtatui innocentiæ, proclive eſt contra Janſenium demonſtrare. Primum principium, fatente ipſomet, *Janſenio*, quo *Sanctus Auguſtinus* probat Gratiæ per ſe efficacis in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem, in hoc, ſicut mox diximus, ſitum eſt: *quod in ordine ſupernaturali nihil habeat homo a ſe ipſo, de quo poſſit in ſemetipſo gloriari: Nihil pariter a ſemetipſo habeat, ratione cujus poſſit ſeſe ab altero quocumque diſcernere*. Hoc autem principium *Sancti Auguſtini* facile ſtatui naturæ innocentis accommodari poſſe, ut ejuſdem gratiæ per ſe efficacis neceſſita-

tem colligamus, manifeſte oſtendit ſtatus Angelorum, qui erant in ſtatu viæ, & quibus (non ſecus ac Adamo, ſicut pertendit Janſenius) dederat Deus ſive ad bene agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia gratiam verſatilem, quam ipſi voluntatis aſſenſu facerent efficacem, aut diſſenſu redderent inefficacem. Si enim una eademque Angelis, in accepta juſtitia perſeverantibus, & Angelis cadentibus verſatilis duntaxat gratia, eorumque ſubdita libero arbitrio a Deo data eſt, ut cenſet Janſenius, aperta conſecutione inde deducitur, Angelos, qui per voluntatis ſuæ aſſenſum gratiam illam verſatilem ſibi a Deo conceſſam reddiderunt efficacem, & in accepta juſtitia ſteterunt, ſua ſe voluntate ab aliis Angelis, qui eandem gratiam verſatilem, qua a Deo donati erant, per voluntatis ſeu diſſenſum reddiderunt inefficacem, & ceciderunt, deſcreviſſe; atque ita in ſe ipſis potuiſſe, non in Domino gloriari. Quod quidem, ut nemo non videt, recta fronte pugnat cum hoc principio, quod millies in ſuis Operibus urget *Sanctus Auguſtinus*, illudque ex Apoſtolo Paulo 1. ad Corinth. capit. 4. ſe deliberaſſe gloriatur: *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non accepe is?* Quin *Sanctus Auguſtinus* capit. 9. lib. 12. *de Civitate Dei*, hanc ex inſtituto verſans quæſtionem, *cur ex Angelis in gratia ſanctificante conditis, ceciderint alii, alii ſteterint?* tantum abeſt, ut huic dirimendæ quæſtioni Sanctus *Auguſtinus* reſpondeat, quemadmodum *Janſenius*, & alii, qui ab ejus partibus ſtant, reſpondere ſolent, videlicet Deum tam bonis, quam malis Angelis verſatilem gratiam dediſſe, ſed bonos Angelos liberi arbitrii aſſenſu eam efficacem feciſſe, malos vero Angelos ſuæ voluntatis diſſenſu eam inefficacem reddidiſſe, eaque de cauſa ſtetiſſe bonos Angelos in accepta juſtitia, malos autem Angelos cecidiſſe. Tantum, inquam, abeſt, ut Sanctus *Auguſtinus* propoſitæ huic quæſtioni trita illa & familiari apud *Janſenium*, ejuſque diſcipulos, reſponſione uſus fuerit, ut potius diſertiſſime ibidem aſſerat, ideo bonos Angelos ſtetiſſe, malos autem Angelos cecidiſſe, quia bonis Angelis datum eſt a Deo *amplius*, ſeu majus & potentius adjutorium, ſeu auxilium per ſeſe efficax, quo deſtituti mali Angeli ſua culpa perierunt: *Illis* (ſeu malis Angelis) *mala voluntate cadentibus*, *iſti*, (ſeu boni Angeli) AMPLIUS ADJUTI, *ad eam beatitudinem pervenerunt, unde ſe nunquam caſuros certiſſime ſcirent*. Quæ verba *S. Auguſtini* Sole meridiano clarius probant, tam Angelis, qui erant in ſtatu viæ, quam Adamo, in ſtatu innocentiæ conſtituto, ſive ad bene agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia neceſſariam omnino fuiſſe gratiam per ſeſe efficacem, quo fit, ut, mea quidem ſententia, unius inſtar omnium ſit, planeque ſufficere debeat hic tam evidens *S. Auguſtini* locus ad diſſipandas omnes nebulas, quas quidam vitilitigatores huic lucidiſſimæ veritati offundere moliuntur. Denique, alia principia, quæ ad gratiæ per ſe efficacis in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem adſtruendam profert S. Auguſtinus, quædam petuntur ex omnipotentia Dei, ex neceſſitate orandi, & gratias Deo pro perceptis beneficiis exhibendi; hæc, inquam, & alia S. Auguſtini principia perinde probant neceſſitatem gratiæ per ſe efficacis (non quidem medicinalis, qua certe non indigebant Adamus, & Angeli in ſtatu innocentiæ conſtituti) ſed neceſſitatem gratiæ per ſe efficacis, quæ dicitur *gratia ſanitatis*, quæ eorum ſtatui omnino conveniebat; cum Deus in ſtatu innocentiæ tam æque eſſet Omnipotens, ac eſt in ſtatu naturæ lapſæ, & Adamo atque Angelis, in ſtatu innocentiæ degentibus, incumberet neceſſitas Deum orandi, gratias pro ſuſceptis beneficiis ei reddendi, & non in ſe ipſis, ſed in ſolo Deo de bono opere gloriandi. Addo etiam, nec addidiſſe pigebit, quod, ſemel admiſſa ſententia *Janſenii* de petenda duntaxat neceſſitate gratiæ per ſe efficacis ex infirmitate naturæ lapſæ per peccatum originale, manifeſto ſequeretur Chriſtum Dominum, qui peccati originalis fuit omnino expers, non indiguiſſe gratia per ſe efficaci, ejuſque prædeſtinatio-

tionem non fuiſſe gratuitam, cum tamen S. Auguſtinus lib. de Præd. Sanctorum cap. 15. contrarium definiat diſertis iſtis verbis. *Eſt etiam præclariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ ipſe ſalvator, ipſe mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui ut hoc eſſet, quibus tandem ſuis vel operibus, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo eſt, comparavit .... Ipſa eſt igitur prædeſtinatio Sanctorum, quæ in Sancto Sanctorum maxime claruit: quam negare quis poteſt recte intelligentium eloquia veritatis? ... Sicut ergo prædeſtinatus eſt ille unus* (ideſt Chriſtus) *ut caput noſtrum eſſet, ita multi prædeſtinati ſumus, ut membra ejus eſſemus. Humana hic merita conticeſcant. Quiſquis in capite noſtro præcedentia merita ſingularis illius generationis invenerit, ipſe in nobis membris ejus præcedentia merita multiplicatæ generationis inquirat.*

D. Primos Parentes noſtros in ſtatu innocentiæ omnibus donis tum a natura, tum a Gratia profectis, exornatos fuiſſe, & tamen a Deo, qui eſt ſupremus rerum omnium Dominus, dependiſſe, ſive ut operarentur bonum, ſive ut in accepta juſtitia perſeverarent, nullus dubito, ſubindeque in tuam ſententiam de Gratia per ſe efficaci ſive ad bene agendum, ſive ad perſeverandum omnino neceſſaria tum bonis Angelis, qui in accepta juſtitia perſeverarunt, tum protoparentibus noſtris, qui e gratia, in qua conditi fuerant, exciderunt, manibus pedibuſque deſcendo. Verum, nunc optarem, ut me expedires a quibuſdam difficultatibus, quæ mihi, inter legendum caput tertium libri Geneſeos, occurrerunt, quæque perfectioni, & omnigenæ ſcientiæ, quam primis parentibus noſtris in ſtatu innocentiæ vindicaſti, haud parum officere videntur. At enim, Geneſis cap. 3. legigitur, Serpentem, qui tentavit *Evam*, ei, ut facilius ſuccumberet tentationi, dixiſſe: *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum*. Promittebat itaque Serpens primis parentibus noſtris ſcientiam boni & mali, quam ſubinde necdum habebant, hiſque ſerpentis vocibus dum obſecuta eſt *Eva*, manifeſtam ſuam prodidit ignorantiam, quippe quæ putavit ſerpentem eſſe natura ſua loquacem, & pomum, ad cujus comeſtionem Serpens illam provocabat, dare poſſe ſcientiam boni & mali, immo, ambiit perfectam cum Deo ſimilitudinem, *Eritis, ſicut Dii*. Nec minus imprudenter & inſcite ſeſe geſſit Adamus, qui uxori ſuæ, falſa promiſſione Serpentis deluſæ, eique pomum propinanti, actutum morem geſſit, cum tamen, ſi revera fuiſſet ſcientia præditus, potuiſſet nullo negotio intelligere Serpentem, quicum ipſius mulier colloquium miſcuerat, non locutum fuiſſe interventu alicujus boni Angeli, ſed mali. Bonus quidem Angelus nunquam ſollicitaſſet *Evam* ad violandum præceptum, quo Deus diſtricte primis parentibus noſtris inhibuerat, ne fructum ligni vetiti manducarent. Hinc, Scriptura Sacra eodem in capite 3. libri Geneſeos obſervat, primorum parentum, ſtatim poſt peccatum, oculos, non quidem corporis (alioqui fuiſſent a Deo creati cæci, quod eſt tam abſurdum, quam quod maxime) ſed oculos mentis fuiſſe apertos: *Et aperti ſunt oculi amborum &c.* quod quidem argumento eſt, primos parentes noſtros nulla ante peccatum præditos fuiſſe ſcientia. Poſtremo, primi parentes noſtri poſt peccatum non cognoſcebant immenſitatem Dei, per quam eſt ubique præſens. Voluerunt ſiquidem ſeſe abſcondere a Deo, ſicut teſtatur Scriptura Sacra c. 3. libri Geneſeos, his verbis: *cum audiſſent* (Adamus & Eva) *vocem Domini deambulantis in Paradiſo, abſcondit ſe Adam, & uxor ejus a facie Domini*. Hi ſunt ſcrupuli, qui inter legendum caput. 3. libri Geneſeos, animum meum circa perfectionem & ſcientiam, quam primis parentibus noſtris in ſtatu innocentiæ tribuiſti, ſubierunt, quoſque ut mihi in præſentia eximas te etiam atque etiam rogo.

M. Ut his, quas propoſuiſti, difficultatibus ſingillatim faciam ſatis, ordiar a tentatione *Evæ*, quam callidus Serpens hac vana ſpe lactavit atque ineſcavit; *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum*. Quæ Serpentis verba palam innuere videntur, primos parentes noſtros necdum habuiſſe ſcientiam boni & mali. Quorſum

Digitized by Google

ſum enim hanc ſcientiam boni & mali eis promiſiſſet, ſi illam jam habuiſſent? Verum, animadvertere debes, Serpentem non promiſiſſe primis parentibus noſtris qualemcumque ſcientiam boni & mali, ſeu naturalem & diſcurſivam (hac quippe jam pollebant primi parentes noſtri) ſed ipſis promiſiſſe ſcientiam boni & mali ſupernaturalem, ſublimiorem, extraordinariam, & ſcientiæ Angelicæ ſimilem. Quamvis enim primi parentes noſtri certo ſcirent, ſe non poſſe naturaliter & ex debito conſequi ſcientiam, quæ Angelorum propria eſt, quia nemini ſcientia ſupernaturalis & Angelica competere poteſt, niſi ei, qui naturam Angelicam habet, in quam ſe transformari non poſſe certiſſime norant primi parentes noſtri; attamen ſibi perſuaſerunt, ſe ex ſingulari munificentia Dei creatoris conſequi poſſe ſcientiam ſupernaturalem, extraordinariam, ſeu Angelicam, per quam haberent cum Deo majorem ſimilitudinem ea ſimilitudine, quam habebant ab initio. Hinc Serpens illi dixit: *Eritis ſicut Dii*. Quibus verbis primi parentes noſtri ad edendum fructum ligni vetiti fuerunt inducti, non quod putarent, ſe Dei naturam aſſecuturos, ſed quod exiſtimarent, ſe per eſum pomi adepturos majorem cum Deo ſimilitudinem, ſeu habituros ſe ſcientiam ſupernaturalem, extraordinariam, ſeu Angelicam, per quam ſimiliores Deo evaderent, quam erant antehac. Nomine quippe DEI non ſemper in Scriptura Sacra ſignificatur Ens independens, & infinite perfectum, ſed aliquando creatura perfectior ceteris creaturis, ideoque propius ad perfectionem ſupremi Numinis accedens. Hinc legimus Pſalm. 81. *Ego dixi: Dii eſtis, & filii excelſi omnes*. Hoc autem intelligitur de Prophetis, ſicut explicat Chriſtus Dominus, Joannis c. 10. Sed, inquis, ergo ſaltem *Eva* ſuam prodidit ignorantiam, dum putavit Serpentem eſſe loquacem, & pomum poſſe dare ſcientiam boni & mali. Non ita eſt, cariſſime Diſcipule: *Eva*, a Serpente ſolicitata ad peccandum, non exiſtimavit Serpentem eſſe per ſe, & a principio intrinſeco loquacem, & pomum per ſe, & vi ſua naturali dare poſſe ſcientiam boni & mali, ſed putavit, Serpentem per aliud, & ab extrieſeco principio eſſe loquacem, & pomum vi divina & ſuperiori dare poſſe ſcientiam boni & mali. Fateor tamen, *Evam*, a Serpente tentatam, ſua ſcientia uſam non fuiſſe, ac ſubinde actu ignorantem fuiſſe. Si enim *Eva*, voluiſſet ſua ſcientia uti, facili negotio intelligere potuiſſet, Angelum, qui loquebatur per Serpentem, non eſſe Angelum bonum, ſed potius Angelum malum, utpote qui illam ad tranſgrediendum præceptum divinum inſtigabat; ſed illa, æſtu ambitionis abrepta ad illas circumſtantias non attendit, nec pariter Adamus, uxori ſuæ complacere nimis ſtudioſus. Quo fit, ut primi Parentes noſtri, quamvis habitu fuerint ſapientiſſimi, prudentiſſimi, & doctiſſimi, actu tamen, ſive dum peccarunt, ſua non utentes ſapientia, prudentia, & doctrina, cecutierint, juxta illud Scripturæ Sacræ: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit* &c. Sic ſunt omnes peccatores, qui, quamvis habitualem Legis, ſeu præcepti, vetantis peccatum notitiam habeant, illiciente tamen cupiditate, & denſas menti tenebras offundente, actu non attendunt ad illam, quam habitu tenent notitiam Legis, eamque tranſgrediuntur, juxta illud commune Effatum; *Video meliora, proboque, deteriora ſequor*. Habuerunt itaque primi Parentes noſtri in ſtatu innocentiæ omnigenam ſcientiam, illoſque Deus (ut ait Auctor Libri Sacri Eccleſiaſtici c. 17.) *Diſciplina intellectus replevit illos. Creavit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu implevit cor illorum, & mala & bona oſtendit illis;* ea tamen ſcientia uſi non fuerunt primi Parentes noſtri, dum Diaboli, per Serpentem loquentis, verbis fidem adhibuerunt, & præceptum Dei, quo nihil prius & antiquius habere debebant, ſui, atque poſteritatis plane immemores, tranſgreſſi ſunt. Non inficior tamen, primos Parentes noſtros habuiſſe poſt peccatum cognitionem experimentalem, quam antehac non habebant. Experientia quippe poſt peccatum compertum, ac exploratum habere cæperunt, ſe eſſe nudos, & erumpentes inordinatos perduellis concupiſcentiæ motus perſenſerunt. Dum vero

eſſent

eſſent in ſtatu innocentiæ, nudi quidem erant, ſed non erubeſcebant, quia eo in ſtatu juſtitia origialis partem inferiorem perfecte ſubjiciebat parti ſuperiori, ſeu rationi. Quo fit, ut cognitio, quam primi Parentes noſtri poſt peccatum de nuditate corporis ſui habuerunt, fuerit duntaxat experimentalis, non ſecus ac licet homo ſanus probe cognoſcat, quam magnum ſit homini bonum ſanitas, ſi tamen in morbum incidat, ſuæque ſanitatis jacturam faciat, tunc cognitione experimentali ſentit, quantum bonum, ſeu ſanitatem, perdiderit. Sic non abſimili ratione, primi Parentes noſtri poſt peccatum variis titillati rebellis concupiſcentiæ motibus, & aliunde ſentientes ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, proclivitatem ad malum, & difficultatem operandi bonum, fatali, heu nimium, experientia cognoſcere cæperunt, ſe e feliciſſimo innocentiæ ſtatu, in quo fuerant a Deo conditi, propria ſua malitia excidiſſe, ſeque juſtitiam originalem, beatiſſimam Cæleſtium donorum copiam, & virtutum omnium ſupellectilem, qua erant exornati, amiſiſſe, adeoque ſibi, & toti ſuæ poſteritati omnium malorum agmen importaſſe. Hoc in ſenſu intelligenda eſt Scriptura Sacra, dum de primis Parentibus noſtris poſt peccatum ait: *Et aperti ſunt oculi amborum*. Denique, non ignorarunt primi Parentes noſtri, Deum eſſe immenſum, & ubique præſentem, licet poſt peccatum voluerint, pudore ſuffuſi, ſe abſcondere a Deo, quemadmodum legitur cap. 3. Libri Geneſeos. At enim, noluerunt primi Parentes noſtri poſt peccatum ſe a Deo abſcondere in natura divina exiſtente; ſed voluerunt ſe abſcondere a Deo ſub forma humana conſtituto. Deus enim, poſtquam peccaſſent primi Parentes noſtri, ut familiarius ageret cum illis, ejuſque inobedientiæ peccatum exprobraret, formam humanam aſſumpſit, cujus vocem cum audierunt, ſtatim perterrefacti, ſibique male conſcii, voluerunt, ſe a Deo, ſub forma humana conſtituto, abſcondere; flagitium quippe tenebras amat. Addo etiam, Scripturam Sacram eo loci more humano loqui, ſicut dum eodem in capite tertio Libri Geneſeos refert, Deum dixiſſe Adamo: *Adam ubi es?* quæ Scripturæ verba more humano dicta eſſe nemo non videt, alioquin arguerent in Deo ignorantiam, quaſi latuiſſet Deum locus, in quem ſeſe receperat Adamus. Ex his, quæ hactenus diximus, manifeſto patet, nullam primis Parentibus noſtris in ſtatu innocentiæ defuiſſe ſcientiam, ſed illos ideo peccaſſe, & verſipellis Serpentis verbis fidem adhibuiſſe, quia ſuperbia elati ad circumſtantias tentationis, qua illos Diabolus per organum Serpentis loquens, aggreſſus eſt, non attenderunt: *Hujuſmodi autem peccatum ſuperbiæ*, iniquit *S. Thomas* 1. part. qu. 63. art. 1. *non præexigit ignorantiam, ſed abſentiam ſolum conſiderationis rerum, quæ conſiderari debent, & hoc modo Angelus peccavit convertendo ſe per liberum arbitrium ad proprium donum, abſque ordine ad regulam divinæ voluntatis*. Hæc autem abſentia conſiderationis eorum, quæ in tentatione Serpentis conſiderari debebant, locum maxime habuit in *Eva*, quæ ideo multiplici nomine peccavit. Primo, quod Serpenti, de præcepto Dei male diſſerenti, aures præbuerit, cum eo otioſa miſcens colloquia. Secundo quod pravum Serpentis conſilium non ſtatim reſpuerit, non exhorruerit. Tertio, quod de re ipſa judicaverit, non ex Lege Dei, quam apprime edocta erat, ſed ex his, quæ apparebant, ſeu e pulcritudine, odore, ſapore, & guſtu fructus vetiti a Deo. Quarto, quod a Serpente victa, illius in pervertendo viro, cui ſocia data erat, miniſtra fuerit. Vir autem, ſeu Adamus, præpoſtera docilitate peccavit, factus uxoris diſcipulus: uterque autem ex ſuperbia peccavit, reſiſtendo Deo, & juſtiſſimo præcepto, quod illis ratione ſupremi in eos dominii impoſuerat, morem gerere detrectando.

D. Quid intelligis per illum Paradiſum, in quo, ſicut ex Scriptura Sacra obſervaſti, primi Parentes noſtri, poſt peccatum, audierunt vocem Dei, in humana forma conſtituti, & ab eo ſe abſcondere voluerunt, cum eos puderet nuditatis ſuæ.

M. Poſtquam Deus primum hominem, ſeu Adamum, e limo terræ for-

Digitized by Google

maſſet, poſuit illum in Paradiſo, ideſt, in horto fœcundiſſimo, & amœniſſimo, ut operaretur & cuſtodiret illum, eumdemque hortum Deus omni genere ligni arborumque conſeruit, ut ex earum variis fructibus aleretur homo, Deoque ſumma devotione ſerviret. Tum dedit ei mandatum, quod ſi obſervaſſet, immortalis maneret, ſi tranſcendiſſet, morte afficeretur. Id autem præceptum fuit, ut ex arbore intelligentiæ boni & mali, quæ erat in medio Paradiſi, non guſtaret. Deus autem adduxit ad Adamum omnia animantium genera, quibus Adamus nomina indidit, ſed cum inter omnia animalia nullum inveniretur adjutorium ei ſimile, voluit Deus, ne ſolus viveret Adamus, divini ſpiritus aura animatus ſociam ei ſimillimam ad illius auxilium, & ſolatium, ſed præſertim ad liberorum procreationem formare. Quocirca, miſit Deus ſoporem in Adamum, & ex eo, in placidum delapſo ſomnum, coſtam unam cum adhærente carne, qualis in homine vivente conſpicitur, eripuit, & ea ea corpus Evæ effinxit. Expergefactus Adamus, & intuens *Evam*, ſibi a Deo datam ſociam ac conjugem, in hæc verba prorupit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem, relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Tam felici primorum Parentum noſtrorum ſorti invidit Diabolus, & per Serpentis organum loquens, omnes fallacias & calliditates ſuas ad decipiendum hominem acuit & intendit, ut ei adimeret immortalitatem. Et primo mulierem, *Evam*, dolo illexit, ut vetitum cibum ſumeret, & per eam ipſi quoque homini perſuaſit, ut violaret Dei Legem. Tunc primos Parentes noſtros nuditatis ſuæ puduit, ſed, ut trito fertur adagio, *ſero ſapiunt Phryges*. Culpam ſtatim excepit pœna, quam Deus Diabolo, per Serpentem loquenti, *Evæ*, & *Adamo* inflixit, nihilque moratus frivolas primorum Parentum noſtrorum excuſationes, illos ex amœniſſimo loco, ſeu Paradiſo terreſtri, præcipites ejecit in regionem ſpinis, urticiſque ſcatentem, in eos, malorum ac infortunatorum progenitores diram mortis protulit ſententiam; atque ante oſtium Paradiſi collocavit Cherubim, flammeo gladio atque verſatili munitum, qui cuſtodiret viam ligni vitæ, & homines, innumeris obnoxios miſeriis, ab ejus ingreſſu in omne ævum arceret, proculque eliminaret. En tibi paucis verbis deſcripta primorum Parentum noſtrorum miſera, æternumque deploranda cataſtrophe, quam in Colloquio ſequenti accurate perpendemus.

D. Sine, quæſo, ut ſub finem hujuſce Colloquii aliquas circa hanc miſeram primorum Parentnm noſtrorum cataſtrophen difficultates proponam: Et primo ſcire velim, ubinam, ſeu in qua Regione ſitus eſſet ille Paradiſus terreſtris, e quo primi Parentes noſtri, poſtquam peccarunt, fuerunt a Deo expulſi? Secundo, quantum temporis in hoc Paradiſo, ſeu amœniſſimo loco, perſtiterint primi Parentes noſtri?

M. Circa primum, quod proponis dubium, variæ clariſſimorum Scriptorum circumferuntur ſententiæ, quas hic duntaxat indigitare ſufficiet, ut ex ea, circa Paradiſi terreſtris ſitum, tot opinionum, quæ volitant, varietate, facili negotio dignoſcere poſſis, nihil certi ſtatui poſſe de loco, in quo fuit conditus a Deo Paradiſus terreſtris. Alii ſiquidem putant, Paradiſum terreſtrem fuiſſe univerſam Terram. Alii Paradiſum terreſtrem collocant in tertio Cœlo. Alii in quarto. Alii in Cęlo Lunæ, alii in ipſa Luna, vel in monte Cęlo Lunæ proximo. Alii in media aeris Regione extra tellurem. Alii ſubtus terram, vel in loco remoto, & hominibus plane ignoto. Alii Paradiſum terreſtrem conſtituunt ſub Polo Arctico. Alii eum reponunt in Oriente. Alii in America, alii in Africa ſub Æquatore, alii in Indiis. Alii denique Paradiſum terreſtrem a Deo conditum eſſe exiſtimant in Aſia, ſive in Armenia majori, ſive in Meſopotamia, aut in Aſſiria, ſive in Perſide, ſive in Babylonia, ſive Arabia, ſive Syria, aut Palæſtina &c. Quam certe tot itner ſe ſe diſcrepantium circa Paradiſi terreſtris ſitum varietatem opinionum poſtquam attenta mente conſideraſſem, & omnes conjecturas, quibus indulgent earum Auctores, accurato examine diſcuſſiſſem,

mul-

multum, ut ingenue dicam, arriſit mihi illud *S. Auguſtini* lib. 8. de Geneſi ad litteram cap. 5. *Melius eſt*, inquit Aquilinus ille Doctor, *dubitare de occultis quam litigare de incertis*. Nam ex tanta confuſione nihil aliud mea ſententia colligi poteſt, quam verum eſſe, quod antiquiſſimus Scriptor *Tertullianus*, ſimilia fortaſſe de Paradiſi loco expertus, prudenter Apologetici cap. 47. ſcripſit: *Paradiſum terreſtrem eſſe locum divinæ amœnitatis a notitia Orbis communis ſegregatum*. Et Theodoretus Qu. 19. in Geneſim ait: *Deum ignotos feciſſe meatus fluminum Paradiſi, ut amputaret ſuperfluam hominum cu rioſitatem*; & S. Auguſtinus lib. 8. de Geneſi ad litteram cap. 7. putat, *Paradiſi terreſtris locum eſſe a cognitione hominum remotiſſimum*. Quonam igitur in loco ſitus fuerit Paradiſus terreſtris, in medio relinquo. Poteris, ſi tibi per otium liceat, elegantiſſimum lectitare Opuſculum, quod de Paradiſo terreſtri edidit illuſtriſſimus *Daniel Huetius*, Epiſcopus Abrincenſis. Hoc unum impræſentiarum de Paradiſo terreſtri, in quo Deus conſtituit primos parentes noſtros, ſufficit ut ſcias, videlicet Catholica Fide conſtare, hunc Paradiſum fuiſſe in terra conditum, eumque corporeum extitiſſe, non ſpiritualem & figuratum, ſicut cenſuit *Origenes* in Geneſi, teſte *S. Hieronymo*, qui in Epiſtola 61. (veteris Editionis) ad *Pamachium*, inter octo *Origenis* errores, hunc ſexto loco recenſet: *Quod ſi Origenes Paradiſum allegorizet, ut Hiſtoriæ auferat veritatem, pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes cœleſtes intelligens, totamque Paradiſi continentiam tropologica interpretatione ſubvertat*. Ceterum, ut ad ſecundum, quod propoſuiſti, Dubium accedam; *Quantum ſcilicet temporis primi Parentes noſtri in Paradiſo terreſtri perſtiterint?* non una omnium eſt ſententia. Quidam autumant, primos Parentes noſtros unico tantum die in illo amœniſſimo loco vixiſſe, & eadem die illos peccaſſe, & e Paradiſo fuiſſe a Deo itidem expulſos. Huic ſententiæ haud parum favere videtur Textus Hebræus, nam, cum nos in Editione noſtra Vulgata ſic legamus; *Homo, cum in honore eſſet, non intellexit*: in Textu Hebræo ſic legitur, *Homo, cum in honore eſſet, non pernoctavit*, ideſt, in Paradiſo terreſtri, in quo fuerat a Deo collocatus, unde ſequitur, Adamum per unum duntaxat diem fuiſſe Paradiſi terreſtris colonum. Alii exiſtimantes, non tam præproperam primorum Parentum noſtrorum fuiſſe culpam, eorumque e Paradiſo terreſtri ejectionem, probabilius eſſe arbitrantur, Adamum, & Evam octavo a ſua productione die peccaſſe, & e Paradiſo fuiſſe extruſos. Alii magis protrahunt tempus, ac volunt, primos Parentes noſtros per triginta tres dies in Paradiſo terreſtri permanſiſſe, eo quod Chriſtus, Servator noſter, totidem annos ad luendum Adami peccatum in terris vixerit. Alii poſtremo ſtatuunt, primos Parentes noſtros per quadraginta dies in Paradiſo terreſtri vixiſſe. Verum, ut ingenue dicam, cum prædictæ ſententiæ frigidis nitantur conjecturis, nec liceat in his, quæ conſulto ſacræ Litteræ religioſo obtexerunt ſilentio, ariolari, & meras obtrudere conjecturas, nolo hac in re meum interponere judicium. Obiter tantum dicam, primos Parentes noſtros, poſtquam per breve temporis ſpatium amœniſſimi Paradiſi delicias delibaſſent atque præguſtaſſent, ſua culpa juſto Dei judicio fuiſſe illis privatos, ac ſubinde eorum lætitiam, cum maxime geſtiret, excepiſſe luctum, & ſummis gaudiis ſummos pariter intercurriſſe dolores.

D. Extatne etiamnum Paradiſus ille terreſtris & quantum ad Solum, & quantum ad amœnitatem?

M. Paradiſum terreſtrem non amplius extare, ſed aquis Diluvii, quæ altioribus montibus quindecim cubitis (ut legitur Geneſis cap. 7. v. 20.) eminebant, deletum fuiſſe, multi opinantur viri eruditi. Non deſunt tamen ſcriptores, qui pertendunt, perſtare etiamnum Paradiſum terreſtrem, & in eum, tempore univerſalis Diluvii divinitus conſervatum, translatos eſſe *Enochum*, ſeptimum ab Adamo Patriarcham, & Prophetam *Eliam*, qui ſecundi adventus Chriſti Domini prodromi ac præcones eſſe debent, atque in eo adhuc vi-

Digitized by Google

vivere æternæ beatitudinis candidatos. Verum, utraque ſententia facile conciliari poteſt, ſi dicatur, extare quidem etiamnum Paradiſum terreſtrem, quantum ad Solum, ſeu locum, in quo a Deo conſtitutus erat, ſed non quantum ad amœnitatem, venuſtatem, fœcunditatem, & copiam arborum, quibus Deus illum primitus exornaverat. Et ſane, cum Scriptura Sacra diſerte dicat, aquas univerſalis Diluvii quindecim cubitis altiores fuiſſe montibus, quos cooperuerunt, & aliunde hanc Paradiſi terreſtris ab aquis Diluvii conſervationem divinitus factam, altiſſimo ſilentio prætermittat, vero quam ſimillimum videtur, Paradiſum terreſtrem ſuam, durante Diluvio, venuſtatem & amœnitatem perdidiſſe, alioqui, ſi Deus Paradiſum ab aquis Diluvii intactum & illibatum conſervaſſet, non præcepiſſet *Noemo*, ut Arcam cum tot laboribus fabricaret, quo ſuæ, & totius familiæ ſaluti, graſſante Diluvio, proſpiceret, ſed Noemo juſſiſſet, ut ſe, totamque familiam ſuam, una cum ſpeciebus animalium, induceret in Paradiſum terreſtrem, quo aquæ Diluvii, impediente divina omnipotentia, pertingere minime potuiſſent; Deus enim & natura, juxta commune effatum, nihil faciunt fruſtra. Eſto igitur Paradiſus terreſtris etiamnum exiſtat, quantum ad Solum, ſeu locum & ſitum, in quo a Deo conditus fuit, non exiſtit tamen amplius quantum ad venuſtatem, amœnitatem, & concinnam Arborum diſtinctionem, copiam, ordinem, diſpoſitionem, quam antehac habebat.

D. Dixiſti ſuperius, ſi bene memini, *Evam* in Paradiſo terreſtri a coſta Adami fuiſſe a Deo productam. Sed qui hoc fieri potuerit, necdum ſatis, ut candide fatear, aſſequi poſſum. Enim vero, ſi Deus, ut formaret Evam, ſubduxit e corpore Adami coſtam, ſequitur, Adamo defuiſſe unam coſtam, ac ſubinde corpus Adami imperfectum ac mutilum remanſiſſe. Secundo, dixiſti, Evam, poſtquam a Diabolo, per Serpentis organum loquente, deluſa comediſſet vetitum fructum ſcientiæ boni & mali, recta adiiſſe Adamum, maritum ſuum, eique verbis ſuis perſuaſiſſe, ut manducaret itidem fructum prohibitum ſcientiæ boni & mali. Vellem autem ſcire, quinam eſſet vetitus ille fructus ſcientiæ boni & mali, quem in Paradiſo terreſti manducarunt primi Parentes noſtri? Et deinde, qua lingua Adamus, & Eva in Paradiſo terreſtri loquerentur, dum inter ſe miſcebant colloquia?

M. Curioſas ſane magis, quam utiles, proponis difficultates, de quibus cum penitus ſileat Scriptura Sacra, præſtaret ab illis integrum ſuperſedere. Sed quia, ut video, moleſte ferres, ſi eas in præſentia intactas omnino relinquerem, curioſitati tuæ morem geram, ea tamen lege, ut paucis verbis me ab illis expediam, ſicque Colloquio noſtro, quod longius, quam par ſit, protraximus, coronidem tandem imponamus. Prima difficultas facili negotio ſolvitur. Quamvis enim Eva fuerit e coſta Adami formata, inde tamen haud ſequitur, defuiſſe Adamo unam coſtam, ejuſque corpus mutilum & imperfectum remanſiſſe, quia (ut docet *S. Thomas* 1. part. q. 92. art. 3. ad 2.) coſta Adami, e qua Deus formavit Evam, *fuit de perfectione Adæ, non prout erat individuum quoddam, ſed ſicut erat principium ſpeciei; ſicut ſemen eſt de perfectione generantis, quod operatione naturali cum delectatione reſolvitur. Unde multo magis virtute divina corpus mulieris potuit de coſta viri formari abſque dolore*. Quibus verbis aperte innuit Doctor Angelicus, quod, ſicut ſemen non eſt de perfectione hominis, quatenus eſt naturæ humanæ individuum, ſed quatenus eſt humanæ ſpeciei principium per generationem, ita illa coſta, ex qua Deus Evam formavit, non erat de perfectione Adami, prout Adamus erat naturæ humanæ individuum, ſed prout principium erat totius ſpeciei ſuæ. Voluit enim Deus, ut ſicut ipſe eſt principium totius univerſi, ita Adamus eſſet principium totius ſuæ ſpeciei: quam in rem Apoſtolus Paulus Actorum cap. 17. ait, quod *Deus fecit ex uno omne genus hominum*. Nullam ergo imperfectionem, ſubducta illa coſta, contraxit Adamus, nullumque, ſingulari Dei beneficio, perſenſit dolorem, quando ab ejus corpore fuit ſeparata. Cur autem voluerit Deus, ut mulier, ſeu

ſeu Eva, fieret ex viro, ſeu Adamo, & ex illius coſta formaretur? plures rationes, quas hic ſummatim delibabo, profert Angelicus Doctor. Prima eſt: ut Adamus eſſet principium totius ſuæ ſpeciei; ſi autem Eva ex Adamo non fuiſſet formata, Adamus non extitiſſet principium totius ſuæ ſpeciei, ſicut mox obſervavimus. Altera ratio eſt: *Ut vir magis diligeret Mulierem, & ei inſeperabilius inhæreret, dum cognoſceret eam eſſe ex ſe productam, unde dicitur lib. Geneſis c. 2. De viro ſumpta eſt. Quamobrem, relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ. Et hoc maxime neceſſarium fuit in ſpecie humana, in qua mas & fœmina commanent per totam vitam. Quod non contingit in aliis animalibus*. Tertia ratio eſt: *quia mas & fœmina conjunguntur in hominibus non ſolum propter neceſſitatem generationis, ut in aliis animalibus, ſed etiam propter domeſticam vitam, in qua ſunt aliqua opera viri & fœminæ, & in qua vir eſt caput mulieris. Unde convenienter ex viro formata eſt fœmina, ſicut ex ſuo Principio*. Quarta ratio eſt Sacramentalis: Figuratur enim per hanc Evæ ex Adamo formationem, *quod Eccleſia a Chriſto ſumit principium. Unde Apoſtolus dicit Epiſt. ad Epheſios cap. 5. Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia:* Hæ ſunt quatuor rationes, quibus *S. Thomas* 1. p. qu. 92. art. 3. probat, mulierem, ſeu *Evam*, debuiſſe fieri ex viro, ſeu *Adamo*.

D. Valde mihi placent quatuor iſtæ rationes, quibus *S. Thomas* evincit, *Evam* ex *Adamo* fieri debuiſſe. At, cedo, ni moleſtum ſit, rationem, cur conveniens fuerit, ut *Eva* e coſta viri ſui *Adami* formaretur?

M. Geminam rationem 1. part. qu. 92. art. 3. adducit Doctor Angelicus, quibus oſtendit, conveniens fuiſſe, ut *Eva* e coſta viri ſui *Adami* formaretur. *Primo quidem ad ſignificandum quod inter virum & mulierem debet eſſe ſocialis conjunctio. Neque enim mulier debet dominari in virum, & ideo non eſt formata de capite. Neque debet a viro deſpici tanquam ſerviliter ſubjecta, & ideo non eſt formata de pedibus. Secundo, propter Sacramentum, quia de latere Chriſti dormientis in Cruce fluxerant Sacramenta, ideſt, ſanguis & aqua, quibus eſt Eccleſia inſtituta*. His duabus luculentis *S. Thomæ* rationibus ſatis ſuperque diluta manet prima, quam propoſuiſti, difficultas.

D. Necdum explicuiſti, quinam eſſet fructus ille a Deo vetitus ſcientiæ boni & mali, quem in Paradiſo terreſtri, prava Diaboli, per organum Serpentis loquentis, ſuggeſtione, ederunt primi parentes noſtri, & qua lingua loquerentur, dum inter ſeſe miſcerent colloquia?

M. Qualis fuerit fructus ille a Deo vetitus ſcientiæ boni & mali, quem primi parentes noſtri in Paradiſo terreſtri comederunt, incertum omnino eſt, idque facile colligitur ex diſcrepantia ſententiarum, in quas abeunt Scripturæ Sacræ Interpretes, qui, conjecturis plus æquo hac in re indulgentes, voluerunt pro arbitratu ſuo definire, & quaſi digito monſtrare, qualis eſſet fructus ille a Deo vetitus ſcientiæ boni & mali. In primis, *Moyſes Barcephas* in libro, quem lucubravit, *De Paradiſo*, exiſtimat, fructum ſcientiæ boni & mali, a Deo vetitum Adamo & Evæ, nihil aliud fuiſſe, quam uſum connubii, quem Deus primis parentibus noſtris in Paradiſo terreſtri inhibuit, donec juberet, ut eo connubii uſu invicem fruerentur. Sed hujus ſententiæ, cum nullum ſive in Sacris literis, ſive in SS. Patrum Traditione vel minimum extet veſtigium, mirum non eſt, quod omnium Theologorum calculo rejiciatur. Alii exiſtimarunt, fructum vetitum ſcientiæ boni & mali fuiſſe vel vitem, vel frumentum. Plurimorum fuit opinio fuiſſe ficum. Alii opinantur fuiſſe malum, ſeu pomum. Alii cenſent fuiſſe malum arauſicanum, aut limonium. Alii dictitant, fuiſſe ceraſum, aut pyrum, vel prunum. Ipſe vero, qui in his rebus, quas conſulto Scriptura Sacra ſipario ſilentii obtexit, ariolari fas non eſſe arbitror, ejuſmodi quæſtionem de vetito fructu ſcientiæ boni & mali, utpote alendæ potius curioſitati, quam fovendæ pietati utilem, in medio relinquo, & unumquemque in ſuo ſenſu abundare permitto. Quod ſpectat linguam, qua primi parentes noſtri in Paradiſo terreſtri loquebantur, quamque in creatione ſua, ſpeciali Dei infundentis beneficio, re-

receperunt, opportunius ea de re agemus in colloquiis de ſecunda Mundi ætate, ubi de confuſione linguarum poſt univerſale diluvium ſermonem inſtituemus, & quænam fuerit omnium primigenia lingua, inveſtigabimus. Nunc obſervare ſufficiat, linguam, qua primi parentes noſtri in Paradiſo terreſtri utebantur, fuiſſe hebræam, & ex ea omnes alias linguas, velut totidem dialectos, promanaſſe, ſicut multis argumentis evincit doctiſſimus, & linguarum Orientalium peritiſſimus *Ludovicus Thomaſinus*, Congregationis Oratorii Presbyter, in ſuo *Gloſſario Hebraico*. Sed tempus eſt ut noſtro colloquio finem imponamus.

D. Siſte, precor, fidem tuam nondum omnino liberaſti. Promiſiſti quippe, te ſub finem hujuſce colloquii producturum in lucem fabulas & errores, quos prophani Scriptores, Poetæ videlicet, & gentiles Philoſophi, circa primi hominis, Mundi, & animalium creationem commenti ſunt. Has itaque fabulas & gentilium errores debes nunc in lucem proferre, & eadem opera breviter confutare.

M. Fabulas & errores, quos circa primi hominis, Mundi, & animalium creationem, excogitarunt Ethnici Scriptores, ad quatuor potiſſimum capita, ne longior ſim, reducam. In primis, finxerunt Poetæ, primum hominem de luto a *Prometheo* factum eſſe. Qua in re, ut optime obſervat *Lactantius* lib. 2. *Inſtitutionum Divinarum* cap. 11. res non fefellit Poetas, ſed nomen artificis. Nullas enim veritatis literas attigerant: ſed quæ Prophetarum vaticinio tradita in Sacrario Dei continebantur, ea de fabulis & obſcura opinione collecta & depravata, ut veritas a vulgo ſolet, variis ſermonibus diſſipata, corrumpi, nullo non addente aliquid ad id, quod audierant, carminibus ſuis comprehenderunt. Et hoc quidem inepte, quod tam mirabile tamque divinum opificium homini dederunt. Quid enim opus fuit, hominem de luto fingi, cum poſſet eadem ratione generari, qua ipſe *Prometheus* ex *Japeto* natus eſt? qui ſi fuit homo, generare hominem potuit, facere non potuit. De Diis autem illum non fuiſſe, pœna ejus in caucaſo monte declarat. Apparet ergo falſum eſſe, quod finxerunt Poetæ, primum ſcilicet hominem de luto a *Prometheo* conditum fuiſſe. Credibile tamen eſt, ut ibidem advertit *Lactantius*, Poetas, qui figuris involvere ſoleut, & obſcurare quæ dicunt, innuere duntaxat voluiſſe, primum omnium *Prometheum* ſimulacrum hominis formaſſe de pingui & molli luto, ab eoque natam primo artem & Statuas, & ſimulacra fingendi. Siquidem *Prometheus* Jovis temporibus fuit, quibus primum templa conſtitui, & novi Deorum cultus eſſe cœperunt. Sic veritas fucata mendacio eſt, & illud, quod a Deo factum ferebatur, homini, qui opus divinum imitatus eſt, etiam cœpit adſcribi. Ceterum fictio veri ac vivi hominis e limo, Dei eſt, & non *Promethei*.

Secundo, erravit Philoſophus *Ariſtoteles*, dicens, Mundum non eſſe a Deo creatum, ſed ſemper fuiſſe, & humanum genus, & cetera, quæ in eo ſunt, initium non habere, ſed ſemper fuiſſe ac fore. Quem errorem *Moyſes* in hiſtorica narratione de creatione Mundi præfocat, librum Geneſeos auſpicans his verbis: *In principio Deus creavit Cœlum & terram*. Et ſane, cum videamus ſingula quæque animalia, quæ ante non fuerant, incipere eſſe, & eſſe deſinere; neceſſe eſt totum genus aliquando eſſe cœpiſſe, & aliquando deſiturum eſſe, quia cæperit.

Tertio, errarunt Philoſophi *Democritus*, & *Epicurus*, qui docuerunt, hominem, ceteraque animantia, ſua ſponte e terra eſſe nata, &, ut divinam providentiam, qua regitur mundus, de medio tollere poſſent, corpuſcula, ſeu ſemina per inane volitantia, admiſerunt, quibus inter ſe temere conglobatis, univerſa gigni atque concreſcere ſtulte aſſeverebant. Sed horum ſtultitia facile refellitur. Nam primo, quo fœdere inter ſe hæc corpuſcula, per inane volitantia, & qua mente conveniunt, ut ex his aliquid conſtituatur? quo pacto tam diſpoſite & ordinate coire poſſunt, cum ſenſu & ratione careant? Cum igitur Mundum, omneſque partes ejus, ut videamus, mirabilis ratio gubernet, cum cœli temperatio, concors elementorum diſcordia, & æqualis in

ipſa

ipſa varietate curſus aſtrorum luminumque cœleſtium, temporum conſtans ac mira deſcriptio, terrarum varia fæcunditas, plana camporum munimenta, & aggeres montium, viriditas ubertaſque ſylvarum, fontium ſaluberrima eruptio, fluminum opportuna inundatio, maris opulenta & copioſa interſuſio, ventorum diverſa & utilis aſpiratio, ceteraque omnia ratione ſumma conſtent: quis, amabo, tam cæcus eſt, ut exiſtimet, ſine ſuprema mente eſſe facta, in quibus mira diſpoſitio providentiſſimæ rationis elucet? Deum itaque rerum omnium, quæ in mundo ſunt, conditorem ac rectorem eſſe, ſolus ille, qui mente captus eſt, inficiari, aut in dubium revocare poteſt.

Poſtremo, peſſimus omnium error, quem tu, cariſſime Diſcipule, maxime deteſtari debes, eſt error Epicuri, turpiſſimæ voluptatis aſſertoris, qui, ut ſuis & aliorum vitiis impunitatem ſponderet, eo impietatis prorupit, ut diceret, Deum nihil omnino de rebus, quæ fiunt in hoc Mundo, curare, non ira, non gratia tangi: Inferorum portas non eſſe metuendas, quod animæ poſt mortem occidant, nec ulli omnino ſint Inferi; Voluptatem eſſe maximum bonum, cujus captandæ cauſa naſcitur homo. Hoc portentoſum Epicuri dogma, quod ad omnium vitiorum genera latiſſimum aperit oſtium, expendens *Lactantius* lib. 3. *Divinarum Institutionum* cap. 17. hæc habet: *Quis cum hoc affirmari audiat, vitiis & ſceleribus abſtineat? Nam ſi perituræ ſunt animæ, appetamus divitias, ut omnes ſuavitates capere poſſimus; quæ ſi nobis deſunt, ab iis, qui habent, auferamus clam, dolo, vi: eo magis, ſi humanas res Deus nullus curat, quandocumque ſpes impunitatis arriſerit, arripiamus, necemus. Sapientis eſt enim male facere, ſi & utile ſit & tutum: quoniam ſi quis in cœlo Deus eſt, non iraſcitur cuiquam. Æque ſtulti eſt & benefacere: quia ſicut ira non commovetur, ita nec gratia tangitur. Voluptatibus igitur, quomodo poſſumus, ſerviamus. Brevi enim tempore nulli erimus omnino. Ergo nullum diem, nullum denique temporis punctum fluere, nobis ſine voluptate patiamur, ne, quia ipſi quandoque perituri ſumus, id ipſum quod viximus, pereat.* Et, paucis interjectis, ſubdit idem elegans Auctor: *Eſt plane cur quiſquam putet, hanc vocem viri eſſe ſapientis, quæ poteſt latronibus aptiſſime commodari?* Vide, cariſſime Diſcipule, quo tendat infeſtiſſimum iſtud dogma *Epicuri*, qui negavit eſſe Deum, qui hunc mundum negavit ab illo conditum, qui animæ immortalitatem, & Inferorum exiſtentiam mordicus negavit? Hoc igitur ſceleſtiſſimum dogma omni execratione proſequi debes, & velis remiſque fugere conſortia quorumdam impiorum, qui e ſchola Epicuri prodeuntes, jam victa prorſus & obruta conſcientia, ex turpibus factis laudem etiam ſibi quærunt, inque ſummis malis, perinde ut ſummis bonis acquieſcunt; de Deo, de Religione, de animæ immortalitate peſſime ſentiunt, atque undique contaminata vita, peſtilentibus exemplis, peſtilenti oratione, proximum quemque, velut contagio morbi, inficiunt. Hi nimirum ſunt Epicurei noſtri ſæculi, quos adeo non pudet impiæ vitæ, ut glorientur in malitia potentes iniquitate. Denique, eo rediguntur infelices, ut non vereantur Sacratiſſima Religionis Myſteria irridere, piorum hominum ſimplicitatem ludibriis inceſſere, nec a convicils interim in Chriſtum, nec ab impiis ſermonibus abſtinentes. Horum itaque improborum hominum, qui ſunt deploratæ malitiæ, & immedicabilis pravitatis, convictum, conſuetudinem & colloquia omnino fuge, quia non perinde inficit corpora vicina peſtis ægrotantium, ut oratio iſtorum flagitioſorum hominum corrumpit familiares.

D. Nihil mihi unquam commercii, negotii ac ſocietatis erit cum iſtis impiis hominibus, qui Deum eſſe negant, Sacras Scripturas rident, nullam Religionem admittunt, ut hoc pacto in ſuis vitiis ſecuritatem ſibi quærentes, atque licentiam impune faciendi quidquid lubet, ſubintret tandem impietas inverecunda, impavida circa illicitum regnet audacia, & timor omnis penitus excutiatur, dum nec pœna poſt mortem timetur, nec a Deo ullum commodum ſperatur. Horum, inquam, peſtilentiſſima colloquia ſemper devitabo, quia,

ut

ut prudenter monet Poeta : *corrumpunt bones mores colloquia mala*.

COLLOQUIUM II.

In quo diſcutiuntur ac dirimuntur difficultates, quas de ſtatu Adami poſt peccatum proponere ſolent Theologi.

M. Status Adami poſt peccatum, de quo in præſenti Colloquio ſermonem habituri ſumus, nihil aliud eſt, quam conditio naturæ humanæ, Adami peccato, quod in omnes ejus poſteros via ordinaria per ſeminalem propagationem traducitur, inquinatæ. Quamvis enim homo gratiæ medicinalis beneficio ſit a Chriſto, Salvatore noſtro ſanatus, ſemper tamen dicitur in ſtatu naturæ lapſæ; tum quia gratia illa medicinalis naturam univerſam reapſe non ſanat, ſed naturæ duntaxat individua quædam, quibus per baptiſmum confertur; Tum quia etiam, reſtituta in ſacro Baptiſmatis fonte gratia ſanctificante, ſemper in homine baptizato infixus manet peccati fomes, qui eſt mala peccati Adami appendix, & ad peccatum inclinat, quo fit, ut, licet homo per gratiam ſanctificantem perfecte ſanetur quantum ad mentem, remaneat tamen infirmitas quantum ad carnem, per quam ſervit legi peccati, ut docet *S. Thomas*. Hic autem ſtatus hominis poſt peccatum Adami quadruplex diſtinguitur. Primus eſt ante legem ſcriptam, ſeu Moſaicam, & ille dicitur *ſtatus legis naturæ*. Secundus eſt ſub lege ſcripta, & ille appellatur *ſtatus legis Moſaicæ*. Tertius eſt ſub gratia, & ille nuncupatur *ſtatus legis Evangelicæ*. Quartus eſt in pace, quæ, (ut ait Sanctus *Auguſtinus* in Enchiridio ad *Laurentium* cap. 118.) *poſt hanc vitam in requie ſpiritus, deinde in reſurrectione etiam carnis implebitur*. Et hic poſtremus hominis ſtatus vocatur *ſtatus æternæ Beatitudinis*. Porro, hic agemus de ſtatu hominis poſt peccatum ſub lege naturæ uſque ad univerſale Diluvium.

D. Cur, quæſo, præcepit Deus primis parentibus noſtris, ne comederent fructum ligni ſcientiæ boni & mali, & quodnam fuit in illo tranſgrediendo divino præcepto eorum peccatum?

M. Deus, ratione ſupremi dominii, quod obtinet in omnes creaturas, ac ſubinde in primos parentes noſtros ei præcepit, ut non ederent fructum arboris ſcientiæ boni & mali, quo ſuæ erga ipſum, creatorem, & ſupremum rerum omnium Dominum, promptam obedientiam demonſtrarent: *Bona eſt arbor, nolo tangas. Quare? Quia Dominus ſum, & ſervus es. Hæc tota cauſa. Si parva eſt, dedignaris eſſe ſervus. Quid autem tibi expedit, niſi eſſe ſub Domino? Quomodo eris ſub Domino, niſi fueris ſub præcepto?* Sunt verba *S. Auguſtini* in Pſalmum 70. Concione 2. poſt medium. Et ibidem ait Aquilinus ille Doctor: *Non poterat Deus perfectius demonſtrare quantum ſit bonum obedientiæ, niſi cum prohibuit ab ea re, quæ non erat mala*. Obiter tamen advertere debes cum eodem S. Doctore loco mox a me laudato, arborem illam appellatam eſſe *Scientia boni & mali, non quia inde talia quaſi poma penderent: Sed quia homo, qui nollet bonum a malo diſcernere per præceptum, diſcreturus erat per experimentum, ut tangendo vetitum, inveniret ſupplicium*. Quale autem in tranſgreſſione divini illius præcepti fuerit primorum parentum peccatum, conſtans eſt Sanctorum Patrum Auguſtini & Thomæ doctrina, fuiſſe peccatum ſuperbiæ. Sic enim *S. Auguſtinus* cap. 13. lib. 14. de civitate Dei docet: *In occulto autem mali* (ſeu primi parentes noſtri) *eſſe cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur, niſi præceſſiſſet mala voluntas. Porro malæ voluntatis initium quid potuit eſſe niſi ſuperbia? Initium enim omnis peccati ſuperbia eſt. Quid eſt autem ſuperbia, niſi perverſa celſitudinis appetitus? Perverſa enim celſitudo eſt, deſerto eo, ut debet animus inhærere principio, ſibi quodammodo fieri atque eſſe principium. Hoc fit, cum ſibi nimis placet &c. Non ergo malum opus factum eſt, ideſt, illa tranſgreſſio, ut cibo prohibito veſcerentur, niſi ab eis, qui jam mali erant*. Sancto Auguſtino ſuccinit S. Thomas 2. 2. qu. 163. art. 1. ubi hæc habet: *Manifeſtum eſt, quod*

prius

Digitized by Google

prius invenitur inordinatio in motu interiori animæ, quam in actu exteriori corporis . . . . Inter motus autem interiores prius movetur appetitus in finem, quam in id, quod quæritur propter finem . . . . Unde relinquitur, quod primum peccatum hominis fuit in hoc, quod appetiit quoddam ſpirituale bonum ſupra ſuam menſuram, quod pertinet ad ſuperbiam. Verum, qnamvis peccatum primorum parentum noſtrorum proprie fuerit peccatum ſuperbiæ, haud incongruæ tamen appellari poteſt *peccatum univerſale*, ſeu ſeminarium peccatorum, præſertim inobedientiæ, gulæ, intemperantiæ, perfidiæ, ingratitudinis poſt hominum memoriam maximæ, & ſceleſtiſſimi parricidii, quo ſibi, omnibuſque poſteris temporalem mortem conſciverunt, & æternam mortem intuliſſent, niſi filius Dei unigenitus, factus homo, nos ab æterna morte per pretioſum ſanguinem, quem in ara crucis effudit, miſericorditer liberaſſet. Peccato autem Adami occaſionem dedit nimius & inordinatus amor, quem habuit erga uxorem ſuam, ſicut *S. Auguſtinus* lib. 2. de Geneſi ad litteram explicat his verbis: *Ita Salomon, vir tantæ ſapientiæ, numquid credendum eſt quod in ſimulacrorum cultu credidit aliquid eſſe utilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti reſiſtere non valuit, faciens quod ſciebat non eſſe faciendum, ne ſuas, quibus deperibat, atque diffluebat, mortiferas delitias contriſtaret. Ita & Adam, poſteaquam de prohibito ligno ſeducta mulier manducavit, eique dedit, ut ſimul ederent, noluit eam contriſtari, quam credebat poſſe ſine ſuo ſolatio contabeſcere, ſi ab ejus alienaretur animo, & omnino illa interire diſcordia. Non quidem carnis victus concupiſcentia, quam nondum ſenſerat, in reſiſtente lege membrorum legi mentis ſuæ, ſed amicali quadam benevolentia, qua plerumque fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus*. Hinc eſt, quod idem Sanctus Doctor cap. 11. libri 14. de Civitate Dei ait, *Quod Adamus ſciens, prudenſque peccavit*, juxta illud Apoſtoli Pauli: *Et Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit*. 1. ad Timoth. cap. 2.

D. Quam grave, nobiſque fatale ac funeſtum fuerit primorum parentum noſtrorum peccatum, facile intelligo. Sed dicas velim, an Deus ſtatim ac peccarunt primi parentes noſtri, ſententiam mortis in illos protulerit, eoſque ſuppliciis, quæ commerebantur, addixerit?

M. Certe, digni erant primi parentes noſtri, qui poſt peccatum, nulla interpoſita mora, non ſolum juſtitiam originalem, in qua conditi fuerant, vitamque temporalem amitterent, ſed etiam æternis inferorum pœnis ſub poteſtate dæmonum cruciarentur. Sic enim Deus, juſtus judex, & præpotens ſcelerum ultor, animadvertit in reprobos Angelos, quos, cum primum peccaſſent, damnavit, & abſque ulla ſalutis ſpe, ad infernum actutum præcipitavit. At, vide, ſi placet, quam miſericorditer cum primis parentibus noſtris, poſt illorum peccatum, egerit clementiſſimus Dominus. Potuiſſet quippe Deus primis parentibus noſtris, poſtquam peccarunt, non tantum adimere, ſicut merebantur, vitam temporalem, verum etiam illos e veſtigio ad infernum detrudere; & tamen Deus illis vitam temporalem indulget, &, ut eximerentur ab æterna, quam incurrerant, morte, jam miſericordia motus, præparat illis efficaciſſimum remedium, conferendum per mortem Filii ſui unigeniti, quem miſſurus erat in Mundum, ut naturam humanam induens, totum genus humanum, primigenia protoparentis labe perditum, profuſo in ara crucis ſanguine, repararet, illataque damna cum fœnore reſarciret: Quin, teſte Scriptura Sacra, Deus erga primos parentes noſtros, poſtquam peccaſſent, ad miſericordiam propenſiſſimum ſeſe exhibuit, atque paratum, ut illos venia donaret, ſi voluiſſent peccatum ultro confiteri, divinamque ejus opem implorare. At enim, quid aliud ſibi volunt hæc verba Dei, Adamum, poſt illius peccatum, compellentis: *Adam ubi es? . . . Quis enim indicavit tibi quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti?* Quid etiam ille pudor, quo Deus primos parentes noſtros, ſtatim poſtquam pecc-

caſ-

caſſent, perfudit, ut agnoſcerent, ſe eſſe nudos, & foliis ficuum conſutis ſuam nuditatem obtegerent? Quid denique illa repentina fuga, qua primi parentes noſtri poſt peccatum tentarunt ſe abſcondere a facie Dei? Quid, inquam, hic primorum parentum noſtrorum poſt peccatum pudor, eorum fuga ac timor aliud indicant, quam ſtimulos, quibus Deus eorum conſcientiam pungi, & quaſi tacito verbere cedi voluit, ut tandem aliquando, facti pœnitentes, reſipiſcerent, peccatum ſuum ea, qua par erat, humilitate confiterentur, & ab eo veniam conſequerentur? Verum, primi parentes noſtri voci Dei, illos ad pœnitentiam invitantis, omnino obſurduerunt, & vanas excuſationes, ut peccatum a ſe amolirentur, obtenderunt. Quo factum eſt, ut Deus illos rebelles, ſuaque obſtinatione omnem divinæ miſericordiæ aditum præcludente, debitis pœnis tandem mulctaverit.

D. Eccur, quæſo, Deus erga lapſos primos parentes noſtros tam miſericordem, & verſa vice, erga Angelos reprobos tam ſeverum ſeſe oſtendit judicem?

M. Quamvis hujus diſcriminis ratio potiſſimum petenda ſit ex ſuprema voluntate Dei, qui (ut ait Apoſtolus Paulus Epiſt. ad Romanos c. 9.) *cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*; duæ tamen haud incongruæ poſſunt aſſignari rationes, cur Deus tam ſevere cum Angelis reprobis, & ex adverſo erga lapſos primos parentes noſtros tam miſericorditer egerit. Prima eſt, quia Angeli, qui poſtea reprobi fuerunt, ampliorem ſcientiam, & dona cum naturalia, tum ſupernaturalia acceperunt a Deo excellentiora his gratiis ac donis, quæ primi parentes noſtri in creatione receperunt a Deo. Peccatum igitur Angelorum, qui, *Luciferum* ſecuti, rebellarunt contra Deum, gravius fuit peccato primorum parentum noſtrorum, ac ſubinde ſeverius a Deo puniri debuit, quam peccatum primorum parentum noſtrorum, quia, ut inquit S. Gregorius Magnus Homil. 9. in Evangelia, *cum augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum. Tanto ergo eſſe humilior atque ad ſerviendum promptior quiſque debet ex munere, quanto ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione*. Altera ratio eſt, quia omnes Angeli ſimul creati ſunt, nec per ſucceſſivam generationem produci debebant. Actu igitur exiſtebant Angeli reprobi, qui, una cum *Lucifero*, eorum Anteſignano, rebellionis vexillum contra Deum erexerunt, & propria, actuali & perſonali voluntate peccarunt. Conſentaneum itaque erat juſtitiæ divinæ, ut Angelos reprobos, qui actu exiſtebant, quique non aliena voluntate, ſed propria & perſonali voluntate peccaverant, confeſtim, & citra ullam dilationem pœnis æternis inferni plecteret. At vero, Deus decreverat, ut mortale hominum genus ab *Adamo*, & *Eva*, ejus conjuge, per generationem ſucceſſivam propagaretur. Si igitur Deus *Adamum*, & *Evam*, ſtatim ac peccarunt, morte non ſolum corporis, ſed etiam æterna animæ mortis pœnis inferni traditos puniviſſet, non fuiſſet propagatum genus humanum, ſed manſiſſet penitus extinctum. Non congruebat etiam juſtitiæ divinæ, ut filios Adami (ſi quos, antequam peccaret, procreaſſet) æterna morte ſtatim puniret, quia illi filii non propria & perſonali voluntate peccaſſent, ſed aliena, ſeu voluntate eorum patris Adami, ad diſcrimen reproborum Angelorum, quos ideo Deus, ſtatim ac peccarunt, æternis inferni ſuppliciis cruciandos addixit, quia ipſi reprobi Angeli non aliena, ſed propria, libera, actuali, & perſonali voluntate peccarunt, ſeque volentes ac ſcientes, Deo perduelles conſtituerunt. Hæ ſunt in ſumma rationes, quibus utcumque explicari poteſt, cur Deus erga lapſos primos parentes noſtros tam miſericordem, erga vero reprobos Angelos tam ſeverum judicem ſeſe oſtenderit. Promerebantur primi parentes noſtri, non ſecus ac Angeli reprobi, ſtatim ac peccarunt, mortem corporis & animæ. Utramque pœnam, ipſis debitam, ultro diſtulit miſericors Deus, immo, certam ſpem ac fiduciam fecit, ſe aliquando miſſurum Filium ſuum unigenitum, Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam, qui eos, illorumque poſteros a pœna æternæ mor-

Digitized by Google

mortis, quam per peccatum incurrerant, liberaret, & eorum malis præſentiſſimum afferret remedium. Quis Chriſtianus, hæc audiendo, non exclamet cum Propheta Regio: *Miſericordias Domini in æternum cantabo*; vel cum Propheta *Habacuch* cap. 3. *Domine, cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*.

D. Quod Deus ſumme miſericos primos parentes noſtros, poſtquam peccarunt, non ſtatim vita temporali privaverit, nec æternis, prout merebantur, affecerit cruciatibus, certe mirari non ſubit, cum nunc etiam videamus, Deum, in tanta impietate hominum, tantiſque peccatis patientiſſimum eſſe, & iram ſuam continere. Si enim ſtatim vindicaret, & pro merito quemque ſtatim puniret, nemo ſupereſſet. Nullus eſt enim, qui nihil peccet, & multa ſunt, quæ ad peccandum irritant, ætas, violentia, egeſtas, occaſio, præmium. Adeo ſubjecta eſt peccato fragilitas carnis, qua induti ſumus, ut miſericors Deus non ad præſens noxium quemque puniat, ſed ei pœnitentiæ tempus concedat, & reſipiſcendi facultatem. Summam igitur agnoſco miſericordiam Dei, qui primos parentes noſtros non ſtatim poſt illorum peccatum morte temporali & æterna, ut merebantur, punivit; Sed tamen, ut candide fatear, necdum capio, quo in ſenſu intelligenda ſit hæc comminatio, qua Deus prohibuit Adamo, ne fructum ederet ſcientiæ boni & mali, dicens: *De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Geneſis cap. 2. v. 17. Quibus verbis Deus comminatur Adamo, ipſum moriturum eodem die, quo fructum ſcientiæ boni & mali comederet, & tamen conſtat, Adamum non eodem die, quo fructum ſcientiæ boni & mali comedit, mortuum eſſe, ſed multo poſtea annos una cum ſua conjuge *Eva* vixiſſe. Expone igitur, quæſo, quo in ſenſu intelligenda ſit divina iſta comminatio? & quo pacto in primis parentibus noſtris fuerit completa?

M. Quamvis Adamus & Eva non mortui ſint eo die, quo comederunt fructum ligni ſcientiæ boni & mali, in eo tamen ſenſu, juxta S. Auguſtinum lib. 1. *de peccatorum Meritis & Remiſſione*, in illis impleta eſt divina illa comminatio: *Qua die ederitis. morte moriemini*, quod Adamus & Eva eo die, quo comederunt fructum ligni ſcientiæ boni & mali, *mori cœperunt, ſeu mortis legem, qua in ſenium veteraſcerent, acceperunt. Non enim ſtat vel temporis puncto, ſed ſine intermiſſione labitur quidquid continua immutatione ſenſim currit in finem, non perficientem, ſed conſumentem. Sic itaque impletum eſt, quod dixerat Deus: Qua die comederitis, morte moriemini*, ideſt, moriendi Legi ac neceſſitati eritis obnoxii.

D. Cum igitur Deus ſumme bonus Adamum & Evam, ſtatim ac peccarunt, nec mortis, nec damnationis æternæ pœna punierit, ſcire velim, quam pœnam illis primis Parentibus noſtris confeſtim poſt ipſorum peccatum inflixerit Deus? & quam Sententiam in ipſos protulerit?

M. Quia Eva, pravum Serpentis conſilium ſequendo, prius peccaverat, in eam Deus protulit Sententiam, per quam non ſolum Eva, ſed & omnes mulieres ſub Evæ perſona (ſi tamen Beatiſs. Virginem Mariam exceperis, in qua, de Spiritu Sancto ſine carnis concupiſcentia conceptus eſt Filius Dei Jeſus Chriſtus Dominus noſter) ad partus doloris plenos, ad ærumnas multas, & ad Viri ſubjectionem damnantur his verbis: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*. Gen. c. 3. v. 16. In Adamum vero, qui audierat vocem uxoris ſuæ, & in omnes viros ſub perſona Adami, Deus hanc protulit Sententiam, per quam ad perpetuos labores damnantur his verbis: *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ*. Geneſis cap. 3. v. 17. Sed, ut clarius intelligas, quot pœnæ, miſeriæ, & calamitates peccatum Adami ſecutæ ſint, primum tibi ob oculos ponam felicitatem ac delicias, quibus Adamus gaudebat in ſtatu innocentiæ. Dein recenſebo miſerias, pœnas, & calamitates, quas Adamus, poſt peccatum, ejuſque poſteri experti ſunt, & etiamnum experiuntur.

tur. In primis, felicitatem ac delicias, quibus fruebatur Adamus in ſtatu innocentiæ, Sanctus Auguſtinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 26. luculenter deſcribit his verbis: *Vivebat*, inquit, *homo in Paradiſo ſicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod Deus juſſerat. Vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus, vivebat ſine ulla egeſtate, ita ſemper habens vivere in poteſtate. Cibus aderat ne eſurire; lignum vitæ, ne illum ſenecta diſſolveret. Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas moleſtias, ullis ejus ſenſibus ingerebat. Nullus intrinſecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinſecus. Summa in carne ſanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in Paradiſo nullus æſtus aut frigus, ſic in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonæ voluntatis offenſio. Nihil omnino triſte, nihil inaniter lætum, gaudium vero perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat caritas ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, atque inter ſe conjugum fida ex honeſto amore ſocietas, concors mentis corporiſque vigilia, & mandati ſine labore cuſtodia. Non laſſitudo fatigabat otioſum, non ſomnus premebat invitum &c.* Audiſti hactenus, cariſſime Diſcipule, felicitatem & delicias, quibus Adamus in ſtatu innocentiæ perfundebatur, audi nunc miſerias & calamitates, quibus Adamus, poſtquam peccaſſet, ſe totumque genus humanum reddidit obnoxium. Et primo quidem, Adamus, dum peccavit, ſe, omneſque ſuos poſteros miſeriis, morbis & laboribus ſubjecit. Secundo, per peccatum Adami mors intravit in Mundum, ſicut dicit Apoſtolus Paulus Epiſtolæ ad Romanos cap. 5. v. 12. *Per unum hominem*, inquit, *peccatum intravit in hunc Mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*: & Lib. Sapientiæ cap. 2. v. 23. & 24. dicitur: *Deus creavit hominem inexterminabilem . . . . invidia autem Diaboli mors introivit in Orbem terrarum*. Tertio, Adamus, per peccatum ſuum, non ſolum ſpoliatus eſt donis gratuitis, & præſertim juſtitia originali, in qua fuerat a Deo conditus, ſed etiam vulneratus eſt in ſuis facultatibus naturalibus, quod Chriſtus Dominus cap. 10. Lucæ v. 30. innuit ea parabola hominis deſcendentis ab Hieruſalem in Jerico, qui incidit in Latrones, a quibus non tantum ſpoliatus, ſed etiam vulneratus & ſemivivus relictus eſt. Hinc *S. Auguſtinus* lib. de Natura & Gratia cap. 3. ait: *Adam ille eſt, quem ſemivivum latrones reliquerunt, qui gravibus ſaucius, confoſſuſque vulneribus, non ita poteſt ad juſtitiæ culmen aſcendere, ſicut potuit inde deſcendere*. Quatuor autem vulnera Adamus, dum peccavit, non tantum ſibi, ſed & toti naturæ humanæ inflixit, videlicet effrænem concupiſcentiam, ignorantiam, malitiam & infirmitatem, ſicut diſerte docet S. Thoma 1. 2. quæſt. 85. art. 3. ubi ſic ratiocinatur: per juſtitiam originalem perfecte ratio continebat vires inferiores ſubditas animæ, & ipſa ratio a Deo perficiebatur ei ſubjecta. Hæc autem originalis juſtitia ſubtracta eſt per peccatum primi Parentis, & ideo omnes vires animæ manent quodammodo deſtitutæ proprio ordine: & iſta deſtitutio dicitur vulnus naturæ. Sunt autem quatuor potentiæ animæ, quæ poſſunt eſſe ſubjecta virtutum, ſcilicet *Ratio*: in qua eſt *prudentia*; *Voluntas*, in qua eſt *juſtitia*; *iraſcibilis*, in qua eſt *fortitudo*; *Concupiſcibilis*, in qua eſt *temperantia*. In quantum ergo *Ratio* deſtituitur ſuo ordine ad verum, eſt vulnus *ignorantiæ*; in quantum *Voluntas* deſtituitur ordine ſuo ad bonum, eſt vulnus *malitiæ*; in quantum *Iraſcibilis* deſtituitur ſuo ordine ad arduum, eſt vulnus *infirmitatis*; in quantum *Concupiſcibilis* deſtituitur ſuo ordine ad delectabile moderatum ac temperatum ratione, eſt vulnus *concupiſcentiæ*. Ex hoc *S. Thomæ* ratiocinio patet, quatuor vulnera per peccatum Adami fuiſſe totidem potentiis animæ inflicta, nimirum ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, infirmitatem in appetitu iraſcibili, & perduellem concupiſcentiam in appetitu concupiſcibili. Denique, per peccatum Adami ſingulis hominibus omnium malorum cohors incubuit: *Malorum omnium noſtrorum cauſa peccatum eſt. Non enim ſine cauſa homines mala iſta patiuntur. Juſtus eſt Deus, Omnipotens eſt Deus, nullo modo iſta pateremur, ſi non mereremur*, inquit Sanctus Auguſtinus Sermone

Digitized by Google

mone 240. alias 139. de tempore.

D. Hominem multis malis & innumeris miſeriis obnoxium eſſe agnoverunt etiam Philoſophi, ſed tot malorum & miſeriarum primordialem cauſam, quam indicat S. Auguſtinus, videlicet peccatum Adami, nullo pacto penetrare potuerunt, ut pote qui lumine Fidei erant plane deſtituti. *Cicero* ſiquidem, quem nuper legebam, in Libro 3. de Republica, ait, *hominem, non ut a matre, ſed ut a noverca natura editum in vitam, corpore nudo, fragili & infirmo, animo autem anxio ad moleſtias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines; in quo tamen ineſſet tanquam obrutus quidam divinus ignis ingenii & mentis*. Hæc Ethnicorum Philoſophorum, qui alioqui magno & excellenti ingenio prædıti erant, de conditione hominis ignorantia ſat ſuperque probat, quam denſas tenebras intellectui humano offuderit Adami peccatum, in quibus tenebris nos adhuc immerſi jaceremus, niſi Deus in ſacris Litteris nobis revelaſſet, veram omnium malorum noſtrorum cauſam eſſe peccatum Adami, qui primum fuit conditus rectus, & ab omnibus miſeriis immunis, ſed per peccatum excidendo a feliciſſimo illo ſtatu, in quo erat, ſe, omneſque ſuos poſteros in voraginem miſeriarum, quibus nunc, velimus nolimus ſubjacemus, miſerum in modum præcipitavit.

M. Recte dicis. Agnoverunt quidem Ethnici Philoſophi naſci homines ærumnis, miſeriis, & diris doloribus obnoxios, eoſque in hoc deterioris eſſe conditionis, quam ſint ipſæmet belluæ, ſed tamen cauſam harumce miſeriarum, quibus tantum non homines opprimuntur, neſcierunt: *Rem vidit* [Tullius Cicero] *cauſam neſcivit .... quia ſacris Litteris non eruditus, ignorabat originale peccatum*, inquit S. Auguſtinus lib. 4. contra *Julianum*, Pelagianum, num. 60. alias cap. 12. In hac peccati originalis, quod fuit omnium malorum noſtrorum cauſa, ignoratione verſantes Ethnici, ſive Poetæ, ſive Philoſophi, in varios impegerunt errores, quos hic referre non abs re erit, ut inde intelligas, illos lumine Fidei deſtitutos, ſacrarum Litterarum notitia privatos, veram hominum conditionem intelligere non potuiſſe. Alii quippe, ſicut Poetæ, cum viderent, homines tot miſeriis, pœnis ac calamitatibus ab ipſo vitæ exordio cruciari, finxerunt, ut videre eſt apud *Lactantium* libro 6. Divin. Inſtitut. cap. 10. *homines non a Deo factos, ſed ex terra primitus natos eſſe tanquam ex draconis alicujus dentibus præſeminatos, qui, cum per ſylvas, & campos erraticam degerent vitam, nec ullo inter ſe ſermonis aut juris vinculo cohærerent, ſed frondes & herbas pro cubilibus, ſpeluncas & antra pro domibus haberent, beſtiis & fortioribus animalibus prædæ fuerunt. Tum eos, qui aut laniati effugerant aut laniari proximos viderant; admonitos periculi ſui ad alios homines decurriſſe, præſidium imploraſſe, & primo nutibus voluntatem ſuam ſignificaſſe, deinde ſermonis initia tentaſſe, ac ſingulis quibuſque rebus nomina imponenda, paulatim loquendi perfeciſſe rationem. Cum autem nec multitudinem ipſam viderent contra beſtias eſſe tutam, oppida etiam cœpiſſe munire, vel ut quietem nobis, tutam ſibi facerent, vel ut incurſiones, atque impetus beſtiarum non pugnando, ſed objectis aggeribus arcerent*. Hæc Poetarum figmenta poſtquam retulit *Lactantius*, exclamat: *O ingenia hominibus indigna, quæ has ineptias protulerunt, miſeros atque miſerabiles, qui ſtultitiam ſuam litteris, memoriæque mandaverunt! Qui, cum viderent mutis quoque animalibus ingenitam eſſe inclinationem vel conveniendi, vel invicem appetendi, vel periculi fugiendi, vel mali cavendi, vel cubicula ſibi & latibula parandi, homines autem ipſos exiſtimaverint nonniſi exemplis admoneri, ac diſcere potuiſſe quid metuere ſibi, quid cavere, quid facere deberent, aut nunquam conventuros inter ſe fuiſſe, nec loquendi rationem reperturos, niſi eos beſtiæ comediſſent*. Sed mittamus, quæſo, hæc commenta ac deliria Poetarum, & veniamus ad antiquos ſuperſtitioſæ Gentilitatis Philoſophos, quibus etiam plane ignota fuit vera hominis conditio. Pythagoræi Philoſophi (ſicut obſervat S. Thomas 1. p. quæſt. 48. art. 1. ad 1.) cenſebant, *malum eſſe quamdam naturam ſubſiſtentem, non ſecus ac bonum*, ideoque *bonum & malum* quaſi duo genera, aut duas cathegorias conſtituebant, quam Pithago-

ræorum doctrinam amplexi ſunt Magi Perſarum, ut videre eſt apud *Diogenem Laertium* in Procœmio ad vitas Philoſophorum, & apud Plutarchum lib. *de Iſide*, & *Oſiride*. Hoc jacto ſemel fundamento, admittebant illi Philoſophi duo prima principia, quorum unum eſſet *bonum*, & alterum *malum*, ita ut omnia, quæ in Mundo & in homine eſſent mala, a malo principio, ſeu e cauſa effectrice prodirent. Hanc peſſimam Gentilium Philoſophorum doctrinam obviis ulnis etiam amplexi ſunt hæreſiarca *Manes*, ejuſque diſcipuli, dicti *Manichæi*. Nam, cum incredibile putarent, Deum bonum & juſtum auctorem eſſe pravæ & effrænis illius concupiſcentiæ, qua ad omnium ſcelerum atrocitatem, puta ad homicidia, adulteria, libidinem immaniaque interdum contra naturam rationalem crimina feruntur, & incitantur homines, duos confinxerunt Deos, alterum *bonum*, a quo, ceu a cauſa effectrice omnia promanarent bona, alterum *malum*, a quo, ceu a cauſa itidem effectrice, eaque potentiſſima, orirentur mala, ac ſubinde prava & perduellis illa concupiſcentia, qua homines ad nefanda impelluntur flagitia, quamque Deo bono, juſto & ſancto, tamquam auctori, attribuere nefas eſſe ducebant. In tam craſſum errorem ideo antiqui gentiles Philoſophi, & hæretici Manichæi prolapſi ſunt, quod veram hominis conditionem perſpectam minime habuerint. Cauſa enim malorum, quæ nunc patitur homo, & præſertim rebellionis concupiſcentiæ, alia non eſt, quam peccatum Adami, quod ad omnes homines per generationem traducitur. Si enim Adamus non peccaſſet, omnes ejus poſteri ab omnibus malis, & a rebellione concupiſcentiæ fuiſſent plane liberi, ſicut in primo noſtro colloquio oſtendimus. Abſurdiſſime igitur hæretici Manichæi, antiquorum gentilium Philoſophorum deliramenta ſecuti, duos admiſerunt Deos, unum *bonum*, qui eſſet cauſa effectrix omnium bonorum, & alterum *malum*, qui eſſet cauſa effectrix omnium malorum. Quaſi vero, mala poſitivam quamdam ac phyſicam naturam haberent, & cauſa effectrice indigerent, cum potius nihil aliud ſint, quam defectus, & privatio boni.

D. Errorem antiquorum illorum Philoſophorum, nec non hæreticorum Manichæorum, qui dictitabant, rebellionem concupiſcentiæ, quam experiuntur homines, eſſe malam, & ab aliquo malo Deo, tanquam a cauſa effectrice, productam fuiſſe, lubentiſſime deteſtor. Tantum enim abeſt, ut concupiſcentiam, quam nunc homines ſentiunt, malam eſſe putem, & ab aliquo malo Deo, tanquam a cauſa efficiente, producta, ut potius (ſi mihi hac in re liceret meum interponere judicium) dicerem, hanc concupiſcentiam eſſe bonam, & naturæ hominum conſentaneam; tum quia videmus, eos motus, quos concupiſcentiæ tribuimus, fieri in belluis ſecundum earum naturam; tum quia etiam, ſi homo conditus fuiſſet in ſtatu naturæ puræ, ſenſiſſet naturaliter concupiſcentiæ motus; quod autem fit ſecundum ordinem naturæ puræ, non poteſt eſſe malum, alioqui transfunderetur in Deum, qui eſt Auctor naturæ. Verum, quia timeo, ne meum hac in re me fallat judicium, edoce me, quæſo, quid juxta Fidem Catholicam, tenere ac credere, quoſve errores repudiare debeam.

M. Abſit, ut unquam tibi probetur tam peſtilens doctrina, quæ nihil aliud eſt, quam pura putaque hæreſis *Pelagii*, ejuſque Sectatorum, qui concupiſcentiam carnis *bonum* eſſe naturæ prædicabant. At enim, ſi hæc concupiſcentia, quæ importat pugnam carnis adverſus ſpiritum, eſſet bona, & naturæ hominis conveniens, eſſet Deo, tanquam auctori naturæ, adſcribenda. Quid autem abſurdius, quam dicere, Deum auctorem eſſe illius effrænis concupiſcentiæ, qua feruntur homines in ea, quæ tanto ſtudio vetuit ipſemet Deus, videlicet in adulteria, furta, cædes, veneficia, & in omne ſcelerum genus, quæ rationem humanam tam graviter offendunt? Hæc certe concupiſcentia, quæ contra hominis rationem colluctatur, quatenus inordinata eſt, & extra limites rationis effunditur, ſicut eam experiuntur homines in ſtatu naturæ lapſæ, non poteſt eſſe bona, nec a Deo pro-

profecta, ſed eſt vulnus relictum ex peccato primi Parentis, qui a Deo fuerat factus rectus, ſed ipſe vias ſuas malas fecit, nec ſibi duntaxat inflixit pravæ concupiſcentiæ vulnus, ſed illud quoque ad poſteros tranſmiſit. Hinc *S. Auguſtinus*, quoties adverſus *Julianum*, Pelagianum, probat, malam eſſe concupiſcentiam, luculentiſſimum depromit argumentum ex illa tumultuantium contra rationem cupiditatum pugna, quam in ſtatu naturæ lapſæ excitat inordinata concupiſcentia, quæ ſubinde nec eſt bona, nec a Deo profecta: *Hæc* (inquit Aquilinus ille Doctor lib. 4. contra Julianum cap. 13.) *concupiſcentia, quam laudas, non eſt a Patre. Duo enim bona, quæ a Patre ſunt, inter ſe pugnare non poſſunt; pugnant autem inter ſe continentia, & concupiſcentia. Quid autem horum a Patre magis eſſe velis? Reſponde. Video quas patiaris anguſtias; faves quidem concupiſcentiæ, ſed erubeſcis continentię.* Fateor quidem, in belluis, quæ rationis ſunt expertes, motus illos, quos concupiſcentiæ tribuimus, ſecundum earum naturam fieri, at certum eſt, motus illos concupiſcentiæ, qui belluis, ratione carentibus, naturales ſunt, & ordini non adverſantur, in homine eſſe defectus, & vitia. Ratio eſt, quia ordo in homine poſtulat, ut pars ſuperior, ſeu Mens, dominetur inferiori, ſeu carni. Quo fit, ut ſi caro adverſus ſpiritum, ſeu mentem, inſurgat, id non opus Dei ſit, ſed ipſius hominis, qui adverſus conditorem ſuum rebellavit. Unde S. Auguſtinus lib. 2. contra *Pelagium* & *Cœleſtinum*, de Gratia & peccato originali cap. 40. ait: *Tantæ namque excellentiæ eſt in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis ſit natura pecoris.* Et lib. 4. contra Julianum c. 5. *hæc autem libido*, inquit, *ideo malum non eſt in belluis, quoniam non repugnat rationi, qua carent.* Hinc belluas non pudet libidinis ſuę, homines autem erubeſcunt de libidine ſua; *nullum* quippe eſt *peccatum*, teſte Tertulliano, *quod natura pudore, aut horrore non perfuderit.* Denique, duplex diſtingui debet concupiſcentia, una videlicet, quæ bona eſt, quatenus eſt affectio appetitus ſenſitivi rationi ſubdita: Altera, quæ prava eſt, & inducit rebellionem paſſionum, & pugnam contra ſpiritum, & rationem: hæc vocatur perduellis concupiſcentia, quæ originem habet ex peccato Adami, ac ſubinde locum non habuit in Adamo innocenti, nec extitiſſet etiam prædicta concupiſcentia in ſtatu naturę purę, ſi eo in ſtatu homo fuiſſet a Deo conditus, ſed in eo ſtatu naturę purę, [facta hypotheſi quod extitiſſet] homo habuiſſet concupiſcentiam, in priori ſenſu acceptam, videlicet quę bona eſt, rationi ſubdita, abſque inordinatione, abſque ulla pugna contra ſpiritum, & cujus Deus auctor fuiſſet. Ratio eſt, quia in ſtatu naturę purę (ſi revera extitiſſet) pars ſuperior, ſeu mens, partem inferiorem, ſeu appetitum ſenſitivum rexiſſet, quia mens, ſeu anima, appetitus ſenſitivi domina eſt a natura præpoſita, adeoque appetitus ſenſitivus in ſtatu naturæ puræ fuiſſet ſubditus rationi, nam, ut docet *S. Thomas* 1. 2. qu. 82. art. 3. ad 1. *in homine appetitus concupiſcibilis naturaliter regitur ratione, & in tantum concupiſcere eſt homini naturale, in quantum eſt ſecundum rationis ordinem; concupiſcentia autem, quæ tranſcendit limites rationis, ineſt homini contra naturam; & talis eſt concupiſcentia originalis peccati.* Idem docet Angelicus Doctor 1. 2. q. 85. art. 3. ad 3. nec non in 3. p. q. 15. art. 2. & in libro 2. ſent. diſtinct. 31. qu. 1. art. 2. ad 3. in ſtatu itaque naturæ puræ (ſi reapſe extitiſſet) homo non habuiſſet inordinatam & perduellem concupiſcentiam, qualem nunc experitur homo in ſtatu naturæ lapſæ; ſed habuiſſet concupiſcentiam, citra ullam inordinationem, parti ſuperiori, ſeu rationi naturaliter ſubditam: Sed hæc ſufficere debent, ut diris devoveas *Pelagium*, ejuſque diſcipulos, qui peccatum originale negantes, concupiſcentiam, quæ cum ratione pugnat, eique parere detrectat, *bonum* carnis prædicare non erubuerunt, quorum infeſtum dogma, ſicut & figmentum antiquorum gentilium Philoſophorum, nec non hæreticorum Manichæorum de duobus rerum principiis, aut Diis, Sanctus *Auguſtinus* in multis, quos adverſus illos edidit, libris diruit ac penitus profligavit.

D. Concupiſcentia illa, quæ eſt pœna pec-

peccati originalis, remanetne in his, qui ſunt baptizati?

M. Remanere in baptizatis concupiſcentiam, quæ eſt pœna peccati originalis, quæque dicitur fomes peccati, dogma fidei eſt, a Concilio Tridentino ſeſſ. 5. Decreti de peccato originali, his verbis definitum. *Manere autem in baptizatis concupiſcentiam vel fomitem hæc Sancta Synodus fatetur & ſentit*. Hæc autem concupiſcentia, etiam poſt ſuſceptum baptiſma, ita medullitus infixa inhæret, ut compeſci quidem ac frænari poſſit, evelli radicitus nequeat. Quo fit plerumque, ut in nobis, propter naturæ depravationem, excitet paſſiones, quæ per ignorantiam feruntur in id, quod eſſet repudiandum, refugiunt ea, quæ ſunt expetenda, nituntur ad turpia, tenebras menti offundunt, obſtrepunt rationi, cui obtemperare deberent; inteſtinos, ſeu domeſticos excitant tumultus, & ſæpe malis vertuntur in occaſionem materiamque peccandi. Manet ergo etiam in baptizatis concupiſcentia, quæ eſt pœna peccati originalis, & ideo Apoſtolus Paulus Epiſt. ad Roman. c. 7. ait: *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*. Et Epiſt. ad Galatas cap. 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*. Quamvis autem in baptizatis remaneat concupiſcentia, hæc tamen ſuperſtes concupiſcentia non eſt peccatum, ſed pœna peccati originalis, ſicut ſancitum eſt in Concilio Tridentino contra Lutheranos, & Calviniſtas, qui pertendunt, peccatum originale non deleri, non tolli per Baptiſmum, ſed tantum radi, tegi, & non imputari, tametſi in reſidua concupiſcentia poſt Baptiſmum adhuc remaneat. Nec ſolum ſuperſtes eſt poſt Baptiſmum concupiſcentia, quæ eſt pœna peccati originalis, ſed etiam in baptizatis remanent ignorantia in intellectu, infirmitas & difficultas operandi bonum, morbi, mors, miſeriæ, calamitates, quæ ſunt itidem pœnæ peccati originalis, quibus in hac vita mortali ſubjiciuntur omnes omnino homines, etiam juſti, qui in originali peccato concepti ſunt.

D. Quorſum, amabo, voluit Deus, ut per baptiſmum, infuſa gratia ſanctificante, deleretur peccatum originale, & tamen in baptizatis remanerent reliquiæ, ſeu pœnæ peccati originalis?

M. Veram hujus voluntatis divinæ cauſam præfert *S. Auguſtinus* lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 81. ubi hæc habet: *poterat etiam* (Deus) *hoc donare credentibus, ut nec iſtius experirentur corporis mortem. Sed ſi hoc feciſſet, carni quædam felicitas adderetur, minueretur autem Fidei fortitudo. Sic enim homines mortem iſtam timent, ut non ob aliud felices dicerent eſſe Chriſtianos, niſi quod mori omnino non poſſent, ac per hoc nemo propter illam vitam, quæ poſt iſtam mortem beata futura eſt, per virtutem etiam contemnendæ ipſius mortis ad Chriſti gratiam feſtinaret, ſed propter removendam mortis moleſtiam delicatius crederetur in Chriſtum. Plus ergo gratia præſtitit, plus fidelibus ſuis donavit Deus. Quid enim magnum erat, videndo non mori eos qui crederent, credere ſe non moriturum? Quanto eſt majus, quanto fortius, quanto laudabilius, ita credere, ut ſe ſperet moriturus ſine fine victurum?* Duas etiam egregias rationes 3. part. quæſt. 69. art. 3. affert Doctor Angelicus, quibus oſtendit, cur Baptiſmum, etſi deleat peccatum originale, non tollat tamen pœnas peccati originalis, quas ipſe vocat *pœnalitates præſentis vitæ*. Primo, quia per Baptiſmum homo incorporatur Chriſto & efficitur membrum ejus, & ideo ſicut Chriſtus a principio conceptionis ſuæ fuit plenus gratia, & veritate, habuit tamen corpus paſſibile, quod poſt paſſionem & mortem eſt ad vitam glorioſam reſuſcitatum; ita Chriſtianus in baptiſmo gratiam conſequitur quantum ad animam, habet tamen corpus paſſibile, in quo poſſit pro Chriſto pati, ſed tandem reſuſcitabitur ad impaſſibilem vitam. Præterea, Baptiſmus, etiamſi deleat peccatum originale, non tollit tamen reliquias, ſeu pœnalitates peccati originalis, propter ſpirituale exercitium, ut videlicet contra concupiſcentiam & alias poſſibilitates pugnans homo, victoriæ coronam acciperet, in cujus figuram dicitur libri Judicum capit. 3. *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Iſrael, & poſtea diſcerent filii eorum certare cum hoſtibus & habere conſue-*

ſuetudinem præliandi. Ad ſpirituale itaque exercitium in nobis, etiam poſt Baptiſmum, qui culpam genitalem abſtergit, hęrent adhuc veteris morbi reliquiæ, ſeu pœnæ peccati originalis, tum ad cuſtodiam humilitatis, tum ad materiam ſegetemque virtutis. Eæ autem ſunt ignorantia, caro, & infirmitas. Ignorantia, obſcurat rationis judicium. Lumen enim illud puriſſimum divini vultus, quod conditor infuderat ſuper nos, haud parum obfuſcavit culpa primorum parentum, quo fit plerumque, ut in delectu rerum fere cæcutiamus, pro optimis peſſima ſequentes. Caro ſolicitat paſſiones, ut etiam ſi quid ſit optimum intelligamus, diverſa tamen amemus. Infirmitas facit, ut virtutem ſemel arreptam, vel tædio, vel tentatione victi deſeramus. Ignorantia officit judicio; caro depravat voluntatem; infirmitas frangit conſtantiam. Ut igitur domeſticos illos hoſtes, quos perpetuo circumferimus, opitulante Dei gratia, vincere valeamus, primum, quæ fugienda ſunt dignoſcere, ac diſcernere ſedulo debemus ab his, quę ſunt expetenda; ſicque tollere ignorantiam, ne in rerum delectu hallucinemur. Deinde, malum cognitum odio proſequi; & bonum amare debemus, ſicque vincere carnem, ne contra mentis judicium dulcia pro ſalutaribus amemus. Poſtremo, curandum eſt, ut in bene cęptis perſeveremus, atque idcirco fulciamus infirmitatem, ne turpius viam virtutis deſeramus, quam fueramus nos ingreſſuri. Ignorantię itaque medendum, ut videamus, non quo itur, ſed qua eundum eſt. Caro domanda, ne a cognita via nos ſeducat in devia. Infirmitas animanda, ne viam arctam ingreſſi, vel vacillemus, vel deflectamus, neve ſemel aratro manum admoliti, ea quę retro ſunt, reſpiciamus, ſed potius in ea, quę ſunt ante, noſmetipſos extendamus, donec apprehendamus bravium, & coronam promiſſam perſeverantibus. Hoc pacto ſuperabimus has peccati originalis reliquias, quę in nobis, etiam poſt Baptiſmum, hęrent, ſine quibus non vivimus, & cum quibus ſine aſſiduo bello vivere haud poſſumus.

D. Audivi nuperrime a quodam perito Theologo, hanc ignorantiam, quę poſt Baptiſmum ſuperſtes eſt, appellari a Sancto Auguſtino *peccatum*, cur igitur dicis, eam non eſſe peccatum, ſed duntaxat pœnam peccati originalis?

M. Ignorantiam & concupiſcentiam, quę in nobis etiam poſt Baptiſmum hęrent, aliquando a *S. Auguſtino* appellari *peccatum* non inficior. Sed tunc Sanctus ille Doctor peccati nomen latiori notione uſurpat, non prout peccatum ſignificat, ſed prout defectum ex peccato originali conſequentem, aut ejuſdem peccati pœnam ſignificat. Diſputabat quippe S. Auguſtinus contra Pelagianos, qui dicebant, ignorantiam, concupiſcentiam, & difficultatem, cum quibus naſcitur homo, non eſſe mala, & peccati originalis pænas, ſed naturales defectus, ſeu eſſe primordia, non ſupplicia naturę. Hinc *Julianus*, Pelagianus (ut videre eſt apud *S. Auguſtinum* lib. 3. cap. 19. & 20. contra eumdem *Julianum*) multis laudibus exornabat concupiſcentiam, ac commendabat ignorantiam. Hęc igitur Pelagianorum deliria ut everteret *S. Auguſtinus*; concupiſcentiam & ignorantiam eſſe mala & peccati originalis conſectaria pronuntiavit, ita ut proprie ſint pœnę peccati, improprie vero tantummodo, *peccatum*, quia, tanquam ex virulento fonte, ſcaturiunt e peccato originali. Hanc eſſe germanam mentem Sancti illius Doctoris patet ex ipſius verbis lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. ubi, poſtquam dixiſſet: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, iſta tua propria peccata ſunt*, ſubdit: *Nam illud, quod ignorans quiſquis non recte facit, & quod volens recte facere non poteſt, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberę voluntatis*, (ideſt peccato Adami) *originem ducunt*. Quibus verbis non poterat *S. Auguſtinus* ſuam clarius aperire mentem.

D. Cum illa ignorantia, quę non tollitur per Baptiſmum, ſed adhuc hęret in baptizatis, non ſit peccatum, ſed duntaxat pœna peccati originalis: geſtiret nunc animus ſcire, quęnam ignorantia excuſet a peccato.

Digitized by Google

M. Hæc difficultas, quam proponis, ampliſſimum ſuppeditat Theologis diſputandi argumentum, quod cum ipſe lato calamo tractare non poſſim, breviter tibi indicabo, quid ſuper hac re damnare, quid vero tenere debeas. In primis, ſunt duo errores, a quibus vehementer abhorrere debes. Primus error eſt Pelagianorum, qui, ſicut refert *S. Auguſtinus* in Libro *De Geſtis Pelagii* c. 18. aſſerebant, *oblivionem, & ignorantiam* (ſive vincibilem, & voluntariam, ſive invincibilem, & involuntariam) *non ſubjacere peccato, quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem*. Hinc autem Pelagianorum error proſcriptus eſt in Synodo Dioſpolitana, ut refert *S. Auguſtinus* in Libro *De Geſtis Pelagii c.* 19. Alter error eſt *Cornelii Janſenii*, Epiſcopi Iprenſis, qui, libri primi *De ſtatu naturæ puræ* c. 2. odio erroris Pelagiani, in extremam abiit doctrinam, & incidit in Scyllam, volens vitare Charybdim. Docet quippe velut Fidei dogma ab antiquis traditum, ignorantiam, quæ neceſſitatis eſt, non voluntatis, hoc eſt, ignorantiam invincibilem, quæ nullo ſtudio, nullo labore, nullo pacto vinci, ac ſuperari poteſt, non excuſare a peccato. Hinc Janſenii errorem, quem antehac præformaverat *Michael Bajus*, Doctor Lovanienſis, damnarunt Summi Pontifices *S. Pius V.* & *Gregorius XIII.* Hi ſunt duo errores, a quibus ex æquo cavere debes. At, his duobus erroribus ab Eccleſia proſcriptis, duæ accedunt quorumdam recentiorum Theologorum, plus æquo jugum Chriſti emollientium, peregrinæ opiniones, quas velis, remiſque fugere debes. Prima opinio illorum eſt, qui, ignorantiæ obtentu, innumera atque immaniſſima peccata excuſant, docentes, a perditiſſimis etiam, atque deploratæ conſcientiæ hominibus nequaquam peccari, niſi prævia peccati cognitione animus illuſtretur, ejuſque vitandi deſiderio extimuletur, atque ita homines ſceleratiſſimos eo magis a ſceleribus immunes pronuntiant, quo profundius in vitiorum cœno volutantur. Altera opinio, non minus exitioſa, eos habet patronos, qui, ut facilius homines excuſent a peccato, pertendunt, dari poſſe Legis naturalis invincibilem ignorantiam in nonnullis hominibus, quos adeo ſtupidos eſſe volunt, ut nullo ſtudio, aut diligentia poſſint ſibi comparare notitiam præceptorum Legis naturalis, etiam eorum, quæ facile fluunt ex principiis Legis naturalis, quæ continentur in Decalogo. Ex his duabus Laxorum Caſuiſtarum opinionibus pullularunt in doctrina morali quamplurimi errores, qui a Summis Pontificibus *Alexandro VII. Innocentio XI.* & *Alexandro VIII.* fuerunt confixi.

D. Quod ignorantia invincibilis excuſet a peccato, jure optimo contra *Janſenium* definivit Eccleſia. Nemo quippe peccat in eo, quod vitare non poteſt, porro ille, qui laborat ignorantia invincibili, non poteſt vitare peccatum, quia, dum invincibiliter ignorat præceptum, aut prohibitionem Legis, non poteſt id agere, quod præcipitur, aut vitare, quod prohibetur, ac ſubiude peccatum vitare non poteſt. Quo fit, ut ſit inculpabilis, cum nemo ad impoſſibile teneatur, & nullum ſit peccatum, niſi ſit voluntarium. Hunc itaque *Janſenii* errorem, ab Eccleſia proſcriptum, diris devovendum eſſe ultro profiteor. At, ut candide fatear, hactenus mihi perſuaſeram, non ſolum ignorantiam invincibilem, ſed etiam quamcumque ignorantiam excuſare a peccato. Sic enim diſcurrebam: Nullum eſt peccatum, niſi ſit voluntarium, ſed quæcumque ignorantia tollit voluntarium: Voluntarium id enim cenſetur, quod eſt a principio intrinſeco cum cognitione finis; hæc autem cognitio finis tollitur per quamcumque ignorantiam, ſive invincibilis, ſive vincibilis ſit: igitur quæcumque ignorantia excuſat a peccato, quia omnis ignorantia, quantumlibet per negligentiam contracta, tollit cognitionem malitiæ actus, nihil enim volitum niſi cognitum, adeoque efficit actum illum involuntarium quantum ad malitiam; quod, mea quidem ſententia, ad rationem peccati tollendam ſufficere mihi videbatur.

M. In magno certe errore verſabaris, dum tibi perperam ſuadebas, ignorantiam, quæ eſt voluntaria, & vincibilis, excuſare a peccato. Hæc quippe ſententia, ſtatim ac ex fœtidis laxiorum

Caſuiſtarum Paludibus erupit, multis Cenſuris a clariſſimis Academiis inuſta ac profligata eſt. Academia Pariſienſis, omnium celeberrima, die 1. Auguſti anni 1641. hunc errorem iſto Cenſorio ſtigmate perſtrinxit: *Hæc propoſitio falſa eſt, viamque aperit ad excuſandas excuſationes in peccatis*. Facultas Lovanienſis eumdem errorem his verbis proſcripſit: *Eſt contra communia Chriſtianæ Religionis principia, & innumera, etiam immaniſſima peccata, excuſat cum pernicie animarum*. Hanc cenſuram in prædictam erroneam opinionem tulit Facultas Lovanienſis die 4. Maii anni 1657. Mitto, brevitatis ergo, judicia eximiorum Parochorum Pariſienſium, & Rothomagenſium, qui hanc in primis erroneam opinionem in Præloquio, excerptis ſuis præfixo, inſectantur. Nec mirari debes, quod tot Cenſuris protritus fuerit male natus ille error, cum e diametro ſit oppoſitus Scripturæ Sacræ. At enim, quis dicere audeat, perſecutores Apoſtolorum immunes fuiſſe a peccato? & tamen Scriptura Sacra aſſerit, perſecutores Apoſtolorum habuiſſe ignorantiam, utique vincibilem & voluntariam malitiæ ſui actus, eoſque exiſtimaſſe, dum perſequebantur Apoſtolos, ſe obſequium præſtare Deo, juxta illud Chriſti Domini, Diſcipulos ſuos alloquentis, Vaticinium: *Venit hora*, inquit, *ut omnis, qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo, & hoc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me*. Quis etiam dicere audeat, Apoſtolum *Paulum*, dum perſequebatur Eccleſiam Chriſti, non peccaſſe, cum ipſemet ſe peccaſſe ultro fateatur Epiſt. 1. ad Timoth. c. 1. dicens: *Prius fui blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus?* & tamen ipſe, perſequendo Eccleſiam Chriſti, ignorabat malitiam actus ſui, imo (ut ipſe ait, in Epiſt. ad Galatas c. 1.) ſe hoc in facinore laude dignum exiſtimabat: *Supra modum perſequabar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Judaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum*. Quis tandem dicere audeat, eos, qui crucifixerunt Chriſtum Dominum, non peccaſſe? & nihilominus conſtat, illos ignoraſſe malitiam ſui actus, imo potius autumabant, ſe, in Crucem agendo Chriſtum Dominum, adimplere juſtitiam. Si enim illum cognoviſſent, ut inquit Apoſtolus, *nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Hinc Chriſtus Dominus, orans in Cruce pro crucifixoribus ſuis, ait: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt*. Ex his exemplis, e Sacris Litteris petitis, manifeſto colligitur, ignorantiam voluntariam, & vincibilem non excuſare a peccato: *Nunquid non ex his ſatis apparet, in quantis jaceat ignorantiæ tenebris, qui ignorat peccari poſſe interdum per ignorantiam?* verba ſunt Sancti *Bernardi* in Epiſtola ad Hugonem de Sancto Victore. Hinc primo inferre debes, ſolam ignorantiam involuntariam, & invincibilem, quæ videlicet nullo labore, ſtudio, ac vigilantia vinci, ac ſuperari poteſt, excuſare a peccato; ignorantiam vero voluntariam, ac vincibilem, quæ nimirum adhibita diligentia, vel ſemotis paſſionibus, ſuperari, tollique poteſt, culpabilem eſſe, & neminem reddere a peccato immunem. Secundo, inferas velim, eum, qui ſequitur opinionem minus probabilem, quæ cupiditati favet, in concurſu probabilioris, quæ ſtat pro Lege, non poſſe prætexere ignorantiam invincibilem, ac ſubinde peccare quando ſequitur opinionem minus probabilem, relicta probabiliori. Quocirca, execrari debes vanum iſtud probabilitatis commentum, a nuperrimis laxis Caſuiſtis ad perniciem animarum temere invectum, ex quo tanquam e virulento fonte, innumeri ſcaturierunt errores, vaticanis protriti fulminibus, & egregiis Epiſcoporum, præſertim Gallicanæ Eccleſiæ, Cenſuris jure optimo natalitiis tenebris damnati. Tertio, inferre debes, neceſſarium non eſſe ad peccandum, ut quis actu attendat ad malitiam ſui operis, vel actu eam cognoſcat: alioqui deplorati & conſummatæ malitiæ homines excuſarentur a peccato, quia, dum peccant, non attendunt ad malitiam ſui operis, nec actu eam cognoſcunt, nec amplius perſentiunt ſtimulos conſcientiæ, quæ ex inveterata peccandi conſuetudine in malo obdurata, tandem circa illicitum intrepida evadit. Fuerunt, fateor, nonnulli

laxi

laxi Caſuiſtæ, qui ejuſmodi flagitioſiſſimos homines, qui ad malitiam actionum ſuarum non amplius attendunt, a peccato excuſarunt, vel ſaltem voluerunt, ejuſmodi homines non committere peccatum *Theologicum* [quod eſt Legi Divinæ contrarium, ac ſubinde diſſolvit amicitiam Dei cum homine, & eſt æterna pœna dignum) ſed committere duntaxat peccatum *Philoſophicum*, quod) ſicut effutiebant iſti Caſuiſtæ) *in his, qui Deum ignorant, vel actu de Deo non cogitant, non diſſolvit amicitiam Dei, nec eſt æterna pœna dignum*. Sed hoc portentoſum peccati Philoſophici dogma ab *Alexandro VIII.* Pontifice Maximo die 24. menſis Auguſti anni 1690. fuit cenſura percuſſum, & a Clero Gallicano in Comitiis Generalibus indictis anno 1700. proſcripta eſt hæc propoſitio, his verbis concepta: *Si peccatores conſummatæ malitiæ, cum blaſphemant, & flagitiis ſe immergunt, non habent conſcientiæ ſtimulos, nec mali, quod agunt, notitiam, propugno eos hiſce actionibus non peccare*. Poſtremo, inferre debes, Legem naturæ invincibiliter ignorari non poſſe, ſed naturaliter nobis inſitam eſſe. Hanc veritatem aperte docet Apoſtolus *Paulus* in Epiſt. ad Romanos cap. 1. his verbis: *Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ Legis ſunt, faciunt, ejuſmodi Legem non habentes, ipſi ſibi ſunt Lex, qui oſtendunt opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum*. Non quod velit Apoſtolus, Gentes ea, quæ Legis ſunt, citra gratiam Dei, & ſolis naturæ viribus facere, ſicut falſo docebant Pelagiani, ſed quod Lex naturalis oſtendat Gentibus quid ſit agendum, & id, ipſo præeunte lumine rationis, cognoſcant, ac ipſa Legis naturæ præcepta in tabulis cordis carnalibus habeant inſcripta, atque animis, & ſenſibus penitus infixa. Quæ veritas ipſos etiam Ethnicos non latuit, quos inter *Cicero* in Oratione pro *Milone* de Lege naturali differens, ait: *Eſt enim hæc non ſcripta, ſed nata Lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus*.

Obiter tamen advertere debes, Legis naturæ diſtinguenda eſſe duplicis generis præcepta. Alia ſunt univerſaliſſima, quæ per ſe ipſa ſunt perſpicua, & omnibus exploratiſſima. Alia ſunt minus principalia, & veluti ſecundaria præcepta, quæ non ita ſunt manifeſta, quia ſe habent inſtar concluſionum, & conſectariorum, quæ a principiis univerſaliſſimis Legis naturæ remota ſunt, & ex illis deducuntur. Circa univerſaliſſima Legis naturæ præcepta nullus cauſari poteſt ignorantiam involuntariam, & invincibilem. At, ſecundaria Præcepta, quæ ſunt Legis naturæ remotiſſima conſectaria, poſſe a quibuſdam inſuperabiliter, & invincibiliter ignorari, docent bene multi Theologi, quamvis non deſint alii Catholici Doctores, qui cenſent, ignorantiam illam, quam quidam habent circa hæc præcepta ſecundaria Legis naturæ, non eſſe ignorantiam involuntariam, & invincibilem, ſed propria voluntate contractam, videlicet ex vitiis, pravis affectibus, concupiſcentia, & cupiditate profectam, ſicut innuere videtur S. *Thomas* 1: 2. q. 9. art. 6. ubi hæc habet: *Ad Legem naturalem pertinent primo quidem quædam præcepta communiſſima, quæ ſunt omnibus nota: Secundario autem quædam præcepta magis propria, quæ ſunt quaſi concluſiones, propinquæ principiis. Quantum ergo ad illa principia communia, lex naturalis nullo modo poteſt a cordibus hominum deleri in univerſali: deletur tamen in particulari operabili, ſecundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiſcentiam, vel aliquam aliam paſſionem; ut ſupra dictum* (videlicet 1: 2. qu. 77. art. 2.) *Quantum vero ad alia præcepta ſecundaria, poteſt Lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas perſuaſiones (eo modo, quo etiam in ſpeculativis errores contingunt circa concluſiones neceſſarias) vel etiam propter pravas conſuetudines, & habitus corruptos, ſicut apud quoſdam non reputabantur latrocinia peccata*, vel etiam *contra naturam, ut etiam Apoſtolus dicit ad Romanos cap.* 1. Huic tutiſſimæ *S. Thomæ* doctrinæ firmiter inhærere debes, quam idem Angelicus Doctor q. 7. de potentia art. 7. ad 3. ex primit

his

his verbis: *Dicendum*, inquit, *quod ignorantia, quæ eſt omnino involuntaria, non eſt peccatum, & hoc eſt, quod Auguſtinus dicit:* non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras: *propter autem hoc addit:* Sed ſi ſcire neglexeris: *dans intelligere, quod ignorantia habet, quod ſit peccatum ex negligentia precedente*. Quæ verba *S. Thomæ* abunde ſufficiunt ad explodendum errorem *Janſenii*, aſſerentis, dari ignorantiam involuntariam, invincibilem, & inſuperabilem Legis naturæ, ex peccato primi Parentis ortam, quæ tamen non excuſat a peccato. Quem errorem Sacris Litteris, & SS. Patrum Doctrinæ e regione oppoſitum, jure merito deteſtantur omnes fideles, eumque *Alexander VIII.* damnavit in hac propoſitione expreſſum: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturalis, hęc in ſtatu naturæ lapſę, operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali*.

D. Poteſtne intellectus humanus (non obſtante illa ignorantia, quam per peccatum primi parentis contraxit) cognoſcere abſque auxilio gratiæ verum ſpeculativum ordinis naturalis?

M. Poteſt intellectus humanus ſine auxilio gratiæ aliquas veritates ordinis naturalis cognoſcere, ut ajunt, *diviſive*, quia Gentiles ſine gratia, quæ per Chriſtum datur, multas veritates cum metaphyſicas, tum phyſicas, tum morales cognoverunt, ſicut ex eorum libris liquido patet. Non poteſt tamen intellectus humanus in ſtatu naturæ lapſæ omnes veritates *collective* ſumptas abſque auxilio gratiæ cognoſcere, quia ad hoc tolli debent varia impedimenta, ſeu mentis præoccupationes, pravi habitus, mala educatio, & alia id genus, quæ aſſequendæ notitiæ veritatum ordinis naturalis officiunt, quæque homo per ſe ipſum, moraliter loquendo, ſuperare haud poteſt, cum ejus intellectus vires per peccatum primi parentis fuerint debilitatæ. Ceterum, homo in ſtatu naturæ lapſæ non poteſt naturalibus ſuis viribus, & abſque auxilio gratiæ cognoſcere verum ordinis ſupernaturalis, nec elicere actum fidei *prout oportet*: hoc eſt, qui ad æternam ſalutem referatur & ad juſtificationem diſponat, nec habere etiam imperfectum Fidei deſiderium, nec aſſentiri iis, quæ fides docet.

D. Habetne homo poſt peccatum Adami æquales vires ad bonum morale operandum, ſecluſis divinæ gratiæ auxiliis, quas habuiſſet in ſtatu naturæ puræ, ſi a Deo fuiſſet in eo creatus?

M. Homo poſt peccatum Adami debiliores habet vires ad bene operandum moraliter, ſecluſis divinæ gratię auxiliis, quam habuiſſet in ſtatu naturæ purę, ſi in illo fuiſſet a Deo conditus. Primo, quia homo in ſtatu naturę purę (ſi in eo conditus eſſet) vulneratus non fuiſſet, homo autem in ſtatu naturę lapſę vulneratus eſt, &, ſicut Concilium Tridentinum Seſſ. 5. de peccato originali decernit, per prævaricationis Adami offenſam, tam ſecundum corpus, quam ſecundum animam, in deterius commutatus eſt. Secundo, homo in ſtatu naturę purę, ſi in eo conditus fuiſſet, Deum, ut auctorem naturę, diligere potuiſſet ſuper omnia cum ſolo concurſu generali, qui ei pręſto fuiſſet; homo vero in ſtatu naturę lapſæ non poteſt propriis viribus, & ſolo Dei concurſu generali actum dilectionis Dei ſuper omnia elicere; tum quia eſt averſus a Deo ut ultimo fine tam ſupernaturali, quam naturali; tum quia, ut inquit Sanctus Auguſtinus, *liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. Minores igitur vires habet homo in ſtatu naturę lapſę, quam habuiſſet in ſtatu naturę purę, ſi in eo fuiſſet creatus.

D. Expone mihi, ſi placet, uberius, quid ſibi velit *S. Auguſtinus*, dum ait, nos granditate peccati Adami liberum arbitrium perdidiſſe? Numquid vult *S. Auguſtinus*, ex peccato Adami invectam eſſe neceſſitatem peccandi, adeo ut homo in ſtatu naturæ lapſę, divina gratia deſtitutus, neceſſario peccare debeat?

M. In hunc errorem certiſſime *S. Auguſtinus* nunquam lapſus eſt. Vult quidem *S. Auguſtinus*, nos in ſtatu naturę lapſę conſtitutos, per Adami peccatum amiſiſſe liberum arbitrium, quantum ad perfectionem ſtatus naturę innocentis, ſed non quantum ad ſubſtan-

ſtantiam, ſeu eſſentiam liberi arbitrii. Quod ut clarius intelligas, ſedulo advertere debes, duo in libero arbitrio ſpectari poſſe; primo ipſius ſubſtantiam, ſeu eſſentiam, qua liberum arbitrium eſt ingenita facultas, qua voluntas hominis pro libito poteſt alterutrum e duobus ſibi propoſitis mediis eligere, & ſecundo liberi arbitrii perfectionem, qua Adamus gaudebat in ſtatu naturæ innocentis, dum nulla ipſi ad recte agendum inerat difficultas, nullus concupiſcentiæ dominatus, nulla peccati ſervitus, nullum vulnus, ſed plenæ & integræ vires ad bonum peragendum, omniaque dona ac præſidia præſto aderant. Liberum itaque arbitrium, juxta hanc perfectionem, ſoli ſtatui innocentiæ debitam, per peccatum Adami perdidimus, ut ait *S. Auguſtinus*, ſed non amiſimus liberum arbitrium, ſecundum ſubſtantiam, & rationem ſibi eſſentialem, quæ ſita eſt in potentia ad utrumlibet. Hanc eſſe germanam *S. Auguſtini* mentem aperte colligitur ex lib. 1. ad *Bonifacium* cap. 2. ubi hæc habet: *Quis dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de genere humano? Libertas quidem periit per peccatum, ſed illa, quæ in Paradiſo fuit*. Et lib. 14. de Civit. Dei cap. 11. *Arbitrium igitur voluntatis*, inquit, *tunc eſt vere liberum, cum vitiis peccatiſque non ſervit. Tale donum eſt a Deo, quod amiſſum cum proprio vitio, niſi a quo dari potuit, reddi non poteſt*. Quibus ex verbis *S. Auguſtini* colligitur primo, nos per peccatum Adami amiſiſſe quidem liberum arbitrium, quantum ad perfectionem, quæ ſoli ſtatui innocentiæ competebat, ſed illud non amiſiſſe quo ad ſubſtantiam, ſeu eſſentialem ejus rationem. Colligitur ſecundo, nos per peccatum Adami, perdidiſſe, juxta *S. Auguſtinum*, libertatem a peccato, ſed non libertatem a neceſſitate. Fatentur ſiquidem omnes orthodoxi Theologi, hominem in ſtatu naturæ lapſæ gratia divina deſtitutum, non eſſe liberum a peccato, ejuſque voluntatem in tantum eſſe a peccato liberam, in quantum per gratiam medicinalem Chriſti Salvatoris noſtri, eſt liberata & ſanata. Sed iidem Theologi docent, hominem in ſtatu naturæ lapſæ retinere abſque gratia libertatem a neceſſitate, ita ut nulla ex peccato Adami inducta ſit neceſſitas peccandi.

Non clam me eſt, *Michaelem Bajum*, Doctorem Lovanienſem, docuiſſe, advectam eſſe ex peccato Adami neceſſitatem peccandi, adeo ut homo in ſtatu naturę lapſę, divina gratia privatus, a peccato abſtinere non poſſit; at, Summi Pontifices *S. Pius V.* & *Gregorius XIII.* damnarunt hunc *Michaelis Baji* errorem, iſta propoſitione comprehenſum: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod vitare non poteſt*. Hunc confixum *Michaelis Baji* errorem denuo ſuſcitavit *Cornelius Janſenius*, Epiſcopus Iprenſis, qui in libris, quos edidit *De ſtatu naturæ lapſæ*, ſępius inculcat, ex peccato Adami inductam eſſe neceſſitatem peccandi, ac ſubinde hominem in ſtatu naturę lapſæ peccare etiam damnabiliter in eo, quod vitare non poteſt.

D. Mirum profecto mihi accidit, quod dicas, *Cornelium Janſenium* in eodem Bajani erroris luto hęſiſſe, quandoquidem paucis abhinc diebus vir quidam, in operibus *Janſenii* verſatiſſimus, duo loca mihi indicaverit, in quibus *Janſenius* profitetur, doctrinam ſuam non eſſe comprehenſam in hac *Michaelis Baji* propoſitione a Summis Pontificibus damnata. Ipſiſſima *Janſenii* verba deſcripſi, eaque nunc cum bona venia tua legam, ut certo a te ſcire poſſim quid ſuper hac re ſenſerit *Janſenius*. *Neceſſitas peccandi* (inquit *Janſenius* lib. 4. de ſtatu naturę lapſę cap. 25.) *a nobis tradita, ſolum eſt neceſſitas in genere, ex qua fit, ut non poſſint homines agere ante gratiam niſi male. Hęc autem non impedit, quominus in peccatis ſingularibus perpetrandis liberam & indifferentem ad faciendum vel abſtinendum habeant voluntatem*. Quo autem ſenſu *Janſenius* hanc peccandi neceſſitatem in genere intelligat, aperte explicat cap. 19. ejuſdem libri his verbis: *Hæc eſt neceſſitas, quam Auguſtinus peccato* (ſeu Adami) *advectam eſſe profitetur, quod liberum arbitrium ita rerum terrenarum cupiditate captivum ſit, antequam fide creato-*

toris, charitateque liberetur ut quoquo verſum ſeſe verterit, in genere neceſſe ſit illud male agere; ſic tamen, ut in ſingulari nullum peccatum ita neceſſario perpetret, quin ab eo poſſit abſtinere; ſed ab illo abſtinendo in aliud incidat, quod ſimiliter aliud faciendo cavare potuiſſet. Hæc neceſſitas peccandi in genere dumtaxat, non ſingularia peccata reſpicit, nec illam liberæ voluntatis indifferentiam tollit, quam Scholaſtici recentiores poſtulant &c. Quibus verbis innuit *Janſenius*, ſe homini in ſtatu naturæ lapſæ non adimere *liberæ voluntatis* ad peccandum *Indifferentiam*, *quam recentiores Scholaſtici poſtulant*. Unde ſequitur, *Janſenii* doctrinam non eſſe comprehenſam in hac *Michaelis Baji* propoſitione a Summis Pontificibus damnata. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod vitare non poteſt*. Retuli hactenus verba *Janſenii*. Nunc oſtendas, ſi placet, an *Janſenius* in hac confixa propoſitione cum *Michaele Bajo* conſentiat, vel aliam ab eo viam inierit?

M. Ex mutua collatione principiorum *Baji* & *Janſenii* in probanda peccandi neceſſitate invecta ex primigenia Adami labe facili negotio evinci poteſt, *Cornelium Janſenium* in hac damnata propoſitione conſentire cum *Bajo*, ipſumque *Bajum* non aliam in ſtatu naturæ lapſæ agnoviſſe peccandi neceſſitatem, præter illam peccandi in genere neceſſitatem, quam magno animi æſtu propugnat *Janſenius* libris 3. & 4. *de ſtatu naturæ lapſæ*. Et primo quidem *Janſenius* ideo propugnat, liberum arbitrium, antequam per gratiam liberetur, peccare in genere, ſeu ſemper peccare, quidquid agat, quia cum homo, ante ſuſceptam gratiam, ſit ſervus peccati, neceſſe eſt, ut quidquid agit peccatum ſit. Quam rationem fuſe proſequitur lib. 4. *de ſtatu naturę lapſæ* cap. 3. & 4. Atqui eodem fundamento neceſſitatem peccandi ſuperſtruit *Michael Bajus*. Hanc etenim propoſitionem ex ejus Scriptis excerptam damnarunt prælaudati Summi Pontifices. *Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt*. Secundo, peccandi in genere neceſſitatem probat *Janſenius* lib. 3. *de ſtatu naturæ lapſæ* cap. 9. 10. 11. & 12. uia liberum arbitrium antequam per gratiam ſanetur, non valet ad ullum peccatum vitandum: Sed idem fundamentum, tanquam immobilem doctrinæ ſuæ de peccandi neceſſitate baſim, adſtruit *Michael Bajus*. Hinc & iſta ex ejus Scriptis deprompta propoſitio damnata eſt: *Pelagianus eſt error, dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum*. Tertio, hanc peccandi in genere neceſſitatem probat *Janſenius* eodem in libro 3. *de ſtatu naturæ lapſę* cap. 15. 16. & 17. quia nullum opus bonum fieri poteſt abſque gratia & charitate. At, id ipſum eſt *Michaelis Baji* doctrinæ fundamentum. Qua de cauſa hanc inter alias ejuſdem *Baji* propoſitiones damnavit Eccleſia: *Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate*. Quarto, *Janſenius* cap. 18. ejuſdem lib. 3. *de ſtatu naturæ lapſæ*, errorem ſuum de peccandi neceſſitate ex eo confirmat, quod homo, ante gratiam & charitatem, in quocumque actu ſuo ſervit dominanti cupiditati. Sed hæc eſt potiſſima *Michaelis Baji* propoſitio, a Summis Pontificibus damnata, quæ his verbis exprimitur: *Homo in omnibus ſuis actibus ſervit dominanti cupiditati*. Quinto, *Janſenius*, c. 19. ejuſdem libri ideo probat, invectam eſſe ex peccato Adami peccandi neceſſitatem, quia cum omnis amor creaturæ in ſtatu naturæ lapſæ ſit vel laudabilis charitas, vel culpabilis cupiditas, nullumque inter utramque admittatur medium, neceſſe eſt, ut quidquid agit homo, antequam ſanetur a gratia ſit in genere peccatum. Sed hac eadem ratione ad probandam ſuam de neceſſitate peccandi doctrinam nititur *Michael Bajus*, cujus ſubinde proſcripta eſt iſta propoſitio: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, & quæ a Joanne prohibetur; aut eſt laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur*. Sexto, neceſſitatem in ſtatu naturæ lapſæ in genere peccandi cap. 11. ejuſdem libri adſtruere nititur *Janſenius*, quia nulla, quamvis levis tentatio ſuperari haud poteſt abſque caritate, quam ſubinde cum homo non habeat ante gratiam, ſemper tentatione vincitur, & in genere peccat. Sed hoc *Janſenii* fundamentum continetur

tur in hac *Michaelis Baji* damnata propoſitione: *Ii ſunt fures & latrones, qui docent, tentationi ulli ſine gratiæ ipſius adjuterio reſiſtere hominem poſſe ſic ut in eam non inducatur, aut ab ea non ſuperètur.* Septimo, neceſſitatem peccandi in genere *Janſenius* cap. 22. & 23. ejuſdem libri 3. *de ſtatu naturæ lapſæ* hinc præſertim probare contendit, quod homo in ſtatu naturæ lapſæ, antequam per gratiam ſanetur, non habeat de ſe niſi peccatum: Sed hoc ipſum eſt argumentum quo *Michael Bajus* doctrinæ ſuæ de neceſſitate peccandi proram puppimque conſtituit, indeque ſub ipſius nomine damnata eſt hæc propoſitio: *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio, non niſi ad peccatum valet.* Octavo, *Janſenius* perverſum iſtud de neceſſitate peccandi in genere dogma probandum ſuſcipit lib. 4. *de ſtatu naturæ lapſæ* a cap. 1. uſque ad 18. hoc uno fretus principio, quo aſſerit, id omne, quod fit abſque Fide, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſſe. Atqui eodem principio munitus *Michael Bajus* docet peccandi neceſſitatem, & hac de cauſa inter alias ſub ejus nomine propoſitiones damnatas, hæc habetur: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum ſunt vitia.* Nono, hanc peccandi in genere neceſſitatem probat *Janſenius* cap. 19. ejuſdem libri, quia ſufficiens libertas arbitrii in peccando cohærere poteſt cum peccandi neceſſitate. Verum, eodem infeſto principio in præſidium doctrinæ ſuæ de neceſſitate peccandi nititur *Michael Bajus*, dictitans, *id, quod voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fieri.* Poſtremo, *Janſenius* quatuor ejuſdem libri capitibus ſubſequentibus hanc peccandi in genere neceſſitatem pro aris ac focis propugnat, quia, inquit, non requiritur ad peccandum libertas a neceſſitate. Quod virulentum dogma *Michael* etiam *Bajus* totis ſuis viribus propugnat, unde & hæc ejus propoſitio damnata eſt: *Is libertatis modus, qui eſt a neceſſitate, ſub libertatis nomine, non reperitur in ſcriptura, ſed ſolum nomen libertatis a peccato.*

Ex illa mutua principiorum *Michaelis Baji*, & *Cornelii Janſenii* collatione in probanda neceſſitate peccandi in ſtatu naturæ lapſæ, ſat ſuperque tibi conſtare debet, eadem eſſe utriuſque, *Michaelis Baji* videlicet, & *Cornelii Janſenii* fundamenta, quibus peccandi neceſſitatem in ſtatu naturæ lapſæ ambo probare moliuntur. Ex quo palam ſequitur, utriuſque doctrinam in diplomatibus Summorum Pontificum, quos ſuperius laudavi, cenſuris fuiſſe jure ac merito inuſtam. Nullam ergo neceſſitatem peccandi in ſtatu naturæ lapſæ, ſive abſolutam & Phyſicam, ſive ex hypotheſi peccati Adami, agnovit *S. Auguſtinus*. Quapropter, ad omnia teſtimonia Sancti illius Doctoris, quem obtorto collo *Bajus* & *Janſenius* in ſuum errorem trahere nituntur, hoc uuum reſpondendum eſt, *S. Auguſtinum* his in locis loqui dumtaxat de ſola peccandi ueceſſitate morali, quæ fluit ex concupiſcentia, a qua unuſquiſque tentatur abſtractus & illectus, non vero de neceſſitate abſoluta & phyſica. Mens *S. Auguſtini* facile eruitur ex cap. 18. libri 3. *de libero arbitrio*, ubi reſpondens querelæ quorumdam inſipientium hominum, qui ajebant, ſe, renitente carnalis concupiſcentiæ neceſſirate, præcepta juſtitiæ obſervare non poſſe, hæc habet: *Quibus breviter reſpondetur ut quieſcant, & adverſus Deum murmurare deſiſtant; recte enim fortaſſe quererentur, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret: cum vero ubique ſit præſens, qui per creaturam ſibi Domino ſervientem averſus vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras. Iſta tua propria peccata ſunt.*

D. Facile quidem capio, nullam ex peccato primi parentis inductam eſſe peccandi neceſſitatem, quia nullum poteſt eſſe peccatum, niſi ſit voluntarium & liberum. At, necdum intelligo, qui fieri poſſit, ut peccatum primi parentis, ſeu Adami, omnibus hominibus, qui ex ejus ſtirpe oriuntur, imputari queat, cum nulla ratione in hominibus voluntarium ſit iſtud Adami peccatum; nec ab actu libero parvulorum,

rum,

Digitized by Google

rum, quibus imputatur, & inhæret, proficiſcatur? Quæ enim, amabo, in parvulis, vel tot ſæculis poſt prævaricationem Adami natis, eſſe poteſt ad illud primi hominis peccatum, unde manavit voluntas, libertas atque conſenſio? aut igitur dicendum eſt, Adami peccatum parvulis non imputari, cum in illis voluntarium ac liberum non ſit; vel contra publicum generis humani ſenſum agnoſcenda eſt in parvulis, iſta tabe originali infectis, voluntas, per quam libere fiant rei iſtius peccati Adami. Huic diſſolvendo nodo ſolidum, ſi placet, adhibe cuneum.

M. Huic, quam proponis, difficultati hoc pacto reſponderi debet, dicendo, unum quidem hominem, ſeu Adamum, propria, & perſonali voluntate peccaſſe, ſed omnium poſterorum nomine, quorum ille parens, ac caput erat, prævaricatum eſſe, ſuo & omnium conſenſu, quorum voluntates ſuas illigatas, & in eam veluti transfuſas habebat, vi conventionis, & pacti, quo Deus voluntates omnium hominum voluntati primi Parentis ea Lege adjunxit, ut ejus electio communis futura eſſet omnibus cum in ſervanda & tranſmittenda juſtitia originali, tum in ea amittenda eo peccato, quod unus committeret ſuo, aliorumque nomine, ac ſubinde illis imputaretur. Peccatum itaque originale, ſi illius actum requiras, penes Adamum fuit, cum prævaricatus eſt in præceptum divinum ſuo, & filiorum nomine, quorum perſonam, & cauſam agebat. Si vero peccati originalis ſtatum quæras, ad omnes poſteros pertinet ex Adami progenie natos, & juſtitia originali, quaſi hæreditaria, jure merito in pœnam communis inobedientiæ ſpoliatos. Duo igitur ad hujuſmodi peccati originalis labem contrahendam ſunt omnino neceſſaria: primo quidem tacita propriæ cujuſque voluntatis, cum iſta capitis, ſeu Adami, voluntate conſenſio, ut illi poſſit prævaricatio imputari. Secundo, privatio, quæ ex illa tacita propria cujuſcumque voluntate derivata eſt, juſtitiæ originalis, qua Adamus in ſtatu innocentiæ donatus eſt, quæque in omnes poſteros fuiſſet tranſfuſa, niſi Adamus, qui erat caput omnium hominum morale, & cum cujus voluntate ſingulorum hominum voluntates erant colligatæ, peccaſſet. Porro, iſtud originale peccatum ab Adamo ad omnes poſteros transfundi, docet apertiſſime multis in locis Scriptura: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*, Pſalm. 50. Et Apoſtolus *Paulus* in Epiſtol. ad Roman. cap. 5. ait: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Hæc eſt perpetua, ſibique ſemper conſtans Eccleſiæ Catholicæ doctrina, quam omnes Sancti Patres, cum Græci, tum Latini, contra Pelagianos, peccatum originale negantes, invicte propugnarunt, quorum teſtimonia cum hic inſerere nimis longum eſſet, illis referendis conſulto ſuperſedebo, & unum duntaxat proferam argumentum, quod tanquam peremptorium proponit *S. Auguſtinus* lib. 3. Operis imperfecti contra *Julianum*, Pelagianum, cap. 48. ubi ſic arguit: *Quomodo juſtum oſtendatis Deum, non invenitis, ſi & in naſcentibus nulla peccata invenit, & eos tamen corruptibili corpore, & tot tantis inſuper calamitatibus aggravat. Non enim numerari poſſunt mala, quæ patiuntur infantes, febrim, tuſſim, ſcabiem, dolores quorumcumque membrorum, ventris fluxum, lumbricos, & alia innumerabilia ex ipſa carne exiſtentia, & ipſarum curationum quam morborum plura tormenta, & extrinſecus ictus vulnerum, plagas verberum, incurſus dæmonum. Vos autem ſapientes heretici* (Pelagiani) *ne fateamini originale peccatum, parati eſtis talibus floribus implere Paradiſum. Si enim hec ibi futura fuiſſe non dicitis, quero, cur ſint in parvulis, nullum habentibus, ut contenditis, omnino peccatum?* Hoc *S. Auguſtini* argumentum petebat jugulum Pelagianorum, qui aſſerebant, parvulos naſci ſine peccato, eoſque, licet innocentes, acerbis pœnis ſubjectos eſſe affirmabant, quod eſt a juſtitia Dei penitus alienum. *Neque enim* (ut ait idem Sanctus Doctor Operis imperfecti contra Julianum cap. 39.) *ſub Deo juſto miſer eſſe quiſquam, niſi mereatur, poteſt*.

D. Sed

D. Sed quo pacto, quæſo, peccatum iſtud Adami transfunditur ad omnes ejus poſteros?

M. Iſtud Adami peccatum, quod dicitur *Originale*, transfunditur ad poſteros per viam generationis. Quo fit, ut illi, qui nati ſunt ex Adamo, & ei, ut capiti, adhæſerunt, in primo conceptionis momento peccatum originale contrahant, & juſtitiæ originalis privationem incurrant, niſi adſit ſpeciale Dei privilegium, quo aliquis ab hac communi labe originali incurrenda eximatur. Hinc evidentiſſimum eſt, Angelos hujus peccati immunes eſſe, quia nec Adamo, ut capiti adhæſerunt, nec ab illo nati, nec juſtitiæ jacturam aut privationem ullo inſtanti paſſi ſunt. Hinc etiam apertius patet, Chriſtum Dominum peccato originali non fuiſſe obnoxium, quia nec volnntate nec origine Adamo adhæſit, & in primo inſtanti conceptionis ſuæ Sanctitatem innatam habnit, juxta illud Angeli, *Mariam* Virginem alloquentis: *Quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur filius Dei*. Pia etiam & probabilis Theologorum opinio docet, B. *Mariam* Virginem ab originali labe ex ſingulari Dei privilegio fuiſſe immunem.

D. Suntne aliæ peccati originalis pœnæ, præter eas, quas hactenus enumeraſti, videlicet ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, propenſionem ad malnm in appetitu concupiſcibili, & difficultatem operandi bonum in appetitu iraſcibili?

M. Præter eas peccati originalis pœnas, quas hactenus percenſui, aliæ ſunt graviores pœnæ, quibus ſubjacet omnis homo, cui per Batiſmum non eſt remiſſum peccatum originale: hæ autem pœnæ ſunt privatio juſtitiæ originalis, & gratiæ ſanctificantis, per quam privationem homo, peccati originalis reus, incurrit odium Dei, ſeu fit filius iræ, & mancipatur captivitati Diaboli. Altera peccati originalis pœna, eſt neceſſitas moriendi, nam, ut inquit Apoſtolus: *Per peccatum*, ſeu Adami, *mors:* ſed terribilior peccati originalis pœna eſt æternus in inferis cruciatus, ſeu perennis damnatio. Denique, ex peccato originali, etiam in his, quibus per baptiſmum eſt condonatum, oritur maxima illa pœna, ſeu continuum bellum, quod in hac vita omnes mortales gerere debent cum Diabolo, mundo, & paſſionibus, tanquam cum infenſiſſimis hoſtibus, qui in eorum perniciem pervigiles excubant, mille dolis, mille nocendi artibus in nos armati. Diabolus, primus pacis noſtræ proditor, aperto marte ſæviens, non deſinit mentes noſtras ad mortiferas voluptates illectare. Mundus a dextera lævaque, a fronte, pariterque a tergo nos oppugnat, & ingentibus quidem, ſed vaniſſimis promiſſis ad proditionem ſollicitat. Intus etiam, & in ipſis animi penetralibus hoſtem ferimus pluſqnam familiarem, pluſquam domeſticum, ſeu concupiſcentiam, qua ut nihil interius, ita nihil poteſt eſſe pericnloſius. Hic hic eſt vetns ille & terrenus Adam, conſuetudine pluſquam civis, ſtudio pluſquam hoſtis, quem neque arcere vallo licet, neque caſtris exigere fas eſt. Vide, ſi placet, quot plagas nobis inflixerit peccatum originale, quam graves pœnas nobis intulerit, quam multos hoſtes, tam vigilantes, tam armatos, tam perfidos, tam excitatos, & in noſtram perniciem juratos atque devotos, excitarit.

D. Fuitne immediate poſt Adami peccatum a Deo inſtitutum aliquod remedium, ſeu Sacramentum, quo homines in ſtatu legis naturæ conſequerentur remiſſionem peccati originalis, vireſque perciperent, quibus poſſent ſeſe e tot hoſtium, qui hominibus poſt peccatum Adami dominantur, tyrannide eximere ac liberare?

M. Cum Deus velit omnes homines ſalvos fieri, nulli dubium eſſe debet, quin hominibus etiam in ſtatu legis naturæ immediate poſt peccatnm Adami, aliquod indulſerit remedium, cujus beneficio adipiſcerentur remiſſionem peccati originalis, vireſque acquirerent, quarum ope ingruentibus tentationibus reſiſtere poſſent. Hoc autem remedium nihil aliud erat, quam externum aliquod ſignum, qnod non erat a Deo determinatum, ſed in arbitrio hominum, qui in lege naturæ vive-

vivebant, poſitum, quippe per illud ſignum externum proteſtabantur, ſe habere Fidem in venturum Mediatorem, ſeu Chriſtum Dominum, & per eam Fidei proteſtationem non ſolum adulti in lege naturæ amiſſam per peccatum gratiam recuperabant, ſed etiam parvuli obtinebant remiſſionem peccati originalis, cum eo tamen diſcrimine, quod in parvulis in ſtatu legis naturæ non requireretur propria Fides, ſeu neceſſarium non erat, ut parvuli elicerent actum Fidei (cujus eliciendi actus erant omnino incapaces) ſed parvulis ſat ſuperque ſufficiebat ad habendam remiſſionem peccati originalis Fides parentum, quæ per ſignum aliquod externum alieno miniſterio eis applicata illos a contracta peccati originali labe purgabat ac liberabat. At, adulti in lege naturæ non poterant tam a peccato originali, quam a peccatis actualibus mundari, niſi inſpirante divina gratia, per proprium & a ſe ipſis elicitum actum Fidei, quæ per dilectionem operatur, crederent in venturum Mediatorem, quem Deus, ſtatim ac peccavit Adamus, a ſe miſſum iri promiſit ad liberandum genus humanum. Hinc docent Theologi, Fidem in Chriſtum mediatorem, ſeu in Meſſiam liberatorem fuiſſe omni ævo, ideſt, tam in lege naturæ, quam in lege ſcripta, ſeu Moſaica, & in lege Evangelica neceſſariam ad ſalutem, ita ut tamen fides implicita in Chriſtum Mediatorem ſufficeret ad ſalutem in lege naturæ, & in Lege ſcripta, ſeu Moſaica; ſed in lege Evangelica requiratur Fides explicita in Chriſtum mediatorem, qua firmiter credimus, eum non ſolum eſſe Meſſiam promiſſum a Deo, verum etiam illum Deum eſſe, natum, paſſum, mortuum eſſe pro nobis &c.

D. Habeturne in Sacris Litteris aliqua mentio hujus remedii, ſeu alicujus Sacramenti inſtituti a Deo ad delendum in hominibus, qui erant in lege naturæ, peccatum originale?

M. Huic quæſtioni *S. Auguſtinus* cap. 6. lib. 15. *De Civitate Dei* his verbis reſpondet; *utrum autem aliquod fuerit corporale atque viſibile regenerationis ſignum ante diluvium, ſicut Abrahæ circumciſio poſtea eſt imperata, Sacra Hiſtoria tacet.* Quibus verbis innuere vult S. Auguſtinus, ſignum illud externum, per quod homines ante diluvium proteſtabantur Fidem in Chriſtum Mediatorem, & peccati originalis remiſſionem conſequebantur, non legi in ſacris litteris, quia iſtiuſmodi ſignum externum non fuit determinatum a Deo, ſed erat hominum, qui in lege naturæ, ante inſtitutam a Deo circumciſionem vixerunt, voluntati permiſſum, ſicut luculentiſſime idem Sanctus Doctor lib. 3. contra *Julianum*, Pelagianum, docet his verbis: *Non ideo tamen credendum eſt, & ante datam circumciſionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuiſſe parvulis ſuis, quamvis quid illud eſſet aliqua neceſſaria cauſa Scriptura latere voluerit. Nam & ſacrificia eorum legimus, quibus utique ſanguis ille figurabatur, qui ſolus tollit peccata mundi. Apertius etiam legis jam tempore naſcentibus parvulis, offerebantur ſacrificia pro peccatis. Reſponde, pro quibus peccatis? &c.* Denique, idem inculcat S. Doctor lib. 2. de Nuptiis & Concupiſc. cap. 11. & 12. dicens: *Non quod ante circumciſionem juſtitia fidei nulla erat. Nam cum adhuc eſſet in præputio ex fide juſtificatus eſt ipſe Abraham, pater gentium, quæ ipſius fidem erant ſectaturæ, ſed ſuperioribus temporibus omnino latuit Sacramentum juſtificationis ex fide. Eadem tamen fides Mediatoris ſalvos juſtos faciebat antiquos, puſillos cum magnis.*

D. Habueruntne homines in Lege naturæ aliquem determinatum modum, quo Deum, tanquam rerum omnium creatorem, colerent, & præfixa ſacrificia, quibus ſupremum ipſius agnoſcerent dominium?

M. Homines in lege naturæ Deum coluerunt duplici cultu, quem diſtinguunt Theologi, interno nimirum, & externo, quamvis cultus externus non eſſet in Lege naturæ determinatus a Deo quantum ad modum, quem pro ſuo arbitrio adhibebant homines, qui in Lege naturæ vivebant. Certe, nullus, niſi Atheus, qui inficiatur Dei exiſtentiam, negare audebit, homines, qui erant in

in Lege naturæ, detuliſſe Deo, tanquam ſupremo rerum omnium Domino, debitum cultum, in quo conſiſtit Religio. Semel quippe demonſtrata contra Atheos ſupremi Numinis exiſtentia (quæ non ſolum quinque Doctoris Angelici demonſtrationibus, ſed & aliis tam Phyſicis, quam Moralibus, & Metaphyſicis rationibus invicte adſtruitur) demonſtrata, inquam, ſemel contra Atheos Dei exiſtentia, neceſſario ſequitur, omnium hominum animis, ac ſenſibus ſemper inſita fuiſſe a natura religionis ſemina, quibus confeſtim intelligerent, Deum, cui vitam, & ceteræ, quibus fruuntur, bona, accepta referre tenentur, religioſo obſequio ab ipſis eſſe colendum. Id liquido patet ex conſenſu omnium Nationum in hanc veritatem, quam ipſa natura docet, certatim conſpirantium. Nulla quippe gens tam barbara eſt, cui non inſit aliquis Religionis cultus. Nomine autem Religionis nihil aliud intelligitur, quam impreſſum quoddam lumen, quo Deus agnoſcitur, & colitur. Hinc omnis homo, dum ei affulgere incipit rationis aurora, aſtutum, ſola præeunte luminis naturalis face, & abſque ullo externo adminiculo, experitur, & percipit impreſſam ſuo animo æternæ cujuſdam Legis auctoritatem, ſibi, & omni homini dominantem, qua honeſta ſectari, turpia, injuſtaque fugere jubetur, dumque æternam illam Legem, quam ſcit menti ſuę dominari, tranſgreditur, naturaliter timet, anxius eſt, & perturbatur, quia pertimeſcit auctoritatem, & poteſtatem ſupremi Legislatoris, a quo vim Lex habet. Cum igitur a natura ſinguli homines, ubi primum rationis lumine illuſtrantur, agnoſcant auctoritatem cujuſdam æternæ Legis menti ſuæ dominari, neceſſe omnino eſt, ut natura duce, & rationis præfulgente lumine perſpectam habeant Dei exiſtentiæ notitiam, ſeque ei cultum, ac reverentiam exhibere debere, ſuaſque omnes fortunas a ſuprema ipſius voluntate pendere intelligant. Negari itaque haud poteſt, homines in Lege naturæ cognoviſſe, ſe a Deo, præpotenti rerum omnium conditore, fuiſſe procreatos, ac ſubinde ei cultum exhibuiſſe ut ſummam ejus excellentiam venerarentur, eique, ob beneficia, quibus illos Deus quotidie afficiebat, perpetuas gratias agerent. Nec enim ſatis eſt, Deum, inſtigante interius conſcientia, & exterius clamante natura, hujus univerſi opificem fateri, ſed tota propenſione voluntatis continuæ gratiarum actiones Ipſi habendæ ſunt; tum quod e nihilo, cum minime eſſemus, nos eduxerit; tum quod nos conſervare, & ea, quæ ad vitam noſtram neceſſaria ſunt, nobis affatim ſuppeditare non deſinat. Quo circa, Apoſtolus *Paulus* cap. 1. Epiſt. ad Rom. jure optimo *inexcuſabiles* pronuntiat eos, *qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.*

D. In quo præcipue ſitus erat cultus interior, quem Deo reddebant homines, qui in Lege naturæ vixerunt?

M. In duobus potiſſimum præceptis ſitus erat cultus ille interior, videlicet in amore Dei ſuper omnia, & in dilectione proximi propter Deum. Et primo quidem Lex naturalis ita præſcribit amorem Dei ſuper omnia, ut nemo adeo ſtupidus ſit, & obtuſus qui id ignoret, ſi tantiſper ad id advertat animum. Nam mediocri mentis attentione agnoſcere poteſt, & ſe, & alios, quos ſibi ſimiles videt, a Deo fuiſſe creatos (cum nulla dari poſſit invincibilis ignorantia exiſtentiæ Dei) ac ſubinde, ſe alioſque homines in cultu interno, quem Deo reddere debent, teneri illum tota mente, & ſuper omnia diligere. Porro, amare Deum ſuper omnia, eſt ipſum creatis omnibus anteferre, ſive in ipſum, tanquam in ſummum bonum, tota voluntate inclinari, ceteraque creata bona diligere tantum in ordine ad Deum. Quo fit, ut ſi quis, vel ſe ipſum, propriamque vitam, vel proximum, puta parentes, fratres, amicos, vel res alias, ut divitias, honores hujus Mundi, lautam vitam, & alia id genus, vel majori quam Deum, vel etiam æquali ac ipſum amore proſequitur, non ſpectaret Deum, tanquam ſummum bonum, cujus gratia fuit conditus: ſed in creatis bonis hæreret, ſicque ordinem amoris interverteret, ac contra Legem naturalem peccaret. Secundo, ſi Deum, ut par eſt, diligamus, proximum iti-

ximem noſtrum, ſeu omnes homines, nobis ſimiles, & ab eodem Auctore, ſeu Deo, productos, propter ipſum diligamus, tanquam fratres complectemur, nec modo ullum ipſius damnum inſeremus, ſed potius omnibus pietatis, ac neceſſitudinis officiis ipſos nobis devincire conabimur. In his ergo duobus præceptis, ſive in amore Dei ſuper omnia, & in dilectione proximi in ordine ad Deum ſitus erat cultus interior, quem homines juſti in Lege naturæ Deo reddiderunt, quos inter potiſſimum cenſentur *Adamus*, *& Eva*, *Abel*, *Enos*, *Enoch*, *Noemus*, *Melchiſedechus*, *Abrahamus*, *Iſaacus*, *& Jacobus*, aliique, quos laudat Scriptura Sacra. *Caini* vero munera reſpuit Deus, quia non corde puro, & eo, quo debebat, cultu interiori, *Cainus* illa Deo offerebat. Hinc intelligere debes, chariſſime diſcipule, cultum externum, quem Deo exhibent homines, ſi cum cultu interno, hoc eſt, cum vera mentis pietate non ſit conjunctus, nec Deo gratum, nec ad ſalutem prodeſſe poſſe, ſicut ipſemet Deus teſtatur per Prophetam ſuum *Iſaiam* c. 1. ubi in Judæos, qui templi ritibus ipſum colebant, cum alioqui pollute viverent, hunc in modum invehitur: *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? plenus ſum. Holocauſta arietum, & adipem pinguium & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hyrcorum nolui. Cum veniretis ante conſpectum meum, quis quæſivit hæc de manibus veſtris, ut ambularetis in atriis meis? Ne offeratis ſacrificium fruſtra. Neomeniam, & Sabbatum & Feſtivitates alias non feram. Iniqui ſunt cætus veſtri. Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odivit anima mea, facta ſunt mihi moleſta.*

D. Nondum plene capio, cur Deus eo *Iſaiæ* citato c. 1. tantopere deteſtari videatur Sacrificia, & cæremonias Judæorum, in quibus ſitus erat eorum cultus externus, cum tamen ipſemet Deus in Lege, quam per Moyſem, Judæorum Legiſlatorem, promulgavit, omnia Sacrificia, & cæremonias cultus externi Judæorum tam accurate præſcribat, & obſervantibus promittat ingentia bona, & violantibus comminetur mortem?

M. Non deteſtatur Deus citato illo primo *Iſaiæ* capite Sacrificia, & cæremonias, in quibus ſiſtebat externus cultus Judæorum, hæc enim Sacrificia, & iſtas cæremonias præſcripſerat Deus in Lege data per Moyſem, ſed tantum queritur Deus per Prophetam *Iſaiam*, quod Judæi, inter quos multi erant carnales, non obſervarent ea, quæ in Lege præceperat, neque enim hæc Sacrificia, & cæremonias illas externi cultus Judæorum ita præſcripſerat Deus, ut in eis collocarent ſummam ſpem, aut juſtitiæ fiduciam, ſed ut partim eſſent ſigna, quibus admonerentur, partim adminicula, quibus proveherentur ad internum Dei cultum, ſeu ad amorem Dei ſuper omnia, & ad dilectionem proximi propter Deum. Hunc cultum internum volebat Deus ut Judæi conjungerent cum cultu externo, quem illis in Lege præſcripſerat, quique in Sacrificiis, & cæremoniis poſitus erat. At, Judæi carnales in hoc cultu externo juſtitiam præpoſtere collocabant, & veræ pietatis, internique cultus expertes, apud homines magis, quam apud Deum pietatis opinionem captabant, indeque fiebat, ut cultus externus, quem abſque charitatis officiis exhibebant Deo, qui præcipue delectatur cultu interno, non probaretur, ſed eſſet ipſi ingratus, ac moleſtus. Sed de hoc cultu tam externo, quam interno Judæorum opportunius diſſeremus, dum de Lege Moſaica Sermonem inſtituemus.

D. Eratne determinatus a Deo cultus ille exterior, quem homines in Lege naturæ exhibebant Deo, ſicut poſtea fuit determinatus in Lege Moſaica, & in Lege Evangelica?

M. Quamvis homines, qui in ſtatu Legis naturæ vixerunt, cultum aliquem externum Deo, omnium conditori, exhibuerint, & ſimul vitæ ſocietate, ac religionis vinculo juncti per Sacrificia, & cæremonias externas, ſupremum Dei Dominium agnoverint, ejus opem imploraverint, pro acceptis beneficiis ei gratias egerint, & imbecillium virium ſuarum poſt peccatum Adami probe conſcii, infirmitatem confitentes, a Deo auxilium poſtulaverint, & liberationem a miſeriis, in

quas primi Parentis peccatum illos præcipitaverat: non legimus tamen in Scriptura Sacra, cultum illum externum, quem homines in ſtatu Legis naturæ Deo reddebant, fuiſſe a Deo præſcriptum, ac determinatum, ſicut poſtea fuit determinatus in Lege Moſaica, & in Lege Evangelica. Quapropter, cum in Lege naturæ, non eſſet determinatus cultus, qui Deo erat exhibendus, alii in Lege naturæ, ſicut *Abel*, victimas Deo immolabant, ut legitur c. 4. libri Geneſeos. Alii, ſicut *Cain*, frater *Abelis*, fructus terræ Deo offerebant, ut eodem in capite libri Geneſeos legitur. *Enos*, Patriarcha ante Diluvium, ſolemnibus inſtitutis precibus, modum implorandi Dei opem homines edocuit. *Noemus*, poſt Diluvium Deo altare erexit, & holocauſta obtulit. Melchiſedechus panem, & vinum Deo obtulit in Sacrificium. *Abrahamus* obtulit in Sacrificium Deo arietem, quem ſuffecit loco filii ſui *Iſaaci*, quem, jubente Deo, paratus erat immolare. Patientiſſimus *Jobus* multa Sacrificia pro filiis, & amicis ſuis Deo obtulit. Ex quibus exemplis patet primo, cultum externum, quem homines in Lege naturæ Deo exhibebant, nulla Lege divina fuiſſe determinatum, nec quantum ad modum, nec quantum ad locum, nec quantum ad tempus, nec quantum ad alias ejuſmodi circumſtantias. Secundo, erraſſe olim quoſdam Ethnicos Græcos, qui aſſerebant, priores homines obtuliſſe Diis in Sacrificium duntaxat plantas, & fructus terræ; Sed poſteriores homines cœpiſſe offerre Diis Sacrificia cædendo animalia, & effundendo eorum ſanguinem, quæ Sacrificia dicebant illi Ethnici Græci, Diis fuiſſe omnino ingrata, utpote quæ ſapiebant impietatem, injuſtitiam, & crudelitatem. Hunc Græcorum Ethnicorum errorem *Euſebius*, Epiſcopus Cæſarienſis, c. 10. li. 1. *De Demonſtratione Evangelica* refellit his verbis, quæ ad præſentem, quam verſamus, quæſtionem cum apposite dicta ſint, hic exſcribere haud pigebit: *De ipſo culto*, inquit ille Scriptor antiquus, *quem veteres, & primi homines Divinæ naturæ exhiberent, non idem, quod Græcis viſum eſt, & quod in Sacris Hebræorum libris inveni*-*tur. Nam illi quidem* (ſeu Græci Ethnici) *putaverunt, primos homines nullum prorſus animalis genus, neque ſacrificare, neque incendere ſolitos Diis, ſed eos Soli, & reliquis Cœli Syderibus, ut viride gramen, & quaſi quaſdam fœcundioris naturæ quiſquilias manibus ſuſtuliſſent, herbam cum foliis, & radicibus igni comburere. Poſteriores autem homines, procul a tam recto inſtituto aberrantes, fœdaſſe aras animalium cædibus. Porro, hoc eſſe impium, & injuſtum, & nuſquam Deo acceptum Sacrificium. Nam brutorum animam nihil ab hominum rationali anima differre: Quapropter, cædis accuſandos eſſe eos, qui animalia ſacrificarent, dicebant non ſecus, ac ſi eadem, ſimiliſque & in homine, & in bruto anima ineſſet. Et talis quidem de antiquis hominibus opinio Græcorum* (Ethnicorum) *extat. Quæ autem in ſcriptis Hebræorum legitur, non talis*, (ideſt opinio) *illico enim factos primos homines ut primum in vita conſtiterint, animalium ſacrificiis Deo exhibuiſſe honorem commemorat. Dicit itaque*: Et factum eſt poſt multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ ſacrificium Deo. *Tum Abel ipſe quoque de primogenitis ovium ſuarum:* Et reſpexit Deus ad Abel, & munera ejus: *Ad Cain vero, & ad ſacrificium ejus, non intendit. Ubi jam illud conſiderabis, quod Deo acceptior dictus ſit, qui animalia ſacrificaverit, quam is, qui ab agro ſacrificium obtulerit. Etiam Noe protinus de cunctis pecoribus mundis, & de cunctis volucribus mundis obtulit perfectiſſima munera ſuper altare, odoratuſque eſt Deus odorem ſuavitatis. Abraham quoque ſacrificans deſcribitur; ut, ſi Divinæ Scripturæ teſtimonium ſequimur, primum omnium ſacrificium priſcis Deo amicis viris excogitatum fuiſſe, nos dicere oporteat. Quam ſane excogitationem temere extitiſſe, aut humano more exortam, putandum non eſt, ſed divino potius nutu inſinuatam. Etenim, cum morum ſanctitate præſtarent, Deoque penitus addicti eſſent, & ob eam rem, quaſi divino ſpiritu illuſtrati viderent, magno ſibi opus eſſe obſequio, ſi ſua ipſorum humana delicta diluere vellent, pretium pro ſalute ſua ei, qui vitam, atque animam præbuiſſet, ſe debere pu*-

ta-

tabant: ſed, cum nihil præſtantius, aut pretioſius anima ſua haberent, quod dicerent, pro hac interim brutorum animalium vitam offerebant, ita ſuæ ipſorum animæ ſacrificium illud comparantes: Neque ſe in hoc, aut delinquere, aut injuſte facere arbitrabantur, quippe qui hominum rationalis, atque intelligentia prædite animæ neutiquam ſimilem brutorum animam eſſe didiciſſent; neque aliud quidquam, quam illorum ſanguinem, vitalemque in eo vim eſſe eam, edocti eſſent, hocque unum præbere, ſe quaſi animam Deo pro anima offerentes. Hoc, longiuſculum licet *Euſebii* Epiſcopi Cæſarienſis, teſtimonium hic exſcribere neceſſarium duxi, ut inde intelligeres, homines in Lege naturæ non ſolum Deo fructus terræ obtuliſſe, ſed etiam victimas ei libaſſe, & immolaſſe, animalia videlicet in ſacrificium offerendo, & fundendo eorum ſanguinem, ſive in honorem Dei, totam conſumendo, & incendendo hoſtiam per ſacrificia, quæ ideo dicebantur *Holocauſta*; ſive ad impetrandam Dei opem, per ſacrificia, quæ dicebantur *impetratoria*; ſive ad expianda peccata ſua per ſacrificia, quæ erant *propitiatoria*; ſive denique ad referendas Deo pro perceptis beneficiis gratiarum actiones per ſacrificia, quæ vocabantur *Euchariſtica*. His autem ſacrificiis homines in Lege naturæ non tantum proteſtabantur exterius Fidem in Chriſtum venturum, per quam Fidem conſequebantur gratiam, & ſalutem, ſed etiam adumbrabant ſacrificium, quod Chriſtus Dominus in Ara Crucis ad redimendum genus humanum erat oblaturus, ſuum pro peccatis noſtris pretioſum ſanguinem fundens.

D. Fueruntne in Lege naturæ a Deo præſcripta aliqua præcepta, quibus homines ea in Lege viventes ad contrahenda inter ſeſe Matrimonia obſtringerentur?

M. Quando Deus in Paradiſo terreſtri Matrimonium inſtituit Adamum inter & Evam, ſicut legitur cap. 2. Libri Geneſis, quo ad legitimum contrahendum Matrimonium Præcepta condidit, quorum primum ſpectat nexum indiſſolubilem Matrimonii, ita ut vir non poſſit repudiare uxorem ſuam, & alteri mulieri nubere. Alterum præceptum in hoc ſitum erat, quod vir non poſſet ſimul cum pluribus mulieribus inire Matrimonium, per quod præceptum inhibetur duntaxat Polygamia ſimultanea, ſed non polygamia ſucceſſiva, quæ licita erat. Hæc duo obſervanda circa Matrimonium divina Præcepta continentur his verbis Scripturæ Sacræ Geneſis cap. 2. v. 24. *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*: Quæ verba explicans Concilium Tridentinum initio Seſſionis 24. hæc habet: *Matrimonii perpetuum, indiſſolubilemque nexum primus humani generis parens, divini ſpiritus inſtinctu pronuntiavit, cum dixit: Quamobrem, relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Hoc autem vinculo copulari, & conjungi Chriſtus Dominus apertius docuit, cum poſtrema illa verba, tanquam a Deo prolata, referens, dixit: itaque non ſunt duo, ſed una caro: ſtatimque ejuſdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis confirmavit: Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* His duobus præceptis, videlicet de indiſſolubilitate Matrimonii, & de unica habenda uxore, quæ in Lege naturæ fuerunt obſervata, tertium præceptum addidit Deus, ne illi, qui ex familia Patriarchæ *Seth* oriundi erant, quoſque Scriptura Sacra nuncupat *filios Dei*, Matrimonio commiſcerentur cum filiabus, quæ e familia *Caini* originem ducebant, quaſque eadem Scriptura Sacra appellat *filias hominum*: *Videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulcræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant, dixitque Deus; non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, eruntque dies illius centum viginti annorum*, Geneſis cap. 6. v. 3.

D. Impoſuitne Deus alia hominibus, qui in Lege naturæ vixerunt, præcepta poſitiva, quæ ſimul cum Lege naturę obſervare tenerentur?

M. Aliqui exiſtimant, Deum in Lege naturæ prohibuiſſe hominibus ante Diluvium, ne carnibus animalium veſcerentur, & eis tantum conceſſiſſe fructuum, & herbarum uſum, juxta illud Dei cap. 1. Geneſis præceptum, quod Ada-

Adamo, & Evæ dedit dicens : *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram , & univerſa ligna , . . . ut ſint vobis in eſcam* . Verum , ipſe cum multis doctiſſimis Scripturæ Sacræ interpretibus probabilius eſſe cenſeo , eſum carnium in Lege naturæ , ante Diluvium , nec a Deo vetitum fuiſſe , nec tamen uſitatum , quia homines tum temporis ita in cibo , & potu erant frugales , ut ſolis herbis , ac fructibus veſcerentur , a carnibus vero æque ac vino abſtinerent , non quia Deus prohibuerat , ſed ob quamdam religionem , inde natam , quod earum eſum Deus necdum diſerte conceſſiſſet . A carnibus etiam homines ante Diluvium abſtinebant , quia id temporis herbæ , & fructus terræ ſapidiores erant , ac plus nutriebant , quam nunc nutrire ſolent . De illa antediluviana priſcorum hominum a carnibus abſtinentia ita perſuaſi fuere Ethnici , ut *Ovid.* lib. 15. Metamorph. Fab. 2. de aurea illa ætate hæc canat.

At vetus illa ætas , cui fecimus , Aurea nomen ,
Fœtibus arboreis , & quas humus educat , erbis
Fortunata fuit , nec polluit ora cruore ,
Tunc & aves tutæ movere per aera pennas ,
Et lepus impavidus mediis erravit in arvis .
Nec ſua credulitas piſcem ſuſpenderat hamo .
Cuncta ſine inſidiis , nullamque timentia fraudem ,
Plenaque pacis erant . . . .

Ab eſu itaque carnium abſtinuerunt homines antediluviani , non quod Deus illis carnium eſum aliquo præcepto inhibuiſſet , ſed religionis , & frugalitatis ergo a carnibus edendis ſibi temperabant , ovibus autem , quas paſcebant , ceteriſque animalibus utebantur ad offerenda Deo ſacrificia , ex ovibus etiam ſumebant vellera , lac , & caſeum , quibus veſcebantur cum maxima frugalitate , quæ illorum longævæ vitæ præcipua cauſa fuit . Quamvis enim aliæ a Sacræ Scripturæ interpretibus longævæ hominum antediluvianorum vitæ cauſæ notentur , videlicet bonitas primæva complexionis , ſeu temperamenti humani ; fructuum terræ virtus , quæ tunc major erat , fructuſque ſucculentiores , quam nunc ; & ſcientia Adami , & per Adamum illis communicata , cujus beneficio , cum herbarum , tum terræ fructuum vim longe melius noverant antiqui Patres illi primævi , quam hodie peritiores Medici noſtri : Quamvis , inquam , a Sacræ Scripturæ interpretibus hæ cauſæ aſſignentur longævæ hominum antediluvianorum vitæ , nihiloſecius præcipua cauſa , ob quam homines illi tam longævam duxere vitam , fuit ipſorum frugalitas . Abſtinentia ſiquidem , ſeu frugalitas , multum ſanitati confert , & longævitati , quippe quæ noxios conſumit humores ; & ſpiritus vitales purificat , & exacuit , fovetque inſuper humidum radicale , ſeu calorem naturalem , quem ſæpius intemperantia & ingluvies , ſeu nimia ciborum copia ſuffocat & opprimit , & tandem progreſſu temporis , ſimul cum vita minuit & extinguit . Plures enim occidit gula , quam gladius . Obiter hic obſervare debes , Deum hominibus , poſt diluvium , adhuc in lege naturę viventibus , duo dediſſe obſervanda præcepta poſitiva , quorum unum in hoc ſitum erat , ut non comederent carnem cum ſanguine , ſicut legitur Geneſis cap. 9. Alterum preceptum poſitivum dedit Deus de circumciſione , quam per abſciſſionem carnalis pelliculæ in membro genitali factam precepit Abrahamo , omnibuſque ejus poſteris obſervandam . Sed de utroque illo præcepto poſitivo , quod hominibus poſt diluvium in lege naturæ Deus impoſuit , opportunius , auxiliante Deo diſſeremus in primo colloquio in Hiſtoriam ſecundæ mundi ætatis , quæ incipit a diluvio , & protenditur uſque ad vocationem Patriarchæ *Abrahami* .

D. Non poſſum meum inducere in animum , homines antediluvianos tot vixiſſe annos , quot ipſis tribuit *Moyſes* cap. 5. libri Geneſis , ubi ait *Adamum* vixiſſe 930. annis , *Sethum* 912. *Enoſum* 905. *Cainanem* 910. *Jaredum* 961. *Mathuſalem* 969. *Noemum* 950. Qui enim credibile eſt , quod homines , qui

Digitized by Google

ante diluvium vixerunt, ſolis herbis, & arborum fructibus veſcendo tam longævam potuerint ducere vitam? Libentius itaque, ſi liceret, deſcenderem in ſententiam illorum, qui, ut nuperrime audivi, aſſerebant, annos iſtorum Patriarcharum antediluvianorum, a *Moyſe* numeratos, pares non fuiſſe annis noſtris, qui complectuntur menſes duodecim, ſed annos fuiſſe ita breves, ut centum ex illis Patriarcharum anni non ſuperarent decem annos ex noſtris.

M. Abſit ut deſcendas in hanc ſententiam omnino contrariam Scripturæ Sacræ, quæ annos Patriarcharum ante diluvianorum pares facit annis noſtris. Si enim anni Patriarcharum antediluvianorum fuiſſent anni menſtrui, hoc eſt, unius menſis, vel triginta ſex dierum, quales olim Ægyptiis in uſu fuiſſe conſtat, ſequeretur, quoſdam Patriarchas antediluvianos liberis procreandis operam dediſſe anno ſexto & ſeptimo ætatis ſuæ. Enim vero, *Cainan*, cum eſſet annorum 70. genuit *Malaleelem*; Malaleel vero cum attigiſſet annum ætatis ſuæ 65. genuit *Jaredum*: denique, *Henoch*, cum impleviſſet annum itidem ætatis ſuæ 65. genuit *Mathuſalem*. Si igitur *Moyſes* annos Patriarchatum antediluvianorum menſtruos intellexiſſet, ſequeretur, Henochum, & Malaleelem ſtatim poſt annum ætatis ſuæ ſextum, *Cainanem* vero anno ætatis ſuæ ſeptimo pubertatis tempore ingreſſum, genuiſſe filios, quod certe tam ridiculum eſt, quam quod maxime. Addo etiam, Hiſtoricos prophanos ultro fateri, annos Patriarcharum antediluvianorum pares fuiſſe annis noſtri, quos inter *Joſephus*, Hebræus, lib. 1: Antiq. Judaic. cap. 4. numerat *Beroſum* in Caldaicis, *Manethonem*, in Ægyptiacis, *Hieronymum* in Phæniciis, *Hecatheum* in Græcanicis &c.

D. Si Patriarcharum antediluvianorum anni pares noſtris annis fuerunt, quorſum, amabo, iſti Patriarchæ tandiu vitam cælibem duxerunt? Legimus quippe in Libro Geneſis, Patriarcham *Sethum* genuiſſe *Enoſum* anno vitæ ſuæ 105. *Enoſum* vero, jam nonagenarium genuiſſe *Cainanem*; Mathuſalem genuiſſe Lamechum anno ætatis ſuæ 187. & denique *Noemum* anno ætatis 500. genuiſſe filios *Semum*, *Chamum*, *&* *Japhetum*. Credibile autem non eſt, iſtos primæ ætatis Patriarchas tandiu cælibes vixiſſe, aut continentiam in matrimonio ſervaſſe, & ad ſeram uſque ætatem diſtuliſſe liberis procreandis operam dare.

M. Id creditu difficile tibi videri minime debet, tum quia, ut dicit *S. Auguſtinus* lib. 15. *De Civitate Dei* cap. 15. hi primi ætatis Patriarchæ pubertatis annos longe tardius attigerunt, quam nos modo attingere ſolemus, ex proportione longiſſimæ vitæ, quam ducebant: Tum quia etiam illa Patriarcharum primæ ætatis genealogia non fuit a Moyſe per familiarum primogenitos contexta, ſed per eos duntaxat, per quos ab *Adamo* generationum ſeries uſque ad *Noemum* produceretur, & a *Noemo* uſque ad *Abrahamum*, ex cujus ſtirpe naſciturus erat Chriſtus, verus Meſſias a Deo promiſſus. Cum igitur, dicitur, *Sethum*, annos centum quinque natum, genuiſſe *Henoſum*, *Noemum* vero, cum eſſet quingentorum annorum, genuiſſe *Semum*, non ſequitur, illos Patriarchas non genuiſſe antehac alios filios. Quod ſi quæras, cur Deus voluerit, ut primæ ætatis Patriarchæ tam diuturnam vitam ducerent? Reſpondebo, ejuſmodi vitæ longævitatem fuiſſe horumce Patriarcharum virtutis præmium a Deo conceſſum, eamque neceſſariam fuiſſe, non ſolum ut facilius propagaretur genus humanum, ſed etiam ut Patriarchæ Aſtrologiam, Geometriam, aliaſque, quas adinvenerant, artes, longiori uſu & experientia excolere, ac perficere poſſent.

D. Deum primæ ætatis hominibus longævitatem vitæ tanquam ipſorum virtutis præmium conceſſiſſe, difficile adducor ut credam, maxime cum Scriptura Sacra diſerte dicat, quod *omnis caro* ante diluvium, *corruperat viam ſuam*, & cuncta cogitatio hominum ita eſſet intenta ad malum, ut pœnituerit Deum, quod creaſſet hominem. Explica igitur, ſi placet, quo in ſenſu intelligenda ſit Scriptura Sacra, dum dicit cunctam cogitationem hominum ante diluvium ita fuiſſe intentam ad malum, ut pænituerit Deum, quod condidiſſet hominem.

M. Quando Scriptura Sacra ait, cunctam cogitationem hominum, qui vixerunt ante diluvium, ita fuiſſe intentam ad malum, ut Deum pœnituerit, ſe feciſſe hominem, loquitur ſolum Scriptura Sacra de his hominibus, qui poſt mille & quingentos annos a creatione mundi vixerunt, & centum quinquaginta circiter annis diluvium præceſſerunt. Hi quippe homines, a majorum ſuorum frugalitate ac pietate degenerantes, ſeſe turpiſſimis fœdarunt vitiis, & impietatem ad ſummum perduxerunt, adeo ut tempore *Noemi*, viri juſti, omnis caro viam ſuam corrupiſſe dicatur, nec aliter quam perpetuis quadraginta dierum imbribus, totiuſque terræ eluvione flagrans ubique hominum libido fuerit reſtincta. Dum vero ait Scriptura Sacra Deum pœnituiſſe quod feciſſet hominem, loquitur de Deo more humano. Qui enim perdit ac deſtruit id quod fecerat, eum facti pœnitere videtur. Quando igitur in Scriptura Sacra dicitur, quod Deus pœnitentia ductus ſit, vel tactus dolore cordis intrinſecus, id accipiendum eſt de effectu, ideſt, Deum externum prodidiſſe effectum, perinde ac ſi eum revera pœnituiſſet, vel tactus dolore cordis fuiſſet, eo quod produxiſſet homines, quos per diluvium perdidit.

D. Quandonam contigit illud diluvium, & quamdiu duravit?

M. Anno ab orbe condito milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, ætatis vero Noemi anno ſexcenteſimo, *Noemus* una cum uxore ſua, & tribus liberis ſuis *Semo*, *Chamo*, atque *Japheto*, eorumque uxoribus, in Arcam, quæ longitudine trecenta, latitudine quinquaginta, altitudine triginta cubita habebat, imperante Domino, ingreſſus eſt; cumque tranſiſſent ſeptem dies, menſe ſecundo, ſeptimodecimo menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ Cœli apertæ ſunt, & facta eſt pluvia per quadraginta dies, & quadraginta noctes, eoque aſſurrexit aquarum inundatio, ut cubitis quindecim ſupra montium vertices altiſſimos immineret. Sed poſtquam per dies centum & quinquaginta ſemper excreviſſet eluvies, tandem minui cœpta eſt, tumque Arca quievit in monte Armeniæ, cœperuntque apparere montium cacumina. Quo factum eſt, ut Noemus ex Arca emiſerit corvum, qui in eam amplius non rediit, ſed vel incubuit cadaveribus, aut Arcæ inſedit. Emiſit etiam *Noemus* ex Arca columbam, quæ non inveniens ſolum ſiccum, ubi pedem figere poſſet, reverſa eſt in Arcam, ſed denuo laxata columba virentem ramum olivæ ore retulit, ex quo intellexit *Noemus*, ceſſaſſe omnino diluvium, nec ullas in humilioribus locis, in quibus oleæ naſcuntur, ſupereſſe aquas.

D. Audivi nuperrime extare quoſdam montes ita excelſos, ut ſuperent mediam aeris regionem, in qua imber, nives, ac venti generantur, quales ſunt montes Athos, Caucaſus, &c. Qui fieri igitur potuit, ut aquæ diluvii quindecim cubitis fuerint excelſis montibus altiores?

M. Fabularum loco haberi debent quæcumque de illorum montium altitudine nonnulli comminiſci ſolent, idque eo potiſſimum demonſtratur argumento, quod prædicti montes non ſint hominibus inhabitabiles, eſſent autem prorſus inhabitabiles, ſi mediam aeris, ut nonnulli fingunt, regionem ſuperarent. Exploſis itaque illis fabulis, ſtandum eſt narrationi Scripturæ Sacræ, quæ, dum ait, aquas diluvii prævaluiſſe nimis ſuper terram, hiſque opertos eſſe excelſos montes, aperte innuit, diluvium non in aliam duntaxat particularem regionem graſſatum fuiſſe, ſicut falſo ſibi aliqui perſuaſerunt, ſed in totum qua late patet orbem ſæviiſſe, ita ut conſumpta fuerit, teſte eadem Scriptura Sacra, omnis caro, quæ movebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, omniumque reptilium, quæ reptant ſuper terram, univerſi homines, & cuncta, in quibus eſt ſpiraculum vitæ, in terra mortua ſint, ac ſalvi ſolum remanſerint *Noemus*, & qui cum illo erant in Arca, ceteris vero omnibus ad unum hominibus omnino deletis, quia, ut inquit Scriptura Sacra cap. 6. lib. Geneſis v. 12. *omnis caro corruperat viam ſuam*, ibidem verſ. 13. dixit

Deus,

Deus ad Noemum: *finis univerſæ carnis venit coram me, repleta eſt terra iniquitate a facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra*. Hinc eſt, quod omne genus humanum, quod penitus in diluvio perditum fuit, a filiis *Noemi* poſt diluvium eſſe reparatum diſertis verbis teſtatur Scriptura Sacra cap. 9. Geneſis v. 19. ubi hæc habet; *Tres iſti filii ſunt Noe, & ab his diſſeminatum eſt omne genus hominum ſuper univerſam terram*. Et cap. 10. ejuſdem libri Geneſeos Scriptura Sacra narrans filiorum Noemi generationes, ſic loquitur: *ab his* (ſeu filiis Noemi poſt diluvium) *diviſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis, unuſquiſque ſecundum linguam ſuam, & familias in nationibus ſuis*. Quæ Scripturæ Sacræ verba manifeſto probant, diluvium fuiſſe univerſale, ac ſubinde aquas, quibus abſorpta eſt univerſa terra, quindecim cubitis excelſos omnes montes altitudine ſuperaſſe. Addo etiam, diluvii univerſalis notitiam habuiſſe Hiſtoricos prophanos. Teſtatur enim *Joſephus*, Hebræus, lib. 2. contra *Apionem* pag. 1044. *Beroſum*, rerum Caldaicarum peritiſſimum, *de facto diluvio, & hominum in eo corruptione, ſicuti Moyſes narrat, ita contigiſſe*. Alexander Polyhiſtor, apud Georgium Syncellum pag. 30. & apud *Euſebium* in Chronico Græco Scaligeriano pag. 8. narrat ex ſecundo libro Caldaicorum jam citati *Beroſi*, ſub *Siſuthro*, quo *Noemum* nomine exprimit *ingens fuiſſe diluvium*, tuncque Deum Optimum Maximum, qui diem diluvii prædixit *Noemo*, quemque hic Scriptor gentilis ore prophano appellat *Saturnum*, per ſomnum *Noemo* dixiſſe, *homines diluvio perituros*. Vetus etiam Scriptor idipſum prodiit non ſolum apud *Georgium Syncellum*, p. 38. verum etiam apud *Euſebium* lib. 9. Præparationis Evangelicæ c. 12. & apud *S. Cyrillum* lib. 1. contra *Julianum*, ait enim de *Siſithro*, ſeu *Xiſuthro*, ſicut legit S. Cyrillus: *Huic autem Saturnus prædixit fore inundationem imbrium*. Ex hoc *Abydeni* & alio *Alexandri Polyhiſtoris* fragmento ita concludit S. Cyrillus: *Xiſulthrum igitur appellant Noe, forte voce Aſſyriorum: quamquam in hoc iterum a vero aberrarunt, Saturnum ipſi oraculum reddidiſſe dicentes, pro ſummo omnium Deo*. Habemus igitur ex Caldaicis antiquitatibus, fidem eis facientibus *Beroſo*, *Abydeno*, *Alexandro Polyhiſtore*, *Euſebio*, *Cyrillo Alexandrino*, & *Gregorio Syncello*, Noeticum contigiſſe diluvium. Sed ex antiquitatibus etiam Ægyptiacis habemus, diluvium, quod accidit ſub *Noemo*, fuiſſe univerſale. Hæ quippe Antiquitates Ægyptiacæ, nobis deſcriptæ a *Diodoro* lib. 1. Biblioth. meminerunt *abſumptorum prope omnium* in diluvio ſub *Oſiride*, per quem Ægyptii *Noemum* deſignabant. Idem legere eſt apud *Plutarchum*, in libro de *Iſide*, & *Oſiride* pag. 356. ubi ait, *Oſiridem* Ægyptiorum, ſeu *Noemum* noſtrum, in Arcam, propter diluvium, fuiſſe ingreſſum. Denique, in antiquitatibus Rhodiorum, quas *Diodorus* excuſſit lib. 5. Biblioth. factum ſub *Cecrope* diluvium memoratur, quod fuit *Noeticum*, ſicut & diluvium *Deucalionis*, cujus immenſam vaſtitatem deſcribens Poeta *Ovidius* lib. 1. Metamorph. Fab. 5. hæc habet.

Jamque mare, & tellus nullum diſcrimen habebant.
Omnia pontus erant.

Hæc paulo prolixius diſſerui, ut oſtenderem, quam impie *Iſaacus Peyrerius*, auctor Syſtematis Præadamitarum, auſus ſit univerſalitatem Noetici Diluvii negare, & Scripturæ Sacræ penitus valere juſſa, fabuloſas defendere variarum orbis nationum antiquitates, quæ cum Sacra Chronologia aperte pugnat. Hic temerarius Scriptor erat hæreſiarchæ *Calvini* ſequax, ſed poſtea coram *Alexandro VII.* Pontifice Maximo, anno 1657. ſuam ejuravit hæreſim, & impium, quod procuderat, Præadamitarum ſyſtema damnavit.

D. Lubenti quidem animo auſcultavi ea, quæ de Noetici Diluvii univerſalitate contra *Iſaacum Peyrerium* adduxiſti momenta; ſed ad iſtud tam inſulſum confutandum ſyſtema, ſatis ſuperque, mea ſententia, ſufficeret Mandatum, quo, ſicut nuperrime cap. 7. libri Geneſis legebam, præcepit Deus *Noemo*, ut omnis ſpeciei animalia introduceret in Arcam. Quorſum enim, quæſo, neceſſe fuiſſet illas animalium ſpecies

tan-

Digitized by Google

tanta diligentia inducere in Arcam, eaſque ibidem ſervare, ſi diluvium duntaxat particulare extitiſſet, & omnia ubique animalia non interiiſſent? Nonne ex aliis terris, diluvio non obrutis, animalia in ea particularia loca, quæ devaſtaſſet diluvium, facili negotio adduci potuiſſent? Sed tempus eſt, ut meos repetam lares, craſtina die ſummo mane ad te reverſurus, ut ea, quæ de vita, & rebus, quæ a Patriarchis antediluvianis præclare geſtæ ſunt, dicturus es, necnon accuratam in eorum ſubducendis annis Chronologiam addiſcere poſſim.

COLLOQUIUM III.

De Vita & Rebus, quæ a Patriarchis antediluvianis geſtæ ſunt, & de vera in eorum ſubducendis annis Chronologia.

M. CUm Adamus ſit primus Patriarcha antediluvianus, ex quo *uno fecit Deus omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ*, ſicut inquit Apoſtolus *Paulus* Act. c. 17. neceſſe eſt, ut ab ipſo Adamo, & a rebus, quæ ad ipſius vitam ſpectant, præſentis Colloquii exordium ducamus.

D. De Adami creatione, de ejus felicitate in ſtatu innocentiæ, de illius lapſu, & e Paradiſo terreſtri expulſione, atque de omnibus miſeriis, & vulneribus, quæ ſibi, totique generi humano inflixit, abunde in præcedentibus Colloquiis diſſeruiſti. Expone nunc, ſi placet, quid acciderit Adamo, poſtquam, una cum ſua uxore *Eva* fuit a Paradiſo terreſtri expulſus?

M. Poſtquam Adamus, juſto Dei judicio e Paradiſo terreſtri fuiſſet a Deo expulſus, funeſta, heu nimium! experientia intellexit, quam durum in omnes, qui ab ipſo prognati ſunt, imperium perduellis concupiſcentia exerceret. Hujus rei exemplum inter primos, quos procreavit filios, luculentum apparuit. *Cainus* quippe, filius Adami primogenitus, qui erat agricola, invidia ſuccenſus, Abelem, fratrem ſuum, qui erat paſtor ovium, quaſi univerſus orbis utrique continendo par non eſſet, interfecit.

D. Dic, quæſo, quæ nam fuerit cauſa invidiæ *Caini* erga fratrem ſuum *Abelem*, & qua pœna Deus in hunc fratricidam animadverterit?

M. Cauſa, cur *Cainus* invidia in fratrem ſuum *Abelem* exarſerit, profecta eſt e ſingulari favore, quo Deus Abelem dignatus eſt, ejuſque Sacrificia prætulit Sacrificiis *Caini*. Sic enim Scriptura Sacra Geneſis cap. 4. refert: *Factum eſt autem poſt multos dies ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino; Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & adipibus eorum, & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus: ad Cain vero, & ad munera illius non reſpexit, iratuſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus ejus*. Cognovit autem *Cain*, munera ſua repudiari a Deo, & ex adverſo munera fratris ſui *Abelis* grata eſſe Deo, quia, ut inquiunt periti interpretes, ignis deſcendebat de Cœlo, & in cineres redigebat oblationes *Abelis*, non autem oblationes *Caini*. Quo factum eſt, ut *Cainus* hoc viſibili ſigno admonitus, facile intellexerit, quod fratris ſui munera Deus ſuſcepiſſet, & ſua repudiaſſet. Hæc fuit origo invidiæ, quæ impulit *Cainum* ad occidendum fratrem ſuum *Abelem*, quem cælibem fuiſſe, ex ſilentio Scripturæ Sacræ, quæ nullam *Abelis* generationem narrat, colligunt multi Scripturæ Sacræ interpretes. Pœnam autem, quam Deus fratricidæ *Caino* inflixit, Scriptura Sacra exprimit his verbis: *Dixitque Deus ad eum* (ſeu Cainum) *quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me terra. Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua .... vagus, & profugus eris ſuper terram*. Referunt Hebræi ex antiqua Rabbinorum traditione, quod *Cainus*, jam ſenio confectus, cum ex urbe *Enochia*, quam condiderat, animi gratia fuiſſet egreſſus, & inter denſiſſima ſylvæ arbuſta conſediſſet, contigit ut *Lamechus* venationi deditus eo tempore in ſylva illa vagaretur, & admonitus ab uno e famulis ſuis, quem *Tubalcainum* eſſe volunt, ſub folius,

lius,

Digitized by Google

liis, & ramis feram latere, jaculum in eum locum deſtinarit, & miſerum *Cainum* occiderit. Verum, hanc, licet antiquam, Rabbinorum traditionem, ceu puram, putamque fabulam, periciores Scripturæ Sacræ interpretes explodunt, primo, quia Scriptura Sacra nullibi memorat, *Cainum* fuiſſe a *Lamecho* occiſum, ſed potius innuit, *Cainum* non fuiſſe a *Lamecho* interfectum. Dicenti enim Caino: *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me*; reſpondit Dominus: *Nequaquam ita fiet, ſed omnis, qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur, poſuitque Dominus Caino ſignum, ut non interficeret eum omnis, qui inveniſſet eum*; Geneſis cap. 3., fruſtratum porro Dei promiſſum, ac verbum videretur, ſignumque illud non præſtitiſſet, ad quod poſitum a Deo fuerat, ſi *Cainus* a Lamecho, vel alio quopiam fuiſſet occiſus. Dicere autem, quod caſu, non ſponte Lamechus occiderit Cainum, ariolari eſt, cum ea de re altiſſimum ſit in Sacris Literis ſilentium. Hinc *Theodoretus*, interrogatione 44. in Geneſim, hanc Hebræorum traditionem, tanquam fabuloſam, repudiat. Major autem fides hac in re *Theodoreto* adhiberi debet, quam ceteris aliis, quia Theodoretus hanc Hebræorum traditionem data opera, loco mox laudato, accurate diſcuſſit.

D. Iſte *Lamechus*, qui juxta Hebræorum traditionem, occidit *Cainum*, eſt ne ille *Lamechus*, qui, ut legitur cap. 4. Geneſis, ex genere *Caini* ortus, induxit polygamiam, duaſque duxit uxores, quarum uni nomen erat *Ada*, & nomen alteri *Sella*, & ſic primus fuit, qui violavit legem monogamiæ, quam Deus tulit cap. 2. verſ. 24. libri Geneſis his verbis: *Quamobrem, relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una?*

M. Hic *Lamechus*, quem Hebræi occiſorem *Caini* fuiſſe dictitant, ille ipſiſſimus eſt, qui duas duxit uxores, ac primus ante Diluvium violavit legem monogamiæ a Deo latam ab exordio mundi. Quo fit, ut ab omnibus jure optimo, ceu legis divinæ prævaricator, damnetur. At enim, poſtquam Deus *Evam* ex coſta *Adami*, dormientis, formaſſet, illam adduxit ad Adamum, dixitque Adamus: *hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea, & vocabitur Virago, quia de viro ſumpta eſt &c.* Et cap. 1. Geneſis: *Maſculum & fœminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Quibus Scripturæ Sacræ contextibus liquido patet, Deum in exordio mundi non plures condidiſſe fœminas, ſed unam tantum, adeoque matrimonium cum una duntaxat uxore ex primaria Dei inſtitutione profluxiſſe, & ſic *Lamechum* contra primariam Matrimonii inſtitutionem, a Deo factam, peccaſſe. Hinc eſt primo, quod pravum *Lamechi* exemplum, primævæ Legi Dei contrarium, ſequuti haud fuerint Patriarchæ ante Diluvium. Nam nec *Noemus*, nec tres filii ejus, humano licet generi poſt Diluvium propagando deſtinati, plures uxores habuerunt, ſicut evidenter colligitur ex cap. 7. Libri Geneſeos, ubi hæc leguntur: *Et ingreſſus eſt Noe, & filii ejus, & uxor ejus, & uxores filiorum ejus in Arcam propter aquas Diluvii.* Et Epiſtolæ 1. *S. Petri* cap. 3. dicitur: *in diebus Noe, cum fabricaretur Arca, in qua pauci, ideſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam.* Hinc ſecundo Chriſtus Dominus Matrimonium ad primam inſtitutionem revocans, Matthæi cap. 19. ait: *Non legiſtis, quia, qui fecit hominem ab initio, maſculum, & feminam fecit eos, & dixit: propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit Uxori ſuæ, & erunt duo in carne una, itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.* Hæc Chriſtus Dominus; quibus verbis manifeſte polygamiam ſimultaneam, ſeu pluralitatem uxorum, damnat, non eſt enim polygamia duorum in una carne. Addo denique, omnes Sanctos Patres, cum Græcos, tum Latinos, *Lamechum* damnare, quod primus contra primariam Matrimonii Legem, a Deo datam, duas uxores duxerit.

D. Necdum, pace tua dixerim, intelligo, qua de cauſa fuerit *Lamechi*, ante Diluvium, damnata polygamia? Nam primo, Patriarchæ vetereſque juſti

ſti poſt Diluvium plures uxores habuerunt, nec eorum tamen damnatur polygamia. Quorſum igitur *Lamechi* ante Diluvium damnatur Polygamia? Præterea, ideo excuſatur Patriarcharum poſt diluvianorum polygamia, quia poſt Diluvium erat multiplicandum genus humanum, aquis Diluvii pene extinctum, & quia etiam poſt Diluvium nulla Lex erat prohibens polygamiam. Porro, eædem concurrebant rationes tempore *Lamechi* ante Diluvium, tunc enim propagandum itidem erat genus humanum, nullaque extabat Lex, quæ polygamiam prohiberet. Quemadmodum igitur non damnatur in Patriarchis poſt Diluvium polygamia, ita nec ante Diluvium damnanda eſt in *Lamecho*. Videtur quippe mihi par utrobique ratio.

M. Longum certe latumque diſcrimen in ratione polygamiæ extat Patriarchas poſtdiluvianos inter & Patriarchas antediluvianos. Nam primo, polygamia Patriarchis poſtdiluvianis ideo crimini verti non debet, quia, ut inquit *S. Auguſtinus* lib. 22. contra *Fauſtum* Manichæum, invaluit poſt Diluvium mos plures habendi uxores: *Quando mos erat*, inquit Aquilinus ille Doctor, *crimen non erat, & nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt*. Aſt, in Patriarchis ante Diluvium mos non inoleverat plures ducendi uxores, ſed *Lamechus* fuit primus, qui ante Diluvium primam Matrimonii inſtitutionem, a Deo factam, violavit, duas ducens uxores, nullum hac in re habens prævium exemplum. Quapropter, ipſe peccavit, ſed non peccarunt Patriarchæ poſtdiluviani, quia poſt Diluvium obtinuit mos habendi plures uxores, imo, Deus cum Patriarchis poſtdiluvianis diſpenſavit, ut plures habere poſſent uxores, ſicut operoſius oſtendemus in Colloquio tertio in Hiſtoriam ſecundæ Mundi ætatis; hujus autem diſpenſationis conceſſæ a Deo poſt Diluvium non alia cauſa fuit, niſi neceſſitas multiplicandi genus humanum, & brevitas vitæ Patriarcharum poſtdiluvianorum. Cum enim eorum vita brevior eſſet, quam vita Patriarcharum antediluvianorum, nimis lente multiplicatum fuiſſet genus humanum, ſi unam tantum quiſque habuiſſet uxorem, & ideo Deus poſt diluvium polygamiam indulſit, qua ad propagandum genus humanum opus minime habebant Patriarchæ antediluviani, quia eorum vita longe diuturnior erat. Fateor tamen, Legem, quæ Patriarchis antediluvianis ſimultaneam polygamiam prohibebat, non fuiſſe literis mandatam, ſed eorum tantum mentibus impreſſam a Deo. Docuerat enim Deus *Adamum* Legem Matrimonii, eique conceptis verbis ſignificaverat, ſe velle, ut in monogamia ſe contineret, quam Dei voluntatem Adamus docuit poſteros uſque ad Diluvium. Poſt Diluvium vero, Deus ſpeciali inſpiratione Patriarchas docuit, ſe polygamiam illis permittere, maxime cum illis viris ſanctis, ut docet *S. Auguſtinus*, loco mox a me laudato, miſceri multis uxoribus officioſum fuerit, non libidinoſum. Sed de *Lamecho*, quem Hebræi occiſorem *Caini* eſſe putant, & de ejus polygamia haſtenus ſatis. Nunc ad Hiſtoriam Patriarcharum, qui ante Diluvium vixerunt, ex iſto diverticulo redeamus.

D. Poteſtne certo affirmari, *Adamum*, & ejus filium *Abelem*, a fratre ſuo *Caino* occiſum, ſalutem æternam fuiſſe conſecutos?

M. Æterna ſalus *Adami*, & uxoris illius *Evæ*, necnon filii ejus *Abelis*, a fratre ſuo *Caino* occiſi, extra omnem dubitationis aleam poſita eſſe debet. De ſalute Adami locupletiſſimum habemus in Sacris Literis teſtimonium, petitum e capite 10. Libri Sapientiæ, ubi hæc habentur: *Hæc*, ſeu ſapientia, *illum*, ideſt, Adamum, *qui primus formatus eſt a Deo Pater Orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodivit, & eduxit illum a delicto ſuo, & dedit illi virtutem continendi omnia*. Præterea, viguit ſemper in Eccleſia conſtans Sanctorum Patrum traditio de ſalute Adami, huicque traditioni aperte ſuffragantur *S. Irenæus* lib. 3. adverſus Hæreſ. cap. 34. *Tertullianus*, lib. 2. contra Marcionem cap. 25. *Epiphanius Hæreſi* 46. & *Auguſtinus* pluribus in locis. Hinc eſt, quod *Tatianum*, qui fuit diſcipulus *S. Juſtini* Martyris

tyris

tyris, ſed poſtea evaſit auctor Sectæ Encratiſtarum, damnavit Eccleſia, quia negabat, Adamum fuiſſe æternam ſalutem aſſecutum. Hinc eſt etiam, quod omnes Catholici Doctores Abbatem *Rupertum* arguant, quod dixerit, ſententiam de Adami damnatione probabilem eſſe, eamque multos ſibi coætaneos Scriptores patronos nactam fuiſſe. Denique, incredibile eſt, Chriſtum Dominum, qui innumeros filios Adami e ſervitute, & captivitate Diaboli liberavit, & æterna ſalute donavit, voluiſſe *Adamum*, primum omnium Parentem, in maſſa perditionis relinquere, & nulla prorſus habita ratione laborioſæ, ac diuturnæ pœnitentiæ, quam una cum uxore ſua, *Eva*, in terris egit, ab æterna gloria illum, & ipſius uxorem excluſiſſe. Continuatores *Bollandi* in Actis Sanctorum Tomo 3. menſis Martii pag. 541. teſtantur, extare Martyrologium MS., quod in Eccleſia Bruxellenſi olim ſolebat recitari, in quo ad diem 25. menſis Martii iſta leguntur: *Eodem die*, ſeu 25. Martii, *plaſmatio Adæ, & ejectio de Paradiſo*. Idem habetur in MS. Florario, & alio vetuſtiori MS. Martyrologio *Uſuardi*. Scilicet, quia Adamus, violando Dei præceptum brachia extendit ad lignum vetitum, voluit Chriſtus, obediendo Patri æterno, brachia ad Crucem extendere, ut unde mors oriebatur, inde vita reſurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. Hinc Chriſtus voluit appellari *ſecundus*, ſeu *noviſſimus Adam; Factus eſt primus homo Adam in animam viventem*, *noviſſimus Adam*, ſeu Chriſtus *in ſpiritum vivificantem*, ait Apoſtolus *Paulus* Epiſt. 1. ad Corinth. c. 15. Plerique ex antiquis Scriptoribus a *Baronio*, *Torniello*, *Saliano*, *Gretſero*, & aliis relati, magno conſenſu tradiderunt, *Adamum* Hieroſolymis, & quidem in Monte Calvario, ubi Chriſtus Dominus crucifixus eſt, fuiſſe ſepultum. Sed huic traditioni pluribus in locis fidem negat *Sanctus Hieronymus*, docetque Adamum ſepultum fuiſſe in Civitate *Hebron*, ubi *Abraham*, & *Sara*, *Rebecca*, *Jacob*, & *Lia* conditi ſunt; cui ſententiæ S. Hieronymi ſubſcribit *S. Thomas Aquinas* 3. p. q. 46. art. 10. In dubium ergo revocari minime debet, Adamum, ejuſque uxorem *Evam*, æterna beatitudine gaudere. Idem de ſalute *Abelis*, filii *Adami*, quem *Cainus* per invidiam trucidavit, affirmat Eccleſia Catholica. De *Abele* ſiquidem nonnulla Martyrologia, quæ in Actis Sanctorum ad diem 25. menſis Martii a *Bollandi* Continuatoribus citantur, mentionem faciunt, & in antiquo MS. Martyrologio Bruxellenſi ad eumdem diem 25. Martii hæc leguntur: *Apud Agrum Damaſcenum Abel, primus Martyr, pro juſtitia occiſus eſt*. Hinc multi Sancti Patres ajunt, *Abelem* geſſiſſe typum Chriſti morientis, idque confirmat *Paulus* Epiſt. ad Hebræos c. 12. v. 24. ubi hæc habet: *Et Teſtamenti novi mediatorem Jeſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem, quam Abel*. Chriſtus etiam Dominus appellat *Abelem*, juſtum, *Matthæi* c. 23. v. 35. Denique, in Canone Miſſæ Deum orat Eccleſia, ut *Sacra dona propitio, ac ſereno vultu reſpicere dignetur, ſicut accepta habere dignatus eſt munera pueri ſui juſti Abel*. Quæ omnia manifeſto probant, *Abelem* Cœlo fuiſſe receptum.

D. Numquid Adamus præter *Cainum*, & *Abelem*, alios progenuit filios?

M. Non eſt dubium, quin Adamus, præter *Cainum*, & Abelem, alios procrearit filios, ait enim Scriptura Sacra c. 5. Geneſis v. 4. *Et facti ſunt dies Adam, poſtquam genuit Seth, octingenti anni, genuitque filios & filias*. Verum, Scriptura Sacra non enumerat omnes filios & filias Adami, ſed, poſtquam recenſuit *Cainum* & *Abelem*, quem crudeliter *Cainus* interemit, tertium nominat Adami filium, videlicet *Sethum*: *Cognovit quoque adhuc Adam uxorem ſuam, & peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens: poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain*, Geneſis cap. 4. v. 25. Nec mirari debes, quod Scriptura Sacra trium tantum filiorum Adami difertam mentionem fecerit; voluit quippe Moyſes, libri Geneſis Auctor, percenſere duntaxat Patriarchas, qui vixerunt ab Adamo uſque ad Diluvium. Quocirca, poſt relatam

Abe-

Digitized by Google

Abelis mortem, memorat nativitatem *Sethi*, qui fuit tertius Adami filius, & ſecundus Patriarcha ante Diluvium.

D. Narra, ſi placet, omnia quæ ad iſtum tertium Adami filium, *Sethum*, qui fuit ſecundus ante Diluvium Patriarcha, & quæ ad ejus poſteritatem pertinere poſſunt.

M. Multa, quæ ad *Sethum*, ejuſque poſteritatem ſpectant, paucis complectar. In primis Scriptura Sacra innuit, *Sethum* in locum *Abelis*, a fratre ſuo *Caino* occiſi, editum fuiſſe, & in eo pietatem cæſi Abelis refloruiſſe. Secundo, fuerunt in ſecundo Eccleſiæ ſæculo quidam hæretici, dicti *Sethiani*, quod *Sethum*, Adami filium, exiſtimarent eſſe Chriſtum. Turpius tamen errarunt nonnulli ejuſdem ſæculi Hæretici, dicti *Cainitæ*, quia *Cainum*, miſerabilem *Abelis* fratricidam, ſingulari veneratione colebant. Turpiſſime vero errarunt alii in eodem ſecundo Eccleſiæ ſæculo Hæretici *Adamitæ*, quod in ſuis Conventiculis, omni plane pudore depoſito, nudi omnes tam viri quam fœminæ, dictitarent, ſe primam Adami, patris *Sethi*, in horto voluptatis, ſeu in Paradiſo terreſtri, conditionem repræſentare, & ſub hoc obtentu, quod horrendum eſt, promiſcuo concubitu, & uxorum communione, belluarum inſtar, inverecunde uterentur. Circa poſteritatem *Sethi*, duo obſervatione digna hic breviter ſubnectam. Et primo quidem *Joſephus* lib. 1. Antiquitatum judaicarum cap. 3. ſcribit, *Sethi* nepotes Cœlorum ordinem, ac ſyderum curſus obſervaſſe, & *ne inventa ſua ex hominum notitia dilaberentur, cum Adamus generalem Mundi interitum, unum incendio, diluvio alterum prædixiſſet, duas excitaſſe columnas; alteram lateritiam, alteram lapideam, & utrique inventa ſua inſculpſiſſe, ut, ſi lateritia diluvio periret, ſuperſtes eſſet lapidea, quæ hominibus diſcendi copiam faceret*. Præterea, obſervare debes, nepotes Patriarchæ *Sethi* fuiſſe acceptos Deo, quod probitatis & juſtitiæ cultores eſſent, & ideo *Filii Dei* in Scriptura Sacra appellati; nepotes vero *Caini* fuiſſe Deo exoſos, quod parentis ſui *Caini* haud diſſimiles eſſent: *illi igitur*, ſeu nepotes *Sethi*, inquit Theodoretus quæſt. 47. in Geneſim, *tanquam pii & boni, cognominati ſunt filii Dei. Separatum enim erat genus Sethi, & non permiſcebatur cum cognatione Cain, propter illatam ei ab omnium* Deo *maledictionem*. Theodoreto ſuccinunt, *Procopius* in c. 4. Geneſis, & *Epiphanius* Hæreſi 39. Et hinc orta eſt in utraque familia, *Sethi* videlicet & *Caini*, capitalis inimicitia, tantaque morum diſcrepantia, ut nepotes *Sethi* matrimonia inire nollent cum filiabus, quæ e *Caino* ortum ſuum ducebant.

D. Dicas mihi, quæſo, quo pacto exponi debeat iſte Scripturæ Sacræ locus, qui legitur c. 6. libri Geneſis: *Videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulcræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant?* Quinam ſunt iſti fili Dei, & iſtæ filiæ hominum?

M. Germana iſtius loci expoſitio eſt illa, quæ per *filios* Dei intelligit poſteros *Sethi*, & per *filias hominum* intelligit eas, quæ erant de poſteritate *Caini*. Filii autem *Sethi* vocati ſunt *filii Dei*, quia propter pietatem, cultumque Dei ſingularem ſegregati erant a poſteris *Caini*. Filiæ autem, quæ deſcendebant e progenie *Caini*, dictæ ſunt *filiæ hominum*, quod malitia ſimiles eſſent parenti ſuo *Caino*. Porro, nepotes *Sethi*, ſicut mox obſervavi, ita averſabantur poſteros *Caini*, ut cum illis nihil commercii & ſocietatis, nec cum eorum filiabus, uſque ad tempora vicina Diluvio, connubia jungere voluerint. Sed, appetente diluvio, nepotes *Sethi*, illecti pulcritudine filiarum e progenie *Caini*, matrimonia inierunt cum illis, & earum conſuetudine ſimiles eis effecti, ab avita pietate degenerarunt, & una cum illis eluvione perierunt. Huic expoſitioni favent Sancti Patres, & Scripturæ Sacræ Interpretes. Quapropter, jure optimo rejici debet quorumdam antiquorum Scriptorum error, aſſerentium *filios Dei*, quos Scriptura Sacra, loco mox laudato, ait, commercium habuiſſe cum filiabus hominum, intelligi debere *Angelos*, qui mulierum pulcritudine capti, carnali commercio cum illis commixti ſint. Hic, inquam,

quam, error, rejici debet primo, quia Scriptura Sacra teſtatur, eos, quos *filios Dei* appellat, captos fuiſſe pulcritudine mulierum, & rem cum illis habuiſſe; Sed Angeli nec mulierum pulcritudine capi, nec rem cum eis habere poſſunt, quippe qui corporis ſunt omnino expertes, ut conſtans eſt omnium Theologorum ſententia contra nonnullos antiquos Scriptores, qui Angelis corpora, non quidem craſſa, ſed ſubtilia, aerea, ignea tribuerunt. Per illos itaque, quos Scriptura Sacra appellat *filios Dei*, non poſſunt intelligi Angeli. Secundo, Scriptura Sacra, poſtquam meminit iſtius, filios Dei inter & filias hominum, matrimonii, confeſtim ſubjicit: *Dixitque Deus: non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, eruntque dies illius centum viginti annorum*, igitur per *filios Dei*, qui *filias hominum* duxerunt uxores, Scriptura Sacra intelligit homines, non vero Angelos.

D. Fueruntne itidem puri homines illi gigantes, quos Scriptura Sacra cap. *6.* libri Geneſeos ait, procreatos fuiſſe ex his connubiis, quæ filii Dei inierunt cum filiabus hominum? *Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis; poſtquam enim ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, iſti ſunt potentes a ſæculo viri famoſi.*

M. Iſti gigantes, quos perhibet Scriptura Sacra natos eſſe ex carnali congreſſu *filiorum Dei* cum *filiabus hominum*, fuerunt revera puri homines, non vero Dœmones, ſicut docent omnes Sacræ Scripturæ interpretes: At enim, Dœmones naſci haud poſſunt ex hominibus, ſed *filii Dei*, qui, teſte Scriptura, fuerunt iſtorum gigantum progenitores, erant homines, ſicut mox oſtendimus: non igitur Dœmones erant iſti gigantes, ſed meri homines, quos, propter eorum fortitudinem & ſtaturæ proceritatem, Scriptura Sacra appellat potentes a ſæculo viros famoſos. Obſervant autem periti Hebræi, Rabbinus *Abram*, & R. *Aben Eſra*, Gigantes appellari hebraice *Nephilim*, quaſi *cadentes*, non quod e Celo, quaſi *Dæmones* ceciderint, (ſicut nonnullis antiqnis Scriptoribus per errorem obrepſit) ſed quod ceteri homines, inſolentem corporis eorum proceritatem intuentes, attoniti ante illos caderent: vel quod iſti Gigantes ferocia, latrocinio, & tyramnide terribiles, irruerent violenter in homines, eoſque in terram proſternerent, ad quod alluſiſſe videtur *Job. c. 6.* libri ſui dicens: *irruit in me quaſi gigas;* vel iſti gigantes appellantur ab Hebræis, *Nephilim*, ſeu *Cadentes*, quod propter ſuam in Deum impietatem & flagitioſiſſimam vitam provocaverint iram Dei, & in diluvio generali ceciderint: quo forte referri poteſt illud *Job.* cap. *26.* verſ. 5. ſui libri dicentis: *Ecce gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis.* Addo etiam, nomen *Nephilim*, ſeu *Cadentium*, non ſolum Angelis, ſed & hominibus convenire, qui e ſtatu, vel profeſſione ſanctitatis excidunt, vel ab avita majorum ſuorum pietate degeneres, ad ſtudia, moreſque impiorum delabuntur, quales fuerunt poſteri, qui ex Patriarcha *Setho* originem duxerunt. Hi quippe a Majorum ſuorum veſtigiis deflectentes, & ad flagitia *Cainitarum* delapſi, haud immerito dicti ſunt *Nephilim*, ſeu *Cadentes*, & ideo ad perdendos illos miſſum eſt univerſum diluvium, in cujus aquis ſubmerſi perierunt, ſicut legitur libri Sapientiæ cap. 14. verſ. *6.* & lib. Eccleſiaſtici cap. 16. verſ. 8. *Non exoraverunt pro peccatis ſuis antiqui gigantes, qui deſtructi ſunt confidentes virtuti ſuæ.* Rejiciendus itaque eſt error quorumdam antiquorum Scriptorum, qui, exiſtimantes, Angelos eſſe corporibus præditos, affirmarunt, illos gigantes, quorum meminit Scriptura, non fuiſſe homines, ſed Dœmones, ex carnali Angelorum cum mulieribus commercio procreatos. Ex his antiquis Scriptoribus, qui hujus erroris aſſertores ac patroni fuerunt, unum hic duntaxat referam *Lactantium*, qui lib. 2. Divinarum Inſtitutionum cap. 15. hæc habet: *Cum ergo numerus hominum cœpiſſet increſcere, providens Deus, ne fraudibus ſuis Diabolus, cui ab initio terræ dederat poteſtatem, vel corrumperet vel diſpergeret homines, quos in exordio fecerat, miſit Angelos ad tutelam, cultumque generis humani; quibus, quia liberum arbitrium erat datum, præcepit, an-*

te

Digitized by Google

te omnia, ne terræ contagione maculati, ſubſtantiæ cœleſtis amitterent dignitatem: ſcilicet illos facere prohibuit, quod ſciebat eſſe facturos, ut veniam ſperare non poſſent: Itaque illos cum hominibus commorantes, dominator ille terræ fallaciſſimus (ſeu diabolus) conſuetudine ipſa paulatim pellexit, & mulierum congreſſibus inquinavit. Tum in Cœlum, ob peccata quibus ſe immerſerant, non recepti, ceciderunt in terram. Sic eos diabolus ex Angelis Dei ſuos fecit ſatellites ac miniſtros. Qui autem ſunt ex his procreati, quia neque Angeli, neque homines fuerunt, ſed mediam quamdam naturam gerentes, non ſunt ad inferos recepti, ſicut in Cœlum parentes eorum. Ita duo genera Dæmonum facta ſunt, unum cœleſte, alterum terrenum. Hi ſunt immundi ſpiritus, malorum, quæ geruntur, authores, quorum idem diabolus eſt princeps. Hunc errorem, quem *Lactantius* communem habuit cum quibuſdam antiquis Scriptoribus, qui corpora Angelis tribuebant, & ex eorum cum fœminis congreſſibus terreſtres Dœmones fuiſſe procreatos aſſerebant, nemo eſt in præſentia, qui non rejiciat, eumque inter alios *Lactantii* nævos non reponat.

D. De *Setho*, qui fuit ſecundus ante Diluvium Patriarcha, & de ejus poſteritate plura ſcire non deſidero, ſed optarem, ut ceterorum Patriarcharum antediluvianorum, res præclare geſtas compendioſe deſcriberes, ſicut eas refert Scriptura Sacra. Ea ſiquidem, quæ illos Patriarchas ſpectant, nonniſi ex Sacris voluminibus, velut ex ipſis fontibus hauriri debent.

M. Tertius Patriarcha antediluvianus eſt *Enoſus*, filius *Sethi*. De hoc Patriarcha *Enoſo* ait Scriptura Sacra: *Iſte cœpit invocare nomen Domini*, quod tamen non ita accipi debet, quaſi ante Patriarcham *Enoſum* nullus fuerit Deum invocandi modus, nec publicus Deo exhibitus cultus, ſed *Enoſus* dicitur cœpiſſe invocare nomen Dei, quia id majori & excellentiori, quam antehac, ſtudio ac pietate fecerit, videlicet certas quaſdam cæremonias, & ſolemnes precum formulas adhibendo. Negari ſiquidem haud poteſt, *Adamum*, primum omnium parentem, alioſque Patriarchas, qui præceſſerunt Patriarcham *Enoſum*, nomen Dei invocaſſe, & publicum Deo exhibuiſſe cultum, ſicut aperte conſtat non ſolum ex ſacrificiis, quæ *Cainus*, & *Abeles*, filii Adami, Deo offerebant, ſed etiam ex lege, quam Deus ab exordio mundi promulgavit, ſanctificandi diem ſeptimam, ſeu diem Sabbathi: *Et benedixit diei ſeptimo & ſanctificavit illum*, Geneſis cap. 2. verſ. 3. Quibus verbis voluit Deus, ut dies Sabbathi ſpeciatim ipſius cultui eſſet conſecratus, ab omnibus tanquam ſanctus, ſolemnis & venerabilis haberetur, eſſetque dies ſanctitatis, quietis, & gaudii. Hæc autem lex de ſanctificatione Sabbathi, lata a Deo ab initio Mundi, ita Adamo, ejuſque poſteris impoſita fuit, ut etiamſi Adamus non peccaſſet, & in ſtatu innocentiæ perſeveraſſet, poſteri tamen ejus, in eodem innocentiæ ſtatu conſtituti, debuiſſent peculiariter die ſeptimo, ſeu die Sabbathi cultui divino vacare, eo potiſſimum nomine, ut hac ſtata die recolerent beneficium creationis ſuæ, totiuſque Mundi, hac die Sabbathi completæ. Cum igitur ante Patriarcham *Enoſum* fuerint Deo oblata ſacrificia, & ab exordio Mundi viguerit lex, a Deo condita, de Sanctificatione Sabbathi, dici minime poteſt, hunc Patriarcham fuiſſe primum, qui publicum Deo debitum cultum inſtituerit.

D. Siſte tantiſper. Subiit animum ſcrupulus, quem mihi eximas velim. Si lex de ſanctificatione Sabbathi a Deo ab exordio Mundi condita eſt, quorſum igitur Eccleſia diſpenſavit cum Chriſtianis ab hac lege, quam a Moyſe, eorum Legiſlatore, promulgatam ſemper retinuerunt, & etiamnum obſervant Judæi?

M. Chriſtiani antiquitus Sabbathum pie coluerunt, eoque die cœtus ſuos habuerunt. Cur autem Eccleſia hanc Sabbathi ſanctificationem, quam Deus non æternum, ſed ad tempus duntaxat duraturam promiſerat, poſtea tranſtulerit in diem Dominicam? Appoſite hanc rationem adducit Sanctus *Joannes Damaſcenus* lib. 4. *de Fide Orthodoxa* c. 32. juxta ultimam editionem, quam adornavit P. *Michael le Quien*, Ordi-

dinis Prædicatorum: *Ex quo venit*, verba ſunt S. Jo: Damaſceni, *quod perfectum eſt, evacuatum eſt, quod ex parte erat, ac ſciſſo per Salvatoris Crucem tegumento, ſive velo legis, Sanctoque Spiritu igneis linguis illuceſcente, litera obſolevit, corporalia ceſſarunt, & impleta lege ſervitutis, lex libertatis nobis donata eſt. Atqui perfectam humanæ naturæ requiem celebramus, hoc eſt, Reſurrectionis diem, in qua Dominus Jeſus, vitæ auctor & ſalvator, nos ad promiſſam illis, qui ſpirituali cultu Deo ſerviunt, hæreditatem introduxit &c.* Sicut ergo Lex Moſaica, adveniente Jeſu Chriſto, vero Meſſia, ceſſit, non ſecus ac prodita luce evaneſcunt umbræ, ita Sabbathi ſanctificatio poſt Legis Evangelicæ promulgationem deſiit, & auctoritate Eccleſiæ translata eſt in diem Dominicam, in qua Chriſtus Dominus reſurrexit, noſque per Reſurrectionem ſuam ad perfectam requiem & ad promiſſam hæreditatem introduxit. Obiter autem obſervare debes, Sabbathi ſanctificationem tam antiquam, tamque celebrem apud Judæos fuiſſe ut illius notitia ac veneratio pervenerit ad Gentiles, quos inter ſic canit Poeta *Ovidius:*

Cultaque judæo ſeptima ſacra viro.

Circa tamen originem ſanctificationis Sabbathi apud Judæos, turpiter errarunt Gentiles, Sacrarum litterarum rudes. Alii quippe exiſtimarunt, judæos in honorem *Saturni* Sabbathum colere. Alii in honorem *Bacchi* a judæis inſtitutum fuiſſe dixerunt. Alii voluerunt, judæos, ex Ægypto exeuntes, laboraſſe ulceribus inguinum quæ Ægyptii *Sabbo* appellabant, eaque ſeptimo die ceſſaſſe, ideoque hunc diem a judæis Sabbathum vocatum fuiſſe, & ſpeciali cultu ab illis celebratum. Sed hæc Gentilium pura putaque commenta ſunt, quia, ſicut ſuperius dixi, Deus ab initio Mundi diem ſeptimam, ſeu Sabbathi diem (in qua, ut inquit Scriptura, requievit ab omni opere, quod patrarat) ſanctificavit, conſecravit, legemque edixit, ut omnes in poſterum eamdem diem ſolemnem haberent. & per illius diei ſanctificationem, quæ per ſingulas hebdomades recurrebat, hominum mentibus infixa hæreret Mundi creationis a Deo factæ conſtans ac perpetua recordatio. Hinc contra Infideles validum duci poteſt argumentum ad religionem confirmandam, veritatemque illius facti, quod in lib. Geneſis narrat Moyſes de Mundi creatione facta a Deo, & de lege, quam ad conſervandam creationis Mundi perennem memoriam tulit ſanctificandi diem ſeptimum, ſeu diem Sabbathi. At enim, ex eo quod præceptum ſanctificandi diem Sabbathi fuerit ab origine Mundi a Deo datum, atque a Patriarchis, & Hebræis diligentiſſime obſervatum, manifeſto colligitur, non potuiſſe Moyſem imponere Hebræis circa ejuſmodi factum de creatione Mundi a Deo facta, cujus memoriæ celebrandæ per ſingulas hebdomades ſpecialis dies ſemper apud Hebræos dedicatus fuit. Cum enim ſinguli Judæi per certiſſimam traditionem, & celebrationem Sabbathi, ſingulis hebdomadibus recurrentem, moniti ac plene inſtructi eſſent circa factum, quod ſpectabat creationem Mundi, contra Moyſem omni proculdubio reclamaſſent, ſi hac in re aliquid falſi protuliſſet. Sed de origine ſanctificationis Sabbathi, & de cultu, qui ante Patriarcham *Enoſum* Deo exhibebatur, ſatis dictum ſit.

D. Aliorum Patriarcharum, qui poſt *Enoſum* vixerunt ante Diluvium, ſummatim, quæſo, geſta perſtringe, ne colloquium noſtrum longius, quam par ſit, protrahatur.

M. Patriarcha *Enoſus*, genuit *Cainanen*, Cainan vero genuit *Malaleelem*, Malaeel autem *Jaredem*. Verum, quia de tribus illis Patriarchis, qui poſt Patriarcham *Enoſum* vixerunt, nihil ſuggerunt Codices ſacri, his prætermiſſis, tranſitum faciemus ad Patriarcham *Enochum*, qui fuit filius *Jaredis*, ac ſeptimus ab Adamo Patriarcha, de quo Scriptura Sacra cap. 5. Geneſeos hæc habet: *Ambulavit* (Henoch) *cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.*

D. Ecquid, ſodes, ſibi volunt hæc Scripturæ verba, de *Henocho* dicta: *Et non apparuit, quia tulit eum Deus?* Voluitne Scriptura Sacra his verbis: *Et tulit eum Deus*, ſignificare, quod *Henochus*

chus mortuus ſit, vel quod Deus vivum tranſtulerit *Henochum* in aliquem locum, in quo adhuc vivit?

M. Gemina eſt iſtorum Scripturæ Sacræ verborum interpretatio. Nonnulli cum Rabbino *Aben Eſra* dicunt, hæc Scripturæ verba: *Quia tulit eum Deus*, ſignificare, Patriarcham *Henochum* revera mortuum eſſe, non ſecus ac Libri primi Regum c. 19. verba illa Prophetæ Eliæ: *Tolle, quæſo, animam meam*, ſignificant mortem. Huic interpretationi ſuffragatur etiam Rabbi *Salamon*, aitque, Patriarcham *Henochum*, juſtum quidem fuiſſe, ſed mente verſatili, ſeu inſtabili, & ad impie agendum propenſa, eamque ob rem, fuiſſe a Deo præmatura morte ſublatum, ſed hæc interpretatio, utpote falſa, rejicienda eſt. Alii vero Scriptutæ Sac. Interpretes, cum Græci, tum Latini, aſſerunt, hæc Scripturæ Sacræ verba: *Quia tulit eum Deus*, ſignificare, Patriarcham *Henochum* necdum eſſe mortuum, ſed a Deo fuiſſe translatum in certum quemdam locum, ubi etiamnum vivit, eumque in fine Mundi venturum, ut fraudes Antichriſti detegat, Fideles in Chriſti Fide confirmet, Judæos ad Chriſtianam fidem convertat: denique, illum, poſt expletum prædicationis ſuæ tempus, ab Antichriſto occiſum iri, ſed poſt tres dies & dimidium, ad vitam rediturum, & ſplendidiſſima circumfuſum gloria, in nube lucida aſcenſurum in Cælum. Hæc ſecunda interpretatio retinenda, & amplectenda eſt, tum quia non ſolum traditur ab omnibus Sanctis Patribus cum Græcis, tum Latinis, ſed quia etiam perpetua, ſibique ſemper conſtanti Eccleſiæ, & omnium Orthodoxorum traditione fulcitur: Tum quia magis congruit Scripturæ Sacræ, quæ non obſcure innuit, Patriarcham *Henochum* nondum eſſe mortuum, ſed adhuc in vita mortali conſervari a Deo. Sic enim legitur Geneſis cap. 5. v. 24. *Et facti ſunt omnes dies Henoch trecenti ſexaginta quinque anni, ambulavitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*. Deinde, Libri Sapientiæ cap. 4. v. 10. legitur: *Henoch, placens Deo, factus eſt dilectus, & vivens inter peccatores, translatus eſt: raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*. Idem ferme legitur cap. 44. v. 16. Libri Eccleſiaſtici: *Henoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam*. Poſtremo Apoſtolus Paulus Epiſt. ad Hebræos c. 11. v. 5. de Patriarcha *Henocho* hæc habet: *Fide Henoch translatus eſt, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia tranſtulit eum Dominus: ante translationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo*. Ex quibus Scripturæ Sacræ locis facile colligitur, Patriarcham *Henochum* nondum eſſe mortuum, ſed a Deo fuiſſe translatum in certum quemdam locum, ubi etiamnum vivit.

D. Geſtirem ſcire locum, in quem Deus tranſtulerit Patriarcham *Henochum*?

M. Nonnulli exiſtimant, Patriarcham *Henochum* fuiſſe a Deo translatum in Paradiſum terreſtrem, in quo conſtitutus eſt Adamus, ibique illum adhuc vivere, & hanc in rem laudant iſtud teſtimonium depromptum ex cap. 44. Libri Eccleſiaſtici: *Henoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum &c.* Verum nihil inde certi elici poteſt, quia non raro Scriptura Sacra *Paradiſi* voce utitur, non ad indicandum Paradiſum terreſtrem, in quo fuit poſitus Adamus, ſed ad deſignandum quemvis amœnum, ac deliciis affluentem locum, & in eo teſtimonio Libri Eccleſiaſtici citato hæc Paradiſi vox nullo epitheto reſtringitur ad illum Adami Paradiſum. Denique, permulti viri eruditi docent, Paradiſum terreſtrem, in quo fuit Adamus, aquis Diluvii Noetici, quod, ſicut ſuperius oſtendimus, in univerſum Orbem graſſatum eſt, deletum fuiſſe, quantum ad cultum, & amœnitatem. Quem igitur in locum Deus tranſtulerit *Henochum* inquirere, non ſolum curioſum, ſed ſupervacaneum eſt: *Multi*, inquit S. Chryſoſtomus Homil. 22. in Epiſtolam ad Hebræos, *quærunt, quomodo translatus ſit Henoch? & cur translatus ſit? & cur non ſint mortui neque ipſe, neque Elias? & ſi adhuc vivant? quomodo vivant? & in quo habitu? Sed ſupervacaneum eſt hoc quærere. Nam quod ille quidem, nempe Heno-*

noch, *ſit translatus*, *hic autem Elias ſit aſſumptus*, *dixerunt Scripturæ*. *Ubi autem ſunt*, *& quo modo ſunt*, *non adjecerunt*. *Non enim amplius dicunt*, *quam quæ ſunt neceſſaria*. Idem docet *S. Auguſtinus* lib. 2. adverſus *Pelagium*, & *Cœleſtium* cap. 23.

D. Dicebat mihi nuperrime vir eruditus, Patriarcham *Henochum* edidiſſe librum, ex quo excerptam Prophetiam citat *S. Judas*, Apoſtolus, v. 14. ſuæ Epiſt. ubi hæc habet: *Prophetavit autem*, *& de his*, *ſeptimus ab Adam*, *Henoch*, *dicens*: *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis*. Id autem mihi veriſimile haud videtur, quia ſæpius a te audivi, Moyſem, juxta Sanctorum Patrum ſententiam, primum eſſe omnium Scriptorem, quod ſane falſum eſſet, ſi Patriarcha *Henochus*, qui multis Sæculorum myriadibus Moyſem præceſſit, librum ſcripſiſſet.

M. Liber, qui olim circumferebatur ſub nomine Patriarchæ *Henochi*, ad Apocryphorum claſſem ablegandus eſt, utpote ſuppoſititius, & multis ſcatens erroribus, quos inter Auctor illius libri ait, Angelos Dei, amore mulierum captos, eorumque congreſſibus inquinatos fuiſſe, & ex illis filios genuiſſe. Hinc libro, Patriarchæ Henocho perperam adſcripto, omnem authoritatem abrogant Sancti Patres *Hieronymus*, *& Auguſtinus*, quos ſecuta eſt Catholica Eccleſia, quæ nullam huic ſpurio libro aſſeruit, ac vindicavit auctoritatem. Citat quidem *S. Judas* Apoſtolus, Patriarcham *Henochum*, tanquam auctorem illius Prophetiæ, quam in ſua Epiſtola refert; ſed inde non ſequitur, *Henochum* ſcripſiſſe aliquem librum. Potuit quippe Apoſtolus *Judas* ejuſmodi Prophetiæ *Henochi* per revelationem ſibi divinitus factam habere notitiam, vel hæc *Henochi* Prophetia, ope continuatæ Traditionis conſervata, potuit de ore in os, & de aure in aurem uſque ad *S. Judam*, Apoſtolum, pervenire, qui illam, afflatus Spiritu Sancto, ſuæ Epiſtolæ inſeruit. Si enim, ut recte obſervaſti, Patriarcha *Henochus* eſſet illius libri, qui ſub ejus nomine proſtat, genuinus parens, eſſet itidem omnium Gentium Scriptorum antiquiſſimus, non vero Moyſes; quod tamen negant omnes Sancti Patres. Nulla ergo fides habenda eſt *Tertulliano*, qui in lib. *De habitu Muliebri* hunc librum, qui Patriarchæ *Henocho* tribuitur, genuinum eſſe affirmat, & ex eo errorem de corporeitate Angelorum, & de illorum carnali cum mulieribus commercio hauſit.

D. Genuitne Patriarcha *Henochus* aliquem filium, antequam transferretur a Deo in eum locum, ubi, ſicut mox dixiſti, etiamnum vivit?

M. Patriarcha *Henochus*, ſicut legimus cap. 5. Libri Geneſeos, *vixit ſexaginta quinque annis*, *& genuit Mathuſalem*.... *& vixit*, *poſtquam genuit Mathuſalem*, *trecentis annis*, *& genuit filios*, *& filias*; *& facti ſunt omnes dies Henoch trecenti ſexaginta quinque anni*. Porro, circa *Mathuſalem*, qui fuit *Henochi* filius, & octavus Patriarcha antediluvianus, duo velim obſerves. Primum eſt, Verſionem 70. Interpretum in capite 5. Libri Geneſeos ſub mendo cubare. Ibi nanque, juxta Græcorum Codicum calculum, *Mathuſalem* invenitur vita functus poſt Diluvium annis quatuordecim, quod aperte adverſatur Scripturæ Sacræ, quæ cap. 3. Epiſt. 1. *S. Petri* diſerte aſſerit, octo tantum animas, Noemum videlicet & uxorem ejus, tres ejus filios, *Semum*, *Chamum*, & *Japhetum*, cum tribus eorum uxoribus, univerſalis Diluvii exitium evaſiſſe. Quod quidem, ut clarius intelligas, advertere debes, *Mathuſalem*; juxta 70. Interpretum Chronologiam, genuiſſe *Lamechum*, cum eſſet annorum 167. & rurſus *Lamechum*, cum eſſet annorum 188. genuiſſe *Noemum*. Ex quo calculo ſequitur, *Mathuſalem* habuiſſe annos trecentos quinquaginta quinque, quando natus eſt *Noemus*. Cum igitur univerſale Diluvium contigerit anno ſexenteſimo vitæ *Noemi*; neceſſe eſt, ut, juxta Codices Græcos, *Mathuſalem*, anno, quo accidit univerſale Diluvium, natus duntaxat fuerit annos nongentos quinquaginta quinque. Sed quia, nemine reclamente, *Mathuſalem* vixit annos nongentos ſexaginta novem, ut perhibet Scriptura Sacra, manifeſtum eſt. *Mathuſalem*, juxta Co-

dices Græcos, habita ratione per partes, vixiſſe quatuordecim annis poſt Diluvium. At, in Sacri Textus Hebræi Chronologia omnia ſibi prefecte cohærent. Nam, juxta Hebræos Codices, *Mathuſalem* genuit *Lamechum* cum eſſet annorum 187. *Lamechus* autem genuit *Noemum*, cum eſſet annorum 182. A die ergo nativitatis *Mathuſalem* uſque ad nativitatem *Noemi* interfluxerunt anni trecenti ſexaginta novem, quibus ſi adjicias ſexcentos annos, quos natus erat *Noemus*, quando accidit Diluvium, facile comperies, Mathuſalem anno vitæ ſuæ nongenteſimo ſexageſimo nono vitam cum morte commutaſſe, eodem videlicet anno, quo Diluvium Noeticum in totum Orbem graſſatum eſt. Hic eſt nodus in Codicibus Græcis, ſeu 70. Interpretum, circa generationem Patriarchæ *Mathuſalem*, implicatiſſimus, ſeu potius manifeſtus error, qui, ſicut ait *S. Auguſtinus* lib. 15. *De Civitate Dei* cap. 13. *non caſum redolet, ſed induſtriam*. Unde idem S. Doctor cap. 11. ejuſdem libri hæc habet: *Sed inquiunt, Judæos, dum nobis invident, quod Lex, & Prophetæ ad nos interpretando tranſmiſerunt, mutaſſe quædam in Codicibus ſuis, ut noſtri minueretur auctoritas. Hanc opinionem, vel ſuſpicionem accipiat quiſque ut putaverit, certum eſt tamen, Mathuſalem non vixiſſe poſt Diluvium, ſed eodem anno fuiſſe defunctum*. Alterum, quod velim obſerves, ſpectat Codices Samaritanos circa generationem *Mathuſalem*. Teſtatur quippe *S. Hieronymus* in lib. *De Traditionibus Hebraicis*, ſe in Samaritanorum Codicibus ſic ſcriptum inveniſſe: *Et vixit Mathuſalem* 187. *annos, & genuit Lamech*. At, doctiſſimus P. *Morinus*, Congregat. Oratorii Presbyter, Exercitatione 4. *De Textus Hebræi, Græcique ſinceritate*, ſpecimen exhibet Samaritani Codicis, ubi Mathuſalem vixiſſe tantum dicitur 67. annis, antequam genuit Lamechum. *Scaligerus* autem ex altera parte affirmat, ſe in Exemplari Samaritano, quod penes ſe habebat, ſic inveniſſe ſcriptum: *Et vixit Mathuſalem 77. annos, & genuit Lamechum*. Quæ ſane varietas multum derogat ſinceritati Codicis Samaritani, de quo tamen *Joannes Morinus*, mox laudatus, tantopere gloriatur. Quis enim hinc non colligat, aliud fuiſſe Exemplar Samaritanum *S. Hieronymi*, aliud *Morini*, aliud *Scaligeri*?

D. Intelligo quidem Patriarcham *Mathuſalem*, annos natum nongentos ſexaginta novem, mortuum eſſe eodem anno, quo contigit univerſale diluvium; at ſcire vellem, an iſte *Lamechus*, quem dicis fuiſſe Patriarchæ *Mathuſalem* filium, idem ſit ac ille *Lamechus*, cujus ſuperius mentionem feciſti, quique *Cainum*, filium *Adami* occidit, & primus fuit, qui ante Diluvium polygamiam ſimultaneam invexit, duas dncendo uxores, contra Legem de Monogamia ab exordio Mundi latam a Deo?

M. Iſte *Lamechus*, filius *Mathuſalem*, pietate inſignis fuit, & a juſtitia, ſapientia, multarumque rerum cognitione commendatus, ſubindeque plane diverſus eſt ab illo *Lamecho*, qui mulieroſus fuit, & primus Polygamiam induxit. *Lamechus*, qui fuit Mathuſalem filius, & Pater *Noemi*, originem habet ex *Adamo* per *Sethum*, & *Lamechus*, qui primus duas uxores duxit, ex *Adamo* per *Cainum* trahit genus ſuum. Genealogia *Adami* per filium ſnum *Sethum* Deo grata fuit & accepta. Genealogia vero Adami per filium ſuum *Cainum* fuit Deo exoſa. Utramque genealogiam *Adami*, majoris claritatis ergo, hic ſubnectam, ſicut deſcribitur cap. 4. & 5. libri Geneſeos.

Genealogia Adami per filium ſuum Cainum, quæ Deo exoſa fuit.

Adamus genuit *Cainum*.)
Cainus genuit *Henochum*, &)
ædificavit civitatem, quam)
de nomine filii ſui *Henochiam* nuncupavit.)
Henochus genuit *Irad*.) *Lib.*
Irad genuit *Maviael*.) *Gen. c.*
Maviael genuit *Mathuſael*.) 4.
Mathuſael genuit *Lamechum*;)
Iſte eſt *Lamechus*, qui duas)
accepit uxores, nomen uni)
Ada, & nomen alteri *Sella*.)

Ge-

Genealogia Adami per filium Sethum quæ Deo grata, & accepta fuit.

Adamus genuit *Sethum.*	)	
Sethus genuit *Enoſum.*	)	
Enoſus genuit *Cainanem.*	)	
Cainam genuit *Malaleelem.*	)	*L. Gen.*
Malaleel genuit *Jared.*	)	*cap.* 5.
Jared genuit *Henochum.*	)	
Henochus genuit *Mathuſalem.*	)	
Mathuſalem genuit *Lamechum.*	)	
Lamechus genuit *Noemum.*	)	

D. Pervenimus tandem ad *Noemum*, Lamechi filium, qui fuit decimus Patriarcha antediluvianus, ſub quo univerſale diluvium contigiſſe ſuperius obſervaſti. Sed dicas, amabo, quorſum Deus, emiſſo univerſali diluvio omnes homines delere voluerit, & *Noemo* duntaxat ejuſque familiæ pepercerit?

M. Cauſam terribilis illius erga homines divinæ ſententiæ non aliam, præter malitiam hominum, aſſignat Scriptura Sacra cap. 6. libri Geneſis, ubi hæc habet: *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore ... delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ, ab homine uſque ad animantia, a reptili uſque ad volucres cœli*. Cauſam vero cur Deus Patriarcham *Noemum*, ejuſque familiam huic deſtinatæ exemerit ſententiæ, continenter Scriptura Sacra ibidem profert, dicens: *Noe vero invenit gratiam coram Domino.... Noe vir juſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis*. Cum igitur tempore *Noemi* omnis caro corruperat viam ſuam, miſit e Cœlo Deus ultrices aquas, ut hæc ſcelerum ſentina penitus elueretur, & perpetuis quadraginta dierum imbribus, totiuſque terræ eluvione flagrans ubique hominum libido reſtingueretur. *Noemi* autem, Patriarchæ pii, ac juſti, familiam a Diluvio liberavit Dominus, ut in ea vigeret, ac conſervaretur vera Religio, & ad poſteros illibata pervenire poſſet. Admonitus itaque *Noemus* a Domino, diluvium terris imminere, Arcam immenſæ magnitudinis ex lignis contexuit, ac bitumine illam impenetrabilem aquis reddidit. Sed,) quod ſingulari obſervatione dignum eſt) huic conſtruendæ Arcæ homines, qui aquis Diluvii perire debebant, diu adlaborarunt, deridentes tamen *Noemum*, quaſi delirum ſenem, a quo in Arcam, & ad ſinceram ſcelerum deteſtationem, verbo & exemplo invitabantur. Sed in illos inſanos homines vere quadrat illud, quod vulgo circumfertur, Adagium: *Sero ſapiunt Phryges*; tunc enim ſerius agnoverunt, *Noemum* verum fuiſſe vatem, quando omnis ad Arcam, & ad ſalutem aditus præcluſus omnino fuit. In hac Arca *Noemus* cum uxore ſua, ac filiis tribus, *Semo*, *Chamo*, *Japheto*, & totidem ſuis Nuribus clauſus eſt: volucrum etiam paria, itidemque diverſi generis beſtiarum, eadem in Arca recepta ſunt, reliqua omnia, quæ erant in Mundo, fuere diluvio abſumpta. Manſit autem *Noemus* clauſus in Arca, donec jam imbrem deſtitiſſe, ac quieto in ſolo Arcam circumferri intellexerit. Tunc enim ratus id quod erat, corvum explorandæ rei gratia, primum per feneſtram Arcæ dimiſit, eoque non revertente, utpote aut cadaveribus incubante, aut Arcæ tecto inſidente, emiſit *Noemus* columbam, quæ cum conſiſtendi, ſeu pedem ſolo figendi locum non reperiſſet, reverſa eſt, ſed rurſum remiſſa, folium olivæ retulit, manifeſtum indicium nudari cacumina arborum. Tertio demum emiſſa columba, non rediit, indeque certe cognoſcens *Noemus*, ceſſaſſe penitus Diluvium egreſſus eſt ex Arca. Manſit autem *Noemus* in Arca per annum integrum ſolarem, undecim diebus anno lunari majorem. Sic enim *Gordonus* calculum ponit: per dies 40. pluit. Per dies 150. ſtetit plenum diluvium. Per dies 129. minuuntur aquæ. Per dies 56. Noe perſeverat in Arca, terra exſiccata. Hic dies ultimus habetur a multis vigeſimus ſeptimus menſis ſecundi, adeo ut annus integer ſolaris, & decem præterea dies hunc numerum efficiant. Hinc recte S. *Auguſt.* l. 15. de Civ. Dei c. 14. ait: *a ſexcenteſimo anno vitæ Noe, prorſus tantus etiam tunc dies fuit, quantus & nunc eſt, quem viginti & quatuor horæ diurno curriculo noctur-*

Digitized by Google

nocturnoque determinant : tantus menſis , quantus & nunc eſt , quem luna cœpta & finita concludit : tantus annus , quantus & nunc eſt , quem duodecim menſes lunares , additis , propter curſum ſolarem , quinque diebus & quadrante conſummant. Eandem anni , & menſis formam fuiſſe a veteribus obſervatam aſſerit idem Sanctus Doctor lib. 4. de Trinitate cap. 4. Quid autem poſt egreſſionem ex Arca geſſerit Noemus ? & quo pacto ejus filii extinctum pene genus humanum reparaverint , inſtauraverint , ac per totum orbem propagaverint ? opportunius ſuo loco oſtendemus , ſeu in colloquiis noſtris in hiſtoriam ſecundæ Mundi ætatis , quæ incipit ab univerſali Diluvio , & protenditur uſque ad vocationem *Abrahami*.

D. Diluvium iſtud , quod Gentiles vocant *Ogygium*, & quod item *Deucalioneum* nuncupant , eſt ne idem ac Diluvium univerſale , quod ſub Patriarcha *Noemo* contigiſſe Sacra Scriptura refert , vel ab eo plane diverſum ?

M. Hæc Diluvia , quæ contigiſſe narrant Gentiles , & quorum unum appellant *Ogygium* , alterum *Deucalioneum* , revera accidiſſe pertendunt multi Scriptores , qui in primis dicunt , hæc duo Gentilium Diluvia , videlicet *Ogygium* , & *Deucalioneum* , fuiſſe tantum Diluvia particularia ; Diluvium vero , quod Scriptura Sacra ait ſub Patriarcha *Nemo* inundaſſe terram , fuiſſe univerſale . Secundo , dicunt illi Scriptores , Diluvium *Ogygium* incidiſſe in tempora Patriarchæ *Iſaaci* , filii *Abrahami* , vocari autem *Ogygium* ab *Ogyge* , Patre *Inus* , Boetiæ Rege ; Diluvium vero alterum appellari *Deucalioneum* a *Deucalione* , Promethei filio , ſecundo Athenienſium Rege *Cecropis* , primi Athenienſium Regis ſucceſſore , & Moyſi æquali . Poſtremo dicunt , Diluvium *Ogygium* Diluvio univerſali Noetico fuiſſe annis quingentis recentius , ſed Diluvio *Deucalioneo* antiquius eſſe annis ducentis , & ſexaginta tribus . Sic cenſent bene multi Scriptores . At ipſe exiſtimo , hæc omnia eſſe pura , putaque commenta Græcorum Gentilium , qui aliquam notitiam de Diluvio univerſali Noetico , ſive ex lectione Librorum Moyſis , ſive ex traditione cum accepiſſent , illud accidiſſe finxerunt ſub Regibus ſuis antiquiſſimis *Ogyge* , & *Deucalione* . Certe Diluvium *Deucalioneum* , ſicut jam obſervavi ſub finem ſecundi noſtri Colloquii , Poeta *Ovidius* aperte innuit , non fuiſſe particulare , ſed univerſale , ex quo ſequitur , illud nec re , nec tempore differre a Diluvio univerſali , quod ſub Patriarcha *Noemo* contigiſſe narrat *Moyſes* . Lucianus etiam in libro *de Dea Syria* , qui extat Tom. 3. ejus Operum , Editionis Baſileenſis , deſcribit hoc Diluvium *Deucalioneum* , non tanquam particulare , ſed tanquam univerſale , in quo omnes perierint . Poſtquam enim hic Scriptor Grecus eo in libro locutus eſt de Templo Heliopolitano , ut vetuſtate clariſſimo , ita per Orientem in gentibus celeberrimo , iſta ſubjungit , juxta Verſionem *Jacobi Micylli : Complures igitur Deucalionem Scytham illum tradunt , Templum hoc conſecraſſe , eum puta Deucalionem , cujus temporibus aquarum Diluvium fuit . Ceterum de Deucalione inter Græcos ſermonem , quem illi de eo referunt , audivi . Habet ſermo ille hoc pacto : hanc hominum generationem , quæ nunc eſt , ab initio haud quaquam fuiſſe , ſed eam , quæ tum fuit , totam interiiſſe ; hos autem homines , qui nunc ſunt , ſecundi generis eſſe ejus , quod rurſus a Deucalione in tantam multitudinem excrevit . De illis autem hominibus hujuſmodi quædam traduntur : cum contumelioſi admodum eſſent , neſaria opera eos perpetraſſe . Neque enim jusjurandum obſervaſſe , neque hoſpites recepiſſe , neque ſupplicum miſertos eſſe . Ob eam rem , maximam calamitatem ipſos mox conſecutam eſſe . Statim enim & tellus multam aquam effudit , & imbres magni fuerunt , & flumina ſolito majora decurrerunt , & mare quoque in multum aſcendit eo uſque dum omnia aquis inundarentur , atque omnes perirent . Deucalion autem ſolus omnium relictus fuit , in ſecundam videlicet generationem , prudentiæ ſimul , & pietatis gratia . Servatus autem fuit hoc pacto : Arcam ipſe habebat , impoſitis in eam , & liberis , & uxore ſua , conſcendit . Ceterum , cum ipſe ingrederetur , venerunt eodem & apri , & equi , & leonum genera , & ſerpentes , aliaque quæcumque tellure paſcuntur , bina ex unoquoque gene-*

re

cuncta. Ille autem recepit ad ſe omnia, atque ea ipſum haud quaquam lædebant, ſed magna inter eos, Jove ita diſpenſante, concordia erat, unaque in Arca omnes navigabant, quamdiu aqua ſuperabat. Atque hæc quidem de Deucalione Græci tradunt. Hanc *Luciani* de univerſali Diluvio, ejuſque circumſtantiis, narrationem ſi attente perpendas, facile percipies, Diluvii univerſalis, quod ſub Patriarcha *Noemo* contigit, notitiam ad Græcos, ſeu Gentiles, perveniſſe, eos vero commentos poſtea fuiſſe, iſtud Diluvium accidiſſe ſub uno e ſuis Regibus, videlicet *Deucalione*.

D. Putaſne, aliquos ex his qui tempore *Noemi* vindicibus aquis univerſalis Diluvii extincti ſunt, Pœnitentiam egiſſe, & æternam damnationem evaſiſſe?

M. Si ſermo ſit de parvulis, qui per Sacramentum Legis naturæ, aut per Fidem ſigno aliquo ſenſibili, & ſacro ſignificatam, & confirmatam, ab originali peccato mundati, & ſanctificati erant; nullum dubium eſt, quin iſti parvuli, aquis Diluvii univerſalis ſubmerſi, ſalutem æternam fuerint conſecuti. Si etiam ſermo ſit de his hominibus, qui, incipiente Diluvio, pœnitentiam agere potuerunt, donec aquis ſuffocati interirent, certum itidem eſt, illos, ſi revera penitentiam egerint, ſalutem æternam fuiſſe adeptos. Pœnitentiam autem aliquos ex his, qui univerſali Mundi Diluvio perierunt, egiſſe, docere videntur S. Hieronymus in Libro Quæſtionum Hebraicarum in Geneſim, & in Caput I. Prophetæ *Nahum*, nec non *Rupertus*, Abbas, lib. 4. Commentariorum in Geneſim cap. 16. Aſt, ipſe, cum aliis doctiſſimis Scripturæ Sacræ Interpretibus, exiſtimo, nullos ex his, qui in hoc generali Mundi naufragio extincti ſunt, pœnitentiam egiſſe, ac ſubinde illos omnes æternam damnationem incurriſſe. Tantum enim abeſt, ut Scriptura ullibi innuat, aliquos ex his, qui Diluvio Noetico perierunt, ſcelerum ſuorum pœnituiſſe, ut potius Evangeliſta *Lucas* c. 17. v. 27. contrarium aperte teſtetur his verbis: *Edebant, & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, uſque in diem, qua intravit Noe in Arcam, & venit Diluvium, & perdidit omnes.* Quapropter, ſicut non licet aſſerere aliquos, vel ex Sodomitis, qui incendio perierunt, vel aliquos ex Ægyptiis, qui in Mari rubro demerſi ſunt, vel aliquos ex his, quos cum *Core*, *Dathan*, & *Abiron* dehiſcens terra abſorbuit, pœnitentiam egiſſe, quia de illorum pœnitentia altum eſt in Scriptura Sacra ſilentium; ita nulli affirmare fas eſt, aliquos ex his, qui tempore Noemi in generali Mundi Diluvio interierunt, pœnitentiam egiſſe, quia de illorum pœnitentia ſilet omnino Scriptura Sacra; nec debemus certo quidquam pronuntiare, cujus in ſacris litteris ne vola quidem, ac vel minimum reperitur veſtigium, alioqui procacibus quibuſdam ingeniis in Sacrarum Scripturarum interpretatione ampliſſimum ariolandi, vaniſque indulgendi conjecturis aperiretur oſtium. Probabilius itaque eſſe cenſeo, omnes homines, qui univerſali Diluvio perierunt, æternam damnationem incurriſſe, tum quia, ſilente Scriptura Sacra, dicere haud poſſumus, quemquam illorum pœnitentiam egiſſe; tum quia etiam, juxta doctrinam Sanctorum Patrum, quemadmodum hi omnes, nullo excepto, qui extra Eccleſiam moriuntur, per temporalem mortem tranſeunt ad æternam, ita quicumque extra Arcam Noemi perierunt, æternum perierunt. Abſurdum quippe eſt, & Scripturæ Sacræ auctoritati penitus contrarium, dicere impios, de peccatis ſuis pœnitentia non agentes, æternis ſuppliciis non puniri, quia pœnis temporalibus in hac vita plectantur.

D. Quoto anno Mundi contigit Diluvium univerſale Noeticum?

M. Hæc difficultas, propter Hebræorum, Græcorum & Samaritanorum Codicum in annis Patriarcharum antediluvianorum numerandis diſcrepantiam, ſatis intricata eſt, nec tam facile dirimi poteſt. Hebræi namque ab ortu Mundi uſque ad Diluvium numerant duntaxat annos 1656. Græci autem ſeu 70. Interpretes, a creatione Mundi uſque ad Diluvium ſubducunt annos 2242. vel 2262. Samaritani denique ab exordio Mundi uſque ad Diluvium numerant annos 1307. De hac calcorum diſcrepantia doctiſſimi Chronographi, & Theologi magno

animorum æſtu, hac noſtra præſertim tempeſtate inter ſe ſe digladiantur, altercantur, tumultuantur: aliis Textum Hebræum, ac ſubinde Hebræorum calculum Verſioni, & calculo 70. Interpretum anteponentibus; aliis e diverſo ſtantibus pro Verſione, & calculo Græcorum, ſeu 70. Interpretum. Qui calculum Hebræorum probant, mendoſam & interpolatam eſſe 70. Interpretum Chronologiam pertendunt. Qui vero 70. Interpretum Epilogiſmum tuentur, corruptum, & adulteratum fuiſſe Textum, ac calculum Hebræorum dicunt, & utrique ſuas varias conjecturas proponunt. Longior certe eſſem, ſi hanc quæſtionem, quæ ampliſſimam præbet diſputandi materiam, in præſentia vellem accurate, pro eo ac meretur diſcutere. Conſultius me facturum puto, ſi te remmitam ad Diſſertationem, quę eſt ordine quinta, inter alias Diſſertationes, quas edidi in libro *De Myſteriis, & annis Jeſu Chriſti Servatoris noſtri*, quem Romę anno 1724. ſecundis curins adornatum publicam in lucem emiſi. In hac quippe Diſſertatione multis momentis evinco, Chronologiam Textus Hebręi, in numerandis annis Patriarcharum ante, & poſt Diluvium, præferendam eſſe calculo Codicum Græcorum, & Samaritanorum, ibidemque omnibus objectionibus, quæ vulgo proponi ſolent, abunde facio ſatis.

D. Cum librum, quem lucubraſti, *De Myſteriis, & annis Jeſu Chriſti*, nunc ad manum non habeam, optarem, ut compendio hic præcipua proferres momenta, quibus probari poteſt, Textus Hebræi Chronologiam in ſupputandis annis Patriarcharum primæ, & ſecundæ ætatis præponi debere in calculo Codicum Græcorum, ſeu 70. Interpretum, & Samaritanorum.

M. Inter præcipua momenta, quibus probatur, Chronologiam Textus Hebræi in numerandis annis Patriarcharum primæ, & ſecundæ ætatis anteponi debere calculo Codicum Græcorum, ſeu 70. Interpretum, & Samaritanorum, hæc ſunt, quæ hic ſummatim perſtringam. Primo, quia cum Chronologia Textus Hebræi, qui eſt Scripturæ Sacræ, Textus primigenius, optime conſentit Editio vulgata, quæ a Concilio Tridentino fuit Authentica declarata, & qua univerſa nunc utitur Eccleſia Catholica. Credibile autem non eſt, voluiſſe Eccleſiam approbare in Editione vulgata Chronologiam Textus Hebræi in ſupputandis annis Patriarcharum primæ, & ſecundæ ætatis, ſi ea Chronologia corrupta, ac mendoſa eſſet. Præterea, Chronologia, quæ eſt in Codicibus Græcis, ſeu 70. Interpretum, & in Pentateucho Samaritanorum, multis ſcatet erroribus, ſicut ſuperius obſervavimus in annis *Mathuſalem*, quem Codices Græci ſuperſtitem faciunt, quatuordecim annis poſt Diluvium, quod e diametro opponitur Scripturæ Sacræ. Codices Samaritani ab initio Mundi uſque ad Diluvium, percenſent tantum annos 1307. qui annorum numerus, ut fatentur omnes, contractior eſt, & longævæ Patriarcharum ante Diluvium vitæ plures adimit annos. Denique, omnium Hebræorum animis tantus ſemper inſedit ardor ſacros conſervandi libros, & cavendi, ne quod in ipſos vel minimum irreperet mendum, ut paratos ſeſe exhibuerint mortem potius oppetere, qnam in eorum depravationem conſentire. Quo fit, ut audiri non debeant hi, qui aurem fabulis præbentes, dictitant, Hebræos, odio in Chriſtianos percitos, Chronologiam Textus Hebræi de induſtria corrupiſſe. Sane, ſi Hebræi propter odium quo proſequuntur Chriſtianos, voluiſſent ſacros ſuos corrumpere libros, tam nefandum ſcelus non attentaſſent in Chronologia, ſed in Vaticiniis, quę de venturo Meſſia cecinerunt Prophetæ, quæque in Jeſu Chriſto, vero Meſſia, adamuſſim fuiſſe completa antiqui Chriſtiani Sole clarius contra Judæos demonſtrabant; in his, inquam, corrumpendis Prophetarum de venturo Meſſia oraculis omnem ſuam operam, artem & induſtriam poſuiſſent Judæi, non vero in corrumpenda Chronologia Sacra, quæ nullum Chriſtianis ad probandum Meſſiæ adventum efficax poterat ſuppeditare argumentum. Nec enim ſolebant antiqui Chriſtiani diſputare contra Judæos calculatoriis, ſeu e Chronologia petitis argumentis, ſed ipſis

obji-

obiiciebant Prophetarum vaticinia, quæ illorum jugulum petebant, eoſque ita ad incitas redigebant, ut ad iſta nec hiſcere, nec muſſitare poſſent. Cum igitur Judæi hæc Prophetarum vaticinia, quæ Chriſtianorum doctrinæ de adventu Meſſiæ aperte ſuffragantur, nunquam adulteraverint, ſed illa adhuc integra, & illibata in Sacro Textu Hebræo conſervent, quamvis ea, ne Chriſtum eſſe verum, & a Prophetis prædictum Meſſiam fateri cogantur, ſiniſtris, & violentis interpretationibus in alium ſenſum obtorto collo inflectere, ac detorquere fruſtra moliantur; qui, quæſo, credibile erit, Judæos voluiſſe vitiare Chronologiam Sacri Textus Hebræi, quæ ipſis nec quidquam nocumenti, nec Chriſtianis aliquid præſidii adverſus ipſos afferre poterat? Id ſane abhorret ab omni veri ſpecie. Præterquamquod impoſſibile videtur, Judæos per totum, qua late patet, Orbem, maxime poſt paſſionem Chriſti, diſperſos, & in varias Sectas, videlicet Samaritanorum, Sadducæorum, Caraitarum, Rabbaniſtarum, Phariſæorum, &c. diſtractos, in depravationem Sacræ Chronologiæ Textus Hebræi conſenſiſſe, tamque ſacrilegum facinus aggredi potuiſſe, etiamſi voluiſſent. Sed de Chronologiæ Sacri Textus Hebræi integritate plura legeſis in prælaudata Diſſertatione noſtra.

D. Ut diſcrepantiam Codicum Hebræorum, Græcorum, & Samaritanorum in numerandis annis primæ ætatis, ſeu Patriarcharnm ante Diluvium, uno oculorum conjectu videre poſſim, rem mihi gratiſſimam faceres, ſi hic Tabulam Chronologicam ſubnecteres, quæ generationum Patriarcharum antediluvianorum annos, juxta Codices Hebræorum, Græcorum, & Samaritanorum accurate notaret.

M. Quandoquidem hæc, quam poſtulas, Tabula Chronologica nonnihil lucis afferre poteſt his, quæ hactenus diximus, eam oculis ſubjiciam.

TA-

Digitized by Google

TABULA CHRONOLOGICA

Complectens annos generationum Patriarcharum antediluvianorum, juxta Codices Hebraeorum, Graecorum, & Samaritanorum.

Adam genuit juxta Set	codices juxta Hebræos.	codices juxta Græcos.	codices juxta Samaritanos.
Ano ætatis ſuæ	130.	230.	130.
Seth genuit Enos.	105.	205.	105.
Enos genuit Cainan	90.	190.	90.
Cain genuit Malaleel.	70.	170.	70.
Malaleel genuit Jared.	65.	165.	65.
Jared genuit Enoc.	162.	162.	62.
Enoch genuit Mathuſalem.	65.	65.	165.
Mathnſalem genuit Lamech.	187.	167.	67.
Lamech genuit Noe	182.	188.	53.
Diluvium cœpit Noe annos nato.	600.	600.	600.
Summa annorum a creatione mundi uſque ad Diluvium.	1656.	2242. vel 2262.	1307.

D. Video ſane magnam calculorum diſcrepantiam, quæ in numerandis annis Patriarcharum primæ ætatis, ideſt, a creatione Mundi uſque ad Diluvium, reperitur inter Codices Hebræos, Græcos, & Samaritanos. Sed quia Concilinm Tridentinum approbavit in Editione vulgata, quam ſequitur Catholica Eccleſia, Chronologiam Codicum Hebræorum, eamque præfert calculis Codicum Græcorum, & Samaritanorum, etiam atque etiam te rogo, ut aliam hic inſeras Tabulam Chronologicam, quæ, juxta Chronologiam Textus Hebræi, decem primorum Patriarcharum ab exordio Mundi ad Dilnvinm uſque ſtemma, & annorum vitæ ſummam complectatur.

M. En aliam, quam tibi exhibeo, Tabulam Chronologicam, in qua, juxta Chronologiam Textus Hebræi, accurate notantur anni Mundi, quibus decem Patriarchæ ante Diluvium, nati, & mortui ſunt. Indicatur etiam quoto anno vitæ ſuæ decem illi Patriarchæ ante univerſale Diluvium genuerint? quot annos vixerint, poſtquam genuerunt? & denique quot annos in univerſum vixerint? Quorum notitia tibi circa annos decem Patriarcharum ante diluvium abunde ſufficere debet.

Ta-

Digitized by Google

Tabula Chronologica, decem Primorum Patriarcharum ante Diluvium, ſtemma, & annorum vitæ ſummam complectens.

	Natus eſt anno Mundi.	Genuit anno vitæ ſuæ.	Vixit poſtquam genuit.	Vixit in univerſum.	Obiit anno Mundi.
Adamus	1.	130.	800.	930.	930.
Seth	130.	105.	807.	812.	1041.
Enos	235.	90.	815.	905.	1140.
Cainan	325.	70.	840.	910.	1235.
Malaleel	395.	65.	830.	895.	1290.
Jared	460.	162.	800.	962.	1422.
Enoch	622.	65.	300.	365.	987.
Matuſalem	687.	187.	782.	969.	1656.
Lamech	884.	182.	595.	797.	1651.
Noe	1056.	500.	450.	950.	2006.
Diluvium			Cœpit Anno Mundi 1656.	Duravit anno 1.	Deſiit anno Mundi 1657.

D. Votis meis pleniſſime feciſti ſatis. Quapropter, ſi nihil aliud de decem Patriarchis, qui vixerunt ante Diluvium, tibi ſuperſit dicendum, hic finem ultimo colloquio noſtro in Hiſtoriam primæ Mundi ætatis imponemus.

M. Ne quidquam horum prætermittamus, quæ Hiſtoriam ſpectant primæ Mundi ætatis, ſeu Patriarcharum ante Diluvium, velim ut ſub finem hujus noſtri Colloquii obſerves, *Adamum*, ejuſque filium *Abelem*, necnon Patriarcham *Noemum*, Jeſu Chriſti, Salvatoris noſtri, verique Meſſiæ, typum geſſiſſe, ut inde intelligas, horumce Patriarcharum Geſta in Chriſtum collimaſſe, eumque venturum ſignificaſſe. Ordiar autem ab *Adamo*, qui fuit primus omnium Parens, quique Jeſu Chriſti typum geſſit, ſicut ex hac, quam ſubjicio, comparatione Adamum inter & Jeſum Chriſtum liquido patebit. In primis, Adamus ſexto die

die creatus eſt: Jeſus Chriſtus ſexto die mortem ſubiit: Adamus ad imaginem Dei creatus eſt: Jeſus Chriſtus eſt imago Dei inviſibilis, & figura ſubſtantiæ ejus, & ſpeculum ſine macula Dei Majeſtatis, & imago bonitatis illius, ut inquit Apoſtolus Paulus. De terra virgine fictus eſt Adamus: in puellæ Virginis Mariæ utero conceptus eſt Jeſus, & ex eo, illibata manente Matris Virginitate, prodivit. Adamum juſſit Deus dominari piſcibus Maris, & volatilibus Cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper Terram: Jeſus Chriſtus prædicat, datam ſibi eſſe omnem poteſtatem in Cœlo, & in Terra. Conjugium Adami, & Evæ individuum Chriſti Jeſu, & Eccleſiæ connubium referre auctor eſt Apoſtolus *Paulus* in Epiſtola ad Epheſios cap. 5. Evæ ſuaſu commiſſum eſt peccatum: Mariæ Virginis partu ortum eſt peccati remedium. Per lignum morti nos tradidit Adamus: per lignum, vitæ nos reſtituit Jeſus Chriſtus. Fructum arboris, per quem bonum, & malum noſcebatur, deguſtat Adamus: De Chriſto Jeſu prædixit Iſaias: *Butyrum, & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum*. Nudus peccavit Adamus: Nudus peccatum in Cruce reparavit Jeſus Chriſtus. Poſt admiſſum peccatum e Paradiſo terreſtri exivit Adamus: Poſt reparatum peccatum in celeſtem Paradiſum introivit Jeſus Chriſtus. Dormiente Adamo, creatur Eva: moriente Jeſu, naſcitur Eccleſia. Ex Adamo, & Eva naſcuntur homines: ex Jeſu Chriſto, & Eccleſia renaſcuntur homines.

Alteram Jeſu Chriſti figuram exhibet nobis *Abelis*, & *Caini*, filiorum Adami, hiſtoria. Quemadmodum enim *Abeli*, integerrimo viro, *Caini*, fratris, invidiam conflavit eximia, qua pollebat, pietas; ita Jeſu Chriſto, omnium hominum innocentiſſimo, fratrum Judæorum odium virtutes ſuæ pepererunt. Fuit Abel ovium paſtor: Jeſus Chriſtus fuit paſtor hominum. Abeli mortem parat Cainus: Jeſu Chriſto mortem conſciſcunt Judæi. Abelem foras ad mortem educit Cainus: Jeſum Chriſtum Judæi ad ſupplicium extra Hieroſolymam rapiunt. Vox ſanguinis Abelis clamat ad Deum de terra: De Jeſu Chriſto ait Apoſtolus *Paulus* in Epiſtola ad Hebræos: *Acceſſiſtis ad Teſtamenti Novi Mediatorem Jeſum, & ſanguinis aſperſionem, melius loquentem, quam Abel*. Hanc Caino pœnam, ob perpetratum flagitium, irrogat Deus, ut deteſtabilis, & exoſus ſit omnibus in terra hac, quam fraterno ſanguine reſperſit: Judæi omnibus inviſi, & execrabiles ſunt, præſertim in Eccleſia Chriſtiana, quæ Jeſu Chriſti ſanguine lota, ac mundata eſt. Futurum præterea addidit Deus, ut terram a ſe fœdatam vanis laboribus Cainus exerceat, nullos ipſi fructus, operæ pretium redituram: adeo etiam deplorandam videmus perfidorum Judæorum ſortem ac conditionem, ut piſcam, & jampridem antiquatam Synagogam, necnon abrogatos ejus ritus fruſtra concelebrent, nec quidquam proficiant ad ſalutem. Exilio quoque Cainum mulctat Deus, patriiſque extrudit ſedibus, ſic tamen ut tutam, & incolumem ei vitam præſtet: profugi paſſim, & extorres errant Judæi, nec penitus tamen exſcinduntur. Signo quodam Cainum notavit Deus, quo agnitus mortem effugeret: Judæi, qui per immanitatem, poſt homines natos maximam, Jeſum Chriſtum in Crucem egerunt, certo colore, vel nota inſignes variis in locis eſſe jubentur, quo ab aliis diſcernantur. Plura circa hanc comparationem Abelis, & Jeſu Chriſti legeſis apud *Rupertum*, Abbatem Tuitienſem lib. 3. Comment. in Geneſim cap. 6.

Denique, in Patriarcha *Noemo* typum Jeſu Chriſti habemus. Noemi quippe nomen ſignificat conſolationem, & quietem: id de ſe pollicitus eſt Jeſus Chriſtus, dicens: *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris*: Matth. cap. 11. Præterea, *Noemus*, ſicut legitur cap. 6. Libri Geneſeos, *invenit gratiam coram Domino: Noe vir juſtus, atque perfectus fuit in genera-*

nerationibus ſuis, *cum Deo ambulavit*: Jeſus Chriſtus *proficiebat ſapientia*, *&* *gratia apud Deum*, *&* *homines*, cap. 2. Evangelii Lucæ. Terras inundante Diluvio, totumque genus humanum delente, hi tantum inſtantem perniciem evaſerunt, quos ſervavit *Noemus* in Arca: graſſante in Mundo peccati lue, homineſque in certum interitum adducente, illi duntaxat fuere ab imminenti exitio liberati, quos Jeſus Chriſtus efficaciter ſalvos eſſe voluit; *nec enim aliud* (ut dicitur Act. Apoſt. cap. 4.) *nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus*, *in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Extra Arcam *Noemi* omnes perierunt abſorpti aquis Diluvii: Extra Eccleſiam, quam Chriſtus inſtituit, nulla eſt ſalus, vita, & gratia ſanctificans: *Noemus*, nudatus a Chamo, filio ſuo, irriſus eſt, cum interea filii ejus duo, *Semus*, *&* *Japhetus*, ſingularem ei pietatem, ac reverentiam præſtiterunt, indeque factum eſt, ut *Noemus* diris devoverit *Chamum*, duobus vero aliis filiis ſuis fauſta omnia fuerit apprecatus: Jeſus Chriſtus nudus in Cruce pendens, ab Iſraele filio ſuo, habitus eſt ludibrio, cum verus Iſrael, & populus gentium, ejus quoque filii, in ipſius obſequium, & cultum conceſſerint, & idcirco Deo ille, ſeu populus Judaicus, abominabilis factus, extrema per omnia infelicem vitam trahit, dum hic populus verorum Iſraelitarum, & Gentilium, Jeſu Chaiſti doctrinam ſuſcipientium, evaſit Deo gratus, & acceptus. Denique, Arca *Noemi* paucos a Diluvio liberavit, & animalia munda, & immunda continebat: in Eccleſia Jeſu Chriſti, ſi advertatur ceterorum hominum, qui ſua culpa pererunt, ingens multitudo, pauci ſalvantur, idque Chriſtus ſæpius dicit, ſalutem eſſe paucorum, & arctam eſſe viam, quæ ducit ad cœlum. Eccleſia etiam Jeſu Chriſti complectitur homines bonos & malos, juſtos & peccatores, non ſecus ac frumentum cum palea invenitur in area, & boni ac mali piſces concluduntur in ſagena.

D. Eccur, quæſo, voluit Deus, ut tot typis, ac figuris etiam ab initio Mundi prænunciaretur, & adumbraretur Jeſus Chriſtus, qui tamen poſt expletum duntaxat quartum Mundi millenarium prodiit in lucem?

M. Cum Chriſtus ſit Deus ſimul & homo, qui redemptionis generis humani ineffabile Myſterium in terris implere debebat; oportuit, ut poſt peccatum Adami, hoc eſt, ab ipſo Mundi exordio prædiceretur, multiſque typis ac figuris, quaſi prævio quodam ad oſtium ſuum apparatu, terris oſtenderetur. Hinc non ſolum voluit Deus, ut Patriarchæ dictis, & factis ſuis Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam a Deo promiſſum, repræſentarent, ſed etiam, dum omne humanum genus in vitium rueret, elegit numeroſam gentem, ſeu Judaicam, cui Reges, Ritus, Cæremonias, & Sacrificia præſcripſit, quibus promiſſus Chriſtus, dignitas ejus, opera, vita, & mors, prænunciarentur, & ſignificarentur, ſicque, dum gens Judaica hunc promiſſum Servatorem exſpectaret, eadem ſpe totus Orbis impleretur, hicque excipiendo aliquando homines, bene præparati eſſent: *Per multam ſeriem temporum prædicendus fuit* Chriſtus: *Non enim aliquid parvum venturum fuit*. *Diu fuerat prædicendus*, *ſemper tenendus*. *Quanto major judex veniebat*, *tanto præconum longior ſeries præcedebat*, ſunt verba *S. Auguſtini* Tractatu 31. in Joannem. Sed de typis ac figuris, quibus adumbratus fuit Jeſus Chriſtus, antequam ejus vultus toti terrarum orbi affulgeret, plura opportunius dicemus in noſtris Colloquiis, in quibus agemus de Lege Moſaica, cujus ritus, cæremoniæ, Feſta, & Sacrificia in Jeſum Chriſtum venturum collimabant, eaque ad illum ſignifieandum, ſeu, ut ita loquar, ad viam ejus adventui ſternendam, fuerunt a Deo inſtituta, diſpoſita, & ordinata. Finem itaque huic ultimo noſtro Colloquio in Hiſtoriam primæ Mundi ætatis, quæ incipit a creatione Mundi, & protenditur uſque ad diluvium imponamus. Craſtina autem die aggrediemur hora ſecunda pomeridiana Hiſtoriam ſecundæ Mundi ætatis, quæ incipit a diluvio univerſali Noetico, & producitur uſque ad vocationem Abrahami. Tu vero, quæ in tribus Colloquiis in Hiſtoriam primæ Mundi ætatis hactenus diximus, ſæpius ruminari, & memoriæ tuæ trabali clavo penitus infigere debes.

HISTO-

HISTORIA

SECUNDÆ MUNDI ÆTATIS

Quæ initium habet a Diluvio Univerſali Noetico , & producitur uſque ad vocationem Abrahami.

POſt univerſale Diluvium tres filii Noemi, videlicet *Semus* , *Chamus*, & *Japhetus*, genus humanum , quod erat aquis Diluvii pene extinctum , repararunt , & ex his orti ſunt omnes populi. Qui autem ex his tribus Noemi filiis proxime nati ſunt, aucto hominum numero, de diſceſſu in varias terræ regiones cogitarunt ; ſed prius maximæ altitudinis turrim *Babel*, ſeu *Confuſionis* , quæ omnibus perfugii loco eſſe poſſet, ſi novum Deus moliretur Diluvium, audaci conatu inchoarunt, perficere tamen haud potuerunt, Deo immenſæ illius molis fabricam momento temporis interrumpente, & linguam communem, qua utebantur, in plures linguas dividente , quo factum eſt, ut ſublato illo , quo inter ſe ſe devinciebantur iſti poſtdiluviani homines, loquelæ commercio , alii in alias terras commigrandi incubuerit neceſſitas. Sed etiamſi locis diſſiti , & ſermone eſſent diviſi, in hoc tamen conveniebant , quod moribus perditi in flagitia , & ſordes ruerent , omnibus ſcelerum generibus eſſent mancipati, neglectoque ſolius Dei veri cultu , Idolis ſervirent . Nonnullos tamen in tanta malorum colluvie illibatos & puros ſervavit ſibi Deus , quos inter eminet *Abrahamus*, qui ſpecialiter electus eſt , ut eſſet pater credentium. In vocatione Abrahami deſinit ſecundæ Mundi ætatis Hiſtoria , quam in tribus, quæ inſtituemus Colloquiis, diligenter examinabimus. In primo Colloquio agemus de his, quæ ſpectant Hiſtoriam ſecundæ Mundi ætatis. In altero Colloquio diſcutiemus quædam dubia, quæ circa ſecundæ Mundi ætatis Hiſtoriam proponere ſolent Scripturæ Sacræ interpretes. In poſtremo referemus Patriarcharum poſtdiluvianorum Geſta, & aliquot difficultatibus , quæ circa illorum vitæ annos , vel circa illorum dicta aut facta occurrere poſſunt, breviter faciemus ſatis.

COL-

COLLOQUIUM PRIMUM.

In quo agitur de his, quæ ſpectant ſecundæ Mundi Ætatis Hiſtoriam.

DISC. AD te, obſervande Magiſter, hora quam præfixiſti heri, ſecunda pomeridiana, non tam accurri, quam advolavi, ut in eo, quod hodie habituri ſumus, colloquio perdiſcere poſſim omnia, quæ ad Hiſtoriam ſecundæ Mundi ætatis, hoc eſt, a Noetico Diluvio uſque ad vocationem Abrahami, attinere poſſunt.

M. Optato ſane & in tempore adveniſti, nec enim hodie in meo Muſeolo fiet noſtrum colloquium, ſed in meo prædiolo ruſticano, quod procul a nobis non diſtat, & quo ipſe me recipere ſoleo, quoties me urbis cœpit ſatietas. Hoc prædiolum, ceu Colloquio noſtro locum peropportunum, deſtinavi; non ſolum quia cœli affulgens ſerenitas ad prodeambulandum invitat, verum etiam, quia in horto iſtius prædioli extat copioſum pomarium, proceris quercubus, & rivo limpidiſſimo cinctum. Adeſt etiam, inter alias arbores, Pirus, quæ triplicem nobis voluptatem miniſtrabit; Nam ut eſt procera ſatis, & patulis diffuſa ramis, amœniſſimam prorſus umbram præbebit, & frondibus opacis æſtum facile propulſabit. Præterea, ut eſt anni vernum tempus, non oculos modo floſculorum adſpectus paſcet, ſed etiam nares gratiſſimo odore recreabit; ut nihil in præſentia dicam de aura, quæ ibi ſpirat, ſaluberrima, de leni murmure rivi, qui circumlabens totum hortum irrigat, & de variis herbarum virentium, graminumque floſculis verſicoloribus diſtinctorum, ſpeciebus. In hoc amœniſſimo horto ſub illa ingenti Piro commodiſſima ſedilia inveniemus, pulvillos quoque, ſi videbitur, adferri jubebo.

D. Delectat me valde hæc amœniſſimi loci tam eleganter a te collaudata ſpecies. Huc itaque, abjecta omni cunctatione, nos conferamus, ut humi juxta rivum in gramine procumbentes colloquium noſtrum incipiamus.

M. Ne, inter eundum huc, tempus inani ſermone teramus, periculum facere vellem, an memoria adhuc teneas Hiſtoriam primæ Mundi ætatis, quam tibi in ſuperioribus colloquiis ſat ſuperque expoſui; ſic enim ad audiendam Hiſtoriam ſecundæ ætatis Mundi, quam, dum ad hortum erimus appulſi, pertexam, præparatus magis accedes.

D. Quando ita jubes, Hiſtoriam primæ Mundi ætatis compendioſe deſcriptam inter deambulandum recitabo, ut inde intelligas, me omnem itidem curam & attentionem adhibiturum, ut Hiſtoria ſecundæ Mundi ætatis, quam mox concinnaturus es, perpetuo memoriæ meæ infixa remaneat. En igitur Hiſtoriæ a creatione Mundi uſque ad Diluvium, hoc eſt, primæ Mundi Ætatis ſiynopſim. Poſtquam Deus creaſſet cœlum & terram, condidit tandem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam Adamum, & e coſta, quam ei detraxit, formavit *Evam*, ipſius conjugem. Hos primos parentes noſtros, quibus dederat Deus mentem ratione pollentem, & in bonum natura ſua converſam, collocavit in Paradiſo voluptatis, omni bonorum copia affluente. Ipſi vero, accepta ab omnipotenti conditore Lege obſervatu facillima, qua ligni ſcientiæ boni & mali fructus ipſis interdicebatur, externa duntaxat perſuaſione, ſeu ſuggeſtione Diaboli, qui formam ſerpentis induerat, non interna concupiſcentiæ, quæ necdum ipſis inerat, ſolicitatione victi, primum Dei mandatum, decerpto ex arbore vetita fructu, eoque guſtato, violarunt. Hinc prima totius labis origo. Hinc Adamus & Eva continuo nudos eſſe ſe erubuerunt. Hinc e Paradiſo terreſtri fuerunt actutum a Deo

ex-

expulſi, morbis & morti obnoxii facti, quos Deus creaverat immortales. Hinc ad ſummam miſeriam redacti, compulſi ſunt veſci pane in ſudore vultus ſui. Hinc denique, cœpit concupiſcentia contra rationem pugnare, durumque deinceps in omnes homines, qui ab iis prognati ſunt, imperium exercere. At Deus, *qui dives eſt in miſericordia*, & cujus bonitas prævalet hominum nequitiæ, primis Parentibus noſtris, ſtatim ac lapſi ſunt, promiſit ex ſemine eorum naſciturum Meſſiam, ſeu Redemptorem, qui generi humano illata per primigeniam Protoparentis Adami culpam damna cum fœnore reſarciret. Patuit autem confeſtim poſt peccatum primi omnium hominum parentis, corruptam eſſe totam illius ſobolem, & egere ſalvatore, qui non ſolum paupertati & miſeriis, ſed & moribus corruptis mederetur. At enim *Cainus*, filius Adami, & Evæ, invidia motus, occidit *Abelem*, fratrem ſuum. Dein, hominibus ſceleratioribus factis, Deus coactus eſt Mundum univerſali Diluvio perdere, uno excepto Patriarcha Noemo cum familia ſua, qui juſſu Dei ingentem fabricavit Arcam, qua, præter familiam ſuam, omnium animalium ſpecies ſervavit, ne perirent in aquis. Hactenus, ut morem tibi gererem, compendioſam recitavi primæ Mundi Ætatis narrationem, quæ nos ſenſim ſine ſenſu ad hunc hortum perduxit, qui ſtudiorum ſeceſſibus vel maxime videtur idoneus, quique limpidis ſuis fontibus, ac ripis ſmaragdinis, & opacis nemorum umbris me plurimum exhilarat atque delectat. Age itaque, ſedeamus, tu vero incipe ſecundæ Mundi Ætatis Hiſtoriam, quam in numerato habes; tuam quippe novi memoriam, quam ſcio tibi eſſe commentarii vice.

M. Hiſtoriam ſecundæ Mundi Ætatis ordiar ab his, quæ immediate poſt Diluvium contigerunt, eamdemque Hiſtoriam continuabo uſque ad vocationem Abrahami, ubi definit ſecunda Mundi Ætas. Tu vero, fac ut attento ſis animo, meque circa ea, quæ intelligentia aſſequi haud poteris, appoſite interroges.

D. Quid egit Noemus, poſtquam, exacto Diluvio, exivit ex Arca?

M. Poſtquam Noemus anno Ætatis ſuæ ſexcenteſimo primo, a creatione vero Mundi anno milleſimo ſexcenteſimo quinquaſimo ſeptimo, ex Arca, orbe ſiccato, fuiſſet juſſu Dei egreſſus, Altare Deo, ceu liberatori ſuo, erexit, eique in gratiarum actionem holocauſta obtulit, quæ grata Deus habuit, ideoque Noemo, & ejus familiæ benedixit, promiſitque, ſe non amplius univerſali diluvio deleturum genus humanum, dicens: *Non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, ſicut feci*, Geneſis cap. 8. v. 21. *Statuam pactum meum vobiſcum, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium diſſipans terram*, Geneſis cap. 9. v. 11. *Et non erunt ultra aquæ diluvii ad delendam univerſam carnem*, ibidem, v. 15. Denique, Deus promiſſo ſuo de eluvione ulterius non immittenda adjecit fœdus Iride firmatum, quod dignatus eſt icere cum Noemo dicens: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram*; ſicque factum eſt, ut qui ante diluvium erat tantum a natura pluviæ ſignum, cœleſtis in nubibus arcus, evaſerit poſt diluvium fœderis Deum inter & homines teſſera, & quaſi fidejuſſor divino nutu fuerit conſtitutus, ne unquam pari eluvione univerſum terrarum orbem Deus inundaret. Falſum igitur eſt quod dictitant nonnulli: Iridem nunquam fuiſſe ante diluvium univerſale; nam ante diluvium fuit Sol, fuerunt pluviæ, ſerenitates, nubes roſcidæ, nubes opacæ, exhalationes, halitus, ſpiritus vagantes per Atmoſphæram, ſicut modo; alioqui progenies illa hominum, qui ejuſdem ſpeciei, temperamenti, atque complexionis quoad ſubſtantiam, erant ſicut nos, quo pacto ſubſiſtere potuiſſet, deficientibus his, quæ adeo neceſſaria experimur, cum ad noſtram conſervationem, tum ad ſegetum, plantarumque generationem?

D. Dicebat mihi nuperrime vir Hiſtoriæ Sacræ peritus, Deum contraxiſſe hominum poſt diluvium vitam ad annos centum viginti, juxta illud Scripturæ Sacræ: *Dixitque Deus: non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum*,

num, quia caro eſt; eruntque dies illius centum viginti annorum. Addebat inſuper vir ille eruditus, Deum, habita ratione imbecillitatis hominum poſtdiluvianorum, eis permiſiſſe eſum carnium, quem hominibus ante diluvium prohibuerat, in cujus ſententiæ confirmationem, hæc verba Scripturæ Sacræ proferebat perdoctus ille vir: *Omne, quod movetur & vivit, erit vobis in cibum .... excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis*, Geneſis cap. 9. v. 3. utrum autem hæc vera ſint, & Scripturæ Sacræ conſentanea, velim ut in præſentia me edoceas.

M. Utramque iſtius viri eruditi ſententiam, ut candide fatear, meo calculo probare haud poſſum. Et primo quidem, hæc verba Scripturæ Sacræ, quæ lib. Geneſis cap. 6. v. 3. leguntur: *Eruntque dies illius centum viginti annorum*, non innuunt, Deum contraxiſſe poſt diluvium vitam hominum ad annos centum viginti, ſicut nonnulli poſt *Jopheſum*, Hebræum, lib. 1. Antiq. judaicarum cap. 4. male interpretantur; ſed hæc Scripturæ Sacræ verba: *Eruntque dies illius centum viginti annorum*, indicant ſpatium, quod Deus hominibus ante diluvium conceſſit, pœnitentiam agendi, tanquam ſi Deus diceret: *uſque ad centum viginti annos iram meam in homines differam, ac procraſtinabo; ſi autem non reſipiſcant, & ad meliorem frugem ſeſe recipere nolint, in eos diluvium inducam*. Hunc eſſe genuinum illorum Scripturæ Sacræ verborum ſenſum evidentiſſime patet ex annis Patriarcharum poſt Diluvium. *Semus* quippe, Noemi filius, qui tempore diluvii centum annos natus erat, vixit uſque ad ſexcentos annos. Innumeri etiam alii poſt diluvium longe ultra centum viginti annorum ſpatium vitam produxerunt, ut Sanctæ Litteræ docent. Rejicienda itaque eſt hæc *Joſephi* Hebræi, & aliorum ei adhærentium expoſitio, quæ centum viginti annos hominibus poſt diluvium in vitæ terminum fuiſſe a Deo conſtitutos aſſerit, & intelligenda ſunt hæc laudata Scripturæ Sacræ verba: *Eruntque dies illius centum viginti annorum*, eodem in ſenſu, quo explicantur hæc Prophetæ *Jonæ* verba: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*. Alteram, quod ſpectat ſententiam, quam, ut mox dicebas, propugnabat vir eruditus, affirmans, Deum duntaxat poſt diluvium conceſſiſſe eſum carnium, quem hominibus ante diluvium vetuerat: hæc, inquam, non mihi itidem probatur ſententia. Oſtendi ſiquidem in noſtro ſecundo Colloquio in Hiſtoriam primæ Mundi ætatis, Deum nullum ediſiſſe præceptum, quo prohibuerit hominibus ante diluvium eſum carnium. Addam hic duntaxat, credibile non eſſe, homines, qui, ut perhibet Scriptura Sacra, ante diluvium illicitis voluptatibus admodum dediti erant, a carnibus abſtinuiſſe, ex quarum immoderata comeſtione, prodeunt illæ voluptates, quæ ad gulam pertinent, & ventri ac libidini ſerviunt, in quibus illi toti erant: crediderim ergo ipſe, Deum non prohibuiſſe hominibus antediluvianis eſum carnium, ſed tacite illorum eſum eis tantummodo permiſiſſe, & poſt diluvium factam fuiſſe a Deo aperte hominibus poteſtatem comedendi carnes, tum quia voluit Deus hac ſpeciali conceſſa indulgentia homines poſtdiluvianos ab eluvionis metu confirmare & recreare: Tum quia etiam, terra diluvio effeta & deterior facta eſt, atque olera minus nutritiva, quam erant antehac: Tum denique, quia natura hominis poſt diluvium evaſit fragilior & imbecillior, ſicut ex contractiore vita eorum, qui poſt diluvium nati ſunt, & quorum ætas in Sacris litteris perſcripta eſt, facili negotio intelligi poteſt.

D. Quid ſibi volunt hæc verba: *Excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis?*

M. Deus his verbis prohibuit hominibus poſtdiluvianis, ne membrum de animante adhuc vivo comederent. Voluit etiam Deus, ut homines abſtinerent ab eſu ſanguinis animalium, quia eorum anima eſt in ſanguine. Hanc legem de abſtinentia ab eſu ſanguinis animalium, latam a Deo poſt diluvium, obſervant etiamnum ad ſummos juris apices Judæi, qui ab eſu ſanguinis & ſuffocati vehementer abhorrent. Ejuſdem legis de abſtinentia a ſanguine animalium obſervationem commendarunt Apoſtoli, in Con-

cilio Hieroſolymitano, ſic definientes: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & Nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione*. Hanc legem in exordio naſcentis Eccleſiæ promulgarunt Apoſtoli, ut facilius conciliarentur Gentiles cum Judæis, & ſimul habitantes, in unum populum coaleſcere poſſent, ſublatis ſemel hiſce cauſis, quibus ad invicem diſſociari, & alienari potuiſſent, qualis erat eſus ſanguinis, a quo Judæi ex præſcripto legis religioſe abſtinebant. At, cum jam a multis ſæculis judæorum, & Gentilium diſcordia omnino deſierit, & utrique, Jeſu Chriſti Fide illuminati, in ejus Eccleſiam coaluerint, hæc tandem lex de abſtinentia a ſanguine, quæ non perpetua, ſed temporanea, ſeu ad tempus obſervanda erat, fuit in Eccleſia penitus abolita, extincta, & antiquata. Hinc tamen obiter advertere debes, Deum, occaſione illius legis de non comedenda carne animalium cum eorum ſanguine, & de abſtinentia ab eſu illorum ſanguinis, quam tulit poſt diluvium, aliud ad deteſtationem homicidii ediđiſſe præceptum, cap. 9. libri Geneſeos his verbis conceptum: *Quicumque effuđrit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus eſt homo*. Quaſi Deus hominibus poſtdiluvianis ſic diceret: *Ne forte licitum putetis humanum ſanguinem, ſicut & belluinum effundere; denuntio vobis, quod quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius, tantum abeſt, ut hominem, qui homicidii reus erit, impune abire ſinam*.

D. Fueruntne alia præcepta poſt diluvium a Deo data *Noemo*, ejuſque filiis, quæ obſervare tenerentur?

M. Hebræorum Magiſtri, ſeu Rabbini, *Noachidas* vocant omnes Gentes, præter Hebræos, qui *Abrahamidæ*, vel potius *Iſraelitæ* vocari amant. Hi autem Rabbini dicunt, Deum tradidiſſe Noemo, ejuſque filiis, ſeptem præcepta, quæ ideo appellant *præcepta Noachidarum*, quæque pro jure naturali, ſeu jure omnium gentium, ſumunt. Horum ſeptem Noachidarum præceptorum primum præcipit unius ſolius Dei cultum, & damnat idololatriam. Alterum præceptum vetat, ne nomen Dei prophanetur. Tertium prohibet, ne effundatur ſanguis humanus. Quartum damnat, illicitos concubitus. Quintum inhibet furtum. Sextum præſcribit ut Magiſtratus & Judices conſtituantur, quibus onus incumberet de illis præceptis ferendi judicium, & commonendi populum de illorum obſervatione. Septimum denique Noachidarum præceptum prohibet, ne animalium caro cum ſanguine comedatur. His ſeptem Noachidarum præceptis adſtringebantur quotquot erant intra Hebræorum portas, ſeu qui dicebantur *Proſelyti portæ & domicilii*, quique profeſſione non erant Judæi, ſeu Legem Moſaicam non ſectabantur. Neque enim cuiquam fas ac licitum erat cum populo Dei, ideſt, Iſraelitico, commoranti, ſine juſtitia, hoc eſt, abſque illorum ſeptem Noachidarum præceptorum obſervatione, vivere, ſicut teſtatur *Maimonides* cap. 3. ubi hæc habet: *tenemur interficere omnes Gentiles, qui nolunt recipere præcepta Noachidarum, ſi ſint in poteſtate noſtra*. Et paucis interjectis, ſubdit: *Juſſit Moyſes, a Deo edoctus; ut cogeremus unumquemque, qui in Mundum venerit, ſuſcipere in ſe præcepta Noachidis data, & quicumque ea non ſuſcipiet, interficietur; qui vero ea in ſe ſuſcipit, vocatur Proſelytus domicilii in quocumque loco. Obligatur autem ea in ſe ſuſcipere coram tribus viris doctis*. Sed de his ſeptem Noachidarum præceptis & de Hebræorum Proſelytis. qui illorum obſervatione obſtringebantur, plura legeſis apud jam citatum *Maimonidem* in ſuo Tractatu *De Proſelyto*.

D. Legam, ſi aliquando mihi per otium liceat, hunc *Maimonidis* Tractatum. Interim, perge, ſi placet, referre cetera, quæ Noemum, ejuſque filios ſpectant.

M. Terram ſtudioſe coluit Noemus, atque vineam ſua manu ſevit: *Unde* (inquit Lactantius cap. 14. lib. 2. Inſtitutionum Divinarum) *arguuntur, qui auctorem vini Liberum*, ſeu Bacchum, *putant. Ille enim*, ſeu Noemus, *non modo liberum, ſed etiam Saturnum, atque Uranum*

Digitized by Google

num multis anteceſſit ætatibus. Ex vinea, quam plantaverat Noemus, cum primum fructum cepiſſet, lætus factus, bibit uſque ad ebrietatem, jacuitque nudus. Quod cum vidiſſet unus ex filiis ſuis, cui nomen fuit *Cham*, non texit patris nuditatem, ſed egreſſus etiam fratribus ſuis, videlicet, *Semo*, & *Japheto*, indicavit. At, illi, ſumpto pallio intraverunt averſis vultibus, patremque texerunt. Quæ cum facta expergefactus recognoviſſet pater, imprecatus eſt non filio ſuo *Chamo*, ſed *Chanaani*, filio *Chami*, dicens, *Maledictus Chanaam, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis;* benedixit vero *Noemus* aliis duobus filiis ſui *Semo*, & *Japheto*, ſicut legitur cap. 9. libri Geneſeos.

D. Duo hic, cum bona tua venia, proponam Dubia. Primum eſt, an ebrietas, in quam Noemus, hauſto nimium vino, incidit, ei debeat vitio verti, fueritque vere peccatum? Alterum Dubium eſt, cur Noemus intorſerit maledictionem in *Chanaan*, filium *Chami*, & non in ipſius patrem, ſeu *Chamum*, qui Noemum, Patrem ſuum, jacentem nudum, & verenda ſua monſtrantem deriſit, eumque fratribus ſuis deridendum propinavit.

M. Ebrietatem Noemi non fuiſſe peccatum, conſtans eſt Sanctorum Patrum Sententia. Alii quippe, quos inter cenſentur *Hieronymus*, & *Auguſtinus*, docent, ebrietatem Noemi myſticam fuiſſe, ideſt, Deum in ebrietate Noemi typum dare voluiſſe impletum in Jeſu Chriſto, Salvatore noſtro. Sic enim loquitur S. *Hieronymus* in lib. contra Luciferianos: *Egreſſus ex Arca Noe vineam plantavit; & bibens de ea inebriatus eſt. Natus quoque in carne Chriſtus Eccleſiam plantavit, & paſſus eſt. Nudatum patrem irriſit major filius, & minor texit. Deum crucifixum irriſerunt Judæi, honorarunt Gentiles*. His gemina habet S. *Auguſtinus* lib. 16. *De civitate Dei* cap. 1. Alii vero SS. Patres hanc ebrietatem Noemi non fuiſſe peccatum aſſerunt, videlicet S. *Cyrillus* Alexandrinus lib. 2. in Geneſim, *Theodoretus* Quæſt. 56. in Geneſim, *Chryſoſtomus* Homilia 29. in Geneſim, *Ambroſius* lib. de *Noe & Arca* cap. 29. Rationes autem, quibus illi Sancti Patres excuſant Noemi ebrietatem, hæ ſunt: quod Sancti illius Patriarchæ inopinata ebrietas fuit, ut loquitur S. *Cyrillus*: quod ab imperitia proficiſcebatur hæc paſſio, non ab intemperantia, ſicut ait S. *Chryſoſtomus*, quia, inquit, neque ille guſtaverat prius, neque alium ſciebat, qui guſtaſſet, ignarus qua menſura uti debebat, per ignorantiam incidit in ebrietatem. Cum igitur involuntarium ſit, quod fit ex inculpata ignorantia, & nullum ſit peccatum, niſi voluntarium ſit, ſequitur, ebrietatem Noemi non fuiſſe peccatum, utpote quæ involuntaria prorſus fuit. Ad alterum, quod proponis, Dubium, reſpondet *Theodoretus*, *Chanaam*, filium *Chami*, fuiſſe primum, qui Noemum avum ſuum, dormientem, & indecore nudatum animadvertit, nec officioſe, ut par erat, eum cooperuiſſe, ſed irriſiſſe, totamque rem ad patrem ſuum *Chamum* inverecunde & cum riſu detuliſſe, neque ipſum a Patre de humanitate in parentem increpitum fuiſſe, ſed & ipſum quoque deriſiſſe; eaque de cauſa *Chanaam*, filium *Chami*, improbiſſimæ deriſionis primum auctorem, fuiſſe ab avo ſuo, ſeu *Noemo*, maledictione perculſum. Addo etiam, Noemum non maledixiſſe filio ſuo *Chamo*, ſed *Chanaani*, filio *Chami*, tum quia Deus *Chamo*, aliiſque duobus filiis Noemi benedixerat, quando egreſſi ſunt ex Arca, non conveniebat igitur, ut Noemus malediceret filio ſuo *Chamo*, cui Deus benedixerat: Tum quia etiam, ſi Noemus maledixiſſet filio ſuo *Chamo*, ea maledictio incidiſſet in omnes filios *Chami*, cui tamen Deus illos ſubjicere nolebat, ſed tantum progenies *Chanaanis*, filii *Chami*, & irriſoris ſui avi Noemi.

D. *Semum*, *Chamum*, & *Japhetum*, fuiſſe filios Noemi jam probe ſcio, ſed a te ſcire optarem primo, an *Semus* ſit revera primogenitus filiorum Noemi? Secundo, an Noemus præter tres illos filios, quos genuit ante diluvium, alios procreaverit poſt diluvium?

M. Quinam inter tres illos Noemi filios ordo ſervari debeat? Seu quinam ſit filiorum Noemi primogenitus? In-

Digitized by Google

certum omnino eſt, ac lis ſub judice adhuc pendens. Alii exiſtimant; *Semum* eſſe primogenitum filiorum Noemi eo præſertim ducti argumento, quod quoties Scriptura Sacra recenſet filios Noemi, ſemper *Semum* primo reponit loco. Verum, hæc mihi non placet conjectura, quia Scriptura Sacra percenſendo filios Noemi, primum numerat *Semum*, non quidem ordine naturæ, ſed habita ratione ejus dignitatis, cum ex ipſo, ſeu ex ipſius familia proditurus eſſet Jeſus Chriſtus verus Meſſias. *Ex Semo*, inquit Sanct. Auguſtinus lib. 16. de Civitate Dei, *Patriarcha, & Propheta, Chriſtus ipſe & Apoſtoli; ex Japhet Gentes prodierunt, & utrique in idem corpus Eccleſiæ cojerunt*. Certe, nemo negare poteſt, Scripturam Sacram, dum recenſet filios Noemi, ſecundo loco ponere *Chamum*, qui patris ſui Noemi fuit irriſor, & tamen *Chamum* fuiſſe juniorem *Japheto*, quem Scriptura Sacra inter filios Noemi ultimo loco collocat, teſtatur eadem Scriptura Sacra v. 24. c. 9. libri Geneſis, ubi hæc habet: *Evigilans autem Noe ex vino, cum didiciſſet quæ fecerat ei filius ſuus minor*, ideſt, *Chamus*, patris ſui Noemi irriſor. Non ergo ex Scriptura Sacra certo evinci poteſt, *Semum* fuiſſe primogenitum filiorum Noemi. Immo potius probabilius, mea quidem ſententia, adſtrui poteſt auctoritate Scripturæ Sacræ, Japhetum eſſe primogenitum filiorum Noemi. At enim, poſtquam Scriptura Sacra c. 10. v. 1. libri Geneſ. numeravit tres filios Noemi, dicens: *Hæ ſunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham, & Japhet*, ſtatim a recenſendis decem filiis *Japhet* exordium ducit, qui ordo præpoſterus eſſet, ſi *Japhetus* ordine naturæ fratres ſuos non antevertiſſet, ſeu filiorum Noemi non fuiſſet primogenitus. In altero, quod propoſuiſti, Dubio, utrum Noemus aliquos poſt diluvium genuerit filios? Non eſt quod multum immoremur, cum Scriptura Sacra tres duntaxat recenſeat filios, quos ante diluvium procreavit Noemus, videlicet *Semum, Chamum, & Japhetum*: *Tres iſti ſunt filii Noe, & ab his diſſeminatum eſt omne genus hominum ſuper univerſam terram*, Geneſis cap. 9. v. 19. Si ergo ex Scriptura Sacra ex tribus iſtis Noemi filiis propagatum eſt omne genus humanum ſuper univerſam terram, palam ſequitur, Noemum nullos poſt diluvium genuiſſe filios, alioqui dicendum eſſet, illos filios, quos poſt diluvium genuiſſet Noemus, permanſiſſe ſteriles, & improles obiiſſe, quod ſane tam abſurdum eſt, quam quod maxime. Rejicienda itaque eſt ſententia Cardinalis *Cajetani*, aſſerentis Noemum genuiſſe filios poſt diluvium; ſed ſibilo explodi debet *Beroſus Annianus*, qui ſcribit, Noemum procreaſſe poſt diluvium plures filios, triginta ſcilicet Gigantes, quos ex nomine matris, quæ *Titæa* dicebatur, *Titanas* appellavit. Apage fabulam. Sunt quidam alii Scriptores, qui dicunt, *Chamum*, filium Noemi, intempeſtiva venere in Arca uſum, genuiſſe filium dictum *Chanaan*. Sed contrarium diſerte aſſerit Scriptura, quæ cap. 10. verſ. 1. libri Geneſeos, poſtquam percenſuit tres Noemi filios, *Semum, Chamum*, & *Japhetum*, continuo ſubjungit: *Natique ſunt eis filii poſt diluvium*, ergo filii Noemi, quos inter eſt *Chamus*, durante diluvio, procreandis liberis operam non dederunt. Præterea eodem in capite libri Geneſeos verſ. 6. numerantur filii *Chami*: *filii autem Chami, Chus, & Meſrain, & Phuth, & Chanaan*. Si autem *Chamus*, durante diluvio, genuiſſet in Arca filium ſuum juniorem, dictum *Chanaan*, jam ergo tres filios ſuos, *Chanaane* majores, videlicet *Chus, Meſraim, & Phuth*, procreaſſet ante diluvium, ac ſubinde tres illi filii una cum patre ſuo *Chamo* extitiſſent in Arca, quod tamen opponitur Scripturæ Sacræ, quæ cap. 3. Epiſtolæ primæ *S. Petri* octo tantum enumerat animas, quæ perſtante diluvio, fuerunt in Arca incluſæ, ſcilicet Noemum, & ejus uxorem; tres Noemi filios, *Semum, Chamum*, & *Japhetum*, earumque uxores. Addo etiam credibile non eſſe, graſſantis diluvii tempore, quo Noemus, ejuſque filii, in Arca concluſi, pœnitentia, precibus & lacrymis iram Dei placare debebant, voluiſſe *Chamum* indulgere

libi-

libidini, & liberos intempeſtiva venere procreare.

D. Non mihi veroſimile videtur, totum genus humanum potuiſſe, a tribus duntaxat Noemi filiis poſt diluvium ita propagari, ut omnes totius orbis nationes a tribus illis Noemi filiis originem duxerint.

M. Cum diluvium Noeticum fuerit univerſale, ſicut ſub finem noſtri ſecundi Colloquii in Hiſtoriam primæ Mundi Ætatis ex Scriptura Sacra dilucide oſtendimus, pro comperto habere debes, omne genus humanum, quod tempore diluvii, excepta Noemi familia, extinctum eſt, a tribus Noemi filiis poſt diluvium ita fuiſſe reparatum, ut ex illis ſingulæ univerſi orbis nationes prodierint. Ceterum, cum nimis longum eſſet hic aſſignare ſingulas nationes, quibus tres filii Noemi initium dederunt, ab his in præſentia recenſendis ſuperſedebo, tibique auctor ſum, ut conſulas viros eruditos, qui hoc argumentum de propagatione totius orbis nationum ex tribus filiis Noemi poſt diluvium fuſius pertractarunt, quos inter *Bochartus* in libro ſuo, cui titulus eſt: *Phaleg*, ſeu in ſua *Chronologia Sacra* majori ſtudio, & eruditione laboraſſe, ceteriſque Scriptoribus palmam præripuiſſe videtur.

D. Non poſſum adhuc conciliare Hiſtoriam Sacram cum Prophana, quæ, ſicut nuperrime audivi a viro erudito, Ægyptiorum, Aſſyriorum, ſeu Chaldæorum, & Sinarum antiquitates, Monarchias, & Regna longe ante diluvium Noeticum habuiſſe exordium narrat. Quod ſi verum ſit, qui, quæſo, fieri potuit, ut tres filii Noemi omnibus univerſi orbis nationibus poſt diluvium dederint initium?

M. Hiſtoriæ Sacræ authoritati indivulſe adhærere debes, nullamque prorſus adhibere fidem Ægyptiorum, & Chaldæorum Hiſtoriis, quæ fabulis ſcatent, teſte *S. Auguſtino* l. 12. *De Civit. Dei* c. 10. ubi dicit, non eſſe credendum litteris, quas Chaldæi, & Ægyptii plenas fabuloſis Antiquitatibus proferunt contra authoritatem vetuſtiſſimorum, divinorumque librorum. Et lib. 18. *De Civit. Dei* cap. 40. fictitias Ægyptiorum Antiquitates his verbis refellit Doctor ille aquilinus: *Fruſtra vaniſſima præſumptione garriunt quidam, dicentes: Ex quo rationem ſyderum comprehendit Ægyptus, amplius quam centum annorum millia numerari. In quibus enim libris numerum iſtum collegerunt, qui non multum ante annorum duo millia litteras, Magiſtra Iſide, didicerunt*. His ſimilia habet *Lactantius* lib. 7. *Divinorum* cap. 14. ubi hæc habet: *Chaldæi quadringenta ſeptuaginta millia annorum monimentis comprehenſa ſe habere delirant: in quo quia ſe poſſe argui non putabant, liberum ſibi crediderunt eſſe mentiri*. Denique ſi conſulamus Scriptores Prophanos, aperte conſtabit, ipſos ne minimam quidem fidem habuiſſe hiſce vaniſſimis, mendaciſſimiſque Chaldæorum Antiquitatibus, quas nobis tradiderunt. At enim *Diodorus* Lib. 2. pag. 83. affirmat, *Chaldæos rei Aſtrologicæ ſcientia mortalibus univerſis præcellere, & maximam huic ſpeculationi operam tribuiſſe. At*, *numerum annorum, quibus Mundi ſe conſiderationi vacaſſe Collegium Chaldæorum aſſeverat, haud facile crediderit. Nam ad expeditionem Alexandri in Aſiam quadringenta, & ſeptuaginta tria millia annorum numerant, ex quo ſydera obſervari cœptum eſt*. Quis ergo non videt, Ægyptios, Chaldæos, alioſque Nationum Orientalium populos, ut gentis ſuæ primordia auguſtiora redderent, ſplendida mendacia adornaſſe, & puras putaſque fabulas obtruſiſſe?

D. Mittamus igitur iſtas Ægyptiorum, & Chaldæorum fabuloſas antiquitates, & oſtende, quæſo, illarum nationum originem non altius, quam a filiis Noemi poſt diluvium eſſe arceſſendam.

M. Ægyptiorum, & Chaldæorum originem non altius, quam a filiis Noemi poſt diluvium duci debere, facile tam ex Sacra, quam ex Prophana Hiſtoria evinci poteſt. Nam primo, Ægyptus vocatur *Cham* non tantum in Sacris Litteris, verum etiam in Gentilium libris, hoc quippe nomine inſignitur a *Plutarcho*. Ideo autem Ægyptus vocatur *Cham*, quia *Chamus*, Noemi filius, fuit primus Ægypti Rex, quem *Menen* appellant *Herodotus*, *Diodorus Siculus*, *Erathoſthenes*, & ex Manethone *Julius Africanus*, *Euſebius*, & *Georgius Syncellus*. Ægyptus etiam appellatur *Miſraim*, pro-

Digitized by Google

pter *Miſraim*, filium *Chami*, ſicut teſtantur *Joſephus* Hebræus, lib. 1. Antiq. Jud. c. 12. & *Georgius Syncellus* in ſua Chronographia. Duo itaque illa nomina *Cham* & *Miſraim* Ægypto impoſita palam demonſtrant, Ægyptiorum originem non altius, quam a filiis Noemi poſt Diluvium eſſe repetendam. Hinc *Marſhamus*, & *Elias Du Pin* Ægyptiorum Dynaſtias, earumque originem poſt Diluvium cum calculo textus Hebræi optime conciliant, prior quidem in ſuo *Chronico Canone Ægyptiorum*; alter vero in ſua *Bibliotheca univerſali hiſtoricorum*.

D. Expone nunc, quo pacto tres filii Noemi potuerint poſt Diluvium tam cito propagare genus humanum, totque diverſarum nationum Monarchias, & Regna inſtituere?

M. Genus humanum a filiis Noemi, *Semo*, *Chamo*, *Japheto*, & ab ejus nepotibus fuit poſt Diluvium brevi tempore propagatum, tantumque per polygamiam, quam Deus poſt diluvianis hominibus conceſſit, incrementum brevi tempore ſuſcepit, ut non una regione capi amplius poſſet. Aucto itaque hominum numero, de diſceſſu in varias terræ regiones cogitatum eſt, ſed in eas antequam immigrarent, & a ſe mutuo divellerentur, ingentem turrim *Babel*, ſive *Confuſionis*, in Campo Sennar ædificarunt, non eo quidem fine (ſicut quidam poſt *Joſephum* Hebræum putarunt, ut hæc altiſſima turris eſſet omnibus perfugium, ſi quando Deus, oblitus fœderis cum hominibus initi, Mundum aut univerſali Diluvio, aut generali incendio deſtruere vellet;) nec enim adeo inſanierant illi homines, ut contra armatam Dei manum ſubſidia humana, ac perfugia prævalere poſſe ſibi perſuaderent; maxime cum funeſta experientia jam exploratum haberent, Diluvium a Deo immiſſum, quindecim cubitis altioribus totius orbis montibus eminuiſſe, ſed hanc altiſſimam turrim, quæ ad nubes uſque aſſurgeret, eo fine extruxerunt, ut relicto poſteris ſuperbiſſimo, & ære perenniori monumento, quod nec imber edax, nec aquilo vehemens diruere poſſet, nominis ſui fama, ac gloria longe, lateque diffunderetur. Ejuſmodi poſtdiluvianos homines, qui huic immenſæ turri conſtruendæ operam navarunt, a peccato excuſat *Toſtatus*, cujus ſententia jure optimo ab omnibns rejicitur. Satis enim ſuperque peccatum illorum tam inſolentis operis aggreſſorum arguit Dei, præpotentis ſcelerum ultoris, animadverſio ac vindicta. Aperte etiam illa Dei verba. *Venite, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui*, Gen. c. 11. v. 7. judiciariam Dei actionem, pœnamque judicio ſecutam indicant.

D. In quo ſita erat illarum linguarum confuſio, qua Deus, ad iram concitatus, ſuperbos illos, ridiculoſque latomos punivit?

M. Ab exordio Mundi uſque ad conſtructionem Turris Babelicæ, communis fuerat omnium mortalium lingua, ſicut Scriptura Sacra c. 11. v. 1. ait: *Erat autem terra labii unius, & ſermonum eorumdem*. Hanc autem primigeniam, & communem omnium hominum linguam Deus in plures linguas diſtraxit, ut temerariis illis hominibus, adempto ſemel communis vocis commercio, evanidos illorum redderet conatus, ipſique tandem ædificandi conſilium abjicerent, & in totum orbem diſpergerentur, Monarchiis, & regnis omnium nationum datur initium. Hanc autem communem omnium mortalium linguam, quæ ab exordio Mundi uſque ad conſtructionem Turris Babelicæ obtinuit, fuiſſe Hebraicam, eamque Mundo fuiſſe coævam, & Adamo, & Patriarchis prioribus uſitatam, & poſt Babelicam confuſionem in familia Patriarchæ *Heberis* uſque ad Abrahamum, & in tota gente Iſraelitica perſeveraſſe, opportunius in Colloquio ſequenti oſtendemus. Porro, in hac confuſione Babelica natas fuiſſe 70. vel 72. linguas juxta numerum nepotum Noemi, communis eſt veterum Patrum ſententia. Hinc Patres Latini, qui recenſent ſeptuaginta duntaxat Noemi nepotes, ajunt, ſeptuaginta in hac confuſione Babelica ortas fuiſſe linguas. Patres vero Græci, qui ſeptuaginta duos numerant nepotes Noemi, dicunt, numerum linguarum in confuſione Babelica excreviſſe uſque ad ſeptuaginta duas. Verum ipſe, ut candide fatear, cum veterum de 70. vel 72. linguis ſententia certa non omnino ſit, probabilius exiſtimo, certo definiri haud poſſe lingua-

Digitized by Google

guarum numerum, in quas humanus ſermo in confuſione Babelica diviſus eſt. Hoc unum certum eſt, hac ſemel facta diviſione linguarum, homines fuiſſe per totum orbem diſperſos, & alios in alias commigraſſe terras, ubi diverſis nationum populis, Monarchiis, & Regnis dedere initia.

D. Poteſtne certo e Sacra Scriptura probari, Noemi nepotes, poſt linguarum confuſionem, in omnes univerſi orbis terras fuiſſe diſperſos? obvium enim habui nudinſtertius quemdam Sacræ Geographiæ peritum, qui aſſerebat diviſas, & poſſeſſas fuiſſe a filiis, & nepotibus Noemi non univerſas totius orbis plagas, ac terras, ſed regiones tantum terræ Sanctæ, vel terras ei conterminas.

M. Commentum tibi narravit quiſquis ille fuerit Sacræ Geographiæ peritus, quod memini me legiſſe in Præadamitarum Syſtemate, quod procudit quidam fabulator, qui ſeſe omnibus deridendum propinavit. Hanc autem fabulam aperte explodit Scriptura Sacra, quæ, poſtquam cap. 9. libri Geneſeos percenſuit generationes trium filiorum Noemi, videlicet *Semi*, *Chami*, & *Japheti*, enumerat deinde cap. 10. generationes filiorum, qui orti ſunt ex *Semo*, *Chamo*, & *Japheto*, quibus enumeratis, ſubdit: *Ab his diviſæ ſunt Inſulæ Gentium in regionibus ſuis, unuſquiſque ſecundum linguam ſuam, & familias ſuas in nationibus ſuis*. Qui autem, amabo, ſuum in animum inducere poteſt, per *Inſulas Gentium*, & *nationes* ſignificari non Gentes per omnes Mundi terras diſperſas, ſed tantum terræ Sanctæ populos, ficut falſis, & frivolis nixus conjecturis ſcripturire auſus eſt fabulator Præadamitarum, in quem bene multi viri eruditi calamum acuerunt, multiſque argumentis ex Hiſtoria Sacra petitis luculenter demonſtrarunt, omne genus humanum, quod univerſali Noetico Diluvio pene extinctum fuerat, a filiis, & nepotibus Noemi fuiſſe reparatum, univerſoſque terrarum omnium populos ab illis fuiſſe propagatos. Hos inter viros eruditos, qui hac provincia egregie defuncti ſunt, eminet *Bochartus*, ſuperius a me laudatus, ut in Hiſtoria, ac Geographia Sacra verſatiſſimus Scriptor, quem digito tibi monſtraſſe abunde ſufficiat. Dicam tantum in genere, *Semi*, Noemi filii, poſteros occupaſſe Aſiam Orientalem, & partem Auſtralis; *Chami*, alterius filii Noemi, poſteris obveniſſe partem Aſiæ Auſtralis, & Africam; *Japhetum* vero, Noemi itidem filium obtinuiſſe Aſiam Septentrionalem, & Europam.

D. Quoto anno poſt Diluvium contigere hæc tria, quæ mox memoraſti, nimirum ſtructura turris Babelicæ, linguarum confuſio, & hominum in omnes orbis regiones diſperſio?

M. Hæc tria ſub *Phalego*, Patriarchæ *Heberis* filio, contigiſſe, conſtans eſt omnium ſententia. Sed utrum hæc tria acciderint, naſcente *Phalego*? an ipſo adulto, an morti propinquo? non convenit inter omnes. Alii poſt *Joſephum* Hebræum, lib. 1. Antiq. Jud. cap. 7. & *S. Auguſtinus* lib. 16. *De Civit. Dei* c. 11. cenſent, hæc tria contigiſſe naſcente *Phalego*, & ob eam rem memorabilem Patriarcham *Heberum* naſcenti filio ſuo nomen dediſſe *Phalegi*, quod ſignificat diſperſionem, ſeu diviſionem. Natus autem eſt *Phaleg* anno centeſimo a Diluvio expleto. Alii dicunt, hæc tria contigiſſe adulto jam *Phalego*. Alii denique volunt, hæc tria facta eſſe extremis *Phalegi* temporibus, ſeu in illius morte, quæ incidit in annum ab expleto Diluvio 338.

D. Indica, ſi placet, ſententiam, quæ tibi hac in re magis probatur, quamque ipſe ambabus manibus amplectar.

M. Mihi magis arridet media ſententia, quæ hæc tria, ſeu ſtructuram turris Babelicæ, confuſionem linguarum, & terrarum diviſionem, ſtatuit facta eſſe adulto jam *Phalego*, Patriarchæ *Heberis* filio. At enim prima ſententia, quæ tuetur, hæc tria contigiſſe naſcente *Phalego*, non mihi placet, quia *Phaleg*, filius *Heberis*, natus eſt, ſicut mox diximus, anno centeſimo a Diluvio expleto. Qui autem credibile eſt, tres filios Noemi, *Semum*, *Chamum*, *Japhetum*, potuiſſe intra centum

annos tot procreare filios, ex quibus Regna, populi, & numeroſæ coloniæ ad univerſam, qua late patet, terram incolendam formarentur, quod ſane omnino incredibile videtur? At, in media, quam ſequor, ſententia, nihil prorſus apparet, quod ſit creditu difficile. Exiſtimo ſiquidem, ſtructuram Turris Babelicæ, confuſionem linguarum, ac terræ diviſionem contigiſſe jam adulto *Phalego*, ſeu anno nonageſimo ſecundo ætatis ipſius, hoc eſt, anno Mundi 1848. a Diluvio autem anno 192. Non eſt autem incredibile, tres filios Noemi intra ſpatium 192. annorum potuiſſe tot progignere homines, quot ad conſtruendam Turrim Babelicam, & ad condenda diverſa Regna, quæ initio erant admodum anguſta, ſat ſuperque ſufficere potuerunt, idque eo facilius credi poteſt, quod polygamia, ſeu facultas plures ſimul uxores ducendi, fuerit a Deo poſt Diluvium permiſſa ad ſobolis humanæ incrementum, ad orbis vaſtitatem reparandam, adeo ut non deſint Auctores graves, qui per regulas Arithmeticæ demonſtrant, tempore, quo facta eſt orbis diviſio, extare potuiſſe numerum trecentorum octoginta millium, ſexcentorum & quinquaginta marium, totidemque fæminarum. Quæ demonſtratio a doctiſſimo *Petavio*, & ab aliis Chronologis, qui hoc argumentum ex profeſſo tractarunt, tradita inde magis confirmari poteſt, quod homines poſt Diluvium, cum propter vivax, ac vegetum corporis robur ad multos annos ſuperſtites eſſent, potuerunt ſive ope polygamiæ ſimultaneæ, ſibi id ætatis a Deo conceſſæ, ſive beneficio divinæ fæcundantis benedictionis, pares eſſe plurimis procreandis liberis, ita ut quod annis ſingulos gignerent filios, aliquando geminos, & nonnunquam tergeminos haberent. Cum igitur media illa, quam propoſui, ſententia nihil habeat, quod ſit creditu difficile, quodque negotium faceſſere poſſit, ei lubentiſſime ſubſcribo, nec differendam eſſe puto hanc factam terræ diviſionem in tempus illud, quod mortem *Phalegi* proxime anteceſſit.

D. Si terræ diviſio facta eſt adulto jam *Phalego*, hoc eſt, anno ætatis ſuæ nonageſimo ſecundo, quorſum igitur ejus pater *Heber* naſcenti filio indidit nomen *Phalegi*, quod ſignificat diviſionem terræ? Præterea, media hæc ſententia, quæ, in præfigendo tempore diviſionis terræ, tibi magis probatur, non omnino, pace tua dixerim, difficultatem ſolvit. Si enim ſtare velimus calculo Textus Hebræi (quem Græcorum, ſeu lxx. Interpretum Chronologiæ præferendum eſſe jam me monuiſti) comperiemus, a Diluvio Noetico uſque ad nativitatem Abrahami interfluxiſſe duntaxat annos ducentos nonaginta duos. Veroſimile autem non eſt, in tam exiguo temporis intervallo tot Reges, quorum meminit Hiſtoria Sacra, quique vel ante ortum Abrahami extiterunt, vel ei coætanei fuerunt, potuiſſe ex tribus duntaxat Noemi filiis, a Diluvio ſuperſtitibus, oriri, ac multiplicari. Enim vero, ut nihil in præſentia dicam de Aſſyriorum, Ægyptiorumque Regibus, qui etiam ante ortum Abrahami ampliſſima jam Regna occupabant, & multa inter ſe bella movebant, legi nuperrime cap. 14. Libri Geneſeos, fuiſſe novem Reges Abrahamo coævos ac ſuppares, quorum uni, ſcilicet *Chodorlahomoro*, quinque Reges anni duodecim ſervierunt, annoque decimo quarto redintegratum eſt bellum, quo *Loth*, nepos Abrahami, captus eſt, & ab Abrahamo fuit ſervatus. Cum igitur, juvene adhuc Abrahamo, tot extiterint Reges, multaque inter illos ſæviſſima exarſerint bella, vix ac ne vix quidem intelligi poteſt, quo pacto tot Reges, totque nationes, longe a ſe invicem ſeparatæ, ex tribus Noemi filiis intra ſpatium ducentorum nonaginta duorum annorum pullulare & exurgere potuerint? Addo etiam, *Diodorum Siculum*, quem paucis abhinc diebus legebam, de Aſſyriorum Imperii amplitudine ac potentia ſub *Nino* capit. 2. *Bibliothecæ* differentem, teſtari, *Ninum*, ampliſſima ſui nominis condita urbe, dicta *Ninive*, Armeniam, Mediam, Syriam, Ægyptum, Phæniciam, & Aſianos tractus omnes, præter Indiam, occupaſſe; poſtremo, Bactrianos infinitis copiis fuiſſe aggreſſum, ita ut in ejus exercitu peditum

eſſent

eſſent decies ſpeties centena millia, Equitum ducenta millia, falcatorum curruum centum millia cum ſexcentis. Porro, *Ninus* fuit filius *Beli*, qui primo regnavit in Babylone, atque Babyloniorum, ſeu Aſſyriorum Imperii conditor fuit. Si ergo Babyloniorum, ſeu Aſſyriorum Imperium conditum ſit a *Belo*, tempore, quo diviſionem terræ factam eſſe, ſeu anno a Diluvio centeſimo nonageſimo ſecundo, aſſeruiſti; non video ſane, quomodo fieri potuerit, ut intra tam breve, & anguſtum temporis ſpatium Babyloniorum, ſeu Aſſyriorum Imperium evaſerit adeo amplum, ac longe lateque patens, ut *Ninus*, qui patri ſuo *Belo*, Babyloniorum, ſeu Aſſyriorum Imperii conditori, ſucceſſit, habuerit exercitum ex innumeris conflatum hominibus, totque Provincias, & nationes victricibus armis ſubegerit, ſicut narrat *Diodorus* loco mox a me laudato.

M. Video, te ad noſtrum Colloquium non imparatum acceſſiſſe; tres etenim difficultates propoſuiſti, quæ explicatione indigent. A prima autem cito me expediam. Quamvis enim terræ diviſio contigerit, ſicut dixi, anno nonageſimo ſecundo ætatis *Phaleg*, attamen pater ipſius *Heber* naſcenti filio ſuo indidit nomen *Phaleg*, quod ſignificat diviſionem terræ, quia *Heber* ſpiritu Prophetico prævidit, tempore hujus filii, qui naſcebatur, futuram terræ diviſionem. Ita reſpondet S. *Hieronymus* in Traditionibus Hebraicis in Geneſim, S. *Chryſoſtomus* Hom. 30. in Geneſim, *Abulenſis*, & *Lyranus*. Alteram, quam propoſuiſti, difficultatem, plene diſſolvam in ſequenti Colloquio noſtro, ubi auxiliante Deo, diſcutiemus nonnulla Dubia, quæ circa Hiſtoriam ſecundæ Mundi ætatis moveri & ventilari ſolent. Interim dicam hic obiter, ab univerſali Diluvio Noetico uſque ad ortum *Abrahami* fluxiſſe annos 352. non vero annos tantum 292. *Abrahamus* ſiquidem, juxta Calculum Textus Hebræi, natus eſt non anno ætatis patris ſui *Thare* ſeptuageſimo, ſicut perperam nonnulli autumant Chronologi, ſed anno centeſimo trigeſimo patris ſui *Thare* prodiit in lucem. Quo fit, ut, facta annorum ſupputatione, numerentur a Diluvio Noetico uſque ad ortum *Abrahami* anni 352. Et rurſus a Diluvio uſque ad vocationem Abrahami (quæ contigit anno ejus ætatis ſeptuageſimo quinto) interceſſerint anni 427. Non eſt autem creditu difficile, intra ſpatium 352. vel 427. annorum potuiſſe a tribus filiis *Noemi*, eorumque poſteris, ſic humanum genus propagari, ut Abrahami tempore multi extiterint Reges, jamque conditæ fuerint Babyloniorum, ſeu Aſſyriorum, & Ægyptiorum Monarchiæ, quæ tamen in ortu ſuo parvæ, tenues & anguſtæ fuerunt. *Belus*, ille, quem Hiſtorici Prophani dicunt fuiſſe Imperii Babyloniorum, ſeu Aſſyriorum conditorem, vocatur in Sacris Litteris *Nembrodus*, qui fuit filius *Chus*, nepos Chanaan, & pronepos Chami, filii Noemi, ſicut legitur cap. 10. v. 10. libri Geneſis. Huic *Belo*, ſeu *Nembrodo*, ſucceſſit in Babyloniorum, ſeu Aſſyriorum Imperium *Ninus*, ejus filius, a quo condita eſt urbs Ninive. Circa idem tempus, quo Babyloniorum, ſeu Aſſyriorum Imperio *Nembrodus* primordium dedit, alibi quoque Regna conſtituta ſunt, præſertim Ægyptiorum, & Sicyoniorum, quorum exordia, in variis confingendis Regum Dynaſtiis, *Julius Africanus*, *Euſebius* in Chronico, & *Diodorus Siculus*, in ſua Bibliotheca fabulatum licentia corruperunt. Hinc patet reſponſio ad tertiam, quam propoſuiſti, difficultatem, petitam ex narratione *Diodori Siculi*, de Aſſyriorum Imperii amplitudine ac potentia ſub *Nino*. Hæc quippe *Diodori* narratio, ceu fabuloſa, ſibilo explodi debet. Ut enim Aſſyriorum Imperii, cujus Hiſtoriam deſcribebat ille Scriptor, originem auguſtiorem redderet, de *Nini* potentia, ejuſque Imperii amplitudine multa finxit, ſplendida mendacia longo latoque calamo libere effudit, &, ut vulgo ajunt, ex muſca elephantem fecit.

D. Manſitne apud illos homines, qui in confuſione Babelica ſermone diverſi, in varias terræ ragiones diſperſi ſunt, ſolius Dei veri cultus, ſeu avita illa, quam a Majoribus ſuis acceperant, Religio?

M. Minime gentium. Hi ſiquidem homines poſt confuſionem linguarum hac

atque

Digitized by Google

atque illac diſperſi, omnes inſulas & orbem totum replerunt, & a ſtirpe ſanctæ radicis avulſi, novos ſibi mores, ac Inſtituta pro arbitrio condiderunt. *Sed omnium primi* (utor verbis *Lactantii* lib. 2. Divin. Inſtitut. cap. 14.) *qui Ægyptum occupaverunt, cæleſtia ſuſpicere, atque adorare cæperunt. Et quia nec domiciliis tegebantur, propter aeris qualitatem (nec enim in ea regione nubibus ſubtexitur cœlum) curſus ſiderum, & defectus notaverant, dum ea ſæpe venerantes, curioſius atque liberius intuerentur. Poſtea deinde portentificas animalium figuras, quas colerent, commenti ſunt, quibuſdam prodigiis inducti. Ceteri autem, qui per terram diſperſi fuerunt, admirantes elementa Mundi, cœlum, ſolem, terram, mare, ſine ullis imaginibus, ac templis venerebantur, & his Sacrificia in aperto celebrabant, donec proceſſu temporis potentiſſimis Regibus templa, & ſimulacra fecerunt, eaque victimis & odoribus colere inſtituerunt. Sic aberrantes a notitia Dei, gentes eſſe cæperunt. Errant igitur, qui Deorum cultum ab exordio rerum fuiſſe contendunt, & priorem eſſe gentilitatem, quam Dei religionem, quam putant poſterius inventam, quia fontem atque originem veritatis ignorant.* Ex quo *Lactantii* teſtimonio colligere debes primo, homines, poſt linguarum confuſionem in omnes terræ plagas diſperſos, neglecto ſolius Dei veri cultu, Idolis ſerviſſe. Tanta videlicet erat hominum id ætatis ad malum proclivitas, ut nulla prorſus habita ratione Diluvii, in ſordes, flagitia, & in Idololatriam prolapſi ſint. Secundo colligere debes, Idololatriæ originem non altius eſſe arceſſendam, quam ab eo tempore, quo facta linguarum confuſione homines per omnes orbis regiones diſperſi ſunt.

D. Cum de idololatriæ exordio jam cæperis habere ſermonem, rem mihi pergratam faceres, ſi primo oſtenderes, quo pacto invecta ſit Idololatria, & quis poſt hominum in varias Orbis terras diſperſionem, ei dederit initium? Secundo, quis fuerit Idololatriæ progreſſus? & denique quis ejus interitus?

M. Ampliſſimum ſane mihi proponis diſſerendi argumentum, de quo non minus late quam erudite pertractat *Joannes Gerardus Voſſius* in libro, quem *De Idololatria* concinnavit. Hunc itaque Auctorem, ſi tibi per otium liceat, conſulere poteris. Ipſe vero, qui mihi præſcriptos brevitatis limites excedere nolo, rem totam ſummatim perſtringam. Imprimis, quod ſpectat exordium & Auctorem Idololatriæ, ſeu Polytheiſmi, pervulgata eſt Scriptorum ſententia; *Ninum* (qui fuit filius *Nembrodi*, Noemi nepotis, cujus regni principium in terra Sennaar Babylon fuit, ſicut legitur cap. 10. libri Geneſeos v. 10.) extitiſſe Idolorum, & Idololatriæ auctorem. *Ninus* ſiquidem, mortuo patre ſuo *Belo*, ſeu *Nembrodo*, quem ardenti proſequebatur amore, ut eum præſentem ſibi, ad levandum utcumque dolorem, redderet, ſtatuam in ejus erexit honorem, quam votis & Sacrificiis a ſervis ſuis & domeſticis coli voluit, ita ut nullam gratiam, nullumve beneficium, niſi reclamarent patrem, concederet. Hic autem *Ninus*, filius *Beli*, ſeu *Nembrodi*, idem eſt ac ille Rex *Aſſur*, cujus meminit *Moyſes* cap. 10. v. 10. libri Geneſis, dicens: *Fuit autem principium regni ejus* (ideſt, *Nembrodi*, qui fuit filius *Chus*, & nepos Noemi,) *Babylon in terra Sennaar.* Et verſu ſequenti ſubdit Moyſes: *De terra illa*, ſeu Sennaar, *egreſſus eſt Aſſur*, ſeu *Ninus*, *qui ædificavit Niniven, & plateas civitatis.* Ninus autem, filius *Beli*, ideo dictus eſt Rex *Aſſur*, quia, licet regnis Babyloniorum, & Aſſyriorum perinde potiretur, maluit tamen Rex Aſſyriorum dici, quam Babyloniorum, eo quod Babyloniorum regnum, quod *Belus*, ſeu *Nembrodus*, ipſius pater, condiderat in terra Sennaar, paternam quidem gloriam commendaret, ſed Aſſyriorum Regnum, quod *Ninus* ſuam in poteſtatem victricibus armis redegerat, propriam ejus virtutem magis commendaret. Primus itaque Idololatriæ auctor fuit *Ninus*, qui patrem ſuum *Nembrodum*, dictum *Belum*, publica Apotheoſi ſub titulo *Jovis*, vel, ut aliis placet, *Saturni Babylonii*, retulit in Deum, ſicut obſervat S. *Hieronymus* Comment. in cap. 2. Oſee, dicens: *Ninus, in tantam pervenit gloriam, ut patrem*

ſuum

ſuum Belum referret in Deum, qui hebraice dicitur Bel... hunc Sidonii & Phænices appellant Bahal. Hoc infeſtiſſimum *Nini* exemplum plerique Principes deinceps imitati, Idololatriam per totum terrarum Orbem propagarunt, ut fuſe demonſtrat Sacer auctor libri *Sapientiæ* cap. 14. v. 14. & ſeqq. Cœperunt ergo homines (ut ea, quæ Idololatriam ſpectant, breviter attingam) primum Aſtra, ceu vera numina colere; deinde, creſcente vanitate, & prava invaleſcente conſuetudine, Reges Deorum numero accenſuerunt populi, & quoſdam Heroes, quos inter eminet *Hercules*, propter res ab ipſis præclare geſtas, divino cultu donarunt. Poſtremo, eo impietatis & inſaniæ proruperunt homines, ut eos mutis animalibus, ſerpentibus, draconibus, bobus, divinum deferre cultum non puduerit, ſicut teſtatur Apoſtolus *Paulus* in Epiſtola ad Romanos cap. 1. dicens: *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum, & ſerpentium*. Hinc orta eſt in Mundo vana Idolorum ſuperſtitio, quam *Lactantius* cap. 8. lib. 1. *Divin. Inſtitutionum* ſic eleganter refellit: *Unde mihi de tanta Dei majeſtate ſępius cogitanti, qui Deos colunt, interdum videri ſolent tam cęci, tam incogitabiles, tam excordes, tam non multum a mutis animalibus differentes, qui credunt, eos, qui geniti ſunt maris ac fœminę coitu, aliquid majeſtatis, divinaque virtutis habere potuiſſe*. Porro, *conſtat*, proſequitur idem Scriptor, *Herculem, Apollinem, Liberum, Mercurium, Jovemque ipſum cum ceteris hominibus fuiſſe, quoniam ex duobus ſexibus nati*. Et paucis, interjectis, ſubdit: *Quomodo ergo, inquiet aliquis, Dii crediti ſunt? nimirum quia Reges maximi, ac potentiſſimi fuerunt, ob merita virtutum ſuarum, aut munerum, aut artium repertarum, cum chari fuiſſent iis, quibus imperitaverant, in memoriam ſunt conſecrati. Quod ſi quis dubitet, res eorum geſtas, & facta conſideret, quę univerſa tam Poetę, quam hiſtorici veteres prodiderunt*. De ſimulacris Deorum, eorumque contemptu, leges eumdem *Lactantium* cap. 4. lib. 2. *Divin. Inſtitut.* Perſtitit in mundo Idololatria uſque ad Chriſtum, Salvatorem noſtrum, qui, ſicut prædixerant Prophetæ, Idololatriam, tot annorum diuturnitate roboratam, penitus profligavit, deorum delubra ſolo æquavit, Dæmonibus, per ambigua Oracula populum deludentibus, æternum impoſuit ſilentium, unuſque veri Dei cultum in univerſum orbem invexit.

D. Cum homines, poſt linguarum confuſionem, per omnes Orbis partes fuerint diſperſi, optarem, ut brevem hic delineares totius Orbis deſcriptionem, eademque opera oſtenderes, quo pacto omnes Mundi partes a filiis, Nepotibuſque *Noemi* fuerint occupatæ, atque habitatæ.

M. Partes Mundi terreſtris, nobis cognitæ, ſunt omnino quatuor, *Aſia*, *Africa*, *Europa*, & *America*, quæ *novus Orbis*, appellatur. *Aſia* ſex potiſſimum partes, juxta recentiorum Geographorum diviſionem complectitur, ſcilicet *Aſiaticam Turcarum ditionem*, *Perſidem*, ſeu Perſarum Imperium; *Indiam*, *Chinam*, *Tartariam magnam*; & *Inſulas*, quæ Aſiæ adjacent, & quæ ſunt *Laponenſes*, *Philippinę*, *Moluccę* &c. Africæ partes octo præcipue numerantur, nimirum: *Ægyptus*, *Barbaria*, *Bildugerid*, *Zaara*, ſeu Deſertum, *Nigritia*, *Guinea*, *Æthyopia*, ac *Nubia*, quibus, nonæ partis inſtar, adjungi poſſunt *Inſulę* proximæ, ſcilicet *Madagaſcar*, *Sancti Thomę*, *Promontorii viridis*, *Azores*, *Fortunatę*, ſeu *Canariæ* &c. In Europa ad Septentrionem occurrunt primo Inſulæ Britannicæ, quæ *Angliam*, *Scotiam*, & *Hiberniam* complectuntur: Deinde, in continente, ſeu in terra, reperiuntur *Dania*, & *Norvegia*, tandemque *Suecia*, & *Moſcovia*. Ad Auſtrum vergunt *Hiſpania*, *Italia*, & *Turcicum in Europa Imperium*, quæ in varias adhuc Provincias, & Regna diſtribuuntur. Medio denique loco conſiſtunt *Gallia*, *Germania*, *Polonia*. Quarta Mundi Pars, quæ dicitur *America*, vel Septentrionalis eſt, & vocatur *Mexicana*, vel Meridionalis eſt, & appellatur *Peruviana*. In Septentrionali America inveniuntur *Canada*, ſeu nova Francia, *Virginia*, *Florida*, *Mexicana Regio*, & *nova Hiſpania*, quibus adjici poſ-

Digitized by Google

poſſunt Inſula California, & aliæ minores. In America vero Meridionali extant *Caſtella aurea*, *Guiana*, *Peruuium*, *Chili*, *Magellancia Regio*, *Braſilia*, *Paraguaja*. Has quatuor Orbis Partes, & in his contentas Inſulas a tribus filiis Noemi, eorumque nepotibus, poſt diviſionem terræ, habitatas fuiſſe perdoċte oſtendit *Samuel Boohartus* in libro, cui titulum indidit *Phaleg*, ſeu de *Sacra Geographia*, ubi omnium Gentium, poſt diviſionem terræ ex tribus *Noemi* filiis, eorumque nepotibus, prodeuntium origines, ſitus, linguas, mores, Regnorum initia, Religionum inſtitutiones, ac incrementa, Ethnicarum fabularum natales & fundamenta, ſingularum Nationum commercia, Colonias & ſocietates, incredibili labore ita diſerte expoſuit, ut Babylonicæ Terrarum diſperſioni præfuiſſe, & ſingulis Nationibus regiones ſuas, idiomata, mores, cultus, Inſtituta, præſens ipſe definiiſſe videatur. Hunc itaque Auctorem, ſi ea de re plura ſcire aveas, conſulas velim.

D. At, dicas mihi, ſi placet, quo pacto filii *Noemi*, eorumque nepotes, potuerint, poſt diviſionem terræ, in Americam penetrare? Americani ſiquidem, ut nuperrime audivi a viro erudito, ſunt Antipodes reſpective ad varias regiones hujus noſtri Orbis veteris. Porro Antipodas, ſeu populos adverſis veſtigiis nobis oppoſitos, quaſi commentitios non ſolum rejecere *Lactantius*, & S. *Auguſtinus*, ut me monebat vir ille eruditus, ſed etiam Summus Pontifex *Zacharias*, urgente *Bonifacio*, Epiſcopo Moguntino, Sententiam Suſpenſionis tulit adverſus *Virgilium*, Presbyterum, quod Antipodas eſſe affirmaſſet. Hoc autem *Zachariæ* Papæ factum a multis Hiſtoricis ad annum Chriſti 748. narrari, propriis ipſe oculis inſpexi. Credibile igitur non eſt, filios *Noemi*, eorumque nepotes, poſt diviſionem terræ, Americam penetrare & habitare potuiſſe, cum ea Regio nullos prorſus incolas admittat, nec admittere poſſit.

M. Exiſtere in rerum natura Antipodas, quales ſunt *Americani*, negarunt quidem olim *Ariſtoteles* 2. Meth. cap. 5. *Lactantius* lib. 3. Divin. Inſtit. cap. 23. & *Auguſtinus* lib. 16. de Civitat. Dei capit. 9. Sed, ob diverſas rationes, quas hic breviter referre non abs re erit. In primis, *Ariſtoteles* negavit eſſe Antipodas, quia putavit, ſole ſub ardente, atque radios ad perpendiculum vibrante, neque pluvias, neque fontes, neque flumina eſſe poſſe, ac ſubinde, neque arbores, neque paſcua, & conſequenter, neque animalia, neque homines. *Lactantius* vero negavit eſſe Antipodas, ob vulgarem illam opinionem, quod homines pedibus ſurſum, & capite deorſum penduli, inverſoque ordine deberent incedere. Sic enim loco mox a me laudato ſcribit elegantiſſimus ille Auctor: *Quid illi, qui eſſe contrarios veſtigiis noſtris Antipodas putant, num aliquid loquuntur? aut eſt quiſquam tam ineptus, qui credat eſſe homines, quorum veſtigia ſint ſuperiora, quam capita? aut ibi, quę apud nos jaceant, inverſa pendere? fruges & arbores deorſum verſus creſcere? pluvias & nives, & grandinem ſurſum verſus cadere in terram? & miratur aliquis hortos penſiles inter ſeptem mira narrari, cum Philoſophi, & agros, & maria, & urbes, & montes penſiles faciant?* &c. Denique S. *Auguſtinus* negavit eſſe Antipodas, quia exiſtimavit ejuſmodi homines ſuam haud potuiſſe originem trahere ex aliquo trium filiorum *Noemi*, a quibus tamen Scriptura Sacra c. 9. libri Geneſeos ait, *diſſeminatum eſſe omne genus hominum ſuper univerſam terram*. Putavit, inquam, S. *Auguſtinus*, nullum ex tribus *Noemi* filiis, eorumque nepotibus, immenſam ſuperare potuiſſe molem vaſtiſſimi illius Oceani, ſtatim occurrentis poſt Fretum Gaditanum, ſicque negavit eſſe Antipodas, ſeu Americanos. Verum, noſtris temporibus nullus eſt, qui in dubium revocet, exiſtere Antipodas, ſeu populos Americanos, cum frequenter in Americam navigent Hiſpani, Galli, Angli, quorum alii aliis regionibus detectis nomina ſua quique lingua impoſuerunt. Primus, qui regionem Americanam, quoad oram maritimam, luſtravit, fuit *Alphonſus Sanchez*, nauclerus Bæticus,

qui,

quì, rediens in Hiſpaniam, ut majori apparatu navium & hominum inſtrueretur, morte præocupatus, tradidit ſua Scripta *Americo Veſpucio*, natione Florentino, qui *Emmanuelis*, Luſitaniæ Regis, auſpiciis a Gadibus profectus anno 1497. hanc regionem detexit, quæ ab ipſo nomen *Americæ* ſumpſit. Ante hunc tamen *Americum Veſpucium*, quaſdam Americæ Inſulas, *Hiſpaniolam*, videlicet, *Cubam*, & *Jamaicam*, anno 1494. ingreſſus fuerat *Chriſtophorus Columbus*, Genuenſis. Modo in Americam, dictam *novum Orbem*, multi eunt & redeunt ſingulis diebus, & ad populos Americanos mittuntur viri Apoſtolici, veritatis Chriſtianæ præcones, a quibus æternæ ſalutis viam docentur, ſalutaremque doctrinam accipiunt. Immo, in America Chriſtianam Religionem vigere, & in ea latiſſime eſſe diffuſam, tam certum eſt, quam quod maxime. Quo pacto autem filii, aut nepotes *Noemi* potuerint immenſam ſuperare molem vaſtiſſimi Oceani, ſtatim occurrentis poſt Fretum Gaditanum, uſque ad Americam? etſi, ut candide fatear, explicatu difficile ſit, poteſt tamen dici primo, quod, ſicut Deus tranſtulit *Henochum*, & *Heliam*, ita, non obſtante vaſtiſſimo illo Oceano, tranſtulit aliquot ex nepotibus *Noemi* in Americam, quam nos *novum Orbem* nunc appellamus. Secundo dici poteſt, illum, vaſtiſſimum licet, Oceanum pluribus inſulis eſſe reſperſum, ſicut & multa alia maria Inſulis magnis, parvis, & mediocribus ſcatent. Fieri ergo facile potuit, ut nepotes Noemi, poſtquam omnes Orbis regiones gentibus impleſſent, tranſirent de Inſulis ad Inſulas, donec diffunderentur hac illac per Americam totam. Denique dici poteſt. Aliquos ex nepotibus *Noemi*, qui Africam incolebant, potuiſſe inter navigandum, præter intentionem, & procellarum impetu abreptos, tranſire ex Africa in Braſiliam, quæ eſt pars propinquior Americæ, indeque facili negotio devehi in Americam, eoſque ibi ſubſtitiſſe, & multiplicatos fuiſſe, eo modo, quo Hiſpanus *Cabral*, e Luſitania ſolvens invenit, præter intentionem, & tempeſtatis impetu raptus, eamdem Braſiliam; & alter Hiſpanus, Bæticus itidem, procelloſo mari raptus, & præter intentionem ſuam, reperit *Jucatam*, & littus *Veraguas*, quæ ſunt partes Mexici.

D. Americanos ex Africanis deſcendiſſe mihi (cum tua bona venia) probabile non videtur, quia Africani meridionales, cujuſmodi ſunt *Guinei*, *Angolitani*, & Accolæ maris nigri, habent colorem prorſus nigrum. Si ergo Americani ex Africanis meridionalibus deſcenderent, ut mox inſinuaſti, deberent pariter eſſe omnino nigri, quia materia illa primigenia, quam parentes communicant filiis, & qua formatur horum corpos, tota imbueretur illo nigredinis fermento, & filiorum corpus totum evaderet nigrum, ſicut experimur in filiis, quos parentes nigri gignunt in regionibus noſtris. Porro, *Americani* licet ſint coloris fuſci & ſubobſcuri, non ſunt tamen omnino nigri, ſicut ſunt Guinei, & alii Africani meridionales: hæc igitur Americanos inter & Africanos in colore diverſitas argumento eſt, Americanos ex Africanis non deſcendiſſe.

M. Cauſa nigredinis Africanorum, Æthyopum, Guineorum &c. non aliunde, mea quidem ſententia, reperi poſſe videtur, quam ex magna, quæ in Africa reperitur, copia metallorum, præſertim argenti vivi, ferri, & carbonum foſſilium, in terræ viſceribus latitantium, foraſque emittentium, & per aerem ſpargentium ſubtiles fumos, halitus, & ſpiritus viſcoſos, nigros, tetroſque vapores, quos dum continuo ebibunt, reſpirantque corpora, ſenſim ſine ſenſu nigerrimum contrahunt colorem. Nepotibus itaque *Chami*, filii *Noemi*, in Africam, poſt diviſionem terræ, ingreſſis, contigit, quod apud nos accidere ſolet hominibus diu degentibus in culinis, in quibus jugiter ardent carbones illi foſſiles, aut res mittentes tantum vapores nigros, nempe quod mutatur illis color, & in nigredinem degenerat. Nepotes igitur *Chami*, qui Africam occuparunt, reſpirantes ſemper illos halitus, e terrarum viſceribus erumpentes, nigrum contraxerunt colorem, & materiam eiſ-

eiſdem tetris refertam ſpiritibus per generationem communicarunt filiis ſuis, quibus, poſt aliquot generationes, idem contigit, quod caminis noſtris, qui ex vaporibus, halitibuſque, jugiter ex materia infra combuſta aſcendentibus, evadunt nigri. Hæc eſt vera cauſa, ni mea me fallat mens, nigredinis Africanorum. At nunc breviter explicandum eſt, cur Americani, qui, ut antea diximus, ex Africanis deſcendunt, ſint coloris duntaxat fuſci & obſcuri, ſed non prorſus nigri, ſicut ſunt Africani, ex quibus prodierunt? Hujus diſcriminis in colore Africanos inter. & Americanos hæc ratio proferri poteſt. Nempe, quod Africani, qui ex Africa meridionali in Americam tranſierunt, erant omnino nigri coloris, ſed poſtquam in America ſedes ſuas figiſſent, paulatim intenſa illorum nigredo mitigata eſt, & in colorem nec album, nec nigrum, ſed in fuſcum, & ſubobſcurum degeneravit. At enim, cum in America Mineralium, carbonum foſſilium, tetros emittentium halitus & vapores fuſcos tanta non ſit copia, quanta eſt in Africa, fieri facillime potuit, ut illorum Africanorum, qui dum in Americam tranſierunt, nigri prorſus coloris erant, filii, qui nunc Americani dicuntur, amiſerint, poſt aliquas generationes, paternam illam nigredinem intenſam, & contraxerint hunc colorem, quo nunc tinguntur, quique nec albus, nec niger eſt, ſed fuſcus ac ſubobſcurus; non ſecus ac mutatis Solo, Cœlo, aquis, & cibo, mutari ſolent aliorum hominum complexiones.

D. Hactenus, ut ingenue fatear, crediderami, inſitam illam nigredinem, ac perpetuo Africanis meridionalibus inhærentem, vel ex eo præciſe naſci, quod populi illi degant ſub Zona torrida, & radiis directis Solis ſint obnoxii: vel hanc Africanorum meridionalium nigredinem eſſe pœnam *Chami*, illarum gentium Patris: quaſi primam irreverentiam filii adverſus patrem, qualis fuit illa *Chami* adverſus patrem ſuum *Noemum*, ultus fuerit Deus ea nota perpetua, perinde ac *Caino*, in pœnam fraterni homicidii, ſignum, quo ab omnibus ſtatim dignoſci poſſet, impoſuit.

M. Neutri capiti, quod aſſignaſti, accepta referri debet Africanorum meridionalium nigredo. Et primo quidem, Zona torrida ſub qua degunt Africani meridionales, non eſt cauſa eorum teterrimæ nigredinis, quia multæ ſunt aliæ nationes ſub Zona torrida, videlicet major pars Americanorum, & tamen licet ſint fuſci & ſubobſcuri coloris, ſicut mox innuimus, non tamen ſunt coloris teterrimi, ac penitus obſcuri. Secundo dici non poteſt, Africanorum meridionalium nigredinem eſſe pœnam a Deo ipſis inflictam ob culpam *Chami*, eorum parentis; id, inquam, dici minime poteſt: Tum quia, de illa pœna filet omnino Scriptura Sacra, quæ tamen de ſigno, quod Deus *Caino*, propter fraternum homicidium, impoſuit, diſertam mentionem facit: Tum quia etiam, Africani ſeptentrionales, & Palæſtini etiam ſunt nepotes *Chami*, ſicut ait Scriptura, & tamen iſti non fædantur totali illa nigredine: Tum quia, Indi Orientales ſunt nepotes Semi, filii *Noemi*, & fratres *Chami*, & tamen inter illos ſunt nationes prorſus nigræ, ſicut in ipſa Inſula *Manil*. Adde denique, Deum non vibraſſe maledictionem in *Chamum*, ſicut ſuperius obſervavimus, ſed in ejus filium natu minimum, qui *Chanaam* in Scriptura nuncupatur: *Maledictus Chanaam, ſervus ſervorum &c.* Geneſis cap. 9. Porro, poſteri iſtius *Chananis*, filii *Chami*, non ſunt Africani, ſed Sidonii, & Chananæi, ſicut conſtat ex c. 10. v. 15. libri Geneſeos. Divina itaque maledictio in *Chananem*, filium *Chami*, vibrata, non afficiebat Africanos, qui ex *Chamo* quidem deſcendebant, non per *Chananem*, cui imprecatus fuerat Deus, ſed per alium ejus filium, puta *Phuth*. Nigredo igitur Africanorum meridionalium nec in Zonam torridam, ſub qua degunt, nec in pœnam, a Deo poſteris *Chami*, a quo deſcendunt, inflictam, tamquam in cauſam, rejici debet.

D. Nunc facile capio, quo pacto, facta poſt diluvium diviſione terræ, poſteri Noemi omnes Orbis partes adjerint, & ex continente ad ejus Inſulas, etiam valde diſſitas navigando tranſierint, ibique domicilium fixerint. Sed nec-

necdum ſatis intelligo, qui fieri potuerit, ut animalia ex continente in remotiſſimas Inſulas, in quibus nunc reperiuntur, tranſire potuerint? Non loquor autem hic primo de animalibus, quæ ſunt utilia, quia ejuſmodi animalia ex continente in Inſulas, valde etiam diſtantes, iiſdem navibus, quibus homines vehebantur, aſportari potuerunt, ſicut revera Hiſpani in Americam duas ſpecies animalium ibi ignotorum, nimirum *Equinam*, *& Bovinam*, aſportarunt. Non loquor etiam hic de animalibus, quæ ex putredine naſcuntur; neceſſarium quippe non fuit, ut hæc animalia in Inſulas tranſportarentur, quia in illis Inſulis poteſt eſſe putredo, ex qua generentur iſthæc animalia. Quo fit, ut nemini mirum videri debeat, quod in inſulis longe diſſitis a continente inveniantur mures, muſtellæ, cuniculi, colubri immanes, lacerti, Dracones, & ſimilia. Quoniam, licet hæc animalia fieri ſoleant generatione, fiunt etiam corruptione; Apes ſiquidem ex putrefactis taurorum viſceribus generantur, ſicut fuſe deſcribit Poeta, *Virgilius* lib. 4. Georgicorum. Ex medulla etiam ſpinæ cadeveris humani fiunt interdum colubri in ſepulcris, & ne in referendis aliis exemplis prolixior ſim, Anas marina, quam nos, ob ipſius carnem macram, *Macroſam* appellamus, ex corruptis navium aſſeribus, aut tignis producitur, ut vulgo perhibent. Idem dicendum reor de ranis, vermibus, & omnibus Inſectorum generibus, quæ ex putrefacta materia exoriri poſſunt. De his ergo animalibus, quæ corruptione naſci poſſunt, in præſentia non loquor, ſed de illis duntaxat animalibus, quæ ex putrefacta materia oriri haud poſſunt, quæque prorſus inutilia, immo & perniciosa ſunt, ſicut vulpes, lupi, & ſimiles peſtes, vel ferocia ſunt, ut Leones, Tigrides, Pantheræ, & alia id genus exitioſa animalia. Expone itaque, quæſo, quomodo hæc animalia, quæ inutilia ſunt, perniciosa, atque ferocia, potuerint e continente, ſeu e terra, in remotiſſimas Inſulas tranſire?

M. Eſſe quædam animalia, quæ, ſicut aſſeris, ex ſola putrefacta materia naſcantur, nulla ratione mihi fit veriſimile, longeque probabilius eſſe cenſeo, omnia animalia, ſive inſectilia & imperfecta ſint, ſive perfecta, ex ovis fœcunditatis originem habere. Quis enim ſibi perſuadeat, putreſcentem materiam poſſe repente converti in illud corpus organicum, quod in animalibus inſectilibus, ſeu imperfectis, percipitur, & cujus ſtructura tam affabre elaborata vix ac ne vix quidem humano intellectu comprehenditur? credibile ne eſt, ex materiæ, ut vulgo ajunt, corruptione, organa omnia corporis viventis ſponte formari poſſe, & vitales functiones obire? id ſane, ut candide dicam, ſuperat omnem fidem. Non ergo animalia inſectilia, ſeu imperfecta, naſcuntur ex putrefacta materia, quæ certe in venas, arterias, nervos, oculos, nares, & ceteras partes organicas mutari non poteſt, nec corpus motus, vitæ, ac ſenſus particeps reddere; ſed inſectilia, ſeu imperfecta animalia prodeunt ex ovis a maſculo fœcundatis, ſeu ſpiritu maſculo impraegnatis. Idem dicendum eſſe exiſtimo de animalibus perfectis, illa videlicet ex ovis fœcundatis naſci, ac ſubinde illorum originem refundi haud debere in ſeminum permixtionem, cum toties jactata illa *virtus formatrix* in ſemine, per quam quidam philoſophi ajunt, ex commixtione ſeminum exurgere animalia perfecta, cujuſmodi ſunt homo, leo, equus, canis &c. ſit tantum inane prorſus nomen, & in quo illa *vis formatrix* conſiſtat, aut qua ratione operetur? omnes alto premant ſilentio.

D. Vere nunc illud *Terentii* Dictum uſurpare poſſum: *Feciſti probe: incertior ſum multo, quam dudum*. At enim, ſi animalia inſectilia, ſeu imperfecta, non naſcantur ex putrefacta materia, ſed ex ovis fœcundatis, ſeu maſculo ſpiritu impraegnatis, quo pacto, quæſo, iſthæc inſectilia animalia tranſvehi potuerunt in Inſulas illas a continente remotiſſimas, in quibus modo maximo in numero reperiuntur?

M. Quamvis omnia animalia inſecti-

Digitized by Google

ſectilia, ſeu imperfecta, aquis Diluvii Noetici perierint, facile tamen fieri potuit, ut, antequam interirent, aculeis ſuis, quaſi terebris, utentia, ova, maſculo ſpiritu impregnata, inſeruerint in arboribus, quæ ſub aquis Diluvii vivebant, ſuumque virorem ſervabant, eo pari modo, quo nunc experientia compertum habemus, hæc inſectilia, ſeu imperfecta animalia ſuis aculeis, tanquam terebris, uti, ad inſerenda & deponenda ova ſua, a maſculo fœcundata, in quibuſdam fructibus, & arborum tuberculis; ex quibus ovis ibidem reconditis exoritur magna copia vermiculorum, & inſectilium animalium, quæ reperiuntur in quibuſdam fructibus in quercuum gallis, in fagorum, & aliarum arborum tubernaculis, quæ paratiſſimum ex arborum, fructuumque ſucco nanciſcuntur alimentum. Hinc fortaſſe eſt, quod lignum vetus & corruptum vermibus, ſeu inſectilibns animalibus ſcateat. Nam cum eorum ova diutius in ipſo ſint aſſervata, tunc præſertim ab illis excluduntur, cum lignum putreſcit, ipſiuſque partes majori fermentatione exagitantur. Nec alia fortaſſe origo eſt eorum vermium, qui in animalium viſceribus, aut artubus nonunquam deliteſcunt. Sæpe enim inſecta illa minutiora animalia, aut eorum ova cum fructibus & alimentis ſorbemus, cumque iſta animalcula ſuis ovariis ſint inſtructa, alia propemodum innumera inſectilia animalia excludunt, quæ in *Vaſis hepaticis*, in *poro biliario*, & aliis partibus magno quodam numero reperiuntur. Qua de re ſi plura deſideres, legeſis librum, quem edidit doctiſſimus Pater *Sagueins*, Ordinis Sancti Franciſci de Paula, *De cauſa & origine peſtis*, quæ in Gallo-Provincia ſævire cœpit anno 1720. Hoc autem ſemel poſito, facile intelligitur, inſectilia animalia, antequam interirent aquis Diluvii, ova ſua, a maſculo fœcundata, recondidiſſe in quibuſdam arboribus, quæ ſub aquis Diluvii vixerunt, ſuumque virorem retinuerunt. Quo poſtea factum eſt, ut, ceſſante Diluvio, ex his ovis, quæ quibuſdam arboribus, ſub aquis Diluvii virentibus diliteſcebant, innumera excluſa ſint inſectilia animalcula, quæ ex ſucco illarum arborum ſua parata habebant alimenta. Quod vero ſint quædam arborum ſpecies, quæ ſub aquis vivunt, & virorem ſuum ſervant, non ſolum teſtantur *Theophraſtus* in *Hiſtoria Plantarum* cap. 4. *Plinius* Libr. 13. cap. 21. & alii, ſed etiam id non obſcure innuit Scriptura Sacra, dum cap. 8. verſ. 11. Libr. Geneſis, ait, quod columba, quam *Noemus* ex Arca miſerat, ut exploraret an ceſſaſſent aquæ Diluvii? *Venit ad eum ad veſperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo*. Præterquam quod, etiamſi darem, univerſas arbores ſub aquis Diluvii corruptas & putrefactas fuiſſe, ſemper tamen verum eſſet, ex ea putrefactione arborum, in quibus deliteſcebant inſectilium ova fœcundata, innumera potuiſſe excludi inſectilia animalia, quia, ſicut ſuperius obſervavimus, experientia nunc exploratum habemus, ligna, quo vetuſtiora ſunt, eo pluribus vermibus ſeu inſectilibus animalculis eſſe referta, non alia ſane ratione, niſi quia ova illorum inſectilinm animalium, quæ diutius in iſtis lignis aſſervantur, tunc potiſſimum ab illis excluduntur, cum hæc ligna putreſcunt, eorumque partes majori fermentatione perturbantur. Sive ergo inſectilia animalia ex materia putrefacta, naſcantur, ſicut cenſent nonnulli Philoſophi, ſive ex ovis, a maſculo fœcundatis ſemper excludantur, ut ipſe cum viris eruditis probabilius eſſe arbitror, facile intelligitur, non fuiſſe neceſſarium, ut iſthæc inſectilia animalia in Inſulas a continente remotiſſimas poſt univerſale Diluvium tranſveherentur, cum vel ex materiæ (ut aliqui volunt) putredine naſci, vel ex ovis (ſicut mox expoſui) in iſtis Inſulis, etiam a continente conjunctiſſimis, excludi potuerint.

D. Necdum expoſuiſti, quo pacto ferocia animalia, ſicut ſunt leones, tigrides, pantheræ, necnon quædam nociva, videlicet vulpes, lupi, & alia id genus: denique, quomodo volucres potuerint poſt diluvium tranſire

ſire in Inſulas a terra, immenſo interjecto pelago, valde diſtantes, & ex illis Inſulis ad Americam, quam nos appellamus *novum Orbem*, pervenire?

M. Quamvis vaſtiſſimum ſit pelagus, quo America a tribus aliis Orbis partibus divellitur, veroſimile tamen eſt, illud antiquitus pluribus Inſulis fuiſſe refertum, quorum nonnullæ progreſſu temporis, ob validos terræ motus, fuerunt a mari abſorptæ. Hoc ſemel poſito, dici poteſt primo, hæc ferocia animalia, tranando pelagus, potuiſſe ex unis in alias viciniores Inſulas, & ex his in alias, odore prædæ illecta, uſque ad Americam pertranſire; non ſecus ac noſtris temporibus homines maritimi ſubtilibus cymbis, oblongam illam Inſularum catenam, quæ a Septentrione in Meridiem per multa centena milliarium tranſverſa occurrit, tranſcurrunt, & ad remotiſſimas Inſulas, atque regiones perveniunt. Secundo dici poteſt, ferocia animalia potuiſſe in Inſulas, a continente valde diſtantes, advehi in navibus a quibuſdam hominibus, qui incolas ejuſmodi Inſularum infenſiſſimo odio proſequebantur, eo fine, ut truculenta illa animalia depopularentur greges ſuorum hoſtium, ibique infeſtam ſuam ſpeciem propagarent. Tertio fieri potuit, ut aliqui ferocia iſthæc animalia in has Inſulas a terra remotiſſimas in navibus aſportarint ad jocum, ad delicias, ad pompam, perinde ac modo ad Regum Aulas deferri ſolent. Hæc autem ferocia animalia, ad illas Inſulas ſemel delata, & poſtea libertatem nacta, ſuam ſpeciem ibi propagarunt. Poſtremo, iſta ferocia animalia in has Inſulas tranſvehere potuerunt homines in navibus propter aliquam utilitatem vel pellium, vel medicinæ conficiendæ ex oleo, ex ſpiritibus, ex ſale illorum animalium. Sed de tranſitu ferocium animalium in Inſulas a continente remotiſſimas ſat ſuperque dictum ſit. Pauca nunc de tranſitu volucrum, & avicularum in Inſulas, quæ a terra maxime diſtant, hic ediſſeram. Cenſeo igitur volucres & aviculas volando ad viciniores Inſulas tranſiiſſe, & ex his ad alias, quæ a continente longiſſimo intervallo diſtant, perveniſſe, identidem tamen in medio Oceano quieſcentes, tantiſper arboribus navium inſidentes, ſeque in tanto itinere paſcentes culicibus & piſcibus volatilibus, quibus pelagus abundat. Teſtantur ſiquidem bene multi, qui ſuas maritimo itinere peregrinationes litteris mandarunt, ſe vidiſſe ſæpius volucres, quæ ſupra navium verticibus inſidebant, ſolitas eſſe interdum, ut vitam ſuſtentarent, involare in piſces volatiles, & in examina culicum, indeque gratum navigantibus præbere ſpectaculum, præſertim, quando piſces volatiles a mari ad aerem fugiunt, pulſi videlicet a marinis inimicis, ſeu a piſce majore, & rurſus ab aere ad mare fuga ſe ſe proripiunt, ne incidant in alium inimicum aereum, ſcilicet volucrem piſcatricem, in cujus alitum cedunt, ni protinus ab aere ad mare fugiant. Sunt etiam in Inſulis, a continente remotiſſimis, quædam aviculæ, quæ huc ab hominibus fuerunt aſportatæ, quæmadmodum de animalibus domeſticis ſuperius oſtendimus.

D. Sed cur, quæſo, voluit Deus, ut non ſolum homines, qui peccaverant, divinamque ejus Legem violaverant, univerſali Diluvio interirent, ſed etiam voluit eidem pœnæ addicere omnia bruta animantia, quæ in terris erant, exceptis his, quæ *Noemus*, juſſu Dei, in Arca ſervavit, cum tamen bruta animantia, nec peccare, nec divinam Legem tranſgredi potuerint, utpote nulla ratione aut libertate donata.

M. Antequam hanc difficultatem diluam, præſtat, ut obiter obſerves, nonnullos erraſſe in explicanda belluarum natura. *Origenes* Homilia 4. in *Ezechielem* ſenſit, ſtellas peccatis eſſe obnoxias, nec Aſtra modo, ſed elementa etiam, ac proinde ea judicium Dei olim ſubitura. Ut autem ſententiam ſuam adſtruat, *Origenes*, probat, ſtellas eſſe animalia, quod mandata Dei dicantur accipere, mandare etiam ipſis Deum, ut ſtatis moveantur temporibus, motus vero hujuſmodi neque abſolvi poſſe ſine anima, neque ſine motu eſſe poſſe, quæ anima prædita ſint, nec anima ſolum, ſed & ratione pollere, ac

Digitized by Google

ac proinde incrementa capere, ſine dubio, virtutis, vel decrementa. Adhæc animas antiquiores recentibus ſyderum corporibus inſeri, probat ibidem *Origenes*, cujus licet cauſam ſæpius agat, objecta diluat, & duriores quandoque opiniones emollire pro virili fatagat illuſtriſſimus *Petrus Daniel Huetius*, Epiſcopus Abrincenſis, hunc tamen *Origenis* errorem libr. 2. *Origenianorum*, Quæſt. 8. purgare non potuit, imo potius *Sixtum Senenſem*, qui *Origenem* ab hoc errore vindicandum ſuſcepit, valide refellit. Ad hunc errorem *Origenis*, Aſtris, & animalibus, rationem tribuentis, & facultatem peccandi, proxime accedit *Lactantius* lib. 3. *Divin. Inſtitut.* cap. 10. ubi aperte docet, homines duntaxat per *Religionem* diſcrepare a belluis, non vero per rationem, quæ hominibus ac belluis communis eſt. Sic enim ait: *Summum igitur bonum hominis in ſumma religione eſt. Nam cetera, etiam quæ putantur homini propria, in ceteris quoque animalibus reperiuntur. Cum enim ſuas voces propriis notis diſcernunt atque dignoſcunt, colloqui videntur, ridendique ratio apparet in his aliqua, cum demulſis auribus, contractoque rictu, & oculis in laſciviam reſolutis, aut homini alludunt, aut ſuis quiſque conjugibus ac fœtibus propriis. Nonne aliquid amori mutuo & indulgentiæ ſimile impartiunt? Jam illa, quæ ſibi proſpiciunt in futurum, & cibos reponunt, habent utique providentiam. Rationis quoque ſigna in multis deprehenduntur. Nam quando utilia ſibi appetunt, mala cavent, pericula vitant, latibula ſibi parant in plures exitus diſparentia: profecto aliquid intelligunt. Poteſt aliquis negare illis ineſſe rationem, cum hominem ſæpe deludant*. Sed hunc *Origenis* & *Lactantii* errorem, qui animalibus, ſeu belluis, & rationem & facultatem peccandi ineſſe perperam exiſtimarunt, retuliſſe, abunde refutaſſe eſt. Nec enim Deus omnia animalia, quæ erant in terra, voluit ut Diluvio univerſali perirent, eo quod antehac peccaſſent, ſed quia, cum decreviſſet Deus, omnes homines, qui peccaverant, penitus exterminare, excepta Noemi familia, neceſſe fuit, ut omnia animalia, exceptis his, quæ ad aliorum propagationem in Arca *Noemi* fuerunt aſſervata, ſubmergerentur generalis Diluvii aquis, quæ ut perhibet Scriptura Sacra, altiores montes quindecim cubitis ſuperabant. Abſit tamen, ut noſtro calculo probare velimus ſententiam quorumdam recentiorum Philoſophorum, qui brutis animantibus cognitionem, ſenſum, vitam & animam prorſus adimunt, voluntque, ea, horologiorum inſtar, eſſe pura automata, arcanis rotulis & elateriis contexta, quia, inquiunt, ſi belluæ vita & cognitione præditæ eſſent, injuſte tot malis & incommodis, quibus ſunt obnoxiæ, a Deo punirentur, cum ullum peccatum, propter quod tot ſibi infligerentur pœnæ, nunquam admiſerint. Abſit, inquam, ut hanc recentiorum Philoſophorum opinionem probare velim. Licet enim ultro fatear, belluas vita & ſenſibili cognitione pollere, eaque, ſicut experientia conſtat, multas perpeti miſerias; contendo tamen, ejuſmodi miſerias, quas belluæ patiuntur, non eſſe pœnas ipſis a Deo inflictas, ſed eſſe tantummodo defectus, qui conſequuntur illarum naturam; ſicut ex. Gr. ſi homo fuiſſet in ſtatu naturæ puræ a Deo conditus, iiſdem miſeriis, calamitatibus, morbis, & morti obnoxius extitiſſet, quibus nunc in ſtatu naturæ lapſæ ſubditus eſt, cum hoc tamen diſcrimine, quod homo in ſtatu naturæ lapſæ miſerias, calamitates, morbos & mortem perſentiat tanquam pœnas ſibi a Deo illatas propter peccatum originale, quod eſt cauſa, radix & origo omnium illarum pœnarum. At homo, ſi in ſtatu naturæ puræ fuiſſet a Deo creatus, ejuſmodi miſerias, morbos, & mortem expertus quidem fuiſſet tanquam defectus conſequentes naturam illius, quæ paſſibilis & mortalis eſt, ſed non tanquam pœnas ſibi inflictas a Deo, quia Deus bonus & juſtus neminem pœna afficit niſi ob præcedens peccatum, quod, ſicut in confeſſo eſt apud omnes Theologos, eo in ſtatu naturæ puræ non fuiſſet, ſicut jam obſervavimus in primo Colloquio in Hiſtoriam primæ Mundi ætatis. Sed de belluis, eorumque natura pluſquam ſatis dictum ſit, & præſenti Colloquio noſtro finem, ſi placet, imponamus.

D. Ne

D. Ne diutius, quam par ſit, noſtrum protrahatur Colloquium, hoc unum duntaxat tibi Dubium proponam, an videlicet Ethnici ſcriptores aliquam de Turri Babylonica, & de diſperſione hominum in omnes Orbis Regiones notitiam habuerint?

M. Ethnici ſcriptores, & poetæ multa de Turri Babylonica, & de hominum diſperſione ſcripſerunt, quorum nonnulla, quæ ex lectione Scripturæ ſcire potuerunt, ſervant veſtigia veritatis, quæ tamen, pro more ſuo, multis fabulis, & inanibus commentis reſperſerunt. Sibylla quædam apud *Joſephum* lib. 1. contra *Appionem*, & apud *Euſebium*, Epiſcopum Cæſarienſem, lib. 9. *De Præparatione Evangelica*, hæc habet: *Cum omnes homines una lingua loquerentur, altiſſimam Turrim ædificarunt, tanquam in Cœlum aſcenſuri. Dii autem, ventis immiſſis, Turrim everterunt, & propriam unicuique linguam attribuerunt. Unde factum eſt, ut Urbi Babyloni nomen eſſet*. Eupolemus etiam apud eumdem *Euſebium*, loco mox a me laudato, itidem ſcribit, *Urbem Babylonem primum ab illis fuiſſe conditam, qui a Diluvio ſervati ſunt, eos autem fuiſſe gigantes, & celebrem illam urbem extruxiſſe, qua, vi divina, proſtrata, gentes per univerſam terram fuiſſe diſperſas*. Abydenus apud *S. Cyrillum*, adverſus *Julianum* Apoſtatam, & apud jam citatum *Euſebium* lib. 9. De Præp. Evang. c. 9. eum in modum effatur: *Sunt qui dicunt, primos a terra editos, cum virium & molis ratione ſuperbirent, & Diis ſe præſtantiores eſſe jactarent, Turrim excelſam erexiſſe, ubi nunc eſt Babylon, & cum eſſet jam Cœlo proxima, ventos, Diis ſubvenientes, totum opus ſubvertiſſe; ruinis autem Babylonia nomen fuiſſe impoſitum*, &c. Ex hac Turris Babyloniæ extructione anſam & occaſionem arripuerunt Poetæ fingendi fabulam de Gigantibus e terra editis, qui cum temerario auſu cum Diis pugnare, & aggeſtu montium in cœlum ſibi viam parare vellent *Jovis* fulmine fracti, victi & diſſipati ſunt, ſicut Poeta *Ovidius* deſcribit libr. V. Faſtorum, his verſibus.

Terra feros partus, immania monſtra, Gigantes.
Edidit, auſuros in Jovis ire domum.
Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues.
Atque ait: in magnos bella movete Deos.
Extruere hi montes ad ſydera ſumma parabant,
Et magnum bello ſollicitare Jovem,
Fulmina de Cœli jaculatus Juppiter arce,
Vertit in authores Pondera vaſta ſuos.

HÆc ex vetuſtis Ethnicorum Scriptorum, & Poetarum monumentis hauſta ſervant quidem multa veritatis veſtigia, ſed quæ multis fabulis fuerunt ab illis conſperſa atque interpolata. In primis, fabulis accenſeri debet quod dictitant de Turris Babylonicæ extructoribus, illos videlicet fuiſſe Gigantes e terra editos. Secundo, ejuſmodi Gigantes hanc Turrim Babylonicam eo fine ædificaſſe, ut contra Deos bella movere poſſent. Tertio, illos Turris Babylonicæ conditores voluiſſe prædictam Turrim ad Cœlum uſque evehere. Abſit enim ut credamus, tam veſanos fuiſſe iſtos Turris Babylonicæ conditores, ut crediderint, eam uſque ad Cœlum evehi poſſe, ſed tantum, juxta phraſim hebraicam, profitentur in Scriptura ſacra cap. XI. lib. Gen. v. 4. ſe, ad celebrandum nomen ſuum, Turrim extructuros, *cujus culmen pertingat ad Cœlum*, ideſt, in immenſum attollatur. Poſtremo, purum putumque commentum eſt, quod ajunt Ethnici ſcriptores, Turrim Babylonicam, immiſſis ventis, fuiſſe a Diis penitus everſam ac ſolo æquatam. Sed, exploſis iſtis Ethnicorum fabulis, hoc unum ad coronidem noſtri Colloquii addam, nimirum in illos Turris Babylonicæ latomos vere quadrare id, quod dicit *Salomon* lib. Proverbiorum cap. 10. v. 24. *Quod timet impius, veniet ſuper eum*. Metu quippe diſperſionis, homines poſt Diluvium Urbem & Turrim Babylonicam extruendam ſibi proponunt: *Venite*, inquiunt, *faciamus nobis civitatem & Turrim .... antequam dividamur in univerſas terras*, Geneſis

H 2 cap.

cap. XI. v. 4. At, Deo ſic diſponente, illud ipſum ædificium, quod, metu diſperſionis, magno molimine ſubſtruxerunt, cauſa fuit cur citius diſpergerentur. Deus tamen qui e malo elicit bonum, ſingulari divinæ ſuæ providentiæ beneficio fecit, ut hæc diſperſio cederet in utilitatem generis humani, & longe majus inde emergeret bonum, quam quod ſibi propoſuerant inſani Turris Babylonicæ fabricatores. Erat ſiquidem illis animus in Turris unius ſubſtructione inutiliter conſeneſcere, ſed Deus illos diſperſit, ut genus hominum propagarent, Urbes plurimas in toto terrarum Orbe conderent, & fundamenta jacerent tot Regnorum, quæ etiamnum florent. Plura non dicam, ne te, domum properantem, diutius hic detineam, ſed te poſtridie in meo Muſæo expecto, ibique noſtrum habebimus Colloquium, in quo faciam ſatis omnibus Dubiis, quæ in Hiſtoriam ſecundæ Mundi ætatis proponere ſolent viri eruditi. Tu interim ſtudio graviter incumbe, & fac, ut ad Colloquium noſtrum imparatus non accedas.

COLLOQUIUM II.

In quo diluuntur Dubia, quæ in Hiſtoriam ſecundæ Mundi ætatis viri eruditi proponere ſolent.

DISC. PErlegi, ut morem tibi gererem, celebriorum Scripturæ ſacræ Interpretum libros, ex quibus aliquot circa Hiſtoriam ſecundæ Mundi ætatis congeſſi dubia, quæ in hocce Colloquio juxta ordinem, quo memoriæ meæ occurrent, tibi proponam, ut majorem illorum elucidationem ex tuis Reſponſis haurire poſſim. Et primo quidem a te percontabor, quænam illa prima fuerit lingua, quam Deus ab initio Mundi primis parentibus noſtris indidit, & quæ ſola ante confuſionem Babylonicam viguit? Unam etiam ante diſperſionem hominum fuiſſe linguam, legi in Scriptura ſacra c. XI. v. 1. lib. Geneſeos: *Erat autem terra labii unius, & ſermonum eorumdem*.

M. Quam difficile ſit definire, quænam fuerit primigenia illa & antiquiſſima lingua, quæ ſola a primo homine *Adam*, uſque ad linguarum confuſionem obtinuit in Mundo, ex tot ſententiarum, quæ ſuper hac re circumferuntur diſcrepantia, facili negotio judicari poteſt. In primis, *Joannes Goropius Becanus* linguam Cimbricam, ſeu Belgicam, pro antiquiſſima & primorum parentum noſtrorum in Paradiſo terreſtri vernacula venditare voluit. Sed hęc ſententia (ſi excipias *Levinum Torrentium*) nullos patronos nacta eſt. Doctiſſimus Abbas *Paulus Pezronus*, Ordinis Ciſtercienſis, in libro, quem edidit: *De Antiquitate & origine nationis, & linguæ Celtarum, ſeu veterum Gallorum*, pertendit, linguam Celticam, quę in Armorica inferiori, ſeu in Britannia minori, adhuc viget, eſſe primam omnium linguam, quam Deus primis parentibus noſtris *Adamo*, *& Evæ* infudit, quaque omnes homines uſque ad confuſionem linguarum uſi ſunt. Sed hęc opinio nihilo præcedenti plauſibilior eſt. *Theodoretus*, natione Syrus, & Cyri in Syria Epiſcopus, Quæſt. 12. in Geneſim linguæ Syro Chaldaicæ, ut genti ſuæ gratificaretur, hanc gloriam vindicare pro viribus conatus eſt, in cujus ſententiam iverunt nonnulli, quos prolixe ſatis confutavit *Vualtonus* in Apparatu ad Biblia Polyglotta Anglicana, Prologomeno tertio. Sunt aliqui, quos inter cenſetur illuſtriſſimus *Petrus Daniel Huetius*, Epiſcopus Abrincenſis, in ſua *Demonſtratione Evangelica*, qui linguam Chaldaicam omnium antiquiſſimam, ac Mundo coævam eſſe celebrant. Uno verbo, ſunt plures nationes, quæ ſuam linguam omnium primam eſſe jactant; *Æthyopicam* Abiſſini; ſuam Chinenſes; ſuam Arabes; &c. Ipſe vero cum antiquis Scriptoribus, & ſanctis Patribus, *Origene* Homilia XI. in librum Numerorum, *S. Chryſoſtomo*, Homilia 3. in Geneſim, *S. Auguſtino* lib. 16. *De Civit. Dei* c. 12. & *S. Hieronymo* Commentario in c. 3. *Sophoniæ*, quos e modernis ſequuntur *Serarius*, *Bonfrerius*, *Buxtorfius*, *Vualtonus*, *Thomaſſinus*, & alii, longe probabilius eſſe arbitror, primam, & antiquiſſimam Mundi linguam, quam Deus infudit primis parentibus noſtris, & qua inter ſe locuti ſunt, fuiſſe eam, quæ

poſt

Digitized by Google

poſt hominum, & linguarum diviſionem, *Hebræa* conſequentibus temporibus dicta eſt, & etiamnum dicitur. Hæc, inquam, ſententia mihi præ ceteris aliis magis arridet, primo, quia nulla eſt alia lingua, quæ tam ſimplex ſit, quæque tanta efficacia naturam & proprietatem rerum efferat, quam hæc lingua Hebræa. Secundo, quia Ethymologia nominum primorum hominum, & Patrum Antediluvianorum, necnon omnium artium, & inſtrumentorum, etiam muſicorum aperte demonſtrat, primam omnium linguam eſſe Hebræam. Hæc enim nomina, quæ in principio creationis, & ſequentibus temporibus data ſunt hominibus, vere eſſe hebraica, & e radicibus hebraicis derivata, evincunt viri eruditi, mox a me laudati. Poſtremo, quia omnes linguæ cum antiquiores, tum recentiores, ſuam ex lingua hebraica originem habent, ut videre eſt in *Gloſſario Hebraico*, quod edidit *Ludovicus Thomaſſinus*, Congregationis Oratorii Presbyter, ubi clariſſimus ille Scriptor, & linguarum exoticarum peritiſſimus, oſtendit, non ſolum linguas, Chaldaicam, Arabicam, Phenicæam, ſeu Chananæam, ſed etiam linguas Græcam, Latinam, Saxonicam, Teutonicam, Celticam, Armoricam, Gallicam, Hiſpanicam, Italicam, &c. eſſe totidem linguæ hebraicæ dialectos, ſeu varias propagines, quæ e lingua hebraica, omnium prima, tanquam e radice, pullularunt.

D. Fuitne hæc lingua Hebræa, poſt linguarum confuſionem, & hominum diſperſionem, in multis familiis conſervata?

M. Autumant nonnulli Auctores, linguam Hebræam, poſt linguarum confuſionem, & hominum diſperſionem, in multis familiis & locis, videlicet in Syria, Aſſyria, & in terra Chanaan, atque in poſteris *Chami*, filii Noemi, incorruptam permanſiſſe. Aſt, ipſe probabilius eſſe cenſeo, primigeniam linguam hebræam fuiſſe conſervatam puram & illibatam in una tantum familia, quæ, juxta pervulgatam tam Hebræorum, quam Chriſtianorum ſententiam, fuit familia *Heberis*, pronepotis Patriarchæ *Semi*. Porro, hanc noſtram ſententiam præſertim ſtabiliunt nomina Patriarcharum poſt diluvium, nempe *Abrahami*, *Iſaaci*, *Jacobi*, omniumque ejus filiorum, quæ omnia pure hebraica ſunt, unde ſequitur neceſſario, illos, qui hæc indiderunt nomina, hebraice eſſe locutos, ſubindeque linguam Hebraicam, poſt linguarum confuſionem, in familia Patriarchæ *Heberis* fuiſſe conſervatam. *Abrahamum* ſiquidem, *Iſaacum*, *Jacobum* &c. fuiſſe poſteros Patriarchæ *Semi*, per lineam *Heberis* deſcendentes omnibus e Scriptura ſacra notiſſimum eſt.

D. Quænam potiſſimum fuit cauſa, ob quam lingua Hebræa poſt linguarum confuſionem, in ſola familia Patriarchæ *Heberis* incorrupta permanſerit?

M. Duplex poteſt aſſignari cauſa, cur lingua Hebræa in ſola *Heberis* familia permanſerit incorrupta. Primo, quia familia Patriarchæ *Heberis* nullo pacto conſenſit in impium & flagitioſum fabrorum Turris Babylonicæ conſilium. Scriptura namque expreſſe dicit, urbem, & Turrim Babylonicam fuiſſe extructam a *filiis hominum*, per quos, ut alibi obſervavimus, intelligit homines impios & prophanos, qui e *Caino*, filio *Adami*, genus ſuum ducebant, quemadmodum Scriptura Sacra per *filios Dei* ſolet indigitare poſteros *Sethi*, alterius filii *Adami*, & poſteros itidem Patriarchæ *Semi*. Cum igitur familia Patriarchæ Heberis, quæ per *Semum*, filium *Noemi*, deſcendebat, non conſenſerit in flagitioſum iſtud extruendæ Turris Babylonicæ conſilium, credibile non eſt, hanc familiam in eadem illorum pœna, ſeu linguarum confuſione, jacuiſſe, quorum culpæ ſe participem non reddidit. Hinc eſt, quod familia Patriarchæ *Heberis*, tempore, quo homines, poſt linguarum confuſionem, per omnes terras diſperſi ſunt, non fuerit ipſa diſperſa, ſed inconcuſſa tunc ſedibus ſuis permanſerit, donec *Abrahamus*, ex familia Patriarchæ *Heberis* deſcendens, ſpeciali vocatione inde fuerit a Deo evocatus. Sicut igitur pœnam diſperſionis non ſubiit familia Patriarchæ *Heberis*, ita veriſimile eſt, eam nec linguæ ſuæ confuſionem eſſe paſſam, ſed potius avitam lin-

Digitized by Google

linguam Hebræam conſervaſſe puram & incorruptam. Altera cauſa, cur lingua Hebræa, poſt linguarum confuſionem, in ſola familia Patriarchæ *Heberis* integra & incontaminata permanſerit, hæc eſt, quia familia *Semi*, filii *Noemi*, ex qua Patriarcha *Heber* propagatus eſt, ſemper in vera religione, ſeu in ſincero unius & veri Dei cultu conſtanter perſtitit; e contrario familia *Chami*, alterius filii *Noemi*, a Deo, & a vera religione deſcivit. Quo factum eſt, ut familiam Patriarchæ *Heberis* ſingulari favore, gratia ac benedictione Deus proſecutus fuerit, cum e contra familia *Chami*, ex qua *Chanaan* prognatus eſt, a Deo ſit maledicta. Prohabile itaque eſt primo, Deum in familia Patriarchæ *Heberis*, quæ fuit familia ſancta & benedicta, maluiſſe conſervare linguam ſanctam, ſeu Hebræam, per quam religionem & Legem ſuam propagare, & promulgare voluit, quam in familia prophana & maledicta. Secundo, probabile etiam eſt, linguam Hebræam, ſic dictam fuiſſe a Patriarcha *Hebere*, eo quod apud ipſum, & in ejus familia fuit tempore confuſionis linguarum conſervata, & poſtmodum ad ejus poſteros transfuſa.

D. Interfui nuperrime cœtui quorumdam virorum eruditorum, quorum aliqui affirmabant *Hebræos* ſic dictos eſſe a Patriarcha *Hebere*, qui linguam Hebræam, poſt linguarum confuſionem, in ſua familia incorruptam conſervavit; Alii vero ajebant, hujus Hebræorum nominis originem altius arceſſendam non eſſe, quam a temporibus Patriarchæ *Abrahami*, qui primus a Chananæis fuit vocatus *Hebræus*, quod fluvium Euphratem tranſiſſet, ut relicta Chaldæa, quæ erat trans fluvium Euphratem, habitaret terram Chanaan. Ob illum fluvii Euphratis tranſitum, *Abrahamus* fuit a Chananæis *Heber*, ideſt, *Tranſitor* appellatus, indeque Hebræorum nomen omnibus *Abrahami* poſteris hæſit, ſicut dicebant viri illi eruditi. Tu quid ea de re ſentias, paucis aperire ne graveris.

M. Cum utraque ſententia, ut candide fatear, cum antiquorum, tum recentiorum Scriptorum teſtimoniis fulciatur, neutri ſuam probabilitatem adimere volo, ſed illius delectum tuo arbitrio lubens permitto. Hi qui *Hebræos* ſic a Patriarcha *Hebere* dictos putant; nituntur teſtimoniis *Joſephi* Hebræi, lib. 1. Antiquit. Judaic. cap. 6. *Euſebii* lib. 7. *De Præparat. Evang.* cap. 2. *Eucherii* lib. 2. in Geneſin cap. 7. Sed potiſſimum S. *Auguſtini* lib. 16. De Civit. Dei cap. 12. ubi luculenter docet, linguam hebraicam, ante confuſionem linguarum & gentium diſperſionem, omnibus communem fuiſſe, eamque in familia Patriarchæ *Heberis*, *Phalegi*, & *Abrahami* integram manſiſſe tradit, idque hinc probat, quod diverſorum populorum nomina, qui ſuis coloniis orbem terrarum impleverunt, ea ipſiſſima ſint, quæ in Sacris Litteris ſunt conſignata: *Illarum*, inquit Aquilinus ille Doctor, *gentium vocabula partim manſerunt, adeo ut etiam hodie appareat, unde ſint vocabula derivata, ſicut ex Aſſur Aſſyrii; ex Heber Hebræi; partim temporis vetuſtate mutata ſunt: ita ut vix homines doctiſſimi, antiquas Hiſtorias perſcrutantes, nec omnium, ſed aliquarum ex iſtis origines potuerint reperire*. Hactenus S. *Auguſtinus*, in cujus ſententiam manibus pedibuſque deſcendunt moderni Scriptores undecumque doctiſſimi, quos inter numerantur *Pererius*, *Steuchus*, *Genebrardus*, *Cornelius a lapide*, *Bonfrerius*, *Buxtorfius*, &c., inter Rabbinos vero, *Aben-Eſra*, *Kimki*, & *Abarbanel*. At vero, alii Scriptores, qui hujus *Hebræorum* nominis originem ab *Abrahamo*, repetendam eſſe aſſerunt, bene multos proferunt cum antiquos, tum recentiores Auctores, qui eorum ſententiæ aperte patrocinantur. Hi autem ſunt *Julius Africanus*, ab *Euſebio* citatus, qui hæc habet: *Hebræi, dicti quaſi tranſitores, quia Abraham Euphratem tranſiit, non ut quidam, ab Heber*. Origenes in Matthæum p. 239. ait: *Hebræi, qui exponuntur trajectitii*. Idem repetit Hom. 19. in Numeros, & Homil. 35. in Geneſin. S. *Hieronymus*, in Ezechielem cap. 7. *Abraham Hebræus, ideſt, περάτης, & peregrinus tranſitorque nominatur*. In eandem ſententiam conſpirant Patres Græci, *Diodorus Tarſenſis*, *S. Joannes Chryſoſtomus* Homilia 35. in Geneſin, & Homilia *De nomine Abraham*, & *Theodoretus* Quæſt. 60. in Geneſin. Eidem ſententiæ ſuffragan-

gantur itidem plurimi Rabbini, & peritiores Scripturæ Sacræ moderni Interpretes, *Paulus Burgenſis*, *Reuchlinus*, *Iſidorus Clarius*, *Eſtius*, *Arias Montanus*, *Morinus*, *Munſterus*, *Scaligerus*, *Seldenus*, *Cappellus*, *Grotius*, *Voſſius*, *Vvaltonus*, &c. Cum igitur utraque ſententia circa nominis Hebræorum originem probabilibus nitatur conjecturis, ſuoſque habeat defenſores, ſua utrique debet conſtare probabilitas, maxime cum ea de re ſileat Scriptura Sacra, nec in ea curioſius inquirere par ſit, quæ ipſa ſilentii ſipario obtexit.

D. Quo pacto intelligi debent hæc Dei verba, quæ cap. 11. Lib. Geneſeos leguntur: *Venite, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui?*

M. Communis eſt Scripturæ Sacræ Interpretum ſententia, Deum in confuſione Babelica, ſic primigeniam linguam, quæ, ut oſtendimus, Hebræa erat, confudiſſe, ut omnes homines antequam diſpergerentur in 70. vel 72. linguas, juxta totidem Patriarchæ *Noemi*, nepotum numerum, diviſerit. Scriptores latini, quia numerant duntaxat ſeptuaginta *Noemi* nepotes, videlicet ex *Japheto*, filio *Noemi*, quatuordecim; ex *Chamo*, altero *Noemi* filio, triginta; & ex *Semo*, tertio Noemi filio, viginti ſex; ideo dicunt, Deum in confuſione Babelica diviſiſſe hominum genus in 70. linguas omnino diverſas. Aſt, Scriptores Græci affirmant, Deum, antequam homines in omnes terras diſpergeret, illos in 72. linguas plane diſtinctas diviſiſſe, quia, præter illos ſeptuaginta *Noemi* nepotes: quos percenſent Latini, duos alios admittunt, nempe *Eliſam* inter filios *Japheti*, & *Cainanem* inter nepotes *Semi*. Sed hæc veterum opinio, tam Græcorum, quam latinorum, de 70. vel 72. linguis, in quas ante diſperſionem gentium diviſus eſt humanus ſermo, cum certa non ſit, ſicut alibi me obſervaſſe memini, longe probabilius ipſe arbitror Deum in confuſione Babelica non novas in mentibus hominum produxiſſe linguas, a lingua hebraica, quæ erat antiquiſſima, & qua omnes homines antequam diſpergerentur, loquebantur, omnino diverſas; ſed Deum duntaxat confudiſſe linguam hebraicam, qua tanquam vernacula utebantur omnes, & ex ea linguæ hebraicæ confuſione, ortos eſſe diverſos loquendi modos, ſeu varias linguas, quæ tamen erant totidem linguæ hebraicæ dialecti, non ſecus ac linguæ Italica, Gallica, Hiſpanica, ſunt dialecti linguæ latinæ. Illa quippe linguæ hebraicæ confuſio, quam Deus ad diſpergendos homines per omnes terras induxit, idem effecit, quod ipſa diſperſio gentium temporum lapſu effecit; in varias enim dialectos abiiſſet. Hinc linguæ Orientales, ſcilicet Chaldæorum, Syrorum, *Phœnicum*, ſeu Chananæorum &c. facilius diſcuntur ab his, qui Hebraice ſciunt, quia ſunt linguæ hebraicæ dialecti, majorem cum ipſa affinitatem habentes. Sed de his plura legeſis apud jam citatos doctiſſimos Auctores, *Ludovicum Thomaſſinum* in Præfatione ſui *Gloſſarii Hebraici*, & *Paulum Pezronum* in libro, quem concinnavit *De Antiquitate & origine nationis & linguæ Celtarum, ſeu veterum Gallorum.*

D. *Cainan* ille, quem Scriptores Græci, ut mox dixiſti, enumerant inter nepotes *Semi*, filii *Noemi*, fuitne verus Patriarcha, aut ſuppoſititus? audivi quippe nudiuſtertius viros eruditos ea de re inter ſe acerrime digladiantes, aliis aſſerentibus, hunc *Cainanem*, quem Græci Scriptores inter *Semi* nepotes numerant, eſſe plane ſuppoſititium, ac ſubinde e ſerie Patriarcharum poſt Diluvium jure optimo eſſe expungendum; aliis vero affirmantibus, hunc *Cainanem* vere inter nepotes *Semi* locum habere debere, eumque inter *Arphaxad*, cujus filius fuit, & *Salem*, quem genuit, eſſe reponendum. Hanc igitur, ſi placet; elucida difficultatem, quæ mihi, ut verum fatear, ſatis intricata videtur.

M. Juſtiſſima de cauſa hanc difficultatem ſatis intricatam appellas. Si enim æqua lance libremus ſingula momenta, quibus hinc inde fulti Scripturæ Sacræ interpretes *Cainanis* generationem, *Arphaxad* inter & *Salem*, aut admittunt, aut inficiantur; comperiemus difficilem ad dirimendam hancce difficultatem patere aditum. In primis, hi, qui *Cai-*

Digitized by Google

nanis generationi refragantur, his nituntur momentis. Ajunt primo *Moyſem* in primigenio Textu Hebræo, ſive in cap. 11. Libri Geneſis, ſive cap. 1. lib. 1. Paralip. ubi Patriarcharum ante & poſt Diluvium generationes accuratiſſime percenſet, altiſſimo ſilentio prætermiſiſſe in ſerie Patriarcharum poſt Diluvium iſtum *Cainanem*, quem Græci Codices *Arphaxad* inter & *Salem* inſerunt. Nec tantum in Textu Hebræo deſideratur iſte *Cainan*, ſed nec invenitur in Textu Samaritano, & in Antiqnis Scripturæ Sacræ Verſionibus Chaldaica, Syriaca, Arabica, Perſica, & in noſtra Verſione Vulgata, quæ ab Oecumenico Concilio Tridentino Authentica eſt declarata, ne vola quidem, aut nllum hujus *Cainanis* poſtdilnviani apparet veſtigium. Fatentur quidem iſtius ſententiæ Aſſertores, hunc poſtdilnvianum *Cainanem* extare in Verſione lxx. Interpretum, ejuſque nomen etiam legi in Evangelio *S. Lucæ* cap. 3. Sed contendunt, nomen *Cainanis* reperiri duntaxat ſcriptum in Verſione lxx. Interpretum, quæ erat corrupta & interpolata, ſed non in ea Verſione lxx. Interpretum, qnæ erat illibata atque incontaminata. Geminam quippe Verſionem lxx. Interpretum diſtingnit Sanctus *Hieronymus* in Epiſt. 135. ad *Sunniam*, & *Fratellam*, unam nimirum, quæ extabat in Hexaplis *Origenis*, & aliam, quam *Origenes*, *Euſebius Cæſarienſis*, omneſque veteres Græci Tractatores appellant Κοινὴν, ideſt, *communem*, quia communi fidelium nſui inſerviebat. Obſervat autem ibidem S. ille Doctor, id diſcriminis fuiſſe inter utramque lxx. Interpretum Verſionem; quod illa, quæ erat in Hexaplis *Origenis*, pura, emendata, & caſtigata eſſet; alia vero lxx. Interpretum Verſio, quæ vulgo *Communis* dicebatnr, quod manibus omnium paſſim tereretur, pro locis & temporibns, & pro volnntate Scriptornm eſſet vitiata, multiſque ſcateret mendis. Hoc poſito, dicunt illi Auctores, qui *Cainanem*, ceu Patriarcham inſititium, explodunt, nomen quidem *Cainanis* irrepſiſſe in Verſionem lxx. Interpretum, quæ corrupta erat, ſed non extitiſſe in ea Verſione lxx. Interpretum, quæ erat in Hexaplis *Origenis*, & emendatiſſima cenſebatur, quæque in Alexandrina Reginæ Ægypti *Cleopatræ* inſigni Bibliotheca fuit aſſervata, donec anno ante Natale Chriſti Domini circiter qnadrageſimo octavo fuit hæc Bibliotheca incendio conſumpta, qnando videlicet Bello priori Alexandrino, a *Cæſare* confecto, ex militum ſeditione, maximo Reipublicæ literariæ damno, conflagratione periit. Quod ſpectat Evangelium *S. Lucæ*, in cujus capit. 3. legitur nomen *Cainanis* poſtdiluviani, reſpondent Scriptores, qui iſtius *Cainanis* generationem non admittunt, interpolatrice manu hnjus *Cainanis* nomen in Evangelinm *S. Lucæ* fuiſſe intruſum, idque evincere ſe poſſe putant ex libro *S. Lucæ* Græco Latino, in antiquioribus membranis, litteris majuſculis, ſine ſpiritibus & accentibus deſcripto, in quo nulla omnino *Cainanis* poſtdiluviani ſit mentio. Hic autem liber, Hiſtorias quatuor Evangeliorum, & Actorum Apoſtolorum complectens, ex Græcia olim in Gallias, aſportatus, in Monaſterio *S. Irenæi*, in Suburbio Lugdunenſi eſt repoſitus, ibique, oriente bello anno 1562. repertus eſt a *Theodoro Beza*, Hæreſiarchæ *Calvini* Diſcipulo, qui anno 1581. illum Cantabrigenſi Academiæ Bibliothecæ dono dedit.

Aliud probationis genus ad excludendum hunc *Cainanem* e ſerie Patriarcharum poſtdiluvianorum deſumunt multi Scriptores latini ex Sanctis Patribus, qui in ſerie Patriarcharum poſtdiluvianorum juniorem *Cainanem* omnino prætermittunt, quos inter ſunt *Epiphanius* Hæreſi lv. quæ eſt Melchiſedechianorum, *Julius Africanus*, *Theophilus Antiochenus*, lib. 3. ad *Autolicum*, quibus addunt *Euſebium*, Epiſcopum Cæſarienſem, in ſuo Chronico a *Scaligero* græce edito, *Joſephum*, Hebræum, lib. 1. Antiq. Jud. c. 8. & duos Scriptores prophanos, *Beroſum*, videlicet Chaldæum, citatum apud *Euſebium* lib. 3. *Præparationis Evangelicæ*, & *Eupolemum*, laudatum ab *Alexandro Polhyſtore* apud *Euſebium*, qui diſerte aſſerunt, Patriarcham *Abrahamum* vixiſſe decima poſt Dilnvium generatione. Porro, ſi *Cainam* inſeratur inter *Arphaxad* & *Salem*, comperietur, Abrahamum non vixiſſe decima poſt Diluvium generatione, ſed undecima. Hæ ſunt

ſunt in ſumma præcipuæ rationes, quibus adducuntur multi Scriptores latini ad repudiandum *Cainanem*, tanquam Patriarcham inſititium, & intruſum in Evangelium *S. Lucæ*.

At, non deſunt viri eruditi, qui his momentis alia non minoris ponderis opponunt, probantque, *Cainanem* in Patriarcharum poſtdiluvianorum chorum eſſe admittendum. In primis dicunt, lxx. Interpretes in ſua Verſione Græca cap. 11. Lib. Geneſeos *Cainanem* laudare tanquam filium *Arphaxad*, eumque reponere *Arphaxad* inter & *Salem*. Quis autem dicere audeat, quempiam aliquando mortalium fuiſſe adeo temerarium, qui in Sacrum Textum intrudere voluerit *Cainanem*, ſi revera eſſet Patriarcha ſuppoſititius, & nunquam in rerum natura extitiſſet? Quæ malitia? quæ ſpes utilitatis ſeptuaginta Seniores, aut eorum Amanuenſes potuit ad tam putidum mendacium impellere? Præterea, *S. Lucas*, Evangeliſta, cap. 3. ſui Evangelii Genealogiam Chriſti Domini texens, *Cainanem* reponit *Arphaxad* inter & *Salem*, dicens: *Qui fuit Salem, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad*. Porro, temeritatis eſt ſummæ ex Evangelio *S. Lucæ*, quod omnibus Sacro-Sanctum eſſe debet, expungere velle, quod non ſolum vetuſtiſſimi Scripturæ Sacræ Interpretes, ſed etiam Sancti Patres, præſertim *Auguſtinus* lib. 16. *De Civitate Dei*, & *Hieronymus* in Translatione Evangelii *S. Lucæ*, legerunt, agnoverunt, retinuerunt, quodque etiam Romana, poſt Sacrorum Codicum emendationem, juſſu Summorum Pontificum *Sixti V.* & *Clementis VIII.* factam, etiamnum legit, agnoſcit, retinet & approbat Eccleſia, quæ nec falli, nec fallere poteſt. Addunt denique, *Cainanem*, poſtdiluvianum, omitti quidem in noſtra Editione Vulgata Veteris Teſtamenti, ſed hanc omiſſionem arguere duntaxat Amanuenſium memoriæ, & diligentiæ defectum, quem ita contigiſſe longe credibilius eſſe putant, quam ſi dicatur, *Cainanem* in Græca lxx. Interpretum Verſione, & in Evangelio *S. Lucæ* conſulto & data opera fuiſſe inſertum, & adjectum, quia hæc additio abſque inſigni audacia, & falſitate fieri haud potuiſſet. His potiſſimum momentis nituntur generationis *Cainanis* patroni ac defenſores.

D. Circa *Cainanis* poſtdiluviani generationem duas Scriptorum cum Græcorum, tum latinorum ſententias e diametro oppoſitas video; ſed cuinam ſententiæ palmam adſcribere debeam, dubius adhuc hæreo, & inſtar ſtateræ, hac illac æqua lance libratæ, neutro propendeo.

M. Cum nomen *Cainanis* legatur in Evangelio *S. Lucæ*, nec ulla ratione dici poſſit, iſtud Evangelium ſub mendo cubare, auctor tibi ſum, ut in illorum ſententiam deſcendas, qui albo Patriarcharum poſtdiluvianorum *Cainanem* acceſent. Ne autem ea, quæ ab oppoſitæ ſententiæ aſſertoribus proferuntur, quæque ſuperius perſtrinxi, momenta tibi aliquid faceſſant negotii, his breviter, quantum fieri poterit, faciam ſatis. Et primo quidem dico, Moyſem in Textu Hebræo generationem *Cainanis*, Patriarchæ poſtdiluviani, de induſtria tranſiliiſſe. Statuerat quippe Moyſes (ſicut, poſt *Joſephum* lib. 1. Antiq. Jud. c. 6. obſervant vetuſtiſſimi Hebræorum Scriptores) decem duntaxat Patriarcharum poſt Diluvium generationum gradus percenſere, hoc eſt, a *Noemo* uſque ad *Abrahamum*, non ſecus ac ab *Adamo* uſque ad *Noemum*, decem duntaxat Patriarcharum antediluvianorum generationes recenſuit. Quomodo etiam videmus, *Matthæum*, Evangeliſtam, in deſcribenda Genealogia Chriſti Domini tres teſſaredecades animo complexum, in earum altera tres generationes de induſtria præteriiſſe. Ait enim c. 1. ſui Evangelii: *Joram* genuit *Oziam*; cum tamen l. 4. Regum cap. 8. & 11. *Joram* genuerit *Ochoſiam*, Ochoſias genuerit *Joam*, Joas genuerit *Amaſiam*, Amaſias vero genuerit *Oziam*. Quemadmodum igitur Evangeliſta *Matthæus*, ob illum quatuordenarium myſticum numerum, quem, in texenda Genealogia Chriſti retinendum ſibi præſcripſerat, tres in ſecunda teſſaredecade reſecuit generationes, quæ huic myſtico numero officere potuiſſent; ita pari jure *Moyſes*, qui in recenſendis generationibus Patriarcharum, qui ante & poſt Diluvium vixe-

vixerunt, decadem, ſeu myſticum denarium numerum ſibi ſervandum propoſuerat, generationem *Cainanis* poſtdiluviani ſilentio prætermiſit, quia, ſi eam recenſuiſſet, non decem, ſed undecim Patriarcharum generationes ſecundæ Mundi ætatis numerare debuiſſet, ſicque finem, in putandis Patriarcharum primæ & ſecundæ ætatis annis ſibi præfixum, non obtinuiſſet. At, lxx. Interpretes, qui in ſua Græca Scripturæ Sacræ verſione non meros agebant interpretes, ſed Prophetas, quique Spiritum Sanctum, Sacrarum ſcripturarum Auctorem, inhabitantem habebant, ſicut plerique Sancti Patres, potiſſimum *S. Auguſtinus* lib. 18. De Civitate Dei cap. 43. Scripturis tradiderunt, non tam ex Textu Hebræo converterunt in Græcum ſermonem ea, quæ in pentateucho *Moſis* repererunt, ſed etiam ſuppleverunt, quæ ab illo, juſta quidem, licet nobis ignota quandoque ratione, fuerunt prætermiſſa. *Cainanis* itaque generationem, a Moyſe omiſſam, lxx. Interpretes, afflati Spiritu Sancto, in ſua Verſione Græca *Arphaxad* inter & *Salem* inſeruerunt. Quod quidem palam adſtruere videtur auctoritas *S. Lucæ* Evangeliſtæ, qui cap. 3. ſui Evangelii deſcribendo genealogiam Chriſti, Salvatoris noſtri, diſertam *Cainanis* mentionem facit, qui hanc generationem *Cainanis* repererat in pura, & immaculata quam conſuluit, Verſionem lxx. Interpretum. Quis enim, amabo, inficias ire audeat, *S. Lucam*, Evangeliſtam, habuiſſe pœnes ſe puram & caſtigatiſſimam lxx. Interpretum Verſionem? Falſum igitur eſt quod dictitant nonnulli, generationem *Cainanis* extitiſſe quidem in Verſione lxx. Interpretum, quæ corrupta, & adulterata erat, ſed non in Verſione lxx. Interpretum, quæ pura & incontaminata erat: alioqui dicendum eſſet *S. Lucam*, nulla habita ratione puræ & caſtigatæ Verſionis lxx. Interpretum, conſuluiſſe tantum, ad deſcribendam genealogiam Chriſti, corruptos jam Codices Verſionis Græcæ lxx. Interpretum, quod ſane citra temeritatem, ne quid gravius dicam, nec proferri, nec cogitari poteſt. Longe itaque credibilius eſt, generationem *Cainanis*, poſtdiluviani, extitiſſe in Verſione mendatiſſima lxx. Interpretum, donec quidam ſcioli, & male feriati homines, quos non pudet graſſari, & virgam cenſoriam exercere in Scripturam Sacram, fuerint exorti, qui, poſtquam Græcos Codices cum Hebraicis contuliſſent, vidiſſentque, *Cainanem*, poſtdiluvianum, ab Hebraicis abeſſe codicibus, quem licenter in Sacris Codicibus adjectum ſibi perperam perſuaſerunt, licentius etiam, tanquam Patriarcham addititium, eraſerunt, ac de medio ſuſtulerunt. Hujus noſtræ conjecturæ vim non infringit liber ille Græco-latinus, complectens quatuor Evangeliorum, & Actorum Apoſtolorum Hiſtorias, Cantabrigenſi Academiæ anno 1581. donatus, in quo non extat *Cainanis* poſtdiluviani generatio. Hic, inquam, manuſcriptus Codex, licet antiquiſſimus, hujus conjecturæ noſtræ robur non infringit, tum quia tantam Auctoritatem non habet, ut opponi & præferri debeat omnibus aliis manuſcriptis Codicibus Græcis, qui aſſervantur in Bibliothecis, in quibus invenitur *Cainanis* nomen, nec prædictus Codex jus dare poteſt hominibus, aliunde rerum novarum cupidis, carpendi, aut perturbandi receptam ubique gentium Evangeliorum, & reliquorum Sacrorum librorum editionem a Sacro-Sancto & Œcumenico Concilio Tridentino & a Sede Apoſtolica probatam, emendatam, ejuſque juſſu publicam in lucem emiſſam. Tum quia etiam prædictus Codex Græco-Latinus nec *Euſebio*, Epiſcopo Cæſarienſi, qui quarto Eccleſiæ florebat Sæculo, nec *S. Hieronymo*, qui in quinto Eccleſiæ Sæculo Chronicon ejuſdem *Euſebii* Græcum latine vertit, & auxit, antiquior eſt, ſicut aſſerunt periti hujus temporis Critici; Atqui tamen *Euſebius* in ſuo Chronico inter Patriarchas poſtdiluvianos recenſet *Cainanem*, & *Sanctus Hieronymus* tam in ſua translatione latina Evangelii *S. Lucæ*, quam in ſua verſione itidem latina Chronici *Euſebii* eumdem *Cainanem* retinuit, nec expungendum eſſe putavit; tanti ergo facere haud debemus hunc manuſcriptum Codicem Græco-Latinum, in quo *Cainanis* poſt-

di-

diluviani generatio non legitur, ut illum præponere debeamus aliis antiquioribus Codicibus Græcis, quos *Euſebius*, & *S. Hieronymus* conſuluerunt, & in quibus *Cainanis* poſtdiluviani nomen inter Patriarchas *Arphaxad* & *Salem* inveniebatur ſcriptum. Hinc facile inferre potes, nullam fidem adhibendam eſſe *Scaligero*, qui dum Græcum *Euſebii* Chronicon edidit, vel potius pro arbitratu ſuo conſarcinavit ac interpolavit, ex eo *Cainanem* poſtdiluvianum expunxit, cum tamen omnes aliæ Græcæ Chronici *Euſebii* editiones hunc *Cainanem* admittant, eumque *Arphaxad* inter & *Salem* in ſerie Patriarcharum poſtdiluvianorum reponant.

Ex his, quæ hactenus diximus, in promptu eſt reſponſio ad teſtimonia antiquorum Scriptorum, qui *Cainanis* poſtdiluviani nullam mentionem fecerunt. Nam ideo *Origenes*, *Julius Africanus*, *Theophilus Antiochenus*, *Epiphanius*, & tres Scriptores Prophani, ſeu *Beroſus*, *Eupolemus*, & *Alexander Polyhiſtor* generationem *Cainanis* prætermiſerunt, quia Textum Hebraicum, non verſionem lxx. Interpretum ſunt ſecuti, quod ſane nihil omnino facit contra nos, qui ultro fatemur, multos antiquos ſanctos Patres, & Eccleſiaſticos atque prophanos Scriptores, Textum Hebræum ſequentes, generationem *Cainanis* poſtdiluviani omiſiſſe. At, nemo proferre unquam poterit aliquem ſive ex ſanctis Patribus, ſive ex Eccleſiaſticis aut prophanis Scriptoribus, qui diſertis verbis dicat, *Cainanem* in ſerie Patriarcharum poſtdiluvianorum non eſſe admittendum.

D. Miror profecto, quod *Cainanem* poſtdiluvianum, tanquam verum Patriarcham, agnoſcas. Sæpins enim monuiſti me, Chronologiam lxx. Interpretum mendoſam eſſe, eique præferendam eſſe Chronologiam Textus Hebræi. Et tamen ſi ſemel admittatur *Cainan*, tanquam verus Patriarcha, & ut filius *Arphaxad* & pater *Salem*, ſequetur primo, ſtandum eſſe, circa generationem *Cainanis*, Chronologiæ lxx. Interpretum. Deinde, conſequens erit, *Moyſis* Chronologiam, quæ extat in primigenio Textu Hebræo, eſſe vitiatam, cum in ea deeſſent centum & triginta quinque anni, quos, juxta lxx. Interpretum Chronologiam, habuiſſe dicitur *Cainan*, quando genuit *Salem*. Id autem de Chronologia Textus Hebræi dici minime poteſt, cum certum ſit, *Moyſem* temporum Hiſtoriam, & Patriarcharum, qui ante & poſt diluvium vixerunt, annos integre, exacte, ac perfecte in Libro Geneſis deſcribere voluiſſe, cum ſingulorum vitæ annos minutatim perſequatur. Hic mihi videtur nodus implicatiſſimus, & labyrinthus intricatiſſimus, unde emergere difficillimum ſit; tua igitur opera in greſſu tam lubrico verſans maxime indigeo.

M. Ut adjectio *Cainanis* poſtdiluviani non variet Sacram Chronologiam Patriarcharum, quam Moyſes in Libro Geneſis deſcribit, dicendum eſt cum *Genebrardo* lib. 1. Chronographiæ, quod *Arphaxad* anno ætatis ſuæ 18. genuit *Cainanem*, & quod *Cainan* anno ætatis ſuæ 17. genuit Salem, qua ratione vere dici poteſt, *Salem* natum eſſe ipſi *Arphaxad* non quidem immediate, ut ajunt, ſed mediate per *Cainanem*, cum Arphaxad annum ætatis ſuæ ageret trigeſimum quintum, ſicut legitur in Textu Hebræo & in Editione vulgata Gen. cap. 11. v. 12. Nam more loquendi, Sacris Litteris non inuſitato, nepotem genuiſſe avus vere dicitur, licet non eum immediate genuerit, ſed tantum mediate, hoc eſt per alium. Sic Evangeliſta *Matthæus*, ut antea dicebam, cap. 1. ſui Evangelii ait: *Joram genuit Oziam*: quamvis *Joram* non immediate genuerit Oziam, ſed tantum mediate, ideſt, per nepotes; nam J*oram* genuit immediate *Ochoſiam*, Ochoſias genuit J*oam*, Joas genuit *Amaſiam*, Amaſia genuit *Oziam*. Hanc *Genebrardi* ſententiam amplectitur J*oannes Harduinus*, recens Societatis Jeſu Scriptor, in ſua *Veteris Teſtamenti Chronologia*, quæ extat inter ſelecta illius Opera Amſtelodami edita ann. 1709. Ceterum, quod in Verſione lxx. Interpretum legitur, *Arphaxad* anno ætatis ſuæ 135. genuiſſe *Cainanem*, & *Cainanem* anno ætatis ſuæ 130. genuiſſe *Salem*, mendum eſt Chronologiæ, ſicut

cut

Digitized by Google

cut fatentur omnes Scriptores latini, etiam hi, qui generationem *Cainanis* admittunt, quique putant, *Arphaxad* anno ætatis ſuæ 35. genuiſſe *Cainanem*, *Cainanem* anno ætatis ſuæ 30. genuiſſe *Salem*, detractis illis centum adjectitiis annis, qui non ſolum in generatione *Cainanis*, ſed etiam in generationibus aliorum Patriarcharum ante & poſt Diluvium irrepſerunt in Chronologiam lxx. Interpretum, ſicut, poſt *S. Auguſtinum* lib. 15. *De Civitate Dei* cap. 13. prolixe oſtendi in Diſſertatione quinta Tractatus *De Miſteriis*, & *Annis Chriſti*. Verum, quia illi Scriptores latini, qui admittunt generationem *Cainanis*, ajuntque, eum anno ætatis ſuæ trigeſimo genuiſſe *Salem*, haud parum turbant ac confundunt ea 30. annorum *Cainanis* adjectione Chronologiam, quæ deſcribitur in Textu Hebræo, Patriarcharum poſt diluvium; ideo ipſe, ne tantillum varietur, aut immutetur Chronologia Textus Hebræi, longe probabilius cum *Genebrardo*, & *Harduino*, mox a me laudatis Scriptoribus cenſeo, *Arphaxad* genuiſſe *Cainanem* anno ætatis ſuæ 18. *Cainanem* vero ætatis ſuæ anno 17. genuiſſe *Salem*. Quo poſito annorum calculo, vere dici poteſt, citra ullam Textus Hebræi Chronologiæ immutationem, *Salem* natum eſſe ipſi *Arphaxad* non quidem immediate, ſed mediate, hoc eſt, per *Cainanem*, patrem ſuum, cum *Arphaxad*, avus *Cainanis*, annum attigiſſet ætatis ſuæ trigeſimum quintum, ſicut legitur in Textu Hebræo, & in Editione Vulgata cap. 11. v. 12. Libri Geneſis: *Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Salem*, non quidem immediate, ut mox dixi, ſed mediate, ideſt, per filium ſuum *Cainanem*, qui fuit pater *Sale*.

D. Dum Textus Hebræi Chronologiam, juxta tuum explicandi modum, non perturbet hæc *Cainanis* in ſerie Patriarcharum poſtdiluvianorum adjectio, in tuam ſententiam lubens ipſe deſcendo; & *Cainanem*, ceu verum poſtdiluvianum Patriarcham, *Arphaxadi* filium, & patrem *Sale*, ultro agnoſco. Sed ſubiit nunc animum altera difficultas Chronologica, nimirum, quoto anno ætatis ſuæ *Thare* genuerit filium ſuum *Abrahamum*? Multi quippe Interpretes, quorum in Scripturam Sacram Commentarios perlegi, aſſerunt, *Thare* anno duntaxat ætatis centeſimo trigeſimo genuiſſe *Abrahamum*. Alii vero Scripturæ Interpretes dicunt, *Thare* anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo genuiſſe *Abrahamum*; idque propter illa verba *Moyſis* cap. 11. v. 26. Libri Geneſeos: *Vixitque Thare ſeptuaginta annis, & genuit Abraham, & Nachor, & Aran*. Inde enim colligunt, non quidem hoc velle *Moyſem*, tres iſtos eſſes genitos a *Thare* ſeptuagenario; ſed illud ſolum, poſt ſeptuageſimum ætatis ſuæ annum cœpiſſe *Thare* gignere filios: cum autem primo loco ponatur *Abrahamus*, ab eo eſſe factum gignendi exordium, ac proinde *Abrahamum*, genitum eſſe, cum *Thare*, ipſius pater explevisſet annum ætatis ſuæ ſeptuageſimum. Hæc autem opinionum circa ortum *Abrahami* diſcrepantia haud parum perturbat Textus Hebræi Chronologiam. Nam ſi *Abrahamus* non anno patris ſui *Thare* lxx. ſed cxxx. natus fuit, neceſſario ſequitur, ſexaginta annis in ſerie Chronologica Patriarcharum poſtdiluvianorum ab iis aberrari, qui ſeptuageſimo *Thare* anno *Abrahamum* natum eſſe arbitrantur. Huic ergo Chronologicæ difficultati expeditiſſimam, quæſo, adhibe nunc ſolutionem.

M. Expeditiſſimam hujus Chronologicæ difficultatis ſolutionem dant illi Scripturæ Sacræ Interpretes, qui docent, *Thare* anno ætatis ſuę non lxx., ſed cxxx. genuiſſe filium ſuum *Abrahamum*, idque luculentiſſime colligunt ex Scriptura Sacra, quę cap. 11. v. 32. Libri Geneſis ait: *Et facti ſunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus eſt in Haran*. Capite vero ſequenti, ſeu duodecimo, v. 4. ſubdit. *Septuaginta quinque annorum erat Abraham, cum egrederetur de Haran*. Si ergo annos ſeptuaginta quinque, quos natus erat *Abrahamus*, quando ex Harane exceſſit, ut veniret in terram Chanaam, ſubtrahas e ſumma annorum ccv. quos natus erat *Thare*, pater ipſius, quando in Harane mortuus eſt, manifeſto patebit, Abrahamum natum eſſe anno ętatis Patris ſui non lxx.

ſed

ſed cxxx. Præterea , ſi Abrahamus natus eſſet anno ætatis patris ſui *Thare* lxx. jam attigiſſet annum ætatis ſuæ 135. quando , mortno patre ſuo in Harane , iter in terram Chanaan inſtituit , ac ſubinde *Iſaac* , filius ejus , egiſſet tum temporis annnm ætatis ſnæ 35. *Iſaac* namque natus eſt *Abrahamo* centenario*:* *Putaſne centenario naſcetur filius ?* Geneſis cap. 17. Atqui tamen Scriptura Sacra cap. 7. Act. Apoſtolorum aperte tradit , *Abrahamum* , quando exiit ex Harane, & in Chananæam regionem ſe contulit, necdum genuiſſe filium ſuum *Iſaacum* : dici igitur non poteſt, *Abrahamum* natnm eſſe anno ætatis patris ſui ſeptuageſimo . Denique , *Abrahamus* ſenior erat decem tantum annis *Sara* , uxore ſua , ſicut teſtatur Scriptura Sacra loco mox a me laudato : *Putaſne centenario naſcetur filius , & Sara nonagenaria pariet ?* Porro , *Sara* erat filia , *Aranis* , fratris *Abrahami* . Si ergo *Abrahamus* natus eſſet anno ætatis patris ſui *Thare* ſeptuageſimo , eſſetque primogenitus , fratris ſui *Aranis* , debuiſſet *Aran* gignere anno ætatis ſuæ nono *Saram*, conjugem *Abrahami* , quod quidem , ut nemo non videt , conſueto naturæ ordini , & experientiæ omnino adverſatur. Probabilius itaque eſt, & Scripturæ Sacræ magis conſentaneum , non fuiſſe *Abrahamum* , filium patris ſui *Thare* primogenitum , natumque anno patris ſui *Thare* ſeptuageſimo , ſed illum juniorem fuiſſe fratre ſuo *Aran*, & natum eſſe anno patris ſui *Thare* centeſimo trigeſimo . Elumbe autem eſt , ſeu valde infirmum argumentum , quo nonnulli Scriptores probare ſe poſſe putant, *Abrahamum* eſſe filium primogenitum *Thare* , eumque ſubinde natum eſſe anno ætatis Patris ſui ſeptuageſimo, quia Scriptura Sacra *Abrahamum* inter filios *Thare* primo loco nominat ; hoc, inquam , argumentum nullius plane roboris eſt , cum non ſit Scripturæ Sacræ inſolens , ut in liberis referendis dignitatis potius , quam naturæ, ſive temporis , ordinem obſervet , quod in Patriarchæ *Noemi* liberis factum fuiſſe ſuperius oſtendimus, & in *Thare* liberis revera actum eſſe , *Cajetani* , & aliorum doctiſſimorum Scripturæ Sacræ Interpretum , cum antiquorum , tum modernorum omnino eſt , aſſerentium , *Abrahamum* natum eſſe anno Patris ſui non lxx. ſed cxxx. Proindeque *Moyſem* , recenſendo filios *Thare* , meminiſſe primo loco *Abrahami* , non tanquam primogeniti *Thare* , ſed tanquam ejus filiorum præcipui , & communis Iſraelitarum parentis , in cujus ſemine Deus omnibus Gentibus bene precari , ſeu benedicere debebat , ſicut ex his , quæ deinceps dicturi ſumus, liquido conſtabit .

D. Fuitne *Thare* , antequam e Chaldæa una cum filio ſuo *Abrahamo* diſcederet, Idolorum cultor ? audivi enim nuperrime viros quoſdam eruditos ea de re acriter inter ſe diſputantes, & ea in utramque partem proferentes momenta , quæ animum meum adhuc ancipitem tenent .

M. Sunt quidam inter Hebræos Rabbini , qui mentem ſuam chymeris paſcere ſoliti , ajunt , *Thare* in cultu Idolorum tam perdite inſaniiſſe , ut filium ſuum *Abrahamum* . ab Idololatria penitus abhorrentem , apud *Nembrodum* accuſaverit , ejuſque juſſu , in ardentem fornacem conjectus ſit , & ex ea divino auxilio liberatus , incolumis evaſerit : *Aran* autem , fratrem Abrahami , in eadem fornace extinctum eſſe ajunt Rabbini , idque ſignificari volunt his verbis Scripturæ Sacræ : *Mortuus eſt Aran ante Thare , patrem ſuum , in terra nativitatis ſuæ in UR Chaldæorum* , Geneſis c. 11. v. 28. Nam per *UR* Chaldæorum intelligunt illi Rabbini *Ignem* , quem Chaldæi celebrant tanquam Numen , & cujus flammis Abraham frater *Aran* , fidelis quidem , ſed dubitans, ſtatim abſumptus eſt . Hanc fabulam referunt quidam Hebræi , cum hoc tamen diſcrimine , quod aliqui inter illos dicant , *Abrahamum* fuiſſe a *Nembrodo* in fornacem ignis conjectum , indeque ope Dei liberatum , quia ignem , quem colebant Chaldæi , adorare noluit ; alii vero affirment , *Abrahamum* in ardentem fornacem ignis eſſe conjectum , quod Idola *Nembrodi* confregiſſet . Verum , hæc hiſtoriola ſomnia

nia

nia ſapit delirorum Rabbinorum, quibus ita ſomniare inter vigilandum plerumque contingit. Nam primo falſum eſt, *Abrahamum*, juſſu *Nembrodi*, ut comminiſcuntur Rabbini, fuiſſe in ignem conjectum; *Nembrodus* ſiquidem, qui, juxta veterum cum SS. Patrum, tum prophanorum Scriptorum traditionem, quam in ſuperiori noſtro Colloquio retuli, idem eſt ac *Belus*, pater *Nini* Aſſyrorum Regis, imperavit in Chaldæa antequam Abrahamus naſceretur: *Abrahamus* enim anno 43. Regni *Nini*, filii *Beli*, ſeu *Nembrodi*, ſicut, poſt *Euſebium* in Chronico, ſentiunt Scriptores Hiſtorici, prodiit in lucem. *Abrahamum* itaque juſſu *Nembrodi*, in Chaldæa regnantis, in ignem fuiſſe conjectum, purum putumque figmentum eſt. Secundo *UR Chaldæorum* non ſignificat *ignem*, quem colebant Chaldæi, ſicut ſibi falſo perſuaſerunt iſtius fabulæ conſarcinatores, ſed indicat Urbem Chaldæorum dictam *UR*, ex qua exivit *Abrahamus*. Sic enim LXX. Interpretes *UR* Chaldæorum græce verterunt, *Regionem Chaldæorum*, & Joſephus lib. 1. Antiquit. Jud. cap. 7. ait, *Aranem*, fratrem *Abrahami*, mortuum eſſe in Urbe, quæ *UR Chaldæorum* vocatur. Et ſane, per *UR Chaldæorum* deſignari Urbem Chaldæorum, ex qua *Thare* eduxit filium ſuum *Abrahamum*, ut ſimul irent in terram *Chaanam*, manifeſto colligitur ex c. 11. v. 31. Lib. Geneſeos: *Tulit itaque Thare Abraham filium ſuum, & Loth, filium Aran, filium filii ſui, & Sarai, nurum ſuam, uxorem Abraham filii ſui, & eduxit eos de UR Chaldæorum ut irent in terram Chanaan &c.* Fieri tamen potuit, ut Urbs illa Chaldæorum, e qua exivit *Abrahamus*, dicta fuerit *UR Chaldæorum*, ideſt, Civitas *Ignis*, quia in ea præcipue colebatur Ignis, cui, ceu ſupremo Numini, ſummos honores deferebant Chaldæi, non ſecus ac in Ægypto Urbs quædam eſt *Heliopolis*, ſeu Civitas *Solis*, quod *Soli*, quem adorabant Ægyptii, eſſet potiſſimum conſecrata. Vel etiam fieri potuit, ut hæc Chaldæorum Urbs dicta fuerit *UR*, ſeu *Civitas Ignis*, quia *Thare*, pater Abrahami, aliique veri numinis cultores, qui in ea Civitate erant, & *Ignem*, Chaldæorum Idolum, adorare detrectabant, graviſſimis fuerint exagitati perſecutionibus, quas interdum Scriptura Sacra per ignem deſignare ſolet. *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium*; & in eo ſenſu Sacer Auctor lib. 2. Eſdræ cap. 9. v. 7. ait: *Tu ipſe Domine Deus, qui elegiſti Abraham, & eduxiſti eum de igne Chaldeorum*. Rejecta itaque hac fabula de *Thare*, patris *Abrahami*, Idololatra, cenſeo cum *S. Auguſtino*, lib. 16. *De Civit. Dei* cap. 12. quem ſequuntur multi viri eruditi, *Tharam*, patrem *Abrahami*, Idolorum cultui non fuiſſe addictum, ſed potius veri Numinis cultorem eximium: *Una igitur*, inquit Aquilinus ille Doctor, *Tharæ domus erat, de qua natus eſt Abraham, in qua unius veri Dei cultus, ... Proinde, ſicut per aquarum Diluvium una Domus Noe remanſerat ad reparandum genus humanum; ſic in Diluvio multarum ſuperſtitionum per univerſum Mundum una remanſerat Domus Thare, in qua cuſtodita eſt plantatio Civitatis Dei*.

D. Quo pacto intelligi debent hæ promiſſiones, quas Deus (ſicut legitur cap. 12. v. 1. Libri Geneſeos) fecit *Abrahamo*, dum, ipſius juſſu, exivit e Chaldæa ut veniret in terram Chanaan, ei dicens: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de Domo patris tuis, & veni in terram, quam monſtrabo tibi, eriſque benedictus*. In quo, quæſo, conſiſtit divina illa benedictio promiſſa Abrahamo?

M. Deus multiplicem promiſſionem fecit *Abrahamo* in præmium ipſius obedientiæ, qua patriam ſuam, ut divino obtemperaret Mandato, reliquit, & venit in terram Chanaan. Prima promiſſio fuit de donatione terræ Chananeæ; Geneſis cap. 12. v. 1. *Veni in terram, quam monſtrabo tibi*. Altera promiſſio fuit de magna poſteritate: *Faciam te in gentem magnam*, Geneſis cap. 12. v. 2. Et cap. 13. v. 16. *Faciamque Semen tuum ſicut pulverem terræ: Si quis poteſt hominum numerare pulverem terræ, Semen quoque tuum numerare poterit*. Similiter, cap. 15. verſ. 5. Libri Geneſis ſic Deus affatur *Abrahamum*: *Suſpice Cœlum, & numera ſtellas, ſi potes, & dixit ei: Sic erit Semen tuum*. Quæ divina pollicitatio eo major erat, quod *Abra-*

Abrahami uxor eſſet ſterilis. Tertia promiſſio eſt de benedictione, quam Deus daturus erat *Abrahamo*, quæque fuit duplex, univerſalis una, particularis altera. Benedictio univerſalis ſita erat in bonis cum animi, tum corporis, rerumque externarum, & in eo ſenſu ait Deus *Abrahamo* cap. IV. verſ. 2. Libri Geneſeos: *Magnificabo nomen tuum, & eris benedictus*. Et ver. 3. *benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi*. Denique, particularis benedictio, quam promiſit Deus *Abrahamo*, ſpectat *Jeſum Chriſtum*, ſervatorem noſtrum, qui e ſemine, ſeu ex ſtirpe Abrahami erat oriundus. Hinc Deus cap. 12. v. 3. Lib. Geneſeos dicit *Abrahamo: In te benedicentur omnes cognationes terræ*. Et cap. 22. v. 18. ejuſdem libri: *Benedicentur in ſemino tuo omnes gentes terræ*. Quid vero ſignificet: *In ſemine tuo*, aperte declarat Apoſtolus *Paulus* Epiſt. ad Galatas cap. 3. verſ. 16. dicens: *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit: Et ſeminibus, quaſi in multis: Sed quaſi in uno: Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus*.

D. Legitur cap. 14. libri Geneſis, quod *Chodorlahomor*, & Reges, qui erant cum eo, percuſſerint tempore *Abrahami*, omnem regionem Amalecitarum. Porro, conſtat, necdum extitiſſe tempore *Abrahami* Amalecitas; immo nec natum adhuc eſſe *Amalechum*, quia *Amalechus* (ſicut legitur cap. 36. v. 12.) ab *Eſau* deſcendit. Ibi enim ſic habetur: *Erat autem Thamna, concubina Eliphax, filii Eſau, quæ peperit ei Amalech*. Concilia igitur, ſi placet, iſtam antilogiam, quam parit tam gravis anachroniſmus.

M. Nullo negotio conciliari poteſt hæc apparens contradictio, dicendo, hoc per anticipationem a *Moyſe* ſcriptum eſſe, ſcilicet quod *Chodorlahomor*, & ceteri reges, qui cum ipſo erant, percuſſerunt omnem regionem Amalecitarum, ita ut ſenſus ſit, quod *Chodorlahomor*, & alii Reges, qui cum eo erant, percuſſerint omnem illam regionem, quam Amalecitæ, tempore, quo ſcribebat *Moyſes*, jam occupabant; *Moyſes* itaque, ut illa Regio, quam *Chodorlahomor*, & alii Reges, tempore Abrahami devaſtarunt, Hebræis notior eſſet, illam appellavit regionem Amalecitarum, non quod Amalecitæ tempore *Abrahami* eam incolerent (tum enim nondum erant Amalecitæ) ſed quia tempore, quo ſcribebat Moyſes, jam illius regionis Amalecitæ poſſeſſores erant. Et ſic plane evaneſcit propoſita apparens antilogia.

D. Quis eſt iſte, *Melchiſedechus*, cui (ſicut legitur cap. 14. v. 18. & 19. libri Geneſeos) *Abrahamus*, poſtquam viciſſet quatuor Reges, lætus pro victoria decimas dedit, & ab ipſo benedictionem accepit?

M. Qualis fuerit iſte *Melchiſedechus*, non una eſt omnium ſententia. Alii exiſtimarunt, *Melchiſedechum* eſſe *Semum*, filium Patriarchæ *Noemi*, & hæc fuit ſententia Hebræorum, ſicut teſtatur S. *Hieronymus in Traditionibus Hebraicis*. Alii putarunt, *Melchiſedechum* eſſe ſupernam quamdam virtutem majorem Chriſto, & ipſum eſſe Spiritum ſanctum; & in craſſum illum errorem impegerunt quidam Hæretici, dicti *Melchiſedechiani*, quos ſancti Patres confutarunt, præſertim *S. Hieronymus* in Epiſtola ad *Evagrium*, *S. Epiphanius* Hæreſi lxx. Nonnullis viſum eſt, *Melchiſedechum* fuiſſe Angelum, qui ſeſe *Abrahamo* conſpicuum exhibuit, & ita ſenſit *Origenes*. Aliqui affirmarunt, *Melchiſedechum* eſſe filium Dei, qui *Abrahamo* ſeſe ſub humana ſpecie videndum præbuit. Poſtremo, alii opinati ſunt, *Melchiſedechum* fuiſſe quemdam hominem juſtum, probum, & Altiſſimi Sacerdotem, ſed ſpurium, eo quod neque ejus patris, neque ejus matris ulla in Sacris Litteris mentio fiat. Has de *Melchiſedecho* diſcrepantes ſententias hic breviter refellam. Dein, quid de *Melchiſedecho* Catholice ſentiendum ſit, paucis oſtendam. In primis, *Melchiſedechum* non fuiſſe *Semum* filium Patriarchæ *Noemi*, ex eo invicte probatur, quod *Melchiſedechus* ab Apoſtolo *Paulo* in Epiſtola ad Hebræos dicatur *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem habens*. Quod ſane nullo pacto dici poteſt de *Semo*, filio *Noemi*, cujus genus, parentes, nativitas, ætas expreſſe ac diſerte in Sacris Scripturis traduntur. Secundo, *Melchiſedechum* non fuiſ-

fuiſſe ſupernam quamdam virtutem, majorem Chriſto, & ipſum Spiritum Sanctum, ſicut effutiebant Hæretici Melchiſedechiani, patet ex capite 14. libri Geneſeos, ubi *Melchiſedechus* appellatur *Sacerdos*, & *Rex Salem;* ex quo manifeſta conſecutione deducitur, *Melchiſedechum* nec fuiſſe cœleſtem quamdam virtutem majorem Chriſto, nec Spiritum Sanctum. Tertio, *Melchiſedechum* non fuiſſe Angelum, humana ſpecie *Abrahamo* apparentem, evincitur itidem ex iiſdem verbis, quibus *Melchiſedechus* in Sacris Litteris *Rex Salem*, & *Sacerdos Altiſſimi* nuncupatur. *Omnis* enim *Pontifex*, inquit Apoſtolus *Paulus* in Epiſtola ad Hebræos, *ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum*. Igitur *Melchiſedechus* fuit verus homo, & non Angelus, alioqui non potuiſſet eſſe *Sacerdos Altiſſimi*. Quarto, *Melchiſedechum* non fuiſſe filium Dei, qui in carne aſſumpta Abrahamo apparuerit, liquet ex Pſalmo 109. ubi de Chriſto Domino, vero Dei filio, dicitur: *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech*. Porro, ille, qui ſecundum ordinem, morem & ritum *Melchiſedechi* Sacerdos eſt, ſane idem eſſe non poteſt cum *Melchiſedecho;* igitur *Melchiſedechus* idem eſſe non potuit ac Chriſtus Dominus, qui verus fuit filius Dei. Præterquam quod Apoſtolus *Paulus* in Epiſtola ad Hebræos cap. 7. ait: *Melchiſedechum aſſimilatum fuiſſe Filio Dei*. Nullum autem ſimile idem eſt cum illo, cui ſimile eſt. Quinto, a vero maxime deflectunt illi, qui fatentur quidem, *Melchiſedechum* fuiſſe hominem, & Dei Sacerdotem, ſed pertendunt, illum fuiſſe ſpurium, eo potiſſimum nomine, quod de illius patre & matre altum ſit in Sacris Litteris ſilentium: a vero, inquam, hujuſce ſententiæ patroni maxime deflectunt, quia dum *Melchiſedechus* in Epiſtola *Pauli* ad Hebræos dicitur *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem habens*, hoc non eſt ita intelligendum, quod *Melchiſedechus* revera patre & matre atque genealogia caruerit, ſed quod ex Levitis originem non duxerit, & in hoc Chriſti Domini, qui non fuit Sacerdos ſecundum Ordinem Leviticum, typus geſſerit. Sed præſtat auſcultare *S. Hieronymum*, qui in Epiſtola 126. ad *Evagrium*, juxta ordinem veteris Editionis, hæc habet: *Melchiſedechus dicitur abſque patre & matre, non quod abſque patre & matre fuerit, cum Chriſtus quoque ſecundum utramque naturam & patrem habuerit, & matrem; ſed quod ſubito introducatur in Geneſi occurriſſe Abrahæ, a cæde hoſtium reverienti, & nec ante, nec poſtea ejus nomen inveniatur adſcriptum. Affirmat autem Apoſtolus, quod Aaronis Sacerdotium, ideſt, populi judæorum* (quod dicitur Leviticum) *& principium habuerit & finem; Melchiſedechi vero, ideſt, Chriſti, & Eccleſiæ Sacerdotium & in præteritum & in futurum æternum ſit, nullumque habuerit Auctorem*. Hæc S. Hieronymus. Dicendum itaque eſt, juxta traditionem *S. Hieronymi*, aliorumque Sanctorum Patrum, *Melchiſedechum* fuiſſe verum hominem, natione *Chananæum*, Regem *Salem*, ideſt, Urbis Hieruſalem, qui *Abrahamo*, a cæde quatuor Regum revertenti, obviam ivit, victoriam ei gratulatus eſt, & in gratiarum actionem obtulit Deo Sacrificium: *Proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi*, ſicut legitur cap. 14. v. 18. libri Geneſis. Conſtans autem eſt ac perpetua omnium antiquorum SS. Patrum, cum Græcorum, tum latinorum ſententia, iſto, quod *Melchiſedechus* obtulit, Sacrificio, adumbratum, ſeu præfiguratum fuiſſe auguſtiſſimum Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini Sacrificium in Eucharistiæ Sacramento, idque ex mox laudato libri Geneſis cap. 14. evidenter colligitur. Ibi quippe tres actiones Sacerdotales *Melchiſedechi* accurate notantur. Benedixit enim *Melchiſedechus* Abrahamo: Decimas ab eo accepit, & Sacrificium protulit. Illa ſiquidem prolatio panis & vini vere Sacrifica fuit. Sacer enim Textus rationem reddens, cur *Melchiſedechus* protulerit panem & vinum? hanc duntaxat affert: *Erat enim Sacerdos Dei altiſſimi*. Nec quemquam movere debet, quod Lutherani & Calviniſtæ, contra obſtrepentes,

tes, dictitant, in Textu Hebræo non eſſe hanc particulam cauſalem *Enim*, ſed tantùm particulam conjunctivam *Et*, vel *autem*, atque ideò in Verſione lxx. Interpretum non legi: *Erat enim Sacerdos Dei altiſſimi*, quemadmodum habet noſtra Vulgata Editio; ſed legi: *Erat autem Sacerdos Dei altiſſimi*. Ex quo inferunt non reddi in Textu Hebræo rationem ejus, quod præceſſit, ſed dumtaxat narrationem facti Hiſtorici continuari. Hęc, inquam, Hæreticorum Lutheranorum, & Calviniſtarum ficulnea objectio neminem movere debet, cùm paſſim apud Hæbreos particula conjunctiva vim habeat particulæ cauſalis, ſicut ex pluribus Scripturæ Sacræ locis palàm oſtendunt Scripturæ Sacræ Interpretes, linguæ Hebraicæ peritiſſimi. Unum tantummodò, ut brevitati conſulam, producam Scripturæ Sacræ locum, videlicèt cap. 20. lib. Geneſeos, ubi verſ. 3. hæc verba leguntur: *Venit autem Deus ad Abimelech per ſomnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem, quam tuliſti, habet enim virum*. Sic legitur in noſtra Vulgata. Sed in Textu Hebræo legitur: *Et ipſa habet virum*. Quæ particula conjunctiva, *Et*, habet eò loci, ut in confeſſo eſt apud omnes peritos Rabbinos, vim particulæ cauſalis.

D. Fuitne *Abrahamus* Sacerdos, ſicut & *Melchiſedech?*

M. *Abrahamum* fuiſſe Sacerdotem probat *S. Thomas*, Doctor Angelicus, 3. Part. Quæſt. 31. Art. 2. ex eo præcepto, quo Deus cap. xv. lib. Geneſis verſ. 9. juſſit *Abrahamo*, ut Sacrificium ei offerret; *Et reſpondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam &c.* Abrahamum etiam fuiſſe Sacerdotem colligitur ex canone Miſſæ, in quo Sacerdos Deum orat, ut gratum, acceptumque habeat *Sacrificium Patriarchæ noſtri Abrahami*. Et ſanè maximè decebat, ut Abrahamus eſſet Sacerdos, cùm eſſet pater credentium, primuſque omnium mortalium, cui venturi Meſſiæ, ſeu Chriſti Domini, promiſſio facta eſt, cujus fide, & obedientia omnes gentes erant benedicendæ, & apud quem, tamquam totius populi Hebræi parentem, veri Dei cultus uſque ad Chriſti Domini adventum perpetuò viguit, atque ab illo fuit ad omnes ejus poſteros propagatus.

D. *Saram* fuiſſe uxorem *Abrahami*, & filiam *Aranis*, fratris *Abrahami*, ſuperiùs inſinuaſti. Quo pacto igitur potuit *Abrahamus*, ingreſſus in Ægyptum, conſulere *Saræ*, uxori ſuæ, ut diceret Pharaoni, Ægyptiorum Regi, quòd eſſet illius ſoror: *Dic ergò, obſecro te, quod Soror mea ſis*, Geneſis cap. 12. verſ. 13. & cap. 20. lib. Geneſ. verſ. 2. idem *Abrahamus* dixit *Abimelecho*, Regi Geraræ, quod *Sara*, eſſet ſua Soror: *Dixitque de Sara uxore ſua. Soror mea eſt*: Non potuit autem *Abrahamus* citra mendacium conjugem ſuam *Saram* appellare ſororem ſuam, quæ revera non erat ipſius ſoror, ſed dumtaxàt ejus neptis, utpotè filia *Aranis*, fratris *Abrahami*. Hunc igitur, ſi placet, nodum diſſolve.

M. Quamvis prima fronte videatur, *Abrahamum* protuliſſe mendacium, dùm Regi *Abimelecho* ait, *Saram* eſſe ſororem ſuam, & tacuit eam eſſe conjugem ſuam, revera tamen non fuit mendacium, ſicut *S. Auguſtinus* lib. *contra mendacium*, n. 23. aliàs c. 10. docet his verbis: *Non hoc eſt occultare veritatem, quod eſt proferre mendacium. Quamvis enim omnis, qui mentitur, velit celare quod verum eſt, non tamen omnis, qui vult quod verum eſt celare, mentitur. Plerumque enim vera, non mentiendo, occulimus, ſed tacendo...... Undè qui aſſerunt, aliquando eſſe mentiendum, non convenienter commemorant, Abraham hoc feciſſe de Sara, quam Sororem ſuam eſſe dixit: Non enim dixit: Non eſt uxor mea; ſed dixit: Soror mea eſt; quod erat reverà tam propinqua genere, ut Soror non mendaciter diceretur. Ea reddita; confirmavit, reſpondens illi, & dicens: Et verè ſoror mea eſt de patre, non de matre, hoc eſt, de paterno genere, non de materno. Aliquid ergò veri tacuit, non falſi aliquid dixit, quandò tacuit uxorem, dixit Sororem...... Non eſt ergò mendacium, cùm ſilendo, abſconditur verum, ſed, cùm loquendo, promitur falſum.* Potuit itaque *Abrahamus* citrà mendacium appellare *Saram* ſororem ſuam, cum eſſet filia fratris ſui *Aran*, ac ſub-

indè ipſius Neptis. *Sæpè enim in Sacris* Litteris nepotes dicuntur fratres, & neptes appellantur ſorores. Sic *Abraham*, Geneſis c. 13. dicit nepoti ſuo *Loth*: *Fratres nos ſumus*: Sic etiam *Laban* Geneſis cap. 29. verſ. 15. *Jacob* generum ſuum, fratrem itidem appellat, dicens. *Quoniam frater meus es, non ſervies mihi gratis*. Quidni igitur *Abrahamus* potuit abſque mendacio *Saram*, neptim ſuam, appellare, juxta Morem Hebręorum, ſororem ſuam?

D. Obtinuitne *Abrahamus*, ſtatim ac juſſu Dei exivit è Chaldæa, dominium ac poſſeſſionem terræ Chanaan, quam in præmium ejus obedientiæ Deus ipſi, & poſteris illius promiſerat?

M. Quando Deus promiſit *Abrahamo* poſſeſſionem terræ Chanaan, præmonuit eum, quòd ipſius nepotes hanc terram eſſent dumtaxàt occupaturi poſt elapſos quadringentos annos: *Scito*, (inquit Deus *Abrahamo* Geneſis cap. xv. verſ. 13.) *prænoſcens quod Peregrinum futurum ſit Semen tuum in terra non ſua, & ſubjicient eos ſervituti, & affligent quadringentis annis. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, ſepultus in ſenectute bona. Generatione autem quarta revertentur huc*. Abrahamus itaque Iſaac, & Jacob per 215. annos peregrinati ſunt in terra Chanaan ante deſcenſum in Ægyptum. Iſraelitæ verò, ſeu nepotes *Abrahami*, peregrinati ſunt, & ſervierunt in Ægypto per alios annos 215. Id apertè innuit Apoſtolus *Paulus* cap. 3. Epiſtolę ad Galatas ſic loquens: *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & Semini ejus, non dicit & Seminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno, & Semini tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico Teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt* 430. *annos facta eſt lex non irritum facit ad evacuandam promiſſionem. Nam ſi ex Lege hæreditas, jam non ex promiſſione. Abrahæ autem per repromiſſiones donavit Deus*. Quibus ex verbis patet, initium 430 annorum ſumi debere ab anno ſeptuageſimo quinto *Abrahami*, quo ille Patriarcha à Deo vocatus eſt, & Divinam accepit promiſſionem poſſidendi terram *Chanaan*; finem verò illorum 430. annorum referendum eſſe ad tempus, quo lex à Deo lata eſt, & data *Moyſi*. Porrò Legem à Deo datam eſſe Moyſi in monte Sinai, & tertio menſe, ex quo Iſraelitæ in libertatem aſſerti exceſſerunt ex Ægypto, promulgatam fuiſſe, pervulgata eſt Sanctorum Patrum, & Scripturæ Sacræ Interpretum ſententia. Non me latet, quoſdam eſſe Chronologiæ Sacræ peritos, qui aſſerunt, Iſraelitas manſiſſe in ſervitute Ægyptiaca per 430. annos, idque ſe colligere putant ex cap. 12. v. 40. libri Exodi, ubi hæc habentur: *Habitatio filiorum Iſrael, qua manſerunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*. Idem legitur cap. 5. libri *Judithæ*, & Actuum Apoſtolorum cap. 7. verſ. 6. At, omnes fermè Sancti Patres, & Scripturæ Sacræ Interpretes, docent, horumce 430. annorum exordium deſumendum eſſe non ab ingreſſu Iſraelitarum in Ægyptum, ſed à promiſſione, quam Deus fecit Abrahæ, de poſſidenda terra *Chanaan* anno illius Patriarchæ 75. Sic inter Sanctos Patres ſenſit S. *Hieronymus* Comment. in cap. 3. Epiſt. S. *Pauli* ad Galatas *Computandi* (ait S. ille Doctor.) *iſti anni* 430. *ab eo tempore, quo Deus locutus eſt ad Abraham dicens: In Semine tuo benedicentur omnes gentes*. Hæc fuit etiam apud veteres Hebræos receptiſſima ſententia, quam *Joſephus* lib. 2. *Antiquitatum Judaicarum* cap. 5. exprimit his verbis: *Reliquerunt* (Iſraelitæ) *Ægyptum menſe Xanthico, luna quarta decima, anno quadringenteſimo trigeſimo, poſtquàm Abraham, pater noſter in Chananæam venit; & poſt Jacobi migrationem in Ægyptum, anno ducenteſimo quintodecimo*. Ad ea igitur citata Scripturæ Sacræ loca, quæ innuere videntur peregrinationem Iſraelitarum in Ægypto fuiſſe quadringentorum triginta annorum, reſpondendum eſt, illud ſpatium 430. annorum peregrinationis Iſraelitarum non tantùm comprehendere ducentos & quindecim annos, per quos Iſraelitæ pereginati ſunt in Ægypto, ſed etiam alios ducentos & quindecim annos, per quos *Abrahamus*, poſt acceptam annos ætatis ſuæ 75. à Deo promiſſionem de poſſeſſione terræ *Chanaan*, & filii ejus, *Iſaa-*

rus, & *Jacobus*, peregrinati ſunt in terra Chananæa, donec tandem *Jacobus*, cum tota familia ſua ingreſſus eſt in Ægyptum, ex ducentis autem & quindecim annis, per quos *Abrahamus*, poſt promiſſionem ſibi à Deo factam, & filii ejus, *Iſaacus*, & *Jacobus* peregrinati ſunt in terra Chananæa, & ex aliis ducentis, & quindecim annis, per quos Iſraelitæ, poſt ingreſſum *Jacobi* in Æyptum, peregrinati ſunt in Ægypto, coaleſcit ſumma 430. annorum, qui interfluxerunt à vocatione Patriarchæ Abrahami uſque ad profectionem Iſraelitarum ex Ægypto.

D. Et quorsùm, amabo, Deus per quadringentos & triginta annos paſſus eſt ut Amorrhæi & alii populi habitarent terram Chanaan, quam tamen poſſidendam promiſerat Abrahamo, & ſemini ejus.

M. Hac longa annorum 430. dilatione, qua Deus patienter ſuſtinuit Amorrhæos, alioſque populos, qui habitabant terram Chanaan, cujus tamen poſſeſſionem promiſerat *Abraham* & ſemini ejus, hac, inquam, longa annorum dilatione, voluit Deus oſtendere immenſam ſuam erga peccatores miſericordiam ac lenitatem. Nec enim peccata Amorrhæorum, aliorumque Chananæam terram incolentium viſitavit Deus, ſtatim ac illius terræ poſſeſſionem promiſiſſet *Abrahamo* & ſemini ejus, ſed per 430. annos procraſtinavit pœnas, quas juſtè commerebantur, donec tandem emenſo illorum annorum ſpatio, exterminati ac profligati penitùs fuerint; poſtquàm videlicèt impleviſſent menſuram peccatorum ſuorum. Hanc ſummam Dei ergà peccatores clementiam egregiè commendat Apoſtolus *Paulus* cap. 2. Epiſt. ad Romanos, dicens, *An divitias bonitatis ejus & patientiæ*, & *longaminitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, &c.* & cap. IX. v. 22. ejuſdem Epiſtolæ: *Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum.* Ut igitur Deus ſuam erga peccatores ſummam clementiam ac miſericordiam demonſtraret, non ſtatim conceſſit Abrahamo terræ Chananææ poſſeſſionem, quam ipſi ejuſque ſemini promiſerat: ſed per quadringentos & triginta annos, à tempore illius promiſſionis factæ Abrahamo, paſſus eſt ut Amorrhæi, aliique populi, cultus veri Dei oſores, terram Chanaan habitarent: ſic eis locum dantes agendæ pœnitentiæ, quam tamen obſtinatione & malitia obcæcati agere nunquam voluerunt, ſimiles illis, qui, ut ait Scriptura Sacra, dicunt Deo: *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.*

D. Si Deus ergà Amorrhæos, alioſque populos terræ Chananææ incolas, infinitæ ſuæ miſericordiæ præbuit argumentum, profectò non minùs bonum ac indulgentem ſeſe exhibuit ergà Abrahamum; quem ob ſolam, quam habuit fidem, juſtitiæ dono actutùm donavit, eumque patrem multarum gentium conſtituit. Poſtquàm enim Deus (ſicut legitur c. xv. v. 5. libri Geneſis) dixiſſet Abrahamo: *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes, ſic erit ſemen tuum*: ſtatim verſu ſequenti ſubdit Scriptura Sacra: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Quibus verbis innuere videtur Scriptura Sacra, *Abrahamum* per ſolam fidem fuiſſe juſtificatum. Quod ſanè fuit ſingulare beneficium ſoli Abrahamo conceſſum, cùm doceat Catholica Eccleſia contra Lutheranos, Calviniſtas, alioſque hujus furfuris heterodoxos neminem per ſolam fidem abſque bonis operibus juſtificari poſſe.

M. Cùm Calviniſtæ & Lutherani, aliique nefarii Hæretici hoc prælaudato abutantur Scripturæ ſacræ loco, ut ſuum de ſola fide abſque bonis operibus peccatorem juſtificante virulentum dogma ſtabilire poſſint, neceſſe eſt ut veram ac nativam illius loci explicationem proferamus. Et primò quidem hæc verba: *Credidit Abraham Deo, et reputatum eſt illi ad juſtitiam*, non ſignificant (ſicut volunt Hæretici) *Abrahamum* tunc primùm accepiſſe à Deo juſtificationem, ſeu peccatorum ſuorum remiſſionem, quando credidit Deo promittenti ipſi ſemen; jam quippe antehac per fidem, & obedientiam, qua, relicta patria,

I 2 ſeu

ſeu Chaldæa, exiverat, utveniret in terram alienam, ideſt Chananæam, Deo placebat, ut patet ex c. XI. Epiſt. *Pauli* ad Hebræos, ubi hæc leguntur. *Fide qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem, & exiit, neſciens quò iret. Fide demoratus eſt in terra repromiſſionis, tanquam in aliena, in caſulis habitando cum Iſaac, & Jacob, cohæredibus repromiſſionis ejuſdem.* Jam igitur *Abrahamus* juſtitiæ donum, ſeu remiſſionem peccatorum per fidem & obedientiam ſuam fuerat à Deo conſecutus, antequam Deus illi promitteret ſemen. Quò fit, ut hæc Scripturæ verba: *Credidit Abraham Deo, et reputatum eſt illi ad juſtitiam*, ſignificent dumtaxat, hanc fidem, qua *Abrahamus* Deo, ſemen ipſi promittenti, incunctanter credidit, illi valuiſſe ad incrementum, & nutrimentum juſtitiæ, quatenus erat opus Deo ſingulariter gratum. Apoſtolus quidem *Paulus* c. 4. Epiſt. ad Hebræos, hæc Scripturæ verba: *Credidit Abraham Deo, et reputatum eſt illi ad juſtitiam*, accomodat primæ noſtræ juſtificationi; indè tamen perperàm inferunt Hæretici docere Apoſtolum, quòd ſola fides abſque bonis operibus ſufficiat ad juſtificationem, vult enim dumtaxat Apoſtolus *Paulus* primò, juſtificationem noſtram pendere ex fide in Chriſtum mediatorem, tanquam ex fundamento, radice, & initio renovationis, & reparationis noſtræ in Chriſtum, quia fides, ut docet Sanctus *Auguſtinus* prima datur, per quam cætera ad juſtificationem impetrentur. Secundò idem Apoſtolus negat quidem *Abrahamum* fuiſſe juſtificatum, ex operibus, quæ vel ipſius fidem anteceſſerunt, vel ex ipſius ſolo libero arbitrio profecta ſunt, & in eo ſenſu dicit jam citato loco. *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt habet gloriam, ſed non apud Deum.* At, Apoſtolus non negat *Abrahamum* fuiſſe juſtificatum ex operibus factis ex fide & divina gratia; imò, ejuſmodi opera ad juſtificationem eſſe neceſſaria diſerrè docet in eadem epiſtola ad Romanos capit. 2. ubi hæc habet: *Qui*, ſeu Deus, *reddet unicuique ſecundùm opera ejus, iis quidem, qui ſecundum patientia boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui ſunt ex contentione, et non acquieſcunt veritati credunt autem iniquitati, ira et indignatio.* Et verſu 13. ejuſdem capitis ait: *Non enim auditores Legis juſti ſunt apud Deum; ſed factores Legis juſtificabuntur.*

D. Quid ſibi vult Apoſtolus *Paulus*, dùm in eodem c. v. 16. Epiſtolæ ad Romanos, ait, *Ideò ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio?* Loquiturne Apoſtolus ibi de promiſſione vocationis gentium ad fidem, juſtitiam, & ſalutem, quorum patrem Deus conſtiruerat *Abrahamum*, & quibus ex illius ſemine orituris, benedicere debebat?

M. Hæretici noſtri temporis, ſibi, aliiſque falsò perſuadere tentant, promiſſionem illam, de qua eo loci ſermonem habet Apoſtolus, eſſe promiſſionem remiſſionis peccatorum, ſeu ſpecialis miſericordiæ divinæ fiduciam, qua quis hanc divinam promiſſionem de remiſſione peccatorum ſibi applicans & firmiter credens, ac certiſſimè confidens, ſibi per Chriſtum peccata eſſe remiſſa, confeſtim citrà pœnitentiam, citrà ullum bonorum operum exercitium conſequitur pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum condonationem. Sed in hoc Hæretici à vera, ac genuina Apoſtoli *Pauli* mente, non tantùm toto, ut ajunt, oſtio, ſed totis ædibus aberrant. Loquitur enim Apoſtolus loco citato, non de promiſſione remiſſionis peccatorum, ſed de promiſſione à Deo facta *Abrahamo*, quod multarum Gentium futurus eſſet pater; ſeu agit Apoſtolus de promiſſione vocationis gentium ad fidem, juſtitiam, & ſalutem; quæ quidem divina promiſſio firma, & rata eſſe haud poterat, ſi juſtificatio ex Lege Moyſis, ſeu ex operibus Legis Moſaicæ facta fuiſſet, tunc enim ſoli in toto orbe Judæi, fidem, juſtitiam, & ſalutem eſſent conſecuti. Quocircà, ut promiſſio de vocatione gentium à Deo facta Abrahamo firma eſſet, atque gratuita, probat Apoſtolus, Deum non juſtificare homines ex operibus Legis Moſaicæ, neque ex operibus è naturæ penu de-

Digitized by Google

depromptis, ſed ex fide Jeſu Chriſti, quæ ſola eſt veræ, & gratuitæ juſtitiæ initium, radix, ac fundamentum, non Judæis modo, ſed etiam gentibus. Certe Apoſtolum *Paulum* eo loci non de fictitia illa promiſſione remiſſionis peccatorum, ſicut pertendunt Hæretici, agere, ſed de promiſſione a Deo facta Abrahamo vocationis gentium ad fidem, & ſalutem, liquet ex ejuſdem Apoſtoli verbis, quæ omnes diſſipant tenebras, quas eis Hæretici offundere moliuntur: ſic enim ibidem loquitur Apoſtolus: *Non enim per Legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini ejus, ut hæres eſſet mundi: ſed per juſtitiam fidei: ſi enim qui ex Lege hæredes ſunt, exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio .... Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio, omni ſemini, non ei, qui ex Lege eſt ſolum, ſed & ei, qui ex fide Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrum, ſicut ſcriptum eſt, quia patrem multarum gentium poſui te, &c.* Cæcus ſit oportet, qui non videat, Apoſtolum *Paulum*, ibi loqui, non de promiſſione remiſſionis peccatorum, per ſolam fidem, ſeu certam fiduciam abſque bonis operibus obtinendæ (ſicut oggannire ſolent Hæretici) ſed hunc Apoſtolum loqui duntaxat de promiſſione a Deo facta *Abrahamo*, vocationis gentium, quæ nec ex ſolius liberi arbitrii viribus, nec ex operibus Legis Moſaicæ fieri debebat, ſed ex pura & ſpeciali miſericordia Dei, ſeu ex fide in Jeſum Chriſtum, mediatorem ac redemptorem omnium hominum, quæ fides initium eſt veræ, gratuitæque juſtificationis, non Judæis tantum, ſed & aliis gentibus, & nationibus, quæ in Chriſtum Salvatorem noſtrum ſunt credituræ. Sed de his plura videſis in Diſſertatione XVII. *Tractatus* (quem anno MDCCXXIV. Romæ ſecundis curis edidimus) *De vita, myſteriis, & annis Jeſu Chriſti*. Ibi ſiquidem oſtendimus primo, fidem in Chriſtum mediatorem fuiſſe omni ævo ad ſalutem neceſſariam. Secundo fidem in Chriſtum mediatorem eſſe diſpoſitionem neceſſariam ad juſtificationem, in eam tamen ſolam refundi haud debere juſtificationem noſtram. Poſtremo, fidem, quæ diſpoſitio eſt ad juſtificationem neceſſaria, non eſſe fiduciam de ſingulari Dei miſericordia, qua ſibi quiſque promiſſiones divinas de remiſſione peccatorum applicat, ſed eſſe aſſenſum præſtitum his omnibus, quæ a Deo ſunt revelata.

D. Legimus c. 17. v. 10. lib. Geneſis, Deum fœdus cum *Abrahamo* iniiſſe his verbis: *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te: Circumcidetur ex vobis omne maſculinum*, & v. 12. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*, &c. Quibus verbis palam innuere videtur Scriptura Sacra, Circumciſionem fuiſſe inſtitutam a Deo, eamque Judæos ab *Abrahamo* acceptam ſedulo ad hæc uſque tempora obſervaſſe. Et tamen audivi, nonnullos eſſe ſcriptores, qui aſſerunt: Circumciſionem non eſſe inſtitutam a Deo, nec Judæos ab *Abrahamo* illam accepiſſe; ſed potius Circumciſionem ex Ethnicorum, maxime Ægyptiorum ſuperſtitioſis ritibus, ad Judæos fuiſſe derivatam. Ab hoc inani commento licet ipſe vehementer abhorream, vellem tamen in præſentia præcipua ſcire momenta, quibus ab orthodoxis Theologis confutatur.

M. Duo præſertim ſcriptores, *Marſhamus*, videlicet, & *Spencerus*, rerum novarum cupidiſſimi, & ſuo ingenio plus æquo indulgentes, hoc inſulſum, & a ſæculis inauditum commentum invexerunt, temere dictitantes, circumciſionem, & alios ritus, qui in veteri, ſeu Moſaica Lege continentur, ex Ethnicorum ſuperſtitionibus ad Hebræos promanaſſe, ſcilicet *Circumſionem* ex Ægyptiorum, Æthiopum, & Colchorum moribus: *Tabernaculum* ex profano *Molochi* cultu: *Arcam* ex Ethnicorum ciſtis: *Cherubinos* ex Ægyptiacis ſimulacris: *Templum Hieroſolymitanum* ex ruditate gentium originem duxiſſe. Verum, ut miſſos hic faciam plures Hebræorum ritus, de quibus opportunius agam in Colloquiis noſtris in hiſtoriam quartæ Mundi ætatis, ubi de Lege Moſaica late diſſerendi ſeſe dabit occaſio: de Circumciſione duntaxat hic agam, paucique. oſtendam, eam revera fuiſſe a Deo inſtitutam: ſubindeque non ex Ethnicorum ſuperſtitione ad Hebræos eſſe derivatam. Et primo

mo quidem circumciſionem fuiſſe a Deo inſtitutam patet ex cap. 17. libri Geneſeos, ubi Deus Abrahamo, & omnibus Hebræis, ex ipſius ſemine oriundis, circumciſionis præceptum impoſuit, dicens: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, &c.* Secundo credibile non eſt, Deum voluiſſe ex Ethnicorum ſuperſtitionibus, ſeu ex dœmonis officina, circumciſionis ritum, quo ſuum cum Abrahamo pactum firmavit, mutuari, ut eo deinceps ritu ab Hebræis coleretur, maxime cum Deus cap. 12. lib. Deuteronomii, & cap. 17. lib. Levitici diſtricte inhibeat Hebræis, ne imitentur, aut requirant cæremonias Gentium, neve minuant, aut adjiciant quidquam præceptis, aut cæremoniis, quas ipſis per *Moyſem*, eorum Legislatorem, dederat. Non inficior quidem, *Herodotum*, lib. 2. cap. 104. & *Diodorum Siculum* lib. 1. Bibliothecæ cap. 17. teſtari, *Colchos, Ægyptios, & Æthiopes ab initio ſtatim pudenda circumcidiſſe*, & hunc circumcidendi morem, ab Ægyptiis originem traxiſſe: id, inquam, non inficias eo, ſed contendo, nullam his duobus ſcriptoribus prophanis, in iis quæ de circumciſionis origine litteris mandarunt, fidem adhibendam eſſe; primo quia multis ſæculis *Moyſe*, auctore Pentateuchi, & primo omnium gentium Scriptore recentiores fuerunt; *Herodotus* namque floruit duntaxat tempore *Darii Hiſtaſpis*, *Xerſis, & Artaxerſis Longimani*, Perſarum Regum. *Diodorus* vero *Siculus* ævo *Julii Cæſaris*, & *Auguſti* Imperatoris, vixit. Quo fit, ut audiri minime debeant in his, quæ de circumciſionis origine, quæ antevertit tempora *Moyſis*, ſcripſerunt. Præterea, hi duo auctores, ſicut & alii Scriptores prophani, in hiſtoria & ritibus Judæorum non fuerunt verſati, adeoque teſtes idonei eſſe haud poſſunt, perinde ac *Cornelius Tacitus*, Hiſtoriæ Romanæ Scriptor, cum eſſet in Hiſtoria Judæorum omnino peregrinus, & hoſpes, ſibi omnem fidem abrogat, narrans initio libri quinti prodigioſa de Judæis commenta. Ait quippe, *Judæos dici quaſi Idæos ab Ida, Cretæ monte. Eos Hieroſolymo, ac Juda Ducibus, in proximas terras exoneratos, ſolymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditæ urbi Hieroſolymæ nomen e ſua feciſſe. Fortuitum iter, Ægypto ejectos, incepiſſe, gregis aſinorum ſylveſtrium ductu, e rupe nemore opaca Moyſem largas aquarum venas aperuiſſe, eos ſex dierum iter emenſos, ſeptimo pulſis cultoribus obtinuiſſe terras, in quibus urbs, & templum dicata ſunt: effigiem animalis, aſini videlicet, quo monſtrante, errorem, ſitimque depulerint, ab iis penetrali fuiſſe ſacratam. Sue ideo abſtinere memoria cladis, quod ipſos ſcabies quondam turpaverit, cui id animal obnoxium: longam olim famem crebris adhuc jejuniis fateri: raptarum frugum argumentum, panem judaicum, nullo fermento detineri. Septimo die otium placuiſſe, quia his finem laborum tulerit, dein, blandiente inertia, ſeptimo quoque anno datum honorem eum, ſecundum alios, haberi Saturno, cetera inſtituta ſiniſtra, fœda pravitate valuiſſe.* Hæc craſſa commenta de Judæorum ritibus cum referat *Cornelius Tacitus*, quid mirum, ſi ipſe, & alii Scriptores prophani, in hiſtoria, & ritibus Judæorum plane rudes, auſi ſint ſcribere judaicos ritus non fuiſſe a Deo inſtitutos; ſed vel a *Moyſe* proprio marte eſſe excogitatos, ſicut aſſerit *Cornelius Tacitus*, loco mox a me laudato, vel ab Ethnicis ad Judæos eſſe derivatos, ſicut falſo tradiderunt jam citati Scriptores prophani, *Herodotus*, & *Diodorus Siculus*.

D. Vis igitur, circumciſionis ritum nunquam viguiſſe apud Ægyptios, Æthyopes, & Colchos, ſed ſolum obtinuiſſe apud Judæos, qui circumciſionem a Patriarcha *Abrahamo* acceptam jugiter retinuerunt?

M. Non nego quidem Ægyptios, Æthiopes, & Colchos circumciſione fuiſſe uſos, ſed dico 1. circumciſionem non ab Ethnicis ad Hebręos fuiſſe derivatam, ſed potius Ethnicos ab Hebręis circumciſionem fuiſſe mutuatos. At enim Ægyptii, aliique Ethnici vicini populi circumciſionem, & quoſdam alios Hebræorum ritus in Sacris ſuis retinuerunt, ſive propter ſocietatem, quam habuerunt cum *Abrahamo, Joſepho, & Moyſe*, quos in ſummo pretio & honore habuerunt; ſive etiam propter famam longe, lateque divulgatam

gatam Religionis Judaicæ, innumeris a Deo illuſtratæ prodigiis; ſive denique propter Judaicorum rituum ſplendorem, & pompam, ac frequens Judæos inter & Ægyptios, alioſque populos Ethnicos commercium, præſertim, Regis *Salomonis* temporibus. Et ſane, ſi *Ptolomæus Philadelphus*, Ægyptiorum Rex, ſtatim ac notitiam habuit Legis Moſaicæ, juſſit ut in græcum ſermonem transferretur, & in ſua. Bibliothca. Alexandrina reponeretur; mirum certe videri haud debet, ſi Ægyptii, aliique populi Ethnici, poſtquam circumciſionem, & quoſdam alios Hebræorum ritus perſpectos, exploratoſque habuerunt, voluerint illos in Sacris ſuis uſurpare, inſtigante præſertim Diabolo, qui cultum ſoli Deo debitum, affectat, ſicque ſuos dementat cultores, ut in illo, quem ei exhibent, cultu eaſdem, aut ſimiles adhibeant cæremonias, quibus colitur Deus. Dico etiam ſecundo, circumciſionem Judaicam in multis diſcrepaſſe a circumciſione, quam uſurpabant Ægyptii; ex quo palam evincitur, circumciſionem non ab Ethnicis ad Hebræos fuiſſe derivatam. Ægyptiis ſiquidem ſolemne erat non ſolum maſculos, ſed, & fœminas circumcidere, ſicut docet *Strabo* lib. 17. Hebræi vero maſculos tantum ex Lege, & more circumcidebant. Præterea, Judæi die octavo a nativitate circumcidere ſolent ex præſcripto Legis; Ægyptii autem appetente anno ætatis decimo quarto ut plurimum circumcidebantur, ſicut refert *S. Ambroſius* lib. 2. *De Abrahamo* c. 11. Tertio, apud Ægyptios ſoli Sacerdotes circumcidi ſolebant, teſte *S. Epiphanio* hæreſi 30. quæ eſt *Ebionitarum*. At, Judæis omnes ad unum maſculos circumcidere præcipiebat lex. Quarto ipſimet Sacerdotes Ægyptii duntaxat majoris puritatis ergo, & munditiei corporeæ gratia, teſte *Herodoto*, circumcidebantur, ſed Judæi religionis cauſa circumcidebantur, ut videlicet morem gererent Divinæ Legis præcepto, & ut ab aliis gentibus diſcernerentur. Decebat quippe, ut populus Dei, ſeu Judaicus, e quo Chriſtus Dominus, totius Sanctitatis Auctor, naſciturus erat, aliquo ſpeciali ſigno diſtingueretur a ceteris populis, qui tum temporis in denſiſſimis Idololatriæ tenebris erant immerſi, ac verum Deum ignorabant. Denique, Ægyptiis, aliiſque gentibus circumciſio erat ſuperſtitioſa cæremonia, qua parentum Ethnicorum infantuli devovebantur Dœmoni: Sed contra, Judæi ſuos Infantes recens natos circumcidunt, ut illos in hac affulgente vitę aurora Deo, quem Supremum vitæ, & necis Dominum agnoſcunt, conſecrent. Hæc igitur, quæ hactenus adduximus, diſcrimina aperte demonſtrant, circumciſionem Judaicam non ex Ethnicorum ſuperſtitione originem habuiſſe, ſed a Deo fuiſſe inſtitutam, eam a Patriarcha *Abrahamo* acceptam obſervaſſe Judæos, illamque tandem tranſiviſſe in Legis Moſaicæ Sacramentum, ut legitur cap. 12. verſ. 3. Libri Levitici: *Die octavo circumcidetur Infantulus*. Hinc Chriſtus Dominus cap. 7. verſ. 22. Evang. *S. Joannis* ſic alloquitur Judæos: *Propterea Moyſes dedit vobis circumciſionem* (*non quia ex Moyſe eſt, ſed ex patribus*) quibus verbis declarat Chriſtus Dominus circumciſionem non a *Moyſe* primum ortam eſſe, ſed patres ſeu Patriarchas, *Moyſe* antiquiores, eam ab *Abrahamo* acceptam obſervaſſe. Sed de circumciſione plura, auxiliante Deo, dicemus in Colloquiis noſtris, in Hiſtoriam quartę Mundi ętatis, ubi de Lege Moſaica ſermonem inſtituemus.

D. Cum pleniſſime omnibus Dubiis, quę hactenus propoſui, feceris ſatis, non te diutius hic detinebo, ſed cum bona tua venia ad ædes meas me recipiam, & poſtridie ad te redibo, ut de Geſtis Patriarcharum ſecundę Mundi ętatis, & de accurata in illorum computandis annis Chronographia, commodius in eo, quod habituri ſumus, Colloquio diſſerere valeamus.

COLLOQUIUM III.

De Geſtis Patriarcharum ſecundæ Mundi ætatis, & de accurata in illorum ſubducendis annis Chronologia.

MAGIST. STructuram Turris Babelicę, confuſionem linguarum, & hominum per totum orbem terrarum diſperſionem ſub Patriarcha

Phalego, jam adulto, contigiſſe, in ſuperiori Colloquio commonſtravimus, ex quo colligere debes antiquiſſimorum Imperiorum, qualia ſunt Ægyptiorum, Aſſyriorum, ſeu Chaldęorum, & Serum, ſeu Sinenſium, initia non altius eſſe arceſſenda quam ab anno ętatis Patriarchę *Phalegi* nonageſimo ſecundo, qui concurrit cum anno a creatione Mundi 1848. & cum anno 192. a tempore Diluvii. Ab hoc, inquam, anno putari debet ſeries Regum Ægyptiorum, Aſſyriorum, ſeu Chaldęorum, & Sinenſium, quorum ingentem ſed fabuloſum catalogum, prophani & alii Scriptores contexuerunt, ut hac commentitia antiquitate gratificarentur genti ſuę, Reges quamplurimos e ſuo fingentes cerebro, qui nunquam in rerum natura extiterunt. Hinc etiam manifeſtum eſt, Sicyoniorum, & Argivorum Reges, qui ante *Ogygis*, & *Deucalionis* Diluvia vixiſſe perhibentur, omnino fabuloſos eſſe, quia ut oſtendimus in Colloquio tertio in Hiſtoriam primę Mundi ętatis, Diluvia *Ogygium*, & *Deucalioneum* nec re, nec tempore differunt a Diluvio univerſali, quod ſub Patriarcha Noemo, accidiſſe Sacrę Litterę narrant. Aſſerere autem ante Diluvium univerſale, ſeu Noeticum, condita fuiſſe Imperia & Regna, jamque vixiſſe Reges, qui conditorum Imperiorum, ac Regnorum clavum gubernarent, figmentum eſt poetarum, aut quarumdam nationum, quę, ut primordia ſua auguſtiora redderent, putida protulerunt mendacia, & Regum ſuorum catalogos auxerunt nominibus & perſonis illorum Heroum, qui ante Diluvium vixerunt, & quorum fama diu celebris etiam fuit poſt Diluvium. Id autem multis, atque invictis momentis hic demonſtrare poſſem, niſi timerem, ne juſte dicares, me actum agere, cum iſta provincia jam peregregie defunctus ſit Illuſtriſſimus *Daniel Huetius*, Epiſcopus Abrincenſis, in aureo illo Opere, cui hunc titulum dedit: *Demonſtratio Evangelica*.

D. Ægyptiorum, Aſſyriorum, ſeu Chaldæorum, & Sinenſium Imperia ſuam duntaxat originem habuiſſe a diſperſione Gentium, quæ ſub Patriarcha *Phalego* facta eſt, jam probe intellexi ex his, quæ in noſtris ſuperioribus Colloquiis poſt *Danielem Huetium*, & *Samuelem Bochartum* obſervaſti, ſubindeque fabulis jure optimo accenſeri debere autumo quæcumque de Dynaſtiis ſuorum Regum, & Imperiorum ſuorum origine, & antiquitate excogitarunt Ægyptii, Aſſyrii, ſeu Chaldæi, & Sinenſes. Exploſis itaque fabuloſis illis antiquitatibus, in quas inquirere velle, nihil aliud eſſet, quam oleum, & operam perdere, & bonas horas male collocare, præſtat, ut in præſenti noſtro Colloquio agamus duntaxat de Geſtis Patriarcharum ſecundæ Mundi ætatis, & de accurata in illorum putandis annis Chronologia.

M. Cum inter Patriarchas ſecundæ Mundi ætatis emineat *Abrahamus*, cujus præclara Geſta late proſequitur Scriptura Sacra, hic in referendis rebus; quæ hunc Patriarcham ſpectant, & a Sacris Litteris proditæ ſunt, unice hærebimus; de aliorum vero ſecundæ Mundi ætatis Patriarcharum, qui præceſſerunt *Abrahamum*, Geſtis, cum ſileat omnino Scriptura Sacra, nos quoque, ne ariolari, aut e fabuloſis traditionibus quidpiam expiſcari videamur, lubentiſſime prætermittemus. *Abrahamus* itaque, quem Deus ſpecialiter elegerat, ut eſſet pater credentium, natus eſt in *UR* Chaldæorum, ſeu in Chaldæa, Meſopotamiæ finitima, quæ etiam Meſopotamia dicitur, utpote Meſopotamiæ Provincia. Vocatus a Deo, patriam ſuam actutum reliquit, & una cum patre ſuo *Thare* habitatum venit in Haran, ſeu Charan, in Chaldæa; mortuoque ibidem patre ſuo, eductus eſt a Deo de terra & cognatione ſua, trajecto fluvio Euphrate, deductus eſt in terram *Chanaam*, quam Deus ei & poſteris ejus daturum ſe promiſerat. Uxorem duxit Abrahamus *Saram*, cumque ambo eſſent ætate provecti, ſic Deus Abrahamum eſt allocutus: *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes: & dixit ei: ſic erit ſemen tuum. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. Geneſis cap.* 15. *v.* 5. Poſtea Deus huic Patriarchæ, ejuſque uxori nomen mutavit, & qui prius *Abram* appellabatur, deinceps *Abraham* vocatus eſt, & ejus uxor, quæ antea

Sarai.

Digitized by Google

Sarai dicebatur, cœpit nuncuparit *Sara*. Contigit autem hæc nominis immutatio, quando *Abrahamus* accepit a Deo *ſignum circumciſionis*, *ſignaculum juſtitiæ fidei*. Ex *Sara*, conjuge ſua, filium ſuſcepit *Abrahamus*, quem vocavit *Iſaacum*: &, ut inquit Scriptura Sacra, *circumcidit eum octavo die*, *ſicut ei præceperat Deus*. Fidem Abraham pluribus tentationibus ſeu experimentis probavit, totoque orbe illuſtrem reddidit Deus, ſed præſertim dum ei præcepit, ut cariſſimum filium ſuum *Iſaacum* immolaret, eumque Domino in holocauſtum offerret. Huic divino præcepto confeſtim obtemperavit Abrahamus. Aſſumpſit filium ſuum *Iſaacum*, eumque, nihil minus cogitantem, & inſcia matre *Sara*, ſecum duxit. Jam ambo pervenerant ad montem, quem Abrahamo monſtraverat Deus, qui dicitur eſſe *mons Moria*. Jam *Iſaacus* humeris ſui holocauſti ligna in hunc montem portaverat, cumque ipſum altari ſupra lignorum ſtruem impoſuiſſet pater, in eum ſtricto gladio manum extendebat, eratque ipſum reapſe immolaturus, niſi Angelus de cœlo miſſus obſtitiſſet, dicens ei: *Non extendas manum tuam ſuper puerum*, *neque facias illi quidquam*, *nunc cognovi quod timeas Deum*, *& non pepercisti unigenito filio tuo propter me*. *Levavit Abraham oculos ſuos*, *viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus*, *quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio*. Geneſis cap. 22. v. 12. & 13. Hoc ſuæ fidei, ſuique erga Deum ardentiſſimi amoris illuſtre exemplum præbuit Abrahamus, eoque palam demonſtravit, ſe ſoli Deo, ut ſummo bono, adhærere, cetera vero ab eo non diligi, niſi propter Deum, in quo totius ſpei ac fiduciæ ſuæ ſacram, ut ajunt, anchoram collocabat. Quo factum eſt, ut in præmium ſuæ obedientiæ, celebre illud promiſſum, quod jam acceperat a Deo, rurſus audire meruerit, his verbis Geneſeos cap. 22. v. 18. *Benedicentur in ſemine tuo*, id eſt, Chriſto; *omnes gentes terræ*, *quia obediſti voci meæ*.

D. Gravem fateor fuiſſe hanc tentationem, qua Deus ad explorandam, probandamque Abrahami fidem, & obedientiam, juſſit ei, ut unigenitum filium ſuum, quem in effœta ætate divinitus ſuſceperat, immolaret, ſed recenſe, quæſo, alias tentationes, quibus, ut mox dicebas, Deus fidem Abrahami probare, totoque orbi illuſtrem reddere voluit.

M. Decem tentationibus *Abrahamum* fuiſſe tentatum, docent Hebræi, quas ſingulas ordine hunc in modum recenſet *R. Moſes Maimonides*: *Omnes*, inquit ille Rabbinus, *tentationes*, *quis Abrahamus ſuſtinuit*, *Scriptura recenſet*. *I. Eſt peregrinitas*, *cum Deus ait*, *Geneſis cap.* 12. *verſ.* 1. Egredere de terra tua. 2. *Fames*, *qua graſſata eſt in terra Chanaan*, *cum eo veniſſet Abrahamus*, *& a Deo accepiſſet hujus terræ promiſſionem*, Geneſis cap. 12. v. 2. *Faciam te in gentem magnam*, *atque hæc ingens erat tentatio*. 3. *Raptus*, *quo Ægyptii ei*, ſeu Abrahamo, *uxorem* Saram, *abſtulerunt*. 4. *Bellum*, *quod geſſit cum quatuor Regibus*. 5. *Cum extraneam uxorem duxit*, *poſtquam ſpem prolis ex Sara ſuſcipiendæ abjeciſſet*. 6. *Cum circumciſio ei jam provectæ ætatis fuit a Deo imperata*. 7. *Quando Rex Gerarę uxorem itidem Saram ei rapuit*, Geneſ. c. 20. v. 2. 8. *Quando juſſu Dei Agarem*, *ex qua prolem ſuſceperat*, *ejecit*. 9. *Dum Iſmaelem expulit*, Geneſis cap. 21. v. 12. *Decimam & ultimam tentationem paſſus eſt Abrahamus*, *quando Deus præceptum ei impoſuit*, *mactandi*, *& immolandi filium ſuum unigenitum Iſaacum*, *quem ex Sara conjuge ſua ſuſceperat*. His decem tentationibus a Deo probatus Abrahamus, eximia cum fidei & obedientiæ ſuæ, tum in tolerandis adverſis ſemper ſibi conſtantis æquanimitatis præbuit argumenta.

D. Eccur, quæſo, Deus, tot tentationibus, *Abrahamum*, virum, quem noverat, juſtum, probare voluit?

M. Singularem Dei in tentandis hominibus, præſertim juſtis, bonitatem commendaturus Apoſtolus *Paulus* primæ Epiſt. ad Corinth. cap. 10. v. 13. hæc habet: *Tentatio vos non apprehendat niſi humana*, *fidelis autem Deus eſt*, *qui non non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*, *ſed faciet etiam cum tentatione proventum*, *ut poſſitis ſuſtinere*. Hæc igitur

tur piorum hominum ſors eſt, ut his varia tentamenta Deus decernat, eos rebus aſperis exerceat, adverſiſque fortunæ caſibus interdum jactari permittat; vires tamen illorum arcanis, & ineffabilibus auxiliis augendo, quibus contra inopinatos ingruentes caſus, nihil veriti, impetus illorum fortiter excipiant, & æquiſſimo animo ferre queant. Qui tandem in pietatis ſtudio robuſtiores ac vegetiores facti, fidei, & in Deum amoris documenta præbentes, velut in totius orbis theatrum producantur, ut & alii habeant, quod imitentur. Hic eſt electorum triumphus, qui in afflictionibus præſidio Dei ſunt invicti, imo incredibili lætitia perfunduntur. Sicut enim in humana militia vices rerum ſunt, & labores otio, dura jucundis recreantur, & boſt diros in præliis conflictus celebrantur epinicia: ita & Deus Opt: Max. probat tribulationibus militum ſuorum, ſeu electorum fortitudinem, & rurſus ſolatio quodam invitat ad gratulationem, & gratiarum actionem, quemadmodum ait Apoſtolus: *Superabundo gaudio in omni tribulatione mea*. Hoc pacto probavit Deus, *Abrahamum*, *Jobum*, *Tobiam*, & alios viros juſtos, qui in rebus adverſis ſeſe totos divinæ providentiæ arbitrio permittentes, æquam mentem ſervabant; ſi quid vero proſperitatis ipſis affulgeret, id totum gratis animis adſcriberent bonitati, munificentiæque divinæ, ita ut nec ſæviente fortuna deſponderent animum, nec rebus proſperioribus inſoleſcerent.

D. Quænam ex his decem tentationibus, quibus Deus fidem, & obedientiam Abrahami probavit, fuit huic Patriarchæ gravior atque moleſtior?

M. Non eſt dubium, quin decima tentatio, qua Deus *Abrahami* fidem, & obedientiam probare volens, ei præcepit, ut mactaret dilectiſſimum filium ſuum unigenitum *Iſaacum*, fuerit ceterarum tentationum longe graviſſima, & *Abrahami* conſtantia, quam in hac ſuſtinenda tentatione exhibuit, extiterit omnium omnino operum, quæ unquam edidit ille Patriarcha, præſtantiſſimum. Et ſane, ſi rem exacte, ut par eſt, expendamus, excellentiſſimum Abrahami obſequium hac tentatione adeo gravi, adeo ardua probatum eſſe deprehendemus; ut ceteræ aliæ tentationes, quibus Deus tanquam aurum in fornace, *Abrahami* Fidem, & obedientiam probare voluit, cum iſta decima tentatione ne in computum venire queant. At enim, quamvis *Abrahamus* tunc quoque, cum dulce patriæ ſolum, propriosque relinqueret lares, & peregre variis adverſitatibus urgeretur, Fidei ſuæ, & amoris divini, quo ſuccenſus erat, complura prodiderit documenta haud vulgaria, tanto tamen hæc prompta voluntas, quam habuit, mactandi dilectiſſimum filium ſuum *Iſaacum*, reliquas omnes tentationes magis ſuperat, quanto magis hæc tentatio eſt ſingularis, quippe cujus ſimilem, qua unus homo nominatim a Deo tentatus legitur, ab orbe condito reperire non eſt, & quo pluribus, iiſque gravioribus circumſtantiis, ſed maxime paternæ inclinationi, qua *Abraham* ferebatur in filium ſuum unigenitum, & innocentem *Iſaacum*, repugnabat divinum iſtud de mactando, ſeu immolando *Iſaaco* Mandatum, cui tamen *Abrahamus*, nihil querens, nihil obmurmurans, nihil cunctatus, ſed viva fide animatus, & incredibili animi fortitudine roboratus, morem geſſit.

D. Habuitne hæc *Iſaaci* mactatio, quam Deus *Abrahamo* imperavit, aliquam myſticam ſignificationem?

M. Hæc *Iſaaci* immolatio, a Deo Patriarchę *Abrahamo* imperata, adumbrabat, ſeu typice præfigurabat futurum Sacrificium, quod Jeſus Chriſtus ęterno ſuo Patri in ara Crucis pro ſalute omnium hominum erat oblaturus, totum pretioſum ſanguinem fundens. Quemadmodum enim, *Iſaacus*, a Patre ſuo *Abrahamo* cruento Sacrificio deſtinatus, & ad mortem ductus eſt; ita & Pater æternus Jeſu Chriſto *proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, ut ſcribit Apoſtolus *Paulus* in Epiſtola ad Romanos. Inſuper, *Iſaacus* ligna, quibus imponendus, & immolandus erat, in montem portavit: ſimiliter Jeſus Chriſtus Crucem, cui ſuffigendus erat,

erat, in montem humeris ſuis geſtavit. Sed & Aries ipſe, quem *Abrahamus* in locum filii ſui *Iſaaci* immolavit, typum pariter geſſit Jeſu Chriſti. Cornibus quippe hærebat in vepreto Aries *Abrahami*; Jeſus vero ſpinis coronatus eſt, totoque vitæ ſuæ tempore ſummas difficultates, & anguſtias toleravit. *Abrahamus* poſt tergum ſuum conſpexit Arietem, quem immolavit; ſed & Jeſum, poſt multos annos de ſe oriturum, & in Cruce mactatum iri, prævidit Abrahamus, idque luculenter ſignificat Jeſus Chriſtus, dicens Judæis: *Abraham*, *Pater veſter*, *exultavit*, *ut videret diem meum*: *Vidit & gaviſus eſt*. Deo ſacrificavit Abrahamus Arietem, quem ſuffecit in locum *Iſaaci*, filii ſui: Similiter, paſſus eſt quoque Deus, ut pro hominibus, a ſe procreatis, ſibi Jeſus Chriſtus mactaretur. Arietem *Abrahamus* Deo ſacrificavit in monte *Moria*: Jeſus Chriſtus in crucem actus eſt in monte *Golgotha*. Uterque autem mons (ſeu *Moria*, & *Golgotha*) eſt Hieroſolymitanus. Quin, opinantur Judæi, in monte *Golgotha*, in quo mortem tulit Chriſtus Dominus, Arietem Abrahami fuiſſe itidem immolatum, idemque, poſt Sanctum *Hieronymum*, ſentire ſe profitetur *S. Auguſtinus* Serm. 71. De Tempore, ubi hęc habet: *Audite Sacramentum*, *Fratres cariſſimi*, *Hieronymus Presbyter ſcripſit*, *ſe ab antiquis*, *& Senioribus Judæis certiſſime cognoviſſe*, *quod ibi immolatus ſit Iſaacus*, *ubi poſtea Chriſtus crucifixus eſt*. Nolim tamen, ut candide fatear, pro traditionis illius Judaicę defenſione vadimonium ſuſcipere. Quapropter, licet ipſe *Iſaacum* in alterutrum montem vel *Moriam*, vel *Golgotham*, ductum eſſe a parente ut necaretur, a nemine negari poſſe cenſeam, illum tamen montem, ſilente præſertim Scriptura Sacra, determinare non audeo, teque tuo in ſenſu abundare permitto. Non hic etiam immorabor in refellendo impio errore *Mahometis*, qui in Alcorano aſſerere audet, non *Iſaacum*, ſed *Iſmaelem*, quem *Abrahamus*, ex *Agare* ſuſcepit, fuiſſe hæredem promiſſionum, quas Deus fecit *Abrahamo*, eumque non ſolum æquat, ſed præfert *Iſaaco*. Quo vel uno ſolo graviſſimo errore inſignis ille impoſtor diſſipat ac convellit divinam totius Veteris Teſtamenti revelationem. Hoc igitur repudiato errore, quem retuliſſe, abunde confutaſſe eſt, addam hic duntaxat egregium teſtimonium *S. Joannis Chryſoſtimi*, qui Homilia 48. in Geneſim eximiam Abrahami, omnem affectum paternum ſuperantis, & ut ita dicam, proculcantis, fortitudinem, & ſingularem *Iſaaci* manſuetudinem conſiderans, in hęc verba erumpit: *O religioſam animam*, *o fortem mentem*, *o ingens animi robur*, *omnem humanæ naturæ affectum vincentem*. *Utrum admirer*, *& obſtupeſcam juſtius*, *fortemne ſpiritum Patriarchæ*, *an tam conſtantem pueri obedientiam? quod neque reluctatus eſt*, *neque factum ægre tulit*, *ſed ceſſit*, *& obtemperavit iis*, *quæ a patre fiebant*, *& ſicut agnus cum ſilentio ſuper altare decubuit*, *expectans patris dexteram*.

D. Admiror quidem obedientiam *Abrahami*, ſed obedientiam Iſaaci longe ei præferendam eſſe arbitror. Abrahamus quippe ita obedivit Deo præcipienti immolationem filii *Iſaaci*, ut tamen vel per Fidem, vel per ſpecialem revelationem certo cognoſceret, Deum, qui promiſerat ei Semen ex *Iſaaco*, non permiſſurum unquam ut immolaretur, verbum namque Divinum ſciebat irritum eſſe non poſſe. Hinc Apoſtolus in Epiſt. ad Hebræos cap. 11. v. 17. & ſeqq. ait: *Fidem obtulit Abraham Iſaac* ..... *ad quem dictum eſt*: *Quia in Iſaac vocabitur tibi Semen*, *arbitrans quia & a mortuis ſuſcitare potens eſt Deus*. Hinc etiam *Abrahamus*, montem aſcenſurus, in quo filium ſuum immolare debebat, his verbis ſervos ſuos allocutus eſt: *Expectate hic cum aſino*; *ego*, *& puer illuc uſque properantes*, *poſtquam adoraverimus*, *revertemur ad vos*, Geneſis cap. 22. v. 5. quæ verba: *Revertemur ad vos*, aperte innuunt, *Abrahamum* pro comperto habuiſſe, quod *Iſaacus* reapſe non mactaretur, ſed potius ſoſpes, & incolumis e monte ad proprios lares reverteretur; alioqui hæc Patriarchæ verba excuſari haud poſſent a mendacio, quod certe in tam

exi-

Digitized by Google

eximium virum, & a Deo impenſe laudatum, cadere minime poteſt. Poſita autem ſemel hac certa notitia, quam habuit Abrahamus de non immolando filio ſuo, obedientia illius Patriarchæ haud parum minuitur, aut ſaltem longe inferior videtur ea obedientia, quam exhibuit *Iſaacus*, qui ſtatim ac audivit a Patre ſuo *Abrahamo*, ſe eſſe victimam Sacrificio deſtinatam, in tam luctuoſo, horrifico, & inſperato nuntio omnem vitæ ſuæ conſervandæ ſpem perdidit, & tamen dicto audiens, & e nutu patris unice pendens, depoſuit veſtimentum, procubuit in genua, manus obtulit ad vincula, corpus ad cœdem, lætus aſcendit ad ſtruem lignorum rogo paratam, patri ultimum vale dixit lacrymis perfuſus, animam Deo commendavit, jamque exerto gladio jugulum præbuit. Hanc igitur *Iſaaci* obedientiam dum ipſe attento animo conſidero, eam perfectiorem fuiſſe obedientia Abrahami pronunciare nullus dubito.

M. Æque perfecta fuit obedientia *Abrahami*, ac obedientia *Iſaaci*. Quamvis enim tanta eſſet Abrahami fides, ſicut ait Apoſtolus *Paulus* loco mox a te laudato, ut non dubitaverit, filium ſuum *Iſaacum*, a ſe immolatum, poſſe a Deo ad vitam denuo excitari, nunquam tamen ille Patriarcha ſive per fidem, ſive per ſpecialem revelationem cognovit, quod Deus impediturus eſſet, ne immolatio *Iſaaci* executioni mandaretur. Nec contrarium innuunt hæc verba *Abrahami*, dicentis ſervis ſuis, *Expectate hic cum aſino .... poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos*: hæc, inquam, *Abrahami* verba non innuunt, Abrahamum certo cognoviſſe, fore ut Deus impediret, ne immolaretur *Iſaacus*, ſeque ſubinde reducturum e monte ſalvum & incolumem filium ſuum *Iſaacum*, ſed hæc Abrahami verba, alia ſenſa habent, quæ juxta varias doctiſſimorum Interpretum explicationes, hic breviter ſubjiciemus. In primis, ſunt quidam Interpretes, qui, poſt *Menochium*, docent, *Abrahamum*, licet haberet animum vere immolandi in monte filium *Iſaacum*, non tamen mentitum eſſe, quando dixit ſervis ſuis: *Expectate ... poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos*; quia Abrahamus dicendo: *Revertemur*, vel de ſe ſolo loquitur numero plurali, more Hebræorum, vel credidit Abrahamus filium a ſe immolatum, e mortuis a Deo excitatum iri. Alii Interpretes dicunt, Abrahamum, dum dixit ſervis ſuis: *Expectate .... poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos*, non eſſe mentitum, ſed prophetaſſe, quia dixit verum, quod tunc ignorabat. Alii volunt in his Abrahami verbis: *Expectate .... poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos*, ſubintelligendam eſſe hanc conditionem: *Si Deus velit*, non ſecus ac dum Deus cap. 20. v. 3. lib. Geneſ. Regi *Abimelecho*, qui *Saram*, uxorem *Abrahæ* ſuſtulerat, mortem comminatus eſt, dicens: *En morieris propter mulierem, quam tuliſti*, non comminatus eſt Deus *Abimelecho* mortem tanquam abſolute futuram, ſed ſub hac tacita conditione: *Si nolueris reddere*. Quam conditionem Deus eodem in cap. v. 7. exprimit, dicens iterum Regi Abimelecho: *Nunc ergo redde viro ſuo uxorem .... ſi autem nolueris reddere, ſcito, quod morte morieris tu, &c.* Non deſunt etiam quidam Interpretes, qui aſſerunt, *Abrahamum*, attento ſolo ordine cauſarum ſecundarum, potuiſſe, citra mendacium, dicere ſervis ſuis: *Expectate ... poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos*, quos inter, inquiunt illi Interpretes, quos inter, cenſetur noſter *Cajetanus*, mors *Iſaaci* futura non erat, ſecundum ordinem cauſarum ſecundarum, ſed tantum ſecundum ordinem & diſpoſitionem cauſæ ſuperioris, ſeu divinæ voluntatis. Quo fit, ut Abrahamus, attento duntaxat ordine cauſarum ſecundarum, juxta quem mors Iſaaci accidere non debebat, potuerit vere & abſque mandacio dicere ſervis ſuis: *Expectate .... poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos*. Non ſecus ac mentitus non eſt Propheta *Iſaias*, quando miſſus a Deo ad *Ezechiam*, Regem Juda, in lecto decumbentem, dixit ei: *Morieris, & non vives*. Nec etiam mentitus eſt Propheta *Jonas*, quando miſſus itidem a Deo ad Ninivitas, dixit

dixit eis: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertitur*, Non ſunt, inquam, mentiti ambo illi Prophetæ, licèt neutrum horum, quæ prædixerunt, evenerit, quia id tantùm prædixerunt, quod juxtà ordinarium rerum, ſeu cauſarum ſecundarum curſum futurum erat. *Ezechias* quippè Rex Juda, juxtà ordinem cauſarum ſecundarum moriturus erat, lethali namque morbo decumbebat. Niniviтæ etiam juxtà ſolitum divinæ juſtitiæ ordinem, ultimam ruinam propedièm experturi erant. His interpretationibus, quas hactenus adduximus, à mendacio tàm piè, quàm verè excuſari debet Abrahamus, dùm dixit ſervis ſuis: *Expectate .... poſtquàm adoraverimus, revertemur ad vos*. Quamvis ipſe verum, fixum, ac conſtitutum haberet propoſitum immolandi filium ſuum Iſaacum, eumque in monte Deo in ſacrificium offerendi. Jure itaque optimo omnium Scripturæ Sacræ interpretum cenſura vapulat noſter *Melchior Canus*, vir alioquì doctiſſimus, quòd cap. 4. lib. 2. *de locis Theologicis* dicat, mentitum eſſe Abrahamum, dùm *contrà mentem, diſſimulandi gratia locutut*, ſunt verba *Melchioris Cani*, ait ſervis ſuis: *Expectate .... poſtquàm ado averimus, revertemur ad vos*.

D. Inter tentationes, quibus Deus fidem & obedientiam Abrahami probare voluit, percenſuiſti bellum quod *Abrahamus* cùm quatuor Regibus geſſit, at nunc ſcire vellem, cur Abrahamus hocce bellum ſuſceperit?

M. Hoc bellum cum quatuor Regibus eo potiſſimùm fine ſuſcepit Abrahamus, ut in libertatem aſſereret nepotem ſuum *Lothum*, quem quatuor Reges, fortunis omnibus exutum, in captivitatem unà cum ipſius familia abduxerant. Narrat enim Scriptura Sacra cap. xiv. lib. Geneſeos, *Codorlahomorum*, Regem Elamitarum, tribus aliis ſociatum Regibus, bellum iniiſſe contrà quinque Reges, videlicèt Regem Sodomorum, Regem Gomorrhæ, Regem Seboim, Regem Segor, & Regem Adamæ, tamquè feliciter martis àleam ceſſiſſe Regi *Codorlahomoro*, aliiſque tribus Regibus, qui cum illo erant fœderati, ut devictis quinque illis Regibus, & direptis vaſtatiſque oppidis, non ſolùm omnia illorum, ſed & *Lothi*, qui erat Abrahami nepos, quique habitabat in Sodomis bona, ſuam in poteſtatem redegerint: *Tulerunt*, inquit Scriptura Sacra, *omnem ſubſtantiam Sodomorum, & Gomorrhæorum ... Necnon et Loth, et ſubſtantiam ejus, filium fratris Abraham, qui habitabat in Sodomis*. Hæc cùm innotuiſſent Abrahamo, non impunè ferenda eſſe duxit, ſed continuò armatis ex familia ſua 318. vernaculis, victores quatuor Reges inſequutus eſt, illoſque per intempeſtam noctem ex improviſo aggreſſus, vicit, fudit, compulit in fugam, & ex eorum manibus opima, quam tulerant, excuſſa præda, ſalva omnia, cum *Lotho*, nepote ſuo, totaque ejus familia, recuperavit.

D. Eſtne hic *Lothus*, Abrahami nepos, idem ac ille *Lothus*, quem Deus miniſterio Angelorum eripuit ex incendio Sodomorum, quos, propter execranda flagitia, & infamem, præpoſteramque libidinem, de cœlo dimiſſa flamma, pice, ac ſulphure illita, penitùs exuſſit, nihilque in his terris, olim aſpectu amæniſſimis, reliquit, præter putidiſſimæ aquæ paludem (Mare mortuum vulgò vocant) horrendum fœdiſſimæ voluptatis reſiduum adhuc monumentum?

M. Hic *Lothus*, Abrahami nepos, idem planè eſt, ac *Lothus* ille, quem Deus ex Sodomorum conflagratione ſalvum & incolumem eripuit. At enim, Abrahamus, juſſus à Deo patriam deſerere, & venire in terram Chanaam, ſocium profectionis ſibi adſcivit *Lothum*, nepotem ſuum, cumque contubernalem habuit, donec, propter exorta inter paſtores ovium hinc indè jurgia, coactus eſt ſeſe ab illo divellere, ſuumque figere tabernaculum in Hebrone ad convallem Mambre. Hoc pacto *Lothus*, a patruo ſeparatus, Sodomis conſedit, ibique ſuum conſtituit domicilium. Sed, cum impuriſſimi Sodomæ, aliarumque quatuor finitimarum urbium cives ſe abominandis libidinum monſtris fœdarent, decrevit tandem Deus incendio

dio perdere quinque illas urbes, videlicèt *Sodomam*, *Gomorrham*, *Adamam*, *Seboim* atque *Segor*, & uni dumtaxàt *Lotho*, nepoti Abrahami, ejuſque familiæ parcere. Tres itaque Angelos, ſub ſpecie venuſtiſſimorum adoleſcentum, Deus immiſit Sodomam, qui *Lothum*, ejuſque familiam incolumem præſtarent, & ab illo pentapolitano liberarent incendio. Tres illos Angelos hoſpitio excepit *Lothus*, quos cùm fallaciſſimi cives putarent, non eſſe Angelos, ſed formoſos quoſdam juvenes, quorum pudicitia abuti poſſent, cæperunt, proh pudor! ejuſmodi hoſpites ad infamem, abominandamque libidinem, fruſtrà *Lotho* reclamante, omniaque moliente, expoſcere, & ab obſcæniſſimo ſuſcepto propoſito non deſtiterunt, donec à Deo cæcitate perculſi, & in meridie palpantes, nunquàm domus *Lothi* januam quærere aut invenire potuerunt. Tùm *Lothum*, ejus uxorem, duaſque filias, è Sodoma Angeli traxerunt, diſtrictè illis, juxta Dei mandatum, prohibentes, ne poſt ſe reſpectarent, & ne pentapolitanum incendium, vel uno adſpectu dignarentur, nec mora; Deus ſulphureo imbre obruit, & penitùs evertit quatuor memoratas urbes, quintam enim, ſeu *Segor*, precibus *Lothi* exoratus Deus ab incendio exemit, & azilum eſſe voluit, quò ſeſe reciperet *Lothus*. Hoc eſt horrendum, & omnium ſæculorum perenni memoria dignum iræ divinæ monumentum, Sodomæ & vicinarum urbium excidium, quod ſibi acceſſivere flagitioſiſſimi homines, nefandis immerſi ſceleribus, ipſamque naturam oppugnantes, Deo & hominibus exoſi. Unum inter tot ſceleſtiſſimos homines innocentem *Lothum*, ejuſque familiam mirabili liberatione remunerari, ac mundo commendare voluit Deus vindex & ultor Sodomorum. Sed, ſeipſam tanto Dei beneficio *Lothi* uxor reddidit indignam, quippe quæ, poſthabito divino Mandato, retrò moroſè, curioſèque ſpectans, & oculos ſuos incendii pentapolitani contemplatione paſcens, è veſtigio, quaſi repentino fulmine tacta, & ſtupenda metamorphoſi in ſtatuam ſalis converſa, inauditam inobedientiæ ſuæ pœnam jure ac meritò luit.

D. Perſtatne adhuc illa ſtatua ſalis, in quam *Lothi* uxor fuit converſa?

M. Sunt quidam Scriptores, qui afferunt, non ampliùs exiſtere hanc ſtatuam ſalis, ſed eam, ſtatim ac *Lothus*, unà cum ſuis duabus filiabus, ex urbe *Segor* fuit egreſſus, ictu fulminis perculſam ac penitùs contritam eſſe. At *Joſephus*, Hebræus, lib. 1. Antiq. Jud. cap. 12. teſtatur, hanc ſtatuam ſalis ſuo adhuc tempore extitiſſe. Aliquot etiam probatiſſimæ fidei Scriptores, qui illas regiones perluſtrarunt, referunt in ſuis Itinerariis, ſe propriis oculis eamdem ſtatuam conſpexiſſe. Quorum teſtimoniis refragari, nec poſſum, nec debeo, maximè, cùm vero ſimillimum ſit, voluiſſe Deum ſive ad metum peccatoribus incutiendum, ſive ad excitandos fideles, ut in via juſtitiæ, quam ſemel arripuerunt, rectè pergant, nec retrò aſpiciant, tam inſigne terribilis ſui ergà peccatores judicii documentum conſervare. Hinc Chriſtus Dominus *Lucæ* cap. 17. v. 31. & 32. ſic fideles monet: *Et qui in agro eſt, ſimiliter non redeat retrò. Memores eſtote uxoris Loth*. His verbis quaſi indicare volens, uxorem *Lothi* retrò reſpicientem, ideò in ſtatuam ſalis fuiſſe à Deo converſam, ut perpetuum quoddam poſteris foret monumentum, ne qui ſemel elegerunt viam Domini, atque eam ingreſſi ſunt, retrò unquam adſpicere & redire concupiſcant: ſed ſi ſalvi eſſe velint, perpetuò in via Domini recta procedentes ulterius, perveniant tandem aliquandò ad optatum finem, ſeu ad beatitudinem æternam. Non eſt ergò, quod negem, aut in dubium vocare velim, an exiſtat etiamnùm hæc ſtatua ſalis. Cæterùm, an hæc ſtatua ſalis durare debeat uſque ad reſurrectionem mortuorum? (ſicut Targum Hieroſolymitanum affirmat) an etiam tam altas radices egerit hæc ſtatua ſalis, ut nullo pacto evelli poſſit? Poſtremò, an ſemper renaſcatur, ſi quid ſalis pecora delambant, vel homines defringant? Harum & ſimilium quæſtionum examen a foro noſtro omninò alienum eſſe putamus, illudque lubentiſſimè diſcutiendum permittimus Rabbinis, qui mentem ſuam, Poetarum more,

re, vento ac chymæris, ſeu vanis figmentis, ac fabulis paſcere ſolent.

D. Perge porrò narrare cætera, quæ *Lotho* contigerunt, poſtquam ex urbe *Segor* cum ſuis duabus filiabus egreſſus eſt.

M. Poſtquàm *Lothus* ex urbe *Segor*, quam imminenti cladi ſuis precibus exemit, duabus ſuis filiabus ſtipatus exceſſiſſet, vicinum in collem ſubiit, ubi à duabus ſuis filiabus, intempeſtivo ſuſcipiendæ prolis amore flagrantibus, vino de induſtria ingurgitatus, per noctem inter dormiendum ebrietate victus, rem habuit cum illis, quæ ex eo inceſto concubitu pepererunt *Ammonem*, & *Moabum*; quorum prior fuit parens Ammonitarum, ab altero autem, ſeu *Moabo* propagati ſunt Populi Moabitæ. Perſuaſerant quippè ſibi, ſed perperàm, duæ filiæ *Lothi*, omnes ad unum mortales, incendio pentapolitano eſſe omninò extinctos, non ſecus ac à parente ſuo audierant, univerſum genus humanum (excepta *Noemi* familia) aquis generalis diluvii olim periiſſe. Iſtud itaque reparandi generis humani ſtudium, quod eorum animis inſidebat, ad inceſtum cum parente concubitum illas incitavit. Nec tamen excuſari debent, tùm quia ab illo carnali cùm parente congreſſu facilè eas revocare poterat hæc, quam filiabus ergà parentem natura inſevit reverentia: tùm quia etiam à parente ſuo *Lotho* percontari poterant, nùm aliqui homines adhuc in mundo ſuperſtites eſſent, & flammas pentapolitani incendii effugiſſent? tuncque à ſuo parente veritatem edoctæ nullo ad patrandum tàm grande facinus ſpetioſo illo extincti generis humani reparandi obtentu inſtigari potuiſſent. Nec ergò duas *Lothi* filias ab inceſtu, nec earum parentem à gemina, in quam lapſus eſt, ebrietate in præſentia vindicare volo. Obitèr tamen advertas velim, ex hac *Lothi* ebrietate, ejuſque cum ſuis duabus filiabus inceſto concubitu inſcitè quoſdam incredulos, & Scripturæ Sacræ oſores, anſam & occaſionem arripere, fidem detrahendi Hiſtoriæ Sacræ, quæ deſcribitur in Libro Geneſis, quia, inquiunt, in hac Hiſtoria, quę apud Chriſtianos ſacra habetur, referuntur, perindè ac in Hiſtoria Gentilium, turpiſſimi hominum mores, quibus ad flagitioſam vitam, & ad explendam effrænem libidinem mortales ſtimulari poſſunt. Verùm, in hoc turpiter hallucinari illos incredulos proclive eſt breviter hìc demonſtrare ex maximo diſcrimine, quod intercedit inter Hiſtoriam, quæ apud Chriſtianos Sacra habetur, & Hiſtoriam Prophanam, ſeu Gentilium. Hiſtoria ſiquidem Sacra refert interdùm vitia quorumdam hominum, ſive Patriarcharum, ſive Regum, ſed ea non laudat, ſed reprobat. Aſt, Prophana, ſeu Gentilium Hiſtoria, non ſolùm turpiſſimos mores, & propudioſos Deorum amores narrat, ſed etiam approbat, commendat, extollit, ac ſummis laudibus prædicat vitia, & ſpurciſſimos amores Deorum, quos inter *Bacchus* temulentus fuit, *Mars* homicida, qui cum *Venere* adulterium commiſit; *Mercurius* fur ac nebulo, qui nihil ad famam ſui reliquit, niſi memoriam fraudum ſuarum. Sed quid omnium horum pater *Jupiter*, qui ne parùm videretur ſi in expugnanda fœminarum pudicitia maculoſus eſſet, etiam ſexui ſuo injuriam fecit? Prætermitto obſcænitates *Veneris*, omnium libidinibus proſtitutæ, non Deorum tantum, ſed & hominum. Quæ tamen horrenda vitia, & abominanda Deorum monſtra libidinum Hiſtoria Prophana, ſeu Gentilium, proponit tanquàm exempla, quæ homines debeant imitari, eaque Poetæ ſuis carminibus celebrare non dubitarunt. Quod ſanè (ut alia, quæ ſuppetunt, miſſa faciam momenta) ineluctabile eſt falſitatis Gentilium Hiſtoriæ argumentum, & veritatis Hiſtoriæ, quæ apud Chriſtianos Sacra habetur, perenne monimentum.

D. Ebrietatem *Lothi*, ejuſque cum duabus ſuis filiabus propudioſum inceſtum non approbat quidèm Hiſtoria, quæ apud Chriſtianos Sacra habetur, laudat tamen hæc Sacra Hiſtoria omnia geſta Patriarchæ *Abrahami*, qui *Lothi* patruus fuit, quique, prẹter legitimam, quam habuit, uxorem, *Saram* videlicet

ex

ex qua filium *Iſaacum* procreavit, poſteà cum *Agare*, ancilla ſua, ex qua filium *Iſmaelem* ſuſcepit, illicito concubitu permixtus eſt, ac tandem cum altera concubina, *Cetura* ſcilicèt, ex qua plures ſuſtulit filios, impudicè volutatus eſt. *Agarem* namque & *Ceturam* non fuiſſe legitimas uxores Abrahami, ſed ejus dumtaxàt concubinas, non obſcurè innuit Scriptura Sacra, cap. xxv. Lib. Geneſis, ubi hæc habet: *Dedit Abraham cuncta quæ poſſederat, Iſaac, filio ſuo, quem ex Sara, legitima uxore, ſuſcepit: Filiis autem concubinarum, ſeu Agaris, & Ceturæ, largitus eſt munera, & ſeparavit eos ab Iſaac filio ſuo*. Hiſtoria igitur, quæ apud Chriſtianos ſacra habetur vitia, & turpes Patriarcharum amores perindè laudare & approbare videtur ac Prophana, ſeu Gentilium Hiſtoria commendat, & extollit nefanda Deorum flagitia, obſcænoſque amores.

M. Optimo jure Hiſtoria Sacra vitio non vertit, nec crimini dat Patriarchæ *Abrahamo*, qui poſt diluvium Noeticum vixit, quòd filios procreaverit ex *Sara*, *Agare*, & *Cetura*, quia cum tribus illis uxoribus legitimum matrimonium contraxit *Abrahamus*, ac ſubindè nullo pacto, ob illam ſimultaneam polygamiam, culpandus. Damnat quidem Hiſtoria Sacra **Lamechum**, qui ante diluvium Noeticum plures duxit uxores, cœpitque primus violare Legem monogamiæ à Deo latam ab exordio mundi, & ſcriptam cap. 2. v. 24. Lib. Geneſis: *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*. At, non damnat Hiſtoria Sacra, neque culpat *Abrahamum*, alioſque Patriarchas, qui poſt diluvium vixerunt, quod plures ſimul duxerint uxores. Ratio in promptu eſt, quia Deus hominibus poſt diluvium polygamiam, ſeu ſpecialem diſpenſationem, plures ſimul ducendi uxores, conceſſit, ſicut docent omnes ſancti Patres, & Scripturæ Sacrę Interpretes. Cùm enim poſt diluvium vita hominum longè brevior eſſet quàm ante diluvium, nimis lente propagatum fuiſſet genus humanum, aquis diluvii (excepta Noemi familia) extinctum, ſi unam tantum quiſque tùm temporis habuiſſet uxorem, & hac potiſſimum de cauſa Deus poſt diluvium indulſit hominibus polygamiam. Non peccarunt igitur *Abrahamus*, aliique poſtdiluvianii Patriarchæ, qui, accedente diſpenſatione divina, plures uxores duxerunt, iiſque, ut ait *S. Auguſtinus* cap. 46. lib. 22. contra *Fauſtum* Manichæum *non laſciviendi, ſed gignendi cauſa utebantur*. Sed Hiſtoria Sacra, in quis, *Agarem*, & *Ceturam* appellat *Concubinas* Abrahami; peccavit itaque *Abrahamus*, qui uon contentus *Sara*, legitima conjuge ſua, cùm duabus concubinis, ut effræni ſuæ libidini indulgeret, impudicè commixtus eſt. Hanc tuam difficultatem ſolvit eadem Hiſtoria Sacra, quæ *Agarem*, & *Ceturam* appellat modò *uxores*, modò *concubinas* Abrahami. Capite enim xvi. Libris Geneſis *Agar* nuncupatur uxor Abrahami, & cap. 25. ejuſdem libri *Cetura* dicitur itidem uxor Abrahami, ſed paulò poſt, id eſt, v. 6. ejuſdem cap. 25. Libri Geneſis, tàm *Agar*, quàm *Cetura* dicuntur concubinæ Abrahami. Hujus diverſæ in Hiſtoria Sacra appellationis ratio peti debet ex conſuetudine, quæ vigebat tàm apud Hæbreos, quàm apud Gentiles, quibus ſolemne erat duo habere uxorum genera: Quaſdam enim uxores ducebant, non ſolùm ad procreandos liberos; ſed etiam ad individuam ſocietatem bonorum omnium, atque œconomicam totius domus, ſeu familiæ gubernationem, & harum uxorum filii ſoli erant hæredes, & illę uxores propriè dicebantur matres familiæ. Alias verò uxores, tàm Hebræi, quàm Gentiles ducebant, quæ veræ ac legitimæ erant uxores, utpotè ad liberorum procreationem, vero & indiſſolubili matrimonii vinculo cum ſuis viris copulatæ; ſed non admittebantur ad ſocietatem familiæ bonorum, & domus gubernationem, indèque uxores illæ non vocabantur matres familias, neque eorum filii hæredes erant, eaque de cauſa nunc *uxores*, nunc *concubinæ* nominabantur. Ut igitur ad Abrahamum revertamur: dicendum eſt, hunc Patriarcham, uxtà morem, qui inoleverat apud He-

Hebræos, matrimonio ſibi junxiſſe *Saram* non tantum ad procreationem liberorum, verum etiam ad ſocietatem bonorum, & familiæ gubernationem, ſubindeque ſolam *Saram* fuiſſe dictam matrem familias, & ejus filium *Iſaacum*, habitum eſſe verum hæredem bonorum patris ſuis *Abrahami*; alias autem duas Abrahami uxores, ſeu *Agarem* & *Ceturam*, fuiſſe veras illius uxores, cum ex his per legitimum matrimonium liberos ſuſceperit *Abrahamus*; ſed quia duæ illæ uxores *Abrahami* admiſſæ non erant ad bonorum ſocietatem, & domus gubernationem, ideo earum filios non fuiſſe hæredes, nec illas fuiſſe appellatas matresfamilias, ſed juxta morem, id temporis receptum apud Hebræos, nunc uxores, nunc concubinas indiſcriminatim in Hiſtoria Sacra nuncupari.

D. Patriarchas primæ mundi Ætatis typum Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, Salvatoris noſtri, geſſiſſe, oſtendiſti ſub finem tertii Colloquii in Hiſtoriam primæ mundi ętatis, nunc commonſtrare debes, quo pacto *Abrahamus*, in cujus ſemine benedicendę erant omnes Gentes propter Meſſiam, qui ex ejus ſtirpe proditurus erat, typum geſſerit Jeſu Chriſti veri Meſſię, Salvatoris noſtri. Audivi enim nuperrime a viris eruditis, non tantum Patriarcham Abrahamum, variis typis pręfiguraſſe Jeſum Chriſtum, ſed etiam uxores, quas duxit *Abrahamus*, *Saram* videlicet & *Agarem*, nec non filios, quos ex his duabus uxoribus ſuſcepit idem Patriarcha, *Iſaacum*, ſcilicet, e *Sara*, & *Iſmaelem* ex *Agare*, typice adumbraſſe tam Synagogam Judæorum, quæ aliquando deſitura erat, quam Eccleſiam a Chriſto Domino inſtitutam, quæ æternum eſt duratura.

M. *Abrahamum*, quem Deus conſtituerat patrem credentium, ſeu fidelium, geſſiſſe typum Jeſu Chriſti, Salvatoris noſtri, qui ex ejus ſtirpe naſciturus erat, ſic breviter oſtendo: Abrahamus, Dei juſſu, patriam ſuam reliquit, venitque in terram Chanaan; eam ſibi, poſteriſque ſuis accepturus in poſſeſſionem, ſicut ei promiſerat Deus: ita Chriſtus, Mandato Dei, Patris ſui æterni, patriam, cœlum, ſeu cœleſtem gloriam, quam ab æterno apud Patrem ſuum habuit, quodammodo reliquit, & de cœlo in terras miſſus, per incarnationem & nativitatem e Virgine *Maria*, venit in Judæam, terreſtrem Chanaan, cœleſtem ſibi & poſteris ſuis in æternum accepturus. Abrahamus, mox ut venit in Chanaan, fame coactus receſſit in Ægyptum: Jeſus Chriſtus, vix natus in mundo, ad necem quæſitus ab *Herode*, Judæorum Rege, fugit in Ægyptum, ut evaderet perſecutionem, quam in ipſum moliebatur ille Rex poſt hominum memoriam crudeliſſimus. Ex Ægypto, ceſſante fame, egreſſus eſt *Abrahamus*, & reverſus eſt in terram Chanaan: Jeſus Chriſtus, mortuo *Herode*, Judæorum Rege, ex Ægypto profectus eſt, & rediit in Judæam. Nec ſolum Abrahamus typum geſſit Jeſu Chriſti, qui ſuum ex eo genus ducere debebat, verum etiam duæ uxores, quas habuit Abrahamus, videlicet *Sara* (ex qua filium ſuſcepit *Iſaacum*) & *Agar* (quæ ei peperit *Iſmaelem*) præfigurabant ſive Legem Moſaicam, & Judæorum Synagogam, quæ, veniente Meſſia, deſitura erat, ſive Legem Evangelicam, & Chriſtianorum Eccleſiam, quam Jeſus Chriſtus in terris inſtituturus erat, quæque æternum duratura erat. Et primo quidem, Apoſtolus *Paulus* c. 4. Epiſtolæ ad Galatas diſerte docet, duas *Abrahami* uxores, *Saram*, nimirum, & *Agarem*, natione Ægyptiacam, eſſe typum duorum Dei Fœderum, ſeu Teſtamentorum, Veteris videlicet, ſeu *Moſaici*, & Novi, ſeu *Evangelici*; *Saram* quidem Novi, ideſt, Evangelici, *Agarem* vero Veteris, ſeu Moſaici, fuiſſe typum. Præterea, *Iſmael* filius *Agaris*, typus fuit Judæorum, qui per opera Legis juſtificari volunt. *Iſaacus* autem, *Saræ* filius, fuit typus fidelium credentium in Chriſtum, ſeu verorum Chriſtianorum. Tertio, *Agar* genuit filios ad ſervitutem, *Sara* vero libera, genuit liberum filium *Iſaacum*, paternorum bonorum hæredem. Hinc Judæi, quorum

Digitized by Google

rum typus fuit *Iſmael*, filii Legis ſunt, & ſervi ac mercenarii: Chriſtiani autem liberi ſunt, & Legi libertatis, ſeu Evangelio ſubditi. *Iſmael* una cum matre *Agare*, ejicitur e domo *Abrahami*, & ejectus per deſertum oberrat: Judæi a Deo rejecti ſunt, & Lex eorum Moſaica abrogata & antiquata eſt: ipſi e domo Dei, Eccleſia nempe Chriſti, ejecti, patrioque ſuo ſolo expulſi, vagantur per orbem terrarum exules, miſeri, omnibuſque exoſi. *Iſmael* itidem, filius *Agaris*, fuit homo onager, habitans in deſerto, ſagittarius, cujus manus contra omnes, & omnium manus contra ipſum: id eſt, homo fuit rixoſus, jurgioſus, contentioſus, ſui amans, duris & aſperis moribus: Judæi pariter duri ſunt & aſperi erga peccatores, aliorum omnium præ ſe contemptores, ſui amantes, gloriæ cupidi, alieni a Chriſtiana lenitate & manſuetudine, magni rerum carnalium hujus mundi amatores; *Iſaacus* e contra, *Saræ* filius, qui typus extitit Chriſtianorum, lenis fuit, humanus, manſuetus, natus ad bene de omnibus merendum, blandiſque admodum moribus præditus. Tales ſunt veri fideles Chriſtiani, qui ſpiritu Chriſti ducuntur. Poſtremo *Agar*, ex ædibus *Abrahami*, una cum filio ſuo Iſmaele ejecta, tenuiſſimo Viatico, pane & aqua inſtructa, per deſertum deſolata oberravit, nec exitum invenit, unde hoc leviſſimo deficiente Viatico, fame & ſiti oppreſſa, certam prævidens imminentem mortem, in deſperationem acta, filium ſuum *Iſmaelem* abjecit, & ſimul cum illo in lacrymas, & planctum prorupit, donec Deus, utriuſque miſertus, Angelum miſerit, qui fontem aquæ indicavit, ex quo hauſta aqua, vires ſuas refocillarunt *Agar*, ejuſque filius *Iſmael*, & ſic conſuluerunt periclitanti vitæ ſuæ. Eamdem infelicem ſortem experiuntur nunc, velint nolint, miſeri Judæi, quorum typum geſſerunt *Agar* & *Iſmael*. Etenim vero, Judæi, ex Eccleſia Chriſti ejecti, Lege Moſaica, cujus genuinum ſenſum, mentem, & intellectum minime tenent, necnon Talmudicis ſuis Traditionibus, tamquam leviſſimo inſtructi Viatico, hac illac per orbem terrarum palabundi diſſipantur, eoque deficiente Viatico, nec ullum ex eo verum capientes ſolatium, ſortem ſuam, & miſerrimum, ad quem in præſentia redacti ſunt, ſtatum deplorant, e quo duntaxat emergent, quando Deus, eorum miſertus, mittet ad illos Angelum, ſeu Verbi Dei præcones, qui Jeſum Chriſtum verum Meſſiam, tandiu ab eis fruſtra quæſitum, verum fontem aquæ vivæ & ſalientis in vitam æternam, ipſis patefaciet, ex quo verum ſolatium & vitam perennem conſequentur. Hi ſunt in ſumma typi, quibus Deus Myſteria, quæ in Novo teſtamento completa ſunt, præcipue adventum Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, ruinam Synagogæ Judæorum, & Chriſtianorum Eccleſiæ inſtitutionem, voluit in Veteri Teſtamento delineare, & per *Abrahamum*, & duas ejus uxores, *Saram* & *Agarem*, atque duos ipſius filios, *Iſaacum* & *Iſmaelem*, variis figurarum involucris adumbravit.

D. Antequam de rebus a Patriarcha *Abrahamo*, præclare geſtis finem dicendi faciamus, vellem, ut breviter confutares *Joannem Marshamum*, Scriptorem Anglum, qui (ſicut nuperrime legebam) in ſuo *Canone Ægyptiaco*, *Hebræo* & *Græco*, pag. 77. audet aſſerere, *Abrahamum* ad immolandum filium ſuum *Iſaacum* inductum fuiſſe exemplo Ethnicorum, ſeu Ægyptiorum, vel aliarum Gentium, quibus ſolemne erat filios ſuos, etiam ante Abrahami tempora, Diis immolare. Ex quo concludit ille Scriptor, *Novum & inauditum Abrahamo non fuiſſe hujuſmodi ſacrificium Iſaaci, cum jam Reges, & Gentes integræ illud ex occaſione facerent, & mactationem liberorum ſuorum pro ſancto opere & Diis grato, ante Abrahami tempora habuerint*. Hanc certe *Marshami* opinionem, quæ fidei & obedientiæ *Abrahami* in immolando filio ſuo *Iſaaco* plurimum derogat, meo calculo probare minime poſſum.

M. Quam temerarius, & in proferendis inſulſis commentis ſit liberalis iſte *Joannes Marshamus*, memini, me ſub

ſub finem præcedentis noſtri Colloquii, ſat ſuperque oſtendiſſe, refellendo videlicet aliud inane ejuſdem Scriptoris figmentum, quo ſibi, aliiſque fruſtra perſuadere pertendit, circumciſionem nec a Deo fuiſſe inſtitutam, nec *Abrahamo* præceptam a Deo, nec Judæos ab *Abrahamo* illam accepiſſe, ſed potius circumciſionem ex Ethnicorum ſuperſtitionibus, maxime Ægyptiorum ritibus, originem duxiſſe, indeque ad Judæos fuiſſe derivatam. Variis argumentis, quæ ibidem adduximus ad explodendum male natum illud *Marſhami* ſyſtema, paucas hic rationes adjungam, quibus certo conſtabit Abrahamum voluiſſe immolare filium ſuum, non ut ſequeretur morem Gentium, filios ſuos Diis immolantium, ſed ut obtemperaret ſingulari præcepto Dei, qui ut ejus fidem & obedientiam exploraret, ei juſſit, ut filium ſuum unigenitum *Iſaacum*, quem ſecundum Deum, unice diligebat, & in deliciis habebat, mactaret; eique in holocauſtum offerret. Et primo quidem, conſtat, Deum præcipiſſe Abrahamo, ut filium ſuum *Iſaacum* immolaret: *Tolle*, inquit ei Deus, cap. 22. v. 2. lib. Geneſis, *filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium quem monſtravero tibi*. Non eſt autem credibile, Deum, qui in Lege Moſaica diſtricte inhibuit Iſraelitis, ne imitarentur, aut requirerent ceremonias Gentium, præcipere voluiſſe Abrahamo, ut, juxta ſuperſtitiones Ethnicorum, qui pluſquam Scythica barbarie filios ſuos Diis immolabant, filium ſuum unigenitum *Iſaacum* immolaret. Impium ſiquidem eſt dicere, Deum mutuari e dæmonis officina ritus, quibus coli vult. Quod ſi dicatur, *Abrahamum*, proprio ſuo marte, & abſque ullo Dei præcepto, voluiſſe hac in re imitari ritum Ethnicorum filios ſuos Diis immolantium, id, inquam, ſi dicatur, multis momentis, falſi convinci poteſt. Primo, qui extat in Scriptura Sacra expreſſum præceptum, mox a nobis relatum, quo Deus præcepit Abrahamo, ut ei immolaret filium ſuum *Iſaacum*. Secundo, ſi Abrahamus ſecutus duntaxat ſuperſtitiones Ethnicorum, & abſque ullo divino præcepto, voluiſſet immolare filium ſuum *Iſaacum*, omni procul dubio Deus hanc *Iſaaci* immolationem utpote juxta Ethnicorum ſuperſtitiones factam, omnino improbaſſet, nedum laudaſſet, & tamen Deus in Scriptura Sacra hanc *Iſaaci* immolationem adeo ſibi gratam fuiſſe declarat, ut propter illam ſe benedicturum Abrahamo polliceatur his verbis: *Per memetipſum juravi, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris, & poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum. Et benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes terræ, quia obediſti voci meæ*, Geneſis c. 22. Denique, falſo ſupponit *Marſhamus*, impium illum ritum, quo Ethnici filios ſuos Diis immolabant, jam invaluiſſe apud Gentes ante tempora *Abrahami*; id, inquam, oppido falſum eſt, tum quia ex nullo antiquo Scriptore, etiam ex his, quos laudat *Marſhamus*, probari poteſt, ritum illum barbarum homines Diis immolandi fuiſſe ante *Abrahami* tempora apud Ægyptios, aliaſque truculentas Gentes ſolemnem, Qua de re legeſis Illuſtriſſimum *Danielem Huetium* in ſua *Demonſtratione Evangelica*, *Propoſitione IV.* Tum quia, longe veroſimilius eſt, impiam illam & immanem, quæ antiquitus vigebat apud Ægyptios, aliaſque Gentes, immolandi homines Diis conſuetudinem duxiſſe originem ex prava illius *Abrahami* ſacrificii æmulatione. Nam ſicut Ægyptii, aliæque Gentes ritum circumcidendi ex Judæis acceperunt, uti ſub finem præcedentis noſtri Colloquii diximus, ſicut etiam Ethnici conſecrarunt *Saturno* Feriam ſeptimam, ideſt, diem Sabbathi, quæ apud Judæos ex divino præcepto ſacra erat; ita vero quam ſimillimum eſt, apud Ægyptios, alioſque Ethnicos invaluiſſe poſt tempora Abrahami crudelem illum filios ſuos Diis immolandi ritum, ut hoc pacto Abrahami, filium ſuum Deo in holocauſtum offerentis, imitarentur exemplum, impel-

lentibus præſertim dęmonibus, qui humanas hoſtias excogitaverunt ipſi hoſtes humani generis, ut quam plurimas devorarent animas. De his Barbarorum Sacris hęc *Lactantius* c. 21. lib. 1. Divin. Inſtitutionum eleganter ſcribit: *De infantibus, qui Saturno immolabantur propter odium Jovis, quid dicam, non invenio. Tam barbaros, tam immanes ſuiſſe homines, ut parricidium ſuum, ideſt, tetrum, atque execrabile humano generi facinus, ſacrificium vocarent; cum teneras, atque innocentes animas, quæ maxime eſt ætas parentibus dulcior, ſine ullo reſpectu pietatis extinguerent, immanitatemque omnium beſtiarum, quæ tamen fœtus ſuos amant, feritate ſuperarent. O dementiam inſanabilem! quid illis Dii amplius facere poſſent, ſi eſſent iratiſſimi, quam faciunt propitii? cum ſuos cultores parricidiis inquinant, orbitatibus mactant, humanis ſenſibus ſpoliant? Quid poteſt eſſe his hominibus ſancti? aut quid in prophanis locis facient, qui inter aras Deorum ſuorum ſcelera committunt? Peſcennius Feſtus in Libris Hiſtoriarum per ſatyram refert, Chartaginenſes Saturno humanas hoſtias ſolitos immolare, & cum victi eſſent ab Agathocle, Rege Siculorum, iratum ſibi Deum putaviſſe: itaque ut diligentius piaculum ſolverent, ducentos nobilium filios immolaſſe: Tantum Religio potuit ſuadere malorum: Quæ peperit ſæpe ſcelera atque impia facta, &c.*

D. Ex his, quę hactenus retuliſti, pręclaris *Abrahami* geſtis facile intelligo, hunc Patriarcham eximia illa fide & obedientia, qua Deo vocanti abjecta omni cunctatione obtemperavit, cognationem ſuam ultro ac generoſe deſeruit, Deum, cœlum, & æternitatem omnibus præpoſuit, perfectorum ſeſe exhibuiſſe exemplar, Patrem credentium, hominem ante Chriſti tempora Chriſtianum omnibus ſuis numeris abſolutum; ante Evangelia Virum Evangelicum, ante Apoſtolos Apoſtolicum. Quo fit, ut nullatenus dubitem de ęterna Abrahami ſalute. Sed utrum Chriſtianorum Eccleſia aliquam pręfixerit diem, quę ſit huic Patriarchę ſacra, ſeu in qua Chriſtiani cultum ei exhibeant? & utrum *Lothus*, Abrahami nepos, quem, ebrietate oppreſſum, inceſto concubitu cum duabns ſuis filiabus ſe fœdaſſe antea obſervaſti, æternam ſalutem ſit conſecutus? plane, ut candide fatear, ignoro.

M. Quamvis Catholica ſeu Romana Eccleſia non ſoleat indicere dies feſtos in honorem Sanctorum Patriarcharum Veteris Teſtamenri, *Abrahamum* tamen ad diem IX. menſis Decembris adſcriptum eſſe Faſtis Sanctorum fidem faciunt, non ſolum multa Martyrologia Eccleſiæ Latinæ, verum etiam Menæa, ſen Menologia, & Synaxaria Eccleſię Græcæ, ſicut oſtendit *Hadrianus Baelletus* in quarto Tomo *De Vitis Sanctorum*, in quo *Abrahami*, aliorumque Veteris Teſtamenti Patriarcharum Vitas accurate deſcribit. Profert etiam idem Scriptor nonnulla Martyrologia, & Menologia Græcorum, in quibus *Lothus*, nepos Abrahami ad diem x. ejuſdem menſis Decembris Sanctorum numero accenſetur. Quo fit, ut de *Lothi* ſalute dubitandi nulla ſit ratio. Peccavit quidem *Lothus*, dum ſeſe vino ingurgitavit, dum duas ſnas filias, vino oppreſſus, inceſto concubitu conſtupravit, dum denique eaſdem duas filias ſuas Sodomitis, Cynędico furore bacchantibns, obtulit ad ſtuprum, dicens: *Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis, ſicut vobis placuerit, dummodo viris iſtis* (ſeu Angelis, quos hoſpitio ſuſceperat *Lothus*, quoſque Sodomitæ, rati eſſe adoleſcentes, illos ad præpoſteram explendam libidinem poſtulabant) *nihil mali faciatis*. In his peccaſſe *Lothum* non inficias eo (quamvis non deſint Scriptores, qui non tantum Lothum, ſed ejus duas filias vindicent & liberent ab omni culpa) hæc tamen peccata fuiſſe ſincera pœnitentia a *Lotho* expiata, & a Deo condonata, eo facilius adducor, ut credam, qnod Sanct. *Petrus* cap. 2. verſ. 6. & 7. Epiſtolæ ſuæ ſecundę *Lothum* appellet hominem juſtum his verbis: *Et Civitate Sodomorum, & Gomorrhaeorum in cinerem redigens* (Deus) *averſione damnavit, exemplum eorum, qui impie acturi ſunt, ponens, & juſtum Loth oppreſſum a ne-*

ſan-

ſandorum injuria ac luxurioſa converſatione eripuit. Sed de rebus geſtis Patriarcharum ſecundæ Mundi Ætatis hactenus ſatis dictum ſit.

D. Cum nihil alind de rebus geſtis Patriarcharum ſecundæ Mundi Ætatis tibi dicendum ſuppetat, ſcire a te vehementer cupio, quiſnam fuerit ille *Zoroaſter*, quem Artium Magicarum inventorem extitiſſe, & in ſecunda Mundi Ætate *Abrahamo* ſupparem vixiſſe nuperrime audivi?

M. De *Zoroaſtre*, quem Perſæ tanquam ſuum Legumlatorem, Doctrinæ & Religionis ſuæ Reformatorem, morumque Cenſorem venerantur, multiplex eſt virorum eruditorum ſententia. Quidam cenſent, hunc *Zoroaſtrem* fuiſſe *Chamum*, filium Noemi. Quidam aſſerunt, eum fuiſſe *Chami* filium, ſeu *Miſraimum*. Alii *Japthum*. Alii *Chuſum*. Alii *Aſſurem*. Alii *Nembrodum*. Sed, ut cordate fatear, hæ ſententiæ frigidis ac leviſſimis nituntur conjecturis. Sunt qui putant, *Zoroaſtrem* fuiſſe illum Bactrianorum Regem, qui cum *Nino*, Aſſyriorum Rege, bellum geſſit. Sed hæc ſententia aliis præcedentibus nihilo plauſibilior eſt, quia illum Bactrianorum Regem, qui cum *Nino* parum proſpere conflixit, non *Zoroaſtrem*, ſed *Oxiartem* appellat *Diodorus* poſt *Cteſiam*, qui Perſarum Hiſtoriam litteris mandavit. Illuſtriſſimus *Daniel Huetius* in libro, quem edidit, *De Demonſtratione Evangelica*, cap. v. *Propoſitione IV.* probat *Zoroaſtrem* non alium fuiſſe, quam *Moyſem*, Judæorum Legislatorem. Verum, quamvis certum ſit, *Zoroaſtrem*, Perſarum Doctrinæ & Religionis Reformatorem, fuiſſe Pentateuchi *Moyſis* ſtudioſiſſimum, & ex eo multa hauſiſſe, quæ ad reformationem Religionis Perſarum neceſſaria eſſe judicavit, illum tamen *Moyſe* Judæorum Legislatore, longe poſteriorem eſſe, eumque vixiſſe circa tempora *Artaxerſis Longimani*, Perſarum Regis, longe probabilius eſſe arbitror. Quod quidem ut clarius intelligas, obſervare debes cum Viro Clariſſimo *Humphrydo Prideaux* in *Hiſtoria*, quam Anglice ſcripſit, *Judæorum*, quæque recens in Linguam Gallicam verſa eſt, extitiſſe in Perſide Religionem *Magorum* Perſarum, quam præ ceteris Perſarum Regibus, acerrime defendit ac propagavit *Smerdes*, dictus *Magus*, Perſarum Rex. Hujus Religionis in Perſide Aſſertores, ut videre eſt apud *Diogenem Laertium* in Proæmio ad Vitas Philoſophorum, duos confingebant Deos, alterum *bonum*, a quo omnia bona proficiſcerentur; alterum *malum*, a quo omnia mala prodirent. Quorum deliria ſectati ſunt poſtea *Cerdo*, *Marcion*, *Manichæi*, aliique Hæretici. *Zoroaſter* itaque, qui Natione, & Religione erat Judæus, ut nomen ſuum apud illos Magos Perſas celebre redderet, illorum palmarem in Religionem errorem correxit, cumque eſſet in Libris Moſaicis, & in Religione Judaica verſatiſſimus, unum duntaxat docuit eſſe admittendum Deum, a quo, tanquam a cauſa effectrice, eaque potentiſſima producuntur omnia bona quæ ſunt in mundo, mala vero permittuntur tantum. Cetera autem, quæ in Religione Magorum Perſarum ſpectabant ritum Sacrificiorum, ita *Zoroaſter* immutavit, & ad normam Legum Moſaicarum reduxit, ut qui legit libros *Zoroaſtris*, ipſoſque confert cum libris *Moyſis*, facile ſibi perſuadeat, *Zoroaſtrem* non alium fuiſſe, quam *Moyſem*, ſicut ſibi perſuaſit illuſtriſſimus *Daniel Huetius*, non animadvertens, *Zoroaſtrem*, Natione & Religione Judæum, ad repurgandam & reformandam Magorum Perſarum Religionem bene multa hauſiſſe de induſtria ex Libris Moſaicis, indeque enatam eſſe maximam illam affinitatem, quam Leges a *Zoroaſtre* ad reſtaurandam Magorum Perſarum Religionem ſancitæ habent cum Legibus, quas *Moyſes*, Judæorum Legislator, autoritate Dei munitus, condidit, & quibus conſtat Judaica Religio. Hoc pacto *Zoroaſter*, Natione & Religione Judæus, Magorum Perſarum Religionem, a ſe reformatam, illuſtravit, ac latiſſime diffudit, exinde dictus, *Artium Magicarum Inventor*, non quod malas Artes Magicas invenerit (ſicut falſo opinati ſunt nonnulli, quos merito redarguit Illuſtriſſimus *Daniel Huetius*, loco mox a me laudato)

· *Hiſt. Vet. Teſt. Tom. I.*

ſed quod Religionis Magorum Perſarum fuerit, inſtaurator, reformator, ac promotor. Hunc *Zoroaſtrem* poſtea, hoc eſt, ſeptimo Eccleſiæ ſæculo, æmulatus eſt *Mahometes*, nefandiſſimus poſt homines natos impoſtor, & ex ejus Scriptis, Doctrina, & religione quamplurima excerpſit, & convaſavit in hunc peſtilentem, quem male conſarcinavit, Librum, dictum *Alcoranum*, ex quo impiam a ſe conflatam Religionem populis ad libidinum monſtra propenſis, ſeque in cœno obſcænarum deliciarum carnis volutantibus facile propinavit, & in variis Orbis partibus, ferro flammaque per immanem & a ſæculis inauditam crudelitatem ſubactis, diſſeminavit, cum hoc tamen diſcrimine, quod *Zoroaſter*, Religionis Magorum Perſarum Reformator, vir fuerit, ſicut referunt Hiſtorici, doctus, ſagax, & Legis Moſaicæ callentiſſimus, utpote Natione & Religione Judæus: *Mahometes* vero extiterit in Lege Moſaica omnino peregrinus & hoſpes, immo in ſumma rerum omnium ignoratione verſatus, totuſque effræni libidini deditus.

D. Si *Zoroaſter*, ad reformandam Magorum Perſarum Religionem, bene multa, ut mox dixiſti, ex Libris Moſaicis decerpſit, non eſt dubium, quin falſa ſit eorum ſententia, qui *Zoroaſtrem* coævum *Abrahamo faciunt*, eumque fuiſſe Bactrianorum Regem, qui cum *Nino*, Aſſyriorum Rege, infelici marte pugnavit, pertendunt; quo in errore, ut audivi, adhuc verſantur recentiores hujus ætatis Perſæ, qui *Zoroaſtrem*, tanquam Religionis ſuæ Reformatorem, agnoſcunt. Sed oſtende, ſi placet, in quo ſita ſit illa affinitas, quam inveniri dicis *Moyſem*, Judæorum Legiſlatorem, inter & *Zoroaſtrem*, Perſarum Magorum Religionis Reformatorem, necnon inter Leges, quas condidit *Moyſes*, & eas, quas tulit *Zoroaſter*.

M. Errant ſane hi, qui *Zoroaſtrem* ſupparem *Abrahamo* faciunt, ſed turpius hallucinati ſunt *Eudoxus* & *Ariſtoteles*, qui ſex millibus annorum *Platone* vetuſtiorem *Zoroaſtrem* finxerunt; a quorum errore non multum diſcedere videntur *Hermodorus*, Platonicus, & *Hermippus*, qui annorum millibus quinque Trojanum Bellum præceſſiſſe *Zoroaſtrem* fabulati ſunt, & *Plutarcho*, ac *Suidæ*, idem ſentientibus, præluxerunt; quos ideo jure optimo *Plinius* lib. 30. c. 1. egregie confutavit. *Abrahamo* itaque, immo & *Moyſe*, Judæorum Legiſlatore, poſterior eſt *Zoroaſter*, quem ex libris Moſaicis ad reformandam Magorum Perſarum Religionem, quamplurima depromſiſſe evinci poteſt his momentis. Primo, quia ſicut *Moyſes* veram originis Mundi a Deo uno, rerum omnium opifice, conditi, Hiſtoriam contexuit; ita *Zoroaſter* unum Deum, rerum omnium conditorem, profeſſus eſt; eum etiam creationis myſteria a Deo fuiſſe edoctum, affirmant Perſæ, Mundi quoque tractaſſe principia perhibet *Juſtinus* lib. 1. cap. 1. Præterea, in multis conveniunt *Moyſis* & *Zoroaſtris* Leges. Nam alienas facultates concupiſci vetat *Moyſes*; vetat itidem *Zoroaſter*. Legis, ſibi a Deo traditæ, obſervationem *Moyſes* ſolicite mandat Iſraelitis; ſtudium pariter Legis ſuæ Diſcipulis ſuis commendat *Zoroaſter*: Ciborum mundorum & immundorum diſcrimen ſtatuit *Moyſes*, atque horum uſum, aliarumque rerum impurarum contactu interdixit: idem facit *Zoroaſter*. Injurias condonari ſanxit *Moyſes*; idem præcipit *Zoroaſter*. Ad Legem ſuam addi quidquam diſtricte prohibet *Moyſes*; idem inhibet *Zoroaſter*. In Lege ſua ſtatuit *Moyſes*, ut ſit Pontifex Maximus, eique præſcribit frequentem lavationum uſum, & bonorum omnium Decimas tribuit; idem in ſua Lege ſtatuit *Zoroaſter*. In Lege ſua *Moyſes* præcipit Iſraelitis, ut a carne ſuilla abſtineant; Perſæ, qui Legis *Zoroaſtris* ſunt cultores, a carne ſuilla pari Religione abſtinent. *Moyſes* prohibuit Hebræis, ne Statuas haberent; Perſæ, qui *Zoroaſtris* Legem obſervant, Statuas non habent. Poſtremo (ut cetera alia mittam, in quibus *Zoroaſtris* Leges plane conveniunt cum Legibus *Moyſis*) certum eſt, *Moyſem* cap. 6. v. 12. & 13. Libri *Levitici* præcepiſſe Judæis, ut ignis ſemper arderet in Altari, his verbis: *Ignis autem in Altari ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos ſubjiciens ligna omnia per* ſin-

ſingulos dies, & impoſito holocauſto deſuper adolebit adipes pacificorum. Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in Altari. Ita ſimiliter *Zoroaſter* delatum ad ſe de Cœlo ignem ſubjectis pabulis perpetuo & indeſinenter ſic ali & nutriri præcepit, ut præcipuum illud, & velut Legis ſuę characteriſticum Mandatum eſſe voluerit. Hinc vocabulum *Magus*, quod *Zoroaſtris* ſequacibus tribuitur, apud Perſas & Arabes, pro cultore ignis, translatitio uſu ſumi ſolet. Ex ea itaque affinitate, quę intercedit Leges *Moyſis* inter & Leges *Zoroaſtris*, nullo negotio colligere potes, *Zoroaſtrem* in reformanda Magorum Perſarum Religione Leges ſuas ex Libris *Moyſis* mutuatum fuiſſe, ſubindeque *Zoroaſtrem* eſſe poſteriorem *Moyſe*. Si autem dicas, *Zoroaſtrem* vixiſſe longe ante tempora *Moyſis*, adeoque non *Zoroaſtrem* ſuas ex Libris *Moyſis* Leges ſumpſiſſe, ſed potius *Moyſem* Leges, quas dedit Hebræis, ex *Zoroaſtris* Libris deprompſiſſe; ſi, inquam, illud dicas, duplici momenro te falli convincam. Primo, quia *Moyſes* non proprio nomine, nec auctoritate ſua conditas Leges impoſuit Hebræis, ſed Leges a nullo homine datas, & a ſolo Deo præſcriptas, lireris mandavit, earumque obſervationem, jubente Deo, Hebręis imperavit. Secundo, quia *Moyſem* eſſe omnium Legiſlatorem antiquiſſimum, & primum omnium Scriptorum, non ſolum Perſarum, & Græcorum, ſed & Aſſyriorum, ac Chaldæorum, una eſt omnium Sanctorum Patrum cum Græcorum, tum Latinorum ſententia, adeo ut nulla ratione fieri potuerit, ut *Moyſes* ex aliquo antiquiori, vel Legiſlatòre, vel Scriptore, Leges, quas ſcripto conſignavit, emendicarit. Quod ſi iterum dicas cum *Goropio Becano*, & Illuſtriſſimo *Daniele Huetio*, ex ea affinitate, quę eſt inter Leges *Moyſis*, & Leges *Zoroaſtris*, colligi debere, *Zoroaſtrem* eſſe hominem ſuppoſititium, qui nunquam extitit in rerum narura, eumque non alium eſſe quam *Moyſem*, Judęorum Legiſlatorem, quem *Zoroaſtris* nomine donarunt Perſæ; hoc, inquam, ſi illud regeras, opponam tibi conſenſum omnium Scriptorum, qui *Zoroaſtrem* revera extitiſſe, eumque a *Moyſe*, Judæorum Legiſlatore, plane diverſum fuiſſe, diſertiſſime tradunt. Immo, ſunt quidam Scriptores, qui ſicut ſuperius obſervavimus, aſſeverant, duos reapſe extitiſſe *Zoroaſtres*, unum videlicet, qui vixit circa *Abrahami* tempora, quemque dicunt fuiſſe illum Bactrianorum Regem, qui parum feliciter cum *Nino*, Aſſyriorum Rege, bellavit; alium vero *Zoroaſtrem* floruiſſe dicunt circa tempora Regum Perſarum, eumque primum *Zoroaſtre*, Bactrianorum Rege, multo poſteriorem fuiſſe. Verum, illorum Scriptorum ſententiam, duos *Zoroaſtres* diſtinguentium, ſat ſuperque, opinor, jam confutavi, & oſtendi, unum duntaxat extitiſſe *Zoroaſtrem*, Natione & Religione Judæum, qui tempore *Artaxerſis Longimani*, Perſarum Regis, ad reformandam Magorum Perſarum Religionem Leges edidit ad normam Legum, quas *Moyſes* dedit Judęis, & quarum *Zoroaſtres* erat ſcientiſſimus. Sed de *Zoroaſtre* pluſquam ſatis.

D. Supereſt nunc, ut ſub finem hujuſce noſtri Colloquii tantiſper differamus de accurata in putandis annis Patriarcharum ſecundę Mundi Ætatis Chronologia. Audivi quippe, Codices Hebręos, Gręcos, & Samaritanos, non ſolum variare in ſubducendis annis Patriarcharum primę Mundi Ætatis, ſicut jam oſtendiſti ad calcem tertii Colloquii in Hiſtoriam primę Mundi Ætatis, ſed etiam prędictos Codices Hebręos, Gręcos, & Samaritanos, in numerandis annis Patriarcharum ſecundę Mundi Ætatis diverſos ponere calculos, adeo ut propter illam Codicum diſcrepantiam, Scriptores In contrarias abeant ſententias, & in numerandis annis Patriarcharum ſecundę Mundi Ætatis varient linguis & ſententiis.

M. Proprer hanc Codicum Hebręorum, Gręcorum, & Samaritanorum, in putandis annis Patriarcharum, ſive antediluvianorum, ſive poſtdiluvianorum, diſcrepantiam, variantes cum veterum tum recentiorum Scriptorum circumferri ac volitare ſententias, tam certum eſt, quam quod maxime. Eas omnes ſi in pręſentia commemorare vellem, incertior

Digitized by Google

tior eſſes, quam eras prius. Faciam igitur, quod & me dignius, & utilius tibi fore judico. In primis exponam, in quo ſita ſit iſta Codicum Hebræorum, Græcorum, & Samaritanorum in percenſendis annis Patriarcharum ſecundæ Mundi Ætatis diſcrepantia. Dein, paucis indicabo, quoſnam ex hiſce Codicibus in numerandis annis Patriarcharum ſecundæ Mundi Ætatis potiſſimum ſequi debeas, ne a vera, magiſque probata Patriarcharum poſt diluvianorum Chronologia deflectas. Ut autem facilius compertam ac exploratam habere poſſis hanc diſcrepantiam, quæ in ſupputandis annis Patriarcharum ſecundæ Mundi Ætatis invenitur; ponam primo loco calculum annorum Patriarcharum ſecundæ Mundi Ætatis juxta Codices Hebræos. Subjiciam ſecundo loco epilogiſmum, ſeu calculum annorum Patriarcharum ſecundæ Mundi Ætatis, juxta Codices Grçcos. Tertio denique loco inſeram calculum Patriarcharum ſecundę Mundi Ætatis juxta Codices Samaritanos.

CALCULUS ANNORUM

Patriarcharum ſecundæ Mundi Ætatis, juxta Codices Hebræos.

SEMUS, filius Patriarchæ *Noemi*, natus eſt anno Mundi milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octavo, genuit *Arphaxad*, anno ętatis ſuæ centeſimo, ſeu anno Mundi milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo octavo, hoc eſt, biennio poſt Diluvium. Vixit, poſtquam genuiſſet *Arphaxad* quingentis annis. Vixit in univerſum annis ſexcentis, & mortuus eſt anno Mundi bis milleſimo centeſimo quinquageſimo octavo.

Arphaxad natus eſt anno Mundi milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo octavo, ſeu biennio poſt Diluvium. Genuit *Salem* annos natus triginta quinque. Vixit poſtquam genuiſſet, annos quadringentos tres. Vixit in univerſum annos quadringentos triginta octo, & mortuus eſt anno Mundi bis milleſimo nonageſimo ſexto. Verum obſervare debes, *Arphaxad* non immediate genuiſſe *Salem*, ſed anno ætatis ſuæ decimo octavo genuiſſe *Cainanem*, & poſtea *Cainanem* anno ętatis ſuæ decimo ſeptimo genuiſſe *Salem*. Quo fit, ut, juxta Textum Hebræum, vere dici poſſit, *Arphaxad* anno ætatis ſuæ trigeſimo quinto genuiſſe *Salem*, non quidem immediate, ſed mediate tantum, id eſt, mediante filio ſuo *Cainane*, qui fuit pater *Sale*, ſicut copioſius oſtendimus in Colloquio ſecundo in Hiſtoriam ſecundæ Mundi Ætatis.

Sale, natus eſt anno Mundi milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo tertio. Genuit *Heberem* anno ætatis ſuæ trigeſimo. Vixit, poſtquam genuiſſet, annos quadringentos tres. Vixit in univerſum annos quadringentos triginta tres. Mortuus eſt anno Mundi bis milleſimo centeſimo vigeſimo ſexto.

Heber, natus eſt anno Mundi milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo tertio. Genuit *Phaleg* anno ętatis ſuæ trigeſimo quarto. Vixit, poſtquam genuit, annos quadringentos triginta. Vixit in univerſum annos quadringentos ſexaginta quatuor. Mortuus eſt anno Mundi bis milleſimo centeſimo octuageſimo ſeptimo.

Phaleg, natus eſt anno Mundi milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Genuit *Rehu* anno ætatis ſuæ trigeſimo. Vixit, poſtquam genuit, annos ducentos & novem, Vixit in univerſum annos ducentos triginta novem. Mortuus eſt anno Mundi milleſimo nongenteſimo nonageſimo ſexto.

Rehu, natus eſt anno Mundi milleſimo ſeptingenteſimo octuageſimo ſeptimo, Genuit *Sarug* anno ętatis ſuæ trigeſimo ſecundo. Vixit, poſtquam genuit, annos ducentos ſeptem. Vixit in univerſum annos ducentos triginta novem. Mortuus eſt anno Mundi bis milleſimo vigeſimo ſexto.

Sarug, natus eſt anno Mundi milleſimo octingenteſimo decimo nono. Genuit *Nachorem* anno ętatis ſuæ trigeſimo. Vixit, poſtquam genuit annos ducentos. Vixit in univerſum annos ducentos triginta. Mortuus eſt anno Mundi

di bis milleſimo quadrageſimo nono.

Nachor, natus eſt anno Mundi milleſimo octingenteſimo quadrageſimo nono. Genuit *Tharem* anno ætatis ſuæ vigeſimo nono. Vixit, poſtquam genuit, centum & novemdecim annos. Vixit in univerſum centum & quadraginta octo annos. Mortuus eſt anno Mundi milleſimo nongenteſimo nonageſimo ſeptimo.

Thare, natus eſt anno Mundi milleſimo octingenteſimo ſeptuageſimo octavo. Genuit *Abrahamum* anno ætatis ſuę centeſimo trigeſimo. Vixit, poſtquam genuit, annos ſeptuaginta quinque. Vixit in univerſum annos ducentos quinque. Mortuus eſt anno Mundi bis milleſimo octogeſimo tertio.

Abrahamus, natus eſt anno Mundi bis milleſimo octavo, & vocatus eſt a Deo, ut iret in terram Chanaan, anno ætatis ſuę ſeptuageſimo quinto, hoc eſt, anno Mundi bis milleſimo octogeſimo tertio. Ex quo annorum Patriarcharum poſtdiluvianorum calculo, ad Textus Hebrei Chronologiam exacto, emergit ſumma annorum a creatione Mundi uſque ad vocationem *Abrahami*, duorum millium & octoginta trium. A Diluvio autem Noetico uſque ad vocationem *Abrahami*, exurgit ſumma annorum quadrigentorum & viginti ſeptem.

Calculus Patriarcharum.

Secundæ Mundi Ætatis juxta Codices Græcos, id eſt, juxta lxx. Interpretum Chronologiam, qualis exhibetur in Baſilienſi, & Vuecheliana Editione.

SEMUS natus eſt anno Mundi bis milleſimo centeſimo ſexageſimo quinto. Genuit *Arphaxad* annos natus centum. Vixit, poſtquam genuit, annos trecentos triginta quinque. Vixit in univerſum quadringentos triginta quinque. Mortuus eſt anno Mundi bis milleſimo ſexcenteſimo. Obſervandum tamen eſt, quoſdam eſſe Codices Grecos, in quibus legitur, Diluvium contigiſſe anno Mundi bis milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſecundo, & ſecundum horumce Græcorum Codicum calculos dicendum eſt, *Semum* genuiſſe *Arphaxad* anno Mundi ineunte bis milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quinto, hoc eſt biennio expleto poſt diluvium. Verum ipſe annorum Patriarcharum ſecundæ Mundi Ætatis calculos hic apponam juxta illos Codices Græcos, qui diluvium univerſale præfigunt ad annum Mundi bis milleſimum ducenteſimum ſexageſimnm ſecundum, ex quo ſequitur, *Semum* genuiſſe *Arphaxad* anno Mundis bis milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quinto, id eſt, biennio jam elapſo a Noetico Diluvio.

Arphaxad, natus eſt anno Mundi bis milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quinto. Genuit *Cainanem* anno ætatis ſuę centeſimo trigeſimo quinto. Vixit, poſtquam genuit, annos trecentos & triginta. Vixit in univerſum quadringentos ſexaginta quinque. Mortuus eſt anno Mundi bis milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo.

Cainan, natus eſt anno Mundi bis milleſimo quadringenteſimo. Genuit *Salem* anno ętatis ſuæ centeſimo trigeſimo. Vixit, poſtquam genuit, annos trecentos triginta. Vixit in univerſum quadringentos ſexaginta annos. Mortuus eſt anno Mundi bis milleſimo octingenteſimo ſexageſimo.

Sale, natus eſt anno Mundi bis milleſimo quingenteſimo trigeſimo. Genuit *Heberem* anno ętatis ſuæ centeſimo trigeſimo. Vixit, poſtquam genuit, annos trecentos triginta. Vixit in univerſum annos quadringentos ſexaginta. Mortuus eſt anno Mundi bis milleſimo nongenteſimo nonageſimo.

Heber, natus eſt anno Mundi bis milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo. Genuit *Phaleg* anno ætatis ſuæ centeſimo trigeſimo quarto. Vixit, poſtquam genuit, annos trecentos ſeptuaginta. Vixit in univerſum annos quingentos & quatuor. Mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto.

Phaleg, natus eſt anno Mundi bis milleſimo ſeptingenteſimo nonageſimo quarto. Genuit *Rehu* anno ætatis ſuæ centeſimo trigeſimo. Vixit, poſtquam genuit, ducentos & novem annos. Vixit in univerſum annos trecentos trigin-

ginta novem. Mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo centeſimo trigeſimo tertio.

Rehu, natus eſt anno Mundi bis milleſimo nongenteſimo vigeſimo quarto. Genuit *Sarug* anno ætatis ſuæ centeſimo trigeſimo ſecundo. Vixit, poſtquam genuit, annos ducentos & ſeptem. Vixit in univerſum annos trecentos triginta novem. Mortuus eſt ter milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſexto.

Sarug, natus eſt anno Mundi ter milleſimo quinquageſimo ſexto. Genuit *Nachorem* anno ætatis ſuæ centeſimo trigeſimo. Vixit, poſtquam genuit, annos ducentos. Vixit in univerſum trecentos triginta annos. Mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſexto.

Nachor, natus eſt anno Mundi ter milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſexto. Genuit *Thare* anno ætatis ſuæ centeſimo ſeptuageſimo nono. Vixit, poſtquam genuit, annos centum viginti novem, Vixit in univerſum annos trecentos & octo. Mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo trecenteſimo nonageſimo quarto.

Thare, natus eſt anno Mundi ter milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto. Genuit *Abrahamum* anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo. Vixit, poſtquam genuit, annos centum triginta quinque. Vixit in univerſum annos ducentos quinque. Mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo.

Abrahamus, natus eſt anno Mundi ter milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quinto, & vocatus eſt a Deo, ut e Chaldæa iret in terram Chanaan, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo quinto, hoc eſt, anno Mundi ter milleſimo qningenteſimo decimo.

Ex hac ſupputatione annorum, qui juxta Codices Græcos, effluxerunt a Diluvio Noetico, quod contigit biennio ante nativitatem *Arphaxad*, uſque ad vocationem *Abrahami*, coaleſcit ſumma annorum mille ducentorum quinquaginta; Cum tamen juxta Codices Hebræos, ſicut paulo ante obſervavimus, a diluvio uſque ad Vocationem Abrahami numerentur duntaxat anni quadringenti viginti ſeptem.

Calculus Patriarcharum

Secundæ Mundi Ætatis, juxta Codicem Samaritanum, ex Euſebii Chronico.

SEMUS, filius Noemi, natus eſt anno Mundi milleſimo ducenteſimo nono. Gennit *Arphaxad* annos natus centum. Vixit, poſtquam genuit, annos quingentos. Vixit in univerſum annos ſexcentos. Mortuus anno Mundi milleſimo octingenteſimo nono.

Arphaxad, natus eſt anno Mundi milleſimo trecenteſimo nono (hoc eſt biennio poſt Diluvium,) quod juxta Samaritanum Codicem, accidit anno Mundi milleſimo trecenteſimo ſeptimo, (quem annorum numerum in Patriarchis primæ Mundi Ætatis contractiorem eſſe convenit inter omnes ſacræ Chronologiæ peritos) *Arphaxad* anno ætatis ſuæ centeſimo trigeſimo genuit *Salem*. Vixit, poſtquam genuiſſet, annos trecentos tres. Vixit in univerſum annos quadringentos triginta tres. Mortuus eſt anno Mundi milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo.

Sale, natus eſt anno Mundi milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono. Genuit *Heberem* anno ætatis ſuæ centeſimo trigeſimo. Vixit, poſtquam genuit, annos trecentos tres. Vixit in univerſum annos quadringentos triginta tres. Mortuus eſt anno milleſimo octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo.

Heber, natus eſt anno Mundi milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono. Genuit *Phaleg* anno ætatis ſuę centeſimo trigeſimo qnarto. Vixit, poſtquam genuit, annos ducentos ſeptuaginta. Vixit in nniverſum quadringentos quatuor annos. Mortuus eſt anno Mundi milleſimo nongenteſimo ſeptuageſimo tertio.

Phaleg, natus eſt anno Mundi milleſimo ſeptingenteſimo tertio. Genuit *Rehu* anno ætatis ſuæ centeſimo trigeſimo, Vixit, poſtquam genuit, annos centum novem. Vixit in univerſum annos ducentos triginta novem. Mortuus eſt anno Mundi milleſimo nongenteſimo quadrageſimo ſecundo.

Rehu, natus eſt anno Mundi milleſimo octingenteſimo trigeſimo tertio. Genuit *Sarug* anno ætatis ſuæ centeſimo tri-

trigeſimo ſecundo. Vixit poſtquam genuit, annos ducentos ſeptem. Vixit in univerſum annos trecentos triginta novem, & mortuus eſt anno Mundi bis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſecundo.

Sarug, natus eſt anno Mundi milleſimo nongenteſimo ſexageſimo quinto. Genuit *Nachorem* anno ætatis ſuæ centeſimo trigeſimo. Vixit, poſtquam genuit, annos centum. Vixit in univerſum annos ducentos triginta. Mortuus eſt anno Mundi bis milleſimo centeſimo nonageſimo quinto.

Nachor, natus eſt anno Mundi bis milleſimo nonageſimo quinto. Genuit *Tharem* anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo nono. Vixit, poſtquam genuit, annos ſexaginta novem. Vixit in univerſum annos centum quadraginta & octo. Mortuus eſt anno Mundi bis milleſimo ducenteſimo quadrageſimo tertio.

Thare, natus eſt anno Mundi bis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quarto. Genuit *Abrahamum* anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo. Vixit, poſtquam genuit, annos ſeptuaginta quinque. Vixit in univerſum annos centum quadraginta quinque. Mortuus eſt anno Mundi bis milleſimo trecenteſimo & decimo nono.

Abrahamus, natus eſt anno Mundi bis milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quarto. Vocatus eſt a Deo, ut e Chaldæa veniret in terram Chanaan anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo quinto, hoc eſt, anno Mundi bis milleſimo trecenteſimo decimo nono.

Ex hac ſupputatione annorum Patriarcharum ſecundæ Mundi Ætatis, juxta Codicem Samaritanum, perſpicuum eſt, a Diluvio Noetico, quod biennio integro præceſſit nativitatem *Arphaxad*, effluxiſſe uſque ad vocationem *Abrahami* mille & duodecim annos.

D. His certe diverſis calculis memoriam meam onerare nolo. Sed ſufficit mihi, ut in genere ſciam, diſcrepantiam illam, quæ in numerandis annis Patriarcharum ante & poſt Diluvium reperitur inter Codices Hebræos, Græcos, & Samaritanos, ad iſthæc duo potiſſimum capita revocari. Et primo quidem, juxta Codices Hebræos a creatione Mundi uſque ad Diluvium univerſale numerantur anni mille ſexcenti quinquaginta ſex. Juxta vero Codices Græcos a creatione Mundi uſque ad Diluvium univerſale percenſentur anni bis mille ducenti ſexaginta duo. Juxta autem Codices Samaritanos a creatione Mundi uſque ad generale Diluvium numerantur duntaxat anni mille trecenti ſeptem. Præterea, a generali Diluvio uſque ad vocationem *Abrahami* interfluxerunt juxta Codices Hebræos, anni quadringenti viginti ſeptem. Juxta autem Codices Græcos, anni mille ducenti quinquaginta. Denique, juxta Codices Samaritanos, mille & duodecim anni. Quo fit, ut a creatione Mundi uſque ad vocationem Abrahami putari debeant, juxta Codices Hebræos, anni 2083. juxta Codices Græcos, anni 3510. Poſtremo, juxta Codices Samaritanos, anni 2319. Hæc duo Chronologica capita, quę annos Patriarcharum primę &, ſecundę Mundi Ætatis ſpectant, & in quibus ſita eſt tota diſcrepantia, quę invenitur inter Codices Hebręos, Gręcos, & Samaritanos, mihi in pręſentia ſcire abunde ſufficit. Sed dicas, rogo te, quoſnam ex his Codicibus, Hebręis, Gręcis, & Samaritanis, calculos in putandis annis Patriarcharum primę & ſecundę Mundi Ætatis ſectetur Eccleſia Romana, cujus Doctrinam ſequi, & auctoritati obtemperare, ſummo ſemper honoris & religionis loco ducam?

M. Codices Hebręos, in putandis annis Patriarcharum primę & ſecundę Ætatis, pręferendos eſſe Codicibus Gręcis, ſeu Chronologię LXX. Interpretum, & Codicibus Samaritanis, jam, ut bene memini, commonſtravi ſub finem Colloquii tertii in Hiſtoriam primę Mundi Ætatis. His autem, quę ad id evincendum ibidem adduximus, momentis pauca hic adjiciam, quibus palam fiet, Eccleſiam Romanam, ſeu Catholicam, in numerandis annis Patriarcharum primę & ſecundę Ætatis, pręponere Chronologiam Textus Hebręi Codicibus Gręcis, ſeu Chronologię Verſionis LXX. Interpretum, necnon Codicibus Samaritanis. Et primo quidem certum eſt, Eccleſiam Romanam in quinque primis a Chriſto nato ſęculis ſecutam fuiſſe Latinam Scripturę ſacræ Verſionem, dictam *Italam*, in qua anni Patriarcharum primæ & ſecundæ Mundi Æta-

Ætatis putabantur juxta Chronologiam Verſionis LXX. Interpretum; at in ſexto ſæculo hanc Scripturæ Sacræ Verſionem, dictam *Italam*, fuiſſe ab Eccleſia Romana repudiatam, & in ejus locum ſuffectam eſſe Latinam Scripturæ Sacræ Editionem, quam *Vulgatam* appellamus, a *S. Hieronymo* concinnatam, in qua annorum Patriarcharum primæ & ſecundæ Ætatis calculi cum Chronologia Textus Hebræi optime cohærent, & quam longiſſime recedunt ab Epilogiſmo Codicum cum Græcorum, tum Samaritanorum. Hanc autem Latinam Scripturæ Sacræ Verſionem, dictam *Vulgatam*, quæ ab Œcumenico Concilio Tridentino *Authentica* declarata eſt, Eccleſia Romana etiamnum ſtudioſe retinet, & ab ea neminem ne tranſverſum quidem digitum diſcedere debere edixit, quod ſane argumento eſt, Eccleſiam Romanam, in numerandis annis Patriarcharum primæ & ſecundæ Ætatis, approbare Chronologiam ſacri Textus Hebræi, non vero calculos Codicum Græcorum, ſeu LXX. Interpretum, nec etiam calculos Codicum Samaritanorum. Hanc eſſe veram Eccleſiæ Romanæ mentem declararunt ſacræ Congregationes ſuper hac re, jubentibus Romanis Pontificibus habitæ Romæ. At enim, ſacra *Indicis* Congregatio, dum cenſorio ſtigmate confixit tertium ſancti *Juliani*, Archiepiſcopi Toletani, Librum, in quo prædictus Archiepiſcopus, in numerandis annis Patriarcharum primæ & ſecundæ Mundi Ætatis, mordicus adhæret Chronologiæ LXX. Interpretum; hæc, inquam, ſacra *Indicis* Congregatio declarat, certum & omnibus exploratum eſſe debere, Eccleſiam Catholicam in Editione Vulgata approbare annorum rationem, quæ eſt in Codicibus Hebræis. Hæc ſacræ Cardinalium Congregationis cenſoria nota legitur (teſte noſtro *Malvenda* lib. 2. de *Antichriſto* c. 8.) in margine Operis *S. Juliani* in Editione poſteriori *Bibliothecæ Patrum*. Eadem etiam ſacra Congregatio, damnando Annotationes, quas *Antonius Cointius*, Doctor Bituricenſis, in Chronologiam *Nicephori*, Patriarchæ Conſtantinopolitani, edidit, hunc Auctorem ideo cenſura perſtrinxit quod dum nimio ſtudio Chronologiam LXX. Interpretum propugnabat, non videret, ſe incaute hebraici fontis, & Editionis Vulgatæ Chronologiam labefactare, & ſanctos Patres corruptelam Chronologiæ LXX. Interpretum ultro profiteri. Hæc cenſoria iſtius ſacræ Congregationis Nota Tomo ſeptimo *Bibliothecæ Patrum*, Editionis Pariſienſis, anni MDLXXXV. in Chronologia *Nicephori* affixa eſt. Præterea, ſacra Bibliorum Congregatio, ſub Gregorio XV. Pontifice Maximo, habita, & cujus Acta manuſcripta Romæ in Bibliotheca Angelica Patrum Auguſtinianorum aſſervantur, ſanxit, ut in emendandis & caſtigandis Sacris Bibliis, quotieſcumque Codices Græcos inter & Hebræos aliqua occurrit diſſonantia, Codices Hebræi ſemper anteponantur Græcis, juxta Regulam, quam c. 13. lib. 15. *de Civit. Dei* ſuppeditat *S. Auguſtinus*. Ex his itaque momentis nullo negotio colligere potes, Eccleſiam Romanam in numerandis annis Patriarcharum primæ & ſecundæ Ætatis, Chronologiam Textus Hebræi præferre Chronologiæ Codicum Græcorum, ſeu LXX. Interpretum, & calculo Codicum Samaritanorum, quia, ut inquit Sacra *Indicis* Congregatio, Eccleſia Catholica approbat in Editione Vulgata calculum annorum Patriarcharum primæ & ſecundæ Ætatis, qui cum ſacri Textus Hebræi Chronologia apprime cohæret, & a calculo cum Græcorum, tum Samaritanorum longe lateque diſcrepat, ſicut, in Codicibus Græcis agnoverunt ſancti Patres, qui ideo corruptelam Chronologiæ LXX. Interpretum candide profeſſi ſunt. Sed tempus eſt ut vela contrahamus, & tam Colloquio noſtro, quam Hiſtoriæ Sacræ in ſecundam Mundi Ætatem coronidem imponamus, poſtridie, ſi nos Deus, Optimus Maximus, ſoſpites & incolumes ſervet, primum Colloquium in Muſæo noſtro pomeridianis horis habituri in Hiſtoriam tertiæ Mundi Ætatis, quæ auſpicatur a vocatione Patriarchæ *Abrahami*, & protenditur uſque ad egreſſionem Iſraelitarum ex Ægypto.

Finis Tomi Primi.

Digitized by Google

HISTORIA
ECCLESIASTICA
VETERIS TESTAMENTI.
TOMUS SECUNDUS
COMPLECTENS
TERTIAM, ET QUARTAM
MUNDI ÆTATEM.

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS TESTAMENTI,

SEU

TERTIÆ MUNDI ÆTATIS,

Quæ incipit a vocatione Abrahami, *& protenditur uſque ad ingreſſum Populi Iſraelitici in Ægyptum.*

HIſtoriam Eccleſiaſticam Veteris Teſtamenti ab *Adamo*, primo omnium hominum parente, uſque ad vocationem *Abrahami*, hactenus, bene fortunante Deo, perduximus, ac tantam, ſive tempore univerſalis Diluvii, ſive poſt reparatum a tribus filiis *Noemi* genus humanum, aquis Diluvii pene exſtinctum, oſtendimus, fuiſſe malitiam hominum, in omnia flagitiorum genera ruentium, ut inde proclive ſit judicare, Deum his temporibus permiſiſſe tot nefanda hominum ſcelera, ut palam fieret, quam neceſſaria eſſet Incarnatio Unigeniti Filii ſui, quem, ceu Meſſiam, Mundique Liberatorem, miſſurum ſe promiſerat *Adamo*, dum poſt illius peccatum, ſtatim ſerpenti, qui *Evam* ſeduxerat, imprecatus eſt his verbis: *Ipſa conteret caput tuum*, id eſt, Meſſias, qui ex fæmina naſciturus eſt, quemque præfixo tempore mittam, conteret caput tuum. At, ineunte tertia Mundi Ætate, quæ incipit a vocatione Patriarchæ *Abrahami*, & cujus hiſtoriam

Digitized by Google

deſcribere in præſentia aggredimur, voluit Deus hanc ſuam de mittendo Liberatore, ſeu Meſſia, promiſſionem, factam Adamo, evidentius declarare, gentemque ſibi ſpecialiter elegit, e qua verus Meſſias, Jeſus Chriſtus Dominus noſter, carnem humanam induens, in lucem proditurus erat, & generi humano, primigenia protoparentis labe perdito, ſalutem allaturus. Nonnullos igitur homines, Deus, ſumma cujus bonitas prævalet hominum nequitiæ, ſub initium tertiæ Mundi Ætatis, in tanta ubique inundantium malorum colluvie, puros & illibatos ſervavit ſibi, & inter ceteros *Abrahamum*, ex familia *Semi*, filii *Noemi*, oriundum, elegit, ut eſſet pater credentium, & caput numeroſæ gentis, quæ ex eo oritura erat, cuique Deus Leges, Ritus, Sacrificia, aliaque id genus præſcribere debebat, quibus Jeſus Chriſtus Dominus noſter, verus a Deo promiſſus Meſſias, dignitas ejus, opera, vita, doctrina, & mors prænunciarentur, atque ſub variarum figurarum, typorum, atque ſignorum involucris ſignificarentur, ita ut hæc gens, a Deo electa, & cujus caput erat *Abrahamus*, dum eum ſperaret & expectaret promiſſum a Deo Salvatorem, eadem ſpe & expectatione totum impleret Orbem, & huic excipiendo homines aliquando bene præparati eſſent, ſicut eleganter diſſerit *Euſebius*, Epiſcopus Cæſarienſis, Lib. I. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, cap. 2. juxta Editionem Valeſianam, ſed præcipue in Proœmio Lib. VIII. *De Demonſtratione Evangelica*. Hanc autem tertiæ Mundi Ætatis Hiſtoriam tribus Colloquiis, ne a præſcripta nobis methodo recedamus, abſolvemus. In primo Colloquio attingemus, breviter tamen, ſingula, quæ attinent ad ſacram tertiæ Mundi Ætatis Hiſtoriam, inſeremuſque etiam compendioſam narrationem quarumdam rerum exoticarum, quæ, licet ad variarum Nationum profanas Hiſtorias ſpectent, nihiloſecius intelligentiæ Hiſtoriæ ſacræ haud parum ſubſervire, eique aliquid luminis affundere poſſunt. In altero Colloquio proponemus dubia, quæ circa Hiſtoriam tertiæ Mundi Ætatis, tam Theologi, quam Scripturæ Sacræ interpretes movere ſolent, eaque diluemus. In poſtremo Colloquio, præcipua Patriarcharum tertiæ Mundi Ætatis geſta, & Scripta, quæ vel Jeſum Chriſtum verum Meſſiam, adumbrarunt, vel venturum vaticinantur, perſtringemus; atque accuratiorem in putandis eorum annis Chronologiam ſtabilire ſatagemus.

COL-

COLLOQUIUM PRIMUM

In quo attinguntur ſingula, quæ vel ad ſacram tertiæ Mundi Ætatis Hiſtoriam pertinent, vel clariori ejus intelligentiæ inſervire poſſunt.

DISCIP. RES, quas *Abrahamus* pręclare geſſit a tempore, quo ex *Ur* Chaldęorum vocatus eſt a Deo uſque ad ſacrificium, quo, ad obediendum Deo, voluit dilectiſſimum filium ſuum *Iſaacum* mactare, abunde in tertio noſtro Colloquio in Hiſtoriam ſecundę Mundi Ætatis retuliſti, quas quidem ut agnoſcas memorię meę adhuc infixas hærere, eas nunc paucis verbis complectar. *Abrahamum* itaque Deus vocavit ex *Ur* Chaldęorum, Gente Idololatra, ut eum conſtitueret caput Gentis, quam in populum fidelem & peculiarem ſibi ſelegerat. *Abrahamo* promiſit Deus, naſciturum ex ſemine ejus Meſſiam, ſeque ei daturum Terram Chanaan, in quam *Abrahamus*, protinus Deo obtemperans, relicta Charane & cognatione ſua, venit cum *Sara*, uxore ſua, & cum *Lotho*, fratris ſui filio. In hac Terra Chanaan, tanquam peregrinus, ſub Tabernaculis habitavit *Abrahamus*, & ex ea, propter graſſantem famem exire coactus, venit in Ægyptum, ubi *Saram*, uxorem, ut periclitanti vitæ ſuæ conſuleret, vocavit ſororem ſuam, quam in domum Regis ſublatam, lætus poſtea accepit. Ex Ægypto egreſſus *Abrahamus* cum uxore ſua *Sara*, multis locupletatus divitiis, ſeſe in Terram Chanaan recepit. Sed cum hæc Regio multo pecori alendo haud ſufficeret, *Lothus*, a patruo ſuo *Abrahamo* divulſus, ſedes ſuas in urbe Sodoma fixit, qua direpta a Rege *Codorlahomore*, cum & ipſe *Lothus* in hac urbis Sodomæ direptione fuiſſet abductus captivus, confeſtim *Abrahamus*, trecentis & octodecim armatis ſervis ſuis, *Lothum* nepotem ſuum, urbiſque hujus direptæ populum priſtinam in libertatem vindicavit. Redeunti *Abrahamo* a cæde Regis *Codorlahomor*, occurrit *Melchiſedecus*, Sacerdos, qui ei benedixit. Urbem Sodomam, ob nefandiſſimam & præpoſteram ſuorum incolarum libidinem, igne cœleſti conſumpſit Deus, ex quo incendio ſolus *Lothus* ab Angelo ereptus eſt cum uxore & utraque filia; at *Lothi* uxor, cum poſt ſe, contra divinum mandatum, muliebri fortaſſis curioſitate, reſpectaſſet, in ſtatuam ſalis actutum verſa eſt. *Abrahamus ex Agare*, ancilla ſua, quam uxorem duxerat, filium ſuſcepit *Iſmaelem*, quem, licet primogenitum, una cum *Agare*, matre, domo ſua, juſſu Dei, expulit *Abrahamus*, poſtquam *Sara*, altera ipſius conjux, jam in effœta ætate peperiſſet, juxta divinas promiſſiones, *Iſaacum*, in quo benedicendæ erant omnes Gentes, quia ex *Iſaaci* ſtirpe naſciturus erat Meſſias. Cum autem jam adoleviſſet *Iſaacus*, volens Deus fidem & obedientiam *Abrahami* toto Orbe illuſtrem reddere, præcepit huic Patriarchæ, ut eum, quem in deliciis, & in oculis habebat, filium ſuum *Iſaacum* ſuis ipſe manibus mactaret. Deo itaque imperanti, abjecta omni mora, *Abrahamus*, poſt homines natos obedientiſſimus, filium ſuum *Iſaacum* immolandum obtulit; illum tamen non mactavit, quia Deus ipſe, qui juſſerat mactandum, patris fidem explorans prohibuit per Angelum ne faceret. Hæ ſunt in ſumma res ab *Abrahamo* præclare geſtæ, quas in tertio Colloquio in Hiſtoriam ſecundæ Mundi Ætatis late expoſuiſti, quaſque ipſe compendioſa narratione hic perſtrinxi, ut intelligas, eorum, quæ hactenus in noſtris Colloquiis de ſacra Hiſtoria narraſti, notitiam adhuc memoriæ meæ tenaciter inhærere. Sed age nunc, ſi placet, & percenſe cetera, quæ *Abrahamus*, poſt illud ſacrificium, quo, parens divino præcepto, filium ſuum *Iſaacum* mactare vo-

voluit, geſſit uſque ad ſuum obitum.

MAGISTER. Priuſquam de aliis *Abrahami* geſtis uſque ad ipſius obitum ſermonem inſtituamus, præſtat ut obſerves, ſacrificium iſtud, quod Deus ad explorandam fidem *Abrahami*, juſſit, ut ſibi ab illo Patriarcha per mactationem filii *Iſaaci* offerretur, fuiſſe in Populo Dei inſolitum, & apud Barbaros duntaxat Populos, atque Ethnicos poſtea uſurpatum, ſicut memini me jam in præcedentibus noſtris Colloquiis obſervaſſe. At, certum eſt, ſacrificia vel ex animalibus, vel ex frugibus terræ, fuiſſe ab exordio Mundi Deo a Patriarchis oblata, ut liquido conſtat ex ſacrificiis *Abelis*, & *Caini*, huncque morem ejuſmodi ſacrificia Deo offerendi non ſolum ad Patriarchas primæ & ſecundæ Ætatis fuiſſe propagatum; ſed etiam ubique terrarum ad Chriſti Domini uſque adventum obtinuiſſe. Ex quo facile intelligere potes, quam horrenda ſit & plane prodigioſa quorumdam prophanorum hominum, ſeu incredulorum, & Atheorum cæcitas, qui in his ſacrificiis ſemper Deo oblatis, ſive in illo religioſo cultu, qui ab omnibus hominibus ubique terrarum ab ipſo Mundi exordio fuit omni ævo exhibitus Deo, pertinacia pluſquam adamantina detrectant agnoſcere invictum argumentum exiſtentiæ Dei, cui Mundus iſte originem ſuam debeat, & a quo adminiſtretur & regatur. Nam, ut obiter dicam, unde, quæſo, tam conſtans, tamque omnium hominum animis alte inſidens de Deo per ſacrificia colendo (ſi Deus nullus ſit) opinio atque ſententia? Et unde etiam tanta paucis Atheis (ſicut ipſis videtur) ſapientia, ut id ipſi videant, quod, a nulla Gente, nullo Populo, deprehenſum atque animadverſum fuit; imo quod ab omnibus tanquam impium & execrandum, conſtanter & univerſaliter fuit rejectum? Sed miſſis illis miſeris Atheis, qui veritati de exiſtentia Dei, quæ in ſacrificiis Deo ab exordio Mundi oblatis radiis ſolaribus clarior apparet, perfidum pectus, mentemque pertinaciter occludunt; proſequamur nunc cetera *Abrahami* præclare geſta uſque ad ipſius obitum. *Sara*, uxor *Abrahami*, annos nata centum viginti ſeptem, diem ultimum clauſit in civitate Arbee, quæ eſt *Hebron* in Terra Chananæa, ad cujus ſepulturam *Abrahamus*, poſtquam ei parentaſſet, duplicem ſpeluncam ab *Ephrone* Hethæo, filio *Seor*, quadringentis ſiclis emit, ibique ſepulta fuit *Sara*, quæ, ut obiter dicam, typum geſſit B. Mariæ Virginis. *Sara* quippe, admirabili fide prædita, peperit *Iſaacum*, in quo Deus omnibus Gentibus benedicere debebat, juxta promiſſionem, quam Deus fecit *Abrahamo*, Geneſis cap. 17. v. 15. & 16. ei dicens: *Sarai, uxorem tuam, non vocabis Sarai, ſed Saram, & benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus ſum, eritque in Nationes, & Reges populorum orientur ex eo*. Præterea, *Sara* paſſa eſt gravia incommoda ab *Agare*, ancilla ſua, quam *Abrahamus* decennio poſtquam in Terra Chananæa ſuum domicilium poſuiſſet, uxorem duxit, quæque fuit mater *Iſmaelis*: Quæ omnia perfecte præfigurarunt Beatam *Mariam* Virginem, quæ eximia fide donata, omnique gratiarum genere cumulata, Mater fuit ſimul & Virgo, atque Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam a Deo promiſſum, & in *Iſaaco*, filio *Saræ*, adumbratum, peperit, & gaudium ſuo partu attulit univerſo Mundo. Deinde, ſicut *Iſaacum*, filium *Saræ*, exagitavit *Iſmael*, filius *Agaris*; ita Jeſum Chriſtum, Filium B. *Mariæ* Virginis, perſecuti ſunt Judæi, filii Synagogæ, cujus typum geſſit *Agar*, mater *Iſmaelis*. Poſtremo, quemadmodum *Agar*, ejuſque filius *Iſmael*, fuerunt, jubente Deo, ex ædibus *Abrahami* expulſi; ita Synagoga fuit a Deo rejecta ac penitus repudiata; & filii Synagogæ, ſeu Judæi, ab Eccleſia Jeſu Chriſti, quem ceu verum Meſſiam agnoſcere renuerunt, extorres facti ſunt, & per univerſum Orbem diſperſi, miſeriis & calamitatibus oppreſſi, laribus & patrio ſolo profligati, Republica & propria Civitate Hieruſalem privati, ſine Rege, ſine Duce, ſine Templo, ſine Sacerdote, atque omnibus Nationibus exoſi, miſeram ſervitutem ſervire coguntur.

D. Quan-

D. Quandoquidem de *Sara* uxore *Abrahami*, ſermonem jam facere cæpiſti, vellem in primis ſcire, an *Abrahamus*, dum in Ægypti finibus verſaretur, *Saram* uxorem ſuam, quam, ut antea dixiſti, ob eximiam ejus pulchritudinem, *Pharao*, Ægyptiorum Rex, rapuerat, ut ea impudice frueretur, intactam ab eodem receperit, aut vitiatam? Cauſam ea de re dubitandi ingerit mihi altum ſilentium ſacri Scriptoris *Moſis*, qui cap. 12. Libri Geneſis narrans hiſtoriam prioris raptus *Saræ* a *Pharaone*, Rege Ægypti, ne unum quidem profert verbum, ex quo colligi poſſit, *Abrahamum* recepiſſe ab illo *Pharaone* intactam uxorem ſuam *Saram*, quam ille Rex, impotenti libidine flagrans, rapuerat; cum tamen idem ſacer Scriptor *Moyſes* cap. 20. Libri Geneſeos deſcribens hiſtoriam poſterioris raptus *Saræ* ab *Abimelecho*, Rege Paleſtinorum, ſeu Geraritarum, diſerte dicat, *Saram* non fuiſſe violatam, ſeu vitiatam a Rege *Abimelecho*. Sic enim ſcribit *Moyſes* verſ. 4. capitis citati: *Abimelech vero non tetigerat eam*, ideſt, *Saram*. Hunc igitur nodum, ſi placet, diſſolve.

M. *Saram*, conjugem *Abrahami*, non fuiſſe pollutam a Rege *Pharaone* (commune id & appellativum Regum Ægypti nomen erat) conſtans eſt ac perpetua omnium ſententia; idque ſacra hujus loci hiſtoria ſatis evidenter declarat; quippe quæ docet, hunc *Pharaonem* fuiſſe, ob raptum *Saræ*, multis plagis, tam ei, quam toti illius familiæ inflictis, a Deo flagellatum, non alia ſane ratione, quam ut ille Rex, divinis flagellis caſtigatus, a *Saræ* congreſſu, cujus potiundæ inflammatus cupidine erat, deterreretur. Vehemens enim corporis dolor, ut experientia ſat ſuperque notum eſt, omnem ſenſum ardentiſſimæ libidinis reſtringit, ab irrationali & effræni coercet impetu, cohibet incontinentem mentem, ſiſtit concupiſcentiam indomitam, refrænatque laſcivientis furoris inſaniam. Sic Deus per illas pœnas Regi *Pharaoni* immiſſas periclitanti *Saræ* pudicitiæ conſuluit. In hac ratione potiſſimum acquieſcit *Sanctus Auguſtinus*. Accedit præterea altera ratio, quam ſuppeditat Regis hujus *Pharaonis* cum *Abrahamo* expoſtulatio, eum ſic alloquentis: *Quam ob cauſam dixiſti*, Saram *eſſe ſororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem?* Quibus verbis aperte quidem innuit Rex *Pharao*, ſe voluiſſe *Saram* accipere in uxorem, ſed fatetur tamen, ſe necdum eam accepiſſe, quia, ſicut optime obſervat S. *Hieronymus* in Traditionibus Hebraicis in Geneſim, *quæcumque mulierum, juxta Librum Eſter, placuiſſet Regi apud Veteres, ſex menſibus ungebatur oleo myrtino, & ſex menſibus in pigmentis variis erat, & curationibus fœminarum, & tum demum ingrediebatur ad Regem. Atque ita poteſt fieri, ut Sara, poſtquam placuerat Regi, dum per annum ejus ad Regem præparatur introitus, & Abrahæ Pharao multa donaverit, & Pharao poſtea ſit percuſſus a Deo, illa adhuc intacta ab ejus concubitu permanente*. Hactenus Sanctus *Hieronymus*, cujus rationem dilati congreſſus *Saræ* cum Rege *Pharaone* ſuo calculo approbat *S. Auguſtinus*, Quæſtione XXVI. in Geneſim, & in Libro *De octo Dulcitii Quæſtionibus*, Quæſtione VII. Sed, inquis, eccur igitur *Moyſes* cap. 12. Libri Geneſeos non explicate dicit, *Saram* non fuiſſe vitiatam a Rege *Pharaone*, cum tamen cap. 20. ejuſdem Libri exerte dicat, *Saram* in conſimili caſu non fuiſſe pollutam a Rege *Abimelecho*? Huic quæſtioni reſpondet *Theodoretus* quæſt. lxxII. in Geneſim: *Manifeſtum eſt*, inquit, *cum primum Sara rapta eſt a Pharaone, Deum ægrotatione quadam, quaſi vinculo quodam, eum obligaſſe, ne Saram violaret. Ægrotatio enim appetitionem Regis hebetavit, & venator intra retia ſua captam habens feram, quam maxime optabat, præda tamen frui non potuit. Sed quærendum eſt, cur Saram non fuiſſe tactam a Rege* (ſcilicet Pharaone) *hoc loco ſcriptum non fuit, quemadmodum infra ſcriptum eſt* (ſeu cap. 20. Lib. Gen.) *cum eadem* (ideſt, Sara) *poſtea a Rege Abimelecho accepta eſſet? Verum Sara per id temporis* (ideſt, quando rapta fuit a Rege Abimelecho) *paritura erat Iſaac*.

Ne igitur ſuſpectum illud ſemen eſſet, ibi ſcriptum eſt, Saram ſervatam fuiſſe a Deo, ne ab Abimelecho pollueretur. Hæc *Theodoretus*.

D. In hiſtoria de ſepultura *Saræ*, offendi in Scriptura Sacra antilogiam, ſeu contradictionem, quæ, ut candide fatear, multum mihi exhibet negotii, cuique ſolvendæ imparem me eſſe ultro profiteor. *Moyſes* quippe cap. 23. Libri Geneſeos, ait, *Abrahamum* ad ſepeliendam uxorem ſuam *Saram* emiſſe in Hebron ſepulcrum ab *Ephrone*, Hethæo, filio *Seor*. At in Libro Actuum Apoſtolorum cap. 7. legitur, ſepulcrum, quod emit *Abrahamus*, non fuiſſe poſitum in Hebron, ſed in Sichem; illudque ſepulcrum emiſſe Abrahamum non ab *Ephrone* Hethæo, filio *Seor*, ſed a filiis *Emor*, filii *Sichem*. Sic enim *S. Lucas*, loco mox laudato inducit *S. Stephanum* loquentem Judæis: *Et tranſlati ſunt in Sichem* (ideſt, duodecim Patriarchæ filii *Jacob*) *& poſiti ſunt in ſepulcro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor, filii Sichem*. Modum itaque hanc antilogiam conciliandi obſecro te ut mihi aperire non graveris.

M. Ad hunc intricatum nodum diſſolvendum varios cuneos adhibere ſolent Scripturæ Sacræ Interpretes, quos inter nonnulli volunt, locum illum cap. 7. Actuum Apoſtolorum, ubi ſic ſcriptum eſt: *Et tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulcro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor, filii Sichem*, interpolatum, ſeu depravatum eſſe, ſicque reſtituendam eſſe genuinam illius loci lectionem: *Et tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulcro, quod emit Jacob pretio argenti a filiis Hemor, patris Sichem*. Verum, ut cordate fatear, hæc quorundam Criticorum non mihi probatur opinio. Nam, præter quam quod in vocibus adeo diſſimilibus, nulla ex parte Typographorum fingi poteſt depravationis occaſio, certum eſt, omnia Exemplaria ſacri Libri Actuum Apoſtolorum, cum Græca, tum Latina ab ipſis Apoſtolorum temporibus, ad hanc uſque ætatem noſtram jugiter eamdem retinuiſſe lectionem, & *Sanctum Hieronymum*, alioſque Patres, & Scriptores Eccleſiaſticos nunquam ſuſpicatos eſſe, ejuſmodi locum ſub mendo cubare, quamvis in eo dilucidando diu multumque inſudarint. Cum igitur univerſa Scripturæ Sacræ Exemplaria mirifice conſentiant, nemo citra temeritatem locum illum vitiatum eſſe cauſari poteſt. Rejecta itaque hac paucorum Criticorum ſubleſta admodum ac jejuna conjectura, miſſiſque aliorum interpretationibus; perplacet mihi expoſitio *Venerabilis Bedæ*, qui Comment. in cap. 7. Libri Actuum Apoſtolorum rem acu tetigiſſe mihi videtur, dum hunc nodum ſic ſolvit: *Docet Geneſis, Abraham ab Ephron filio Seor Hethæi in Cariatarbe locum ſepulcri quadringentis argenteis ſiclis emiſſe, in quo Abraham, Iſaac, & Jacob, & Adam protoplaſtus ſepulti: itemque Jacob, de Meſopotamia reverſum, juxta urbem Sichem, partem agri, quo tabernacula tenderet, ab Hemor, patre Sichem, datis centum agnis accepiſſe. Non emit ergo Abraham ſepulcrum ab Hemor, Sichemita, ſed ab Ephrone, Hethæo, in quo duodecim Patriarchæ* (ſeu filii Jacob) *non ſunt ſepulti, ſed in Sichem, ut diximus. Verum B. Stephanus vulgo loquens, vulgi magis in dicendo ſequitur opiniones. Duas enim pariter narrationes conjungens, non tam ordinem circumſtantis hiſtoriæ, quam cauſam, de qua agebatur, intendit. Qui enim inſimulabatur adverſus Locum ſanctum, & Legem docuiſſe, pergit oſtendere, quomodo Jeſus Chriſtus ex Lege monſtretur eſſe promiſſus, & quod ipſi nec tunc Moyſi, nec Domino ſervire maluerint. Hæc, ut potui, dixi, non præjudicans ſententiæ meliori, ſi adſit. Porro, quod dicitur: A filiis Hemor, filii Sichem: In Græco Exemplari ſcriptum eſt: A filiis Hemor, qui fuit in Sichem: Quod Geneſis Hiſtoriæ magis concordare videtur; tametſi fieri potuerit, ut idem Hemor patrem & filium Sichem nomine haberet*. Hactenus Venerabilis *Beda*, cujus hac in re *Moyſem* cum *S. Stephano* conciliandi modus planior ac expeditior videtur *Rabano*, *Eſtio*, *Melchiori Cano*, *Emmanueli Sa*, *Saliano*, aliiſque doctiſſimis Scripturæ Sacræ Interpretibus, quibus ipſe aſſentior.

D. Sed dicas, quæſo, qui potuerit

Abra-

Digitized by Google

Abrahamus abſque ſimoniæ peccato emere ab *Ephrone* duplicem ſpeluncam in ſepulturam *Saræ*, cum certum ſit, jus ſepulturæ rebus ſpiritualibus eſſe annexum? Emere autem aut vendere aliquid ſpiritualibus annexum, conſtans eſt omnium Theologorum ſententia eſſe illicitum, & ſimoniæ vitio non carere. Peccavit igitur *Abrahamus*, emendo ab *Ephrone* duplicem ſpeluncam in ſepulturam *Saræ*?

M. *Abrahamum* in emptione duplicis ſpeluncæ in ſepulturam *Saræ* a ſimoniæ labe purgant ſancti Patres, quos inter unum, inſtar omnium, laudabo *S. Thomam*, Doctorem Angelicum, qui 2. 2. Quæſt. C. Art. IV. ad 3. hæc ſcribit: *Dicendum, quod ſpelunca duplex, quam Abraham emit in ſepulturam, non habetur quod erat conſecrata ad ſepeliendum, & ideo licebat Abrahæ terram illam emere ad uſum ſepulturæ, ut ibi inſtitueret ſepulcrum, ſicut etiam nunc liceret emere aliquem agrum communem ad inſtituendum ibi cæmeterium, vel etiam Eccleſiam. Tamen quia apud Gentiles, loca ſepulturæ deputata, religioſa reputabantur, ſi Ephron pro loco ſepulturæ intendit pretium accipere, peccavit vendens, licet Abraham non peccaverit emens, quia non intendebat emere niſi terram communem. Licet enim etiam nunc terram, ubi quondam fuit Eccleſia, vendere aut emere in caſu neceſſitatis, ſicut & de materia ſacrorum vaſorum dictum eſt. Vel excuſatur Abraham, quia in hoc redemit ſuam vexationem. Quamvis enim Ephron gratis ei ſepulturam offerret, perpendit tamen Abraham, quod gratis recipere ſine ejus offenſa non poſſet.* Hæc *S. Thomas*, qui *Abrahamum* in emptione duplicis ſpeluncæ in ſepulturam *Saræ* egregie vindicat. Ceterum, debes hic obiter advertere, *Saram*, plenam dierum, virtutum, bonorumque operum ex hac vita ad Deum migraſſe, ac ſubinde nullam prorſus fidem habendam eſſe quibuſdam Rabbinis, qui, mentem habentes paſtam chymæris, ridicule fingunt, dæmonem ſub humana ſpecie apparuiſſe *Saræ*, eique nunciaſſe, quemadmodum Abrahamus pararet immolare filium ſuum *Iſaacum*. Quo infauſto inſperatoque nuncio, dictitant illi Rabbini, adeo conſternatam animo fuiſſe *Saram*, ut mox, præ doloris magnitudine, fatiſcens, planeque deficiens, vitam cum morte commutarit. Hanc puram putamque Rabbinorum fabulam eſſe pluribus momentis evinco. Primo, quia Scripturæ Sacræ omnino refragatur. Nam *Moyſes*, peracto ſacrificio Arietis, quem in locum filii ſui *Iſaaci* ſuffecit & immolavit *Abrahamus*, narrat, hunc Patriarcham reverſum eſſe Berſabee, atque ibidem habitaſſe: At, *Sara*, ut ait idem ſacer ſcriptor *Moyſes*, mortua & ſepulta eſt in Hebron. Abrahamus igitur Berſabee aliquandiu commoratus eſt, & inde remigravit in urbem Hebron. Præterea, juxta probabiliorem cum *Joſephi*, Hebræi, tum peritiorum Scripturæ Sacræ Interpretum ſententiam, *Iſaacus* attigerat annum ætatis ſuæ vigeſimum quintum, quando pater ipſius *Abrahamus* eum immolare voluit: Cui ſententiæ illud conſequens eſt, fuiſſe tunc *Abrahamum* centum & viginti quinque annorum; genuit ſiquidem *Iſaacum*, cum jam centenarius eſſet. Conſequens etiam iſtud eſt, *Saram*, tempore, quo *Abrahamus* filium ſuum mactare voluit, non ſolum fuiſſe adhuc in vivis, ſed etiam duodecim annis ſuperſtitem permanſiſſe, quia *Sara* peperit *Iſaacum* cum eſſet nonagenaria, & obiit annos nata centum viginti ſeptem, ſicut legitur Geneſis cap. 23. Non deſunt etiam aliqui Scriptores, qui pertendunt, *Iſaacum* attigiſſe dumtaxat annum decimum, aut duodecimum ætatis ſuæ, quando pater ipſius *Abrahamus* illum voluit Deo in ſacrificium offerre. Ex qua ſententia ſequitur, *Saram* longe plures quam duodecim annos, poſt *Iſaaci*, filii ſui, ſacrificium vixiſſe. Sed, ut ingenue dicam, hæc mihi non probatur illorum Scriptorum ſententia, quia *Moyſes* diſerte aſſerit, *Abrahamum* impoſuiſſe humeris *Iſaaci*, portanda ligna in holocauſtum neceſſaria, cui ſane ferendo oneri impar fuiſſet tam tenera ætas, præſertim vero in aſcenſu montis arduo & laborioſo. Tertio ſanctus *Joannes Chryſoſtomus* Homilia de *S. Job* & *Abraham* cenſet, *Saram* omnino neſciviſſe Dei præceptum, da-

Digitized by Google

datum *Abrahamo*, de immolando *Iſaaco*. Quod quidem ita contigiſſe non ſolum ex narratione Moſaica evincitur, verum etiam quia credibile eſt, noluiſſe *Abrahamum* hoc Dei præceptum communicare cum conjuge ſua *Sara*, tum ne illam incredibili dolore afficeret, tum etiam, ne propter acerbiſſimum dolorem, quo *Sara* fuiſſet perculſa, vehementius ipſe in immolatione filii ſui *Iſaaci* fuiſſet animo perturbatus, ac ſubinde non ita prompte, ut par erat, nec tam alacriter Dei mandatum exequeretur. Denique, *S. Auguſtinus* lib. 16. *De Civit. Dei* cap. 33. ait, *Iſaacum* iniiſſe matrimonium cum *Rebecca*, anno ætatis ſuæ quadrageſimo, videlicet anno patris ſui Abrahami centeſimo quadrageſimo: poſt mortem vero matris ſuæ *Saræ* trienino. Cum igitur *Iſaacus* anno, quo ipſius pater *Abrahamus* eum Deo offerre in ſacrificium voluit, jam attigiſſet, juxta probabiliorem ſententiam, annum ætatis ſuæ vigeſimum quintum, & *Rebeccam* anno ætatis ſuæ quadrageſimo, hoc eſt, triennio poſt obitum matris ſuæ *Saræ*, uxorem duxerit, manifeſto ſequitur, *Saram*, poſt annum, quo *Abrahamus* filium ſuum *Iſaacum* mactare voluit, vixiſſe adhuc duodecim annos. Quod autem *Iſaacus* anno ætatis ſuæ quadrageſimo *Rebeccam* uxorem duxerit, aperte teſtatur Scriptura Sacra cap. 25. lib. Geneſis, his verbis: *Abraham genuit Iſaac, qui, cum quadraginta eſſet annorum, duxit uxorem Rebeccam, filiam Bathuelis, Syri de Meſopotamia, ſorore Laban*. Faceſſant itaque Hebræi, qui commentis, ac fabulis male conſarcinatis delectati, fingunt, *Saram*, audito nuncio de immolando filio *Iſaaco*, protinus, inſtar *Niobes*, exanimem factam, obriguiſſe, attonitam obmutuiſſe, atque ex nimio dolore fuiſſe extinctam. *Credat hoc Judæus Appella*.

D. Nunc ſcio, *Iſaacum* anno quadrageſimo ætatis ſuæ, & triennio poſt obitum matris ſuæ *Saræ*, nuptias cum *Rebecca*, filia *Bathuelis*, conjunxiſſe. Sed dicas modo, obſecro te, quo pacto, & quibus auſpiciis *Abrahamus*, pater *Iſaaci*, ejuſmodi nuptias conciliaverit?

M. *Abrahamus*, cui filius *Iſaacus* delectum uxoris conceſſerat, uſus eſt opera ſpectatæ fidei famuli, ſenioris domus ſuæ (quem multi Scripturæ Sacræ Interpretes autumant, fuiſſe *Eliezerem Damaſcum*, qui præerat familiæ *Abrahami*, & de quo fit mentio cap. 15. lib. Geneſeos) huic, inquam, famulo, ſed prius ſanctiſſimo jurejurando obſtricto, delegavit hanc Provinciam, ut omnium maxime ſeriam. Sed quia nolebat *Abrahamus* uxorem dare filio ſuo *Iſaaco*, quæ eſſet e Gente Chananæa, quam ſciebat eſſe a Deo reprobatam, ideo juſſit famulo ſuo, ut iret in Meſopotamiam, ibique ſelectam ex ipſius cognatione puellam ſponſam feſtinanter adduceret ad *Iſaacum*, in Terra Chanaan habitantem. Has porro nuptias non aliis auſpiciis quam æterni Numinis conciliavit *Abrahamus*. Sic enim famulo ſuo cap. 24. lib. Geneſis loquitur: *Dominus cœli & terræ, qui tulit me domo patris mei, & de terra nativitatis meæ, qui locutus eſt mihi, & juravit mihi, dicens: Semini tuo dabo terram hanc, ipſe mittet Angelum coram te, & accipies inde uxorem filio meo*. Profectus famulus, ſtatim ac ad locum, quo tendebat, perveniſſet, oravit juxta puteum, & ad bene fortunandas nuptias imploravit miſericordiam Dei, qui auctor eſt ac proſperator omnis conjugii. Ubi votis ex animis ſententia reſpondiſſent omnia, proſtratus in terram adoravit Dominum, egitque gratias, quod, illo proſperante, res, ut optaverat, lætum ac felicem habuiſſet exitum. Propoſitis ſibi nuptiis aſſenſum præbuit *Rebecca*, ſeſeque ad iter accinxit ex conſenſu parentum, qui filiæ fauſta omnia apprecantes dixerunt: *A Domino egreſſus eſt ſermo, non poſſumus extra placitum ejus quidquam aliud loqui tecum*; ſicut legitur Geneſis cap. 24. v. 50. Igitur *Rebecca*, aliæque puellæ honorariæ, quæ ei inſerviebant, camelis inſidentes, ſecutæ ſunt famulum Abrahami, qui, ut inquit Scriptura Sacra loco mox a me laudato, *feſtinus revertebatur ad Dominum ſuum*. Contigit autem, ut *Iſaacus* obviam iret *Rebeccæ*, ſponſæ ſuæ, quem cum vidiſſet *Rebecca*, & certo accepiſſet,

let, eum eſſe *Iſaacum*, paratum ſibi ſponſum, e camelo, nulla interpoſita mora, deſiliit, honoris ſponſo deferendi gratia, & *accepit cito pallium*, *& operuit ſe*, honeſtatis, & pudoris cauſa, more matronatum, & fœminarum Arabiæ ac Meſopotamiæ, quibus ſolemne fuiſſe vultum velo obtegere teſtatur *S. Hieronymus* Comment. in cap. 3. *Iſaiæ*. Adventantem *Rebeccam*, conjugem ſuam, *Iſaacus* peramanter excepit, ſalutavit, complexus eſt, eamque introduxit in tabernaculum matris ſuæ *Saræ*. Neuter alterum hactenus viderat, & tamen inter eos vehemens & conſtans amor fuit, adeo ut *Iſaacus* obliviſceretur mæroris, quem ex obitu matris conceperat, videlicet & matrem ipſam relicturus, & adhæſurus uxori ſuæ, ſi res ita tuliſſet.

D. Utinam! noſtris temporibus ſic fortunata, ſic ſolis Dei auſpiciis contraherentur matrimonia, peterentque homines, ut par eſſet, a ſolo Deo uxores aptas, morigeras, dociles, pudicitia, modeſtia, ſobrietate, prudentia, ceteriſque dotibus præditas. Huc enim vocat nos *Salomon*, dicens: *Domus & divitiæ dantur a parentibus*, *a Domino autem uxor prudens*. At, proh dolor! tanta invaluit hac noſtra tempeſtate cupiditas, ut Parentes, in deligendo genero, aut nuru, ceu præcipuum ſcopum ſibi, ut plurimum, proponant formam, ætatem, opes, aut generis claritudinem, aut factionem præpotentem; de pietate vero, de bona indole, & de proba educatione, neutra ex parte fiat ulla mentio. Quo fit, ut ſæpenumero pro feliciſſimis concilient inauſpicatiſſima matrimonia, cum caput hujus felicitatis in hoc ſitum ſit, ut apta ſit conjunctio, & inter bonos & æquales ſit perpetua concordia, quæ naſcitur ſimilitudine morum & ingeniorum, ac mutuis officiis & obſequiis. His quippe rebus potiſſimum gignitur aliturque concordia, ſine qua nullum poteſt eſſe felix matrimonium, ſed durum dumtaxat ac triſte jugum, quod conjuges, velint nolint, ferant oportet. Sed hanc querimoniam, quæ longius nos abduceret, prætermittamus, & redeamus ad *Abrahamum*, qui (ut nuperrime legebam in Scriptura Sacra, videlicet Capite XXV. Libri Geneſis) poſt mortem *Saræ*, uxoris ſuæ, ad tertias nuptias convolavit, & quamvis jam ſenio confectus eſſet, matrimonium inivit cum *Cetura*, quam nonnulli tradunt fuiſſe ex Gente Chananæa, cui Deus fuerat imprecatus. Rogo te igitur, ut exponas primo, cur *Abrahamus*, ultimam quaſi vitæ ſuæ metam attingens, voluerit adhuc Veneri indulgere, & procreandis liberis operam dare? Secundo, cur *Abrahamus* matrimonio ſibi copulaverit *Ceturam*, natione, ut quidam volunt, Chananæam, ex qua tamen gente, utpote a Deo reprobata, ipſemet *Abrahamo* filio ſuo *Iſaaco* uxorem accerſere noluerat?

M. Non æſtu libidinis abreptus matrimonium cum *Cetura* inivit *Abrahamus*, ſed cum amaræ ſenectutis jam pondera ferret, eam ſibi uxorem adſcivit, quæ ejus ſenectutem foveret, filios ad propagandum verum Dei cultum pararet, ejuſque familiam recte adminiſtraret. Narrat autem Moyſes, *Abrahamum* ſuſcepiſſe ex *Cetura*, quæ nec vetula, nec nimium juvenis, ſed florentis ætatis erat, ſex filios, nepotes & pronepotes decem. Obiter tamen hic advertere debes, matrimonium, quod *Abrahamus*, jam ſenex inivit cum *Cetura*, nullo pacto favere prodigioſis quibuſdam libidinis exemplis, quæ nunc in nonnullis ſenibus fieri videmus. Sunt enim quidam ſeptuagenarii, qui, ut expleant libidinem ſuam, teneras puellas, vix duodecim annos natas ducunt uxores. Sed multo abſurdius eſt, ſi mulier ſexaginta annos nata nubat juveni, vix vigeſimum ætatis ſuæ annum egreſſo. Nam vir, quamvis ſenex, ex puella poteſt ſuſcipere liberos. Anus ex juvene mater fieri haud poteſt. In utroque tamen fœda ſpecies eſt: nam ſponſus ſenex non cum uxore, ſed cum filia dormire videtur, & anus ſponſa filio nupſiſſe videtur, non conjugi, ſed hujuſmodi nuptias ſi conciliet divitiarum amor, fœdæ ſunt, ſi libido, fœdiores. Eas tamen Eccleſiaſticæ Leges non reſcindunt, quamvis populi ſalibus ac dicteriis flagellentur. Nihil horrum occurit in matrimonio

nio, quod *Abrahamus*, jam ſenex, inivit cum *Cetura*. Abfuit ab hoc matrimonio fæda libido, & *Cetura* non erat tenera puella, ſed florentis ætatis, quando *Abrahamo* ſeni nupta fuit. Non crediderim autem, *Ceturam* fuiſſe, ſicut quidam perperam ajunt, natione Chananæam, alioqui conjugia ex illa gente *Abrahamus* factis in ſeipſo probaſſet, quæ in filio ſuo *Iſaaco* verbis repudiarat, quod certe abhorret ab omni veri ſpecie. Longe itaque probabilius eſſe cenſeo, *Ceturam* fuiſſe ancillam *Abrahami*, natione Ægyptiam, non ſecus ac *Agarem*, alteram ancillam Abrahæ, quam ipſe, ob ſterilitatem *Saræ*, conjugis ſuæ, matrimonio ſibi copulavit. Nam quod dictitant quidam Hebræi, *Ceteram*, eamdem eſſe cum *Agare*, ineptum ac putidum commentum eſt, a veritate Hiſtoriæ Sacræ omnino alienum, quodque ſubinde hic retuliſſe, abunde refutaſſe eſt.

D. Sancta fuiſſe illa matrimonia, quæ *Abrahamus* contraxit cum *Agare*, & *Cetura*, ex eo maxime intelligo, quod iſte Patriarcha, ſicut perhibet Hiſtoria ſacra, viderit filios filiorum quos ei peperit *Cetura*, & filios *Iſmaelis*, quem ſuſcepit ex *Agare*. Hoc enim evidens eſt ſanctitatis matrimonii, & divinæ benedictionis argumentum, ſicut teſtatur Scriptura Sacra Pſalm. 127. dicens: *Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas filios filiorum tuorum &c.* At, utrum *Abrahamus* viderit, antequam moreretur, filios filii ſui *Iſaaci*, quem genuit e *Sara*, & in quo divinæ promiſſiones de orituro ex ipſius ſtirpe Meſſia compleri debebant, nunc a te diſcere percupio?

M. *Iſaacus*, Abrahæ filius, qui, ſicut antea obſervavimus, anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſibi *Rebeccam* matrimonio ſociavit, nullam per viginti annos a contractis nuptiis prolem ex ea ſuſcepit. Videbat quidem *Abrahamus* numeroſam ſobolem filiorum, quos ei pepererant ancillæ *Agar*, & *Cetura*, ſed mirabatur, quod *Iſaacus*, quem ex libera conjuge *Sara* ſuſceperat, cuique Deus innumerabiles filios promiſerat, adhuc ſine liberis eſſet. Hinc *Abrahamus*, viva Fide animatus, ejuſque filius *Iſaacus*, & *Rebecca* jugibus lacrymis, votis ac precibus divinam implorabant clementiam, ut præſentiſſimum ſterilitati *Rebeccæ* remedium afferre dignaretur. Eorum votis & precibus annuit miſericors Deus, fæcundam ſtatim reddidit *Rebeccam*, quæ poſt ſterilitatem viginti annorum, duos geminos concepit, qui tamen, ut inquit Scriptura Sacra, colluctabantur in utero ejus. Hos duos geminos, dictos *Eſau*, & *Jacob*, nono a conceptione menſe peperit *Rebecca*, dum vir ejus *Iſaacus* annum attigiſſet ætatis ſuæ ſexageſimum primum.

D. Eccur, quæſo, iſti duo gemini, *Eſau*, & *Jacob*, antequam in lucem ederentur, jam intra materni ventris clauſtra luctabantur? & quid, ſodes, præfigurabat domeſticum iſtud diſſidium?

M. Iſtius inteſtini diſſidii, quo iſti duo pueruli in utero matris *Rebeccæ* inter ſe collidebantur, duplex poteſt afferri ratio. Prima eſt, quia inter hos fratres, *Eſau*, & *Jacob*, quamquam uterinos, quamquam gemellos, nunquam perfecta potuit coire concordia. *Eſau* enim ſemper odio habuit *Jacob*, Jacob, contra, etſi non reſponderit odio mutuo, fugit tamen, ſuſpectumque ſemper habuit *Eſau*, neque ſeſe illi credidit. Altera ratio iſtius diſſidii inter duos illos fratres in utero matris petitur ex typo, quem iſti duo fratres gerebant. *Eſau* ſiquidem, utpote totus terrenus & carnalis, præfigurabat *Carnem*, quam interdum Apoſtolus *Paulus* appellat *Corpus*, interdum *exteriorem hominem*, nonnunquam *legem membrorum*. At, *Jacob*, qui totus erat cœleſtis & ſpiritualis, typum gerebat *ſpiritus*, quem modo *interiorem hominem*, modo *legem mentis* vocat idem Apoſtolus. Dimicabant ergo inter ſe fratres illi in utero materno, quia præfigurabant perpetuum iſtud ac inteſtinum bellum, quod eſt carnem inter & ſpiritum. Ait enim ſæpe laudatus Apoſtolus: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*. Idem alibi: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*. Denique alio in loco. *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini, ſi ſpiritu facta carnis mortificaveri-*

veritis, *vivetis*. Ex quo patet, Apoſtolum *Paulum* eodem in homine duos homines (*interiorem* videlicet & *exteriorem*) facere adeo conglutinatos, ut neuter ſine altero, neque in gloria, neque in gehenna ſit futurus adeo rurſum disjunctos, ut unius mors, vita ſit alterius ac nova rerum converſione, quamdiu in hac vita mortali ſuperſtites ſumus, quærere debeamus in bello pacem, in pace bellum, in morte vitam, in vita mortem, in ſervitute libertatem, in libertate ſervitutem. Hæc igitur colluctatio *Eſau*, & *Jacob* in utero materno figura fuit illius inteſtini, quod eſt inter corpus & ſpiritum, belli, quo Apoſtolus *Paulus* etiam gravatus exclamabat: *Infelix ego homo*, *quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

D. Diſtinctius, ſi placet, expone, quo pacto *Eſau* fuerit homo terrenus & carnalis, *Jacob* vero, ejus frater, extiterit homo cœleſtis & ſpiritualis?

M. *Eſau*, & *Jacob* in utero matris *Rebeccæ*, ut mox diximus, luctabantur; ſed *Eſau* præoccupavit exortum, ſicque fuit natura primogenitus, *Jacob* vero præripuit benedictionem. Prius enim carnale, at quod ſpirituale potius eſt. *Eſau* erat rufus & pilis obſitus; *Jacob* levis & ſuaviſſimis moribus præditus. *Eſau* inquietus & venator erat; contra, *Jacob* domeſtico gaudebat otio. *Eſau* famelicus, & ventris, magis quam honoris, ſollicitus, edulio lentis, vilique voluptatis auctoramento illectus, jus ſuæ primogenituræ vendidit fratri ſuo *Jacobo*, qui quod ſibi jure non debebatur, arte gratiæ ſibi vindicabit. Jacob ſolus vidit Dominum, *Eſau*, ut ſanguinarius, gladio vixit. Dominus a matre *Rebecca* conſultus reſpondit: *Major*, id eſt, *Eſau*, *ſerviet minori*, ſeu Jacobo. Et pater *Iſaacus Eſau* dixit: *Fratri tuo*, ſeu Jacobo, *ſervies*. Sed vide inſuper quam pie & ſpiritualiter in contrahendis nuptiis ſe geſſerit Jacob, quam vero impie & carnaliter *Eſau*. Accepta Jacob a patre ſuo *Iſaaco* benedictione, venit, juxta præceptum ſibi a patre ſuo impoſitum in Meſopotamiam ad *Laban*, avunculum ſuum, ut ex ejus familia uxorem duceret. Longinquam illam ac pericoloſam peregrinationem, ut morem gereret præcepto patris ſui, ultro ſuſcipit, nec vim inferre cogitat, nec inſidias ſtruit puellæ, ſed, poſt viſionem Angelorum, adorat Dominum, & erecto lapide, quem capiti ſuppoſuerat dormiturus, votum nuncupat Deo. His auſpiciis fretus adit domum *Laban*, videt filiam ejus *Rachelem*, eamque ſtatim deperire cœpit, & eam habere ſponſam vehementer optat, nec tamen puellæ clam loquitur de matrimonio, ſed paciſcitur cum *Laban*, ejus patre, conjugium *Rachelis* ſeptem annorum famulatu: nec interim vel ſummis digitis attingit adamatam puellam, verſans in iiſdem ædibus, atque adeo utens paſcuis communibus, ſed per ſeptennium æſtus, frigora, alioſque id genus annexos vitæ paſtoritiæ labores patientiſſime & conſtantiſſime toleravit, ut promiſſo dilectiſſimæ Rachelis connubio potiretur. Demum, e volutis illis ſeptem famulatus annis, dum magno apparatu celebrantur nuptiæ, concubia nocte in lectum *Jacobi*, loco *Rachelis*, per dolum *Laban* intruſit *Liam*, ſororem *Rachelis*, minus pulcram, & lippitudine laborantem. Hanc fraudem ſibi factam cognovit quidem ſequenti diluculo *Jacob*, non tamen ſuſcitavit divortium, ſed, renovata cum *Laban* pactione, recepit duram ei per aliud ſeptenium inſerviendi conditionem, modo, poſt emenſum hujus ſeptenii ſpatium, ipſi uxorem daret Rachelem, cujus amore flagrabat, tanta vis erat amoris: ſed rurſus tanta pudicitia, ut intra tot annos nulla conſuetudinis occaſio pepulerit animum ejus, ut ante legitimum tempus furtivo congreſſu delibaret conjugem ſuam. Vis denique audire exitum ſancte illius initi conjugii? Genuit Jacob duodecim filios. Iſraeliticarum Tribuum Principes. Hoc pacto felix, auſpicatumque *Jacobi* conjugium bene fortunavit Deus. At, vide nunc quam impie & carnaliter *Eſau*, frater *Jacobi*, in contrahendis matrimoniis ſe ſe geſſerit. Nec enim ex patris *Iſaaci* ſententia uxorem accepit, nec ullam in ſociandis ſibi uxoribus pietatis, religionis, probitatiſque morum rationem habuit, ſed opes dun-

Digitized by Google

duntaxat, formam, ac libidinem ſecutus, duxit uxores tres ex gente Chananitide, a Deo rejecta, & ex his ſuſcepit filios impiarum a reprobatarum gentium, ſemper Iſraelitico Populo rebellium, auctores. Quæ cum ita ſint, nullo negotio intelliges, quam vere *Jacob* appelletur homo cœleſtis & ſpiritualis, & verſa vice *Eſau* dicatur vir terrenus, & carnalis. Facile etiam intelliges, quam juſtum ſit illud de diſparibus ipſis duobus fratribus diſpar iſtud a Deo editum oraculum: *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*. Hic autem obiter advertere debes, *Abrahamum*, poſtquam filio ſuo *Iſaaco* nati fuiſſent *Jacob*, & *Eſau*, in bona ſenectute, & viribus ſenſim ſine ſenſu deficientibus, mortuum eſſe anno ætatis ſuæ centeſimo ſeptuageſimo quinto, & a liberis ſepultum in illa duplici ſpelunca, quam S. hic Patriarcha ad ſepulturam conjugis ſuæ *Saræ* emit ab *Ephrone*, Hethæo, ſicut ſuperius obſervavimus.

D. Multa de *Jacob*, & *Eſau* curſim attigiſti, quorum ampliorem notitiam deſidero. Expone igitur primo, quo pacto *Jacobus* paternam benedictionem, quæ *Eſau*, fratri ſuo, jure primogenituræ, debita erat, ſurripuerit? Secundo, hoc dirime dubium, an *Eſau*, vendens fratri ſuo *Jacobo* jus primogenituræ ſuæ, & *Jacob*, prædictum primogenituræ jus emens a fratre ſuo *Eſau*, peccaverint?

M. Cum *Iſaacus* jam ſenex decrepitus eſſet, & lippos oculos ac caligantes haberet, voluit ultimam benedictionem impertiri filio ſuo *Eſau*. Eum itaque accerſivit, eique juſſit ut venatum iret, & ex capta præda ei pararet epulas. Dicto patris ſtatim audiens *Eſau*, venator bonus, pergit ad ſylvam. Interim *Rebecca*, quæ divinitus noverat, minorem filium ſuum anteponendum eſſe majori, manus & collum *Jacobi* pellibus hædinis cooperuit, ſicque *Jacob*, perſonam *Eſau* ementitus, furtim obrepens, poſtquam *Iſaaco* obtuliſſet pulmentum, a *Rebecca* matre, de induſtria coctum, & quo *Iſaacus* libenter veſcebatur, tandem a patre ſuo, tactui potius, quam auribus credente benedictionem obtinuit; ita volente Deo, qui factum *Eſau* vendentis fratri ſuo *Jacobo* jus primogenituræ approbavit, illudque tranſtulit in fratrem minorem. Sed an *Jacobus* mendacium protulerit, & æquivocis, ancipitiſque ſignificationis vocibus uſus fuerit, dum, ad facilius ſuffurandam benedictionem, patri ſuo *Iſaaco*, dixit, *Ego ſum filius tuus Eſau?* difficultas eſt, quam in proximo noſtro Colloquio opportunius excutiemus. Ceterum, ad Dubium, quod propoſuiſti, breviter reſpondeo, peccaſſe quidem *Eſau*, dum vendidit jus primogenituræ ſuę, ſed non peccaſſe *Jacobum*, qui illud jus ab eo emit. Ratio eſt, quia juxta Hebræorum traditionem (quam *S. Hieronymus* approbat in libro, quem edidit *de Traditionibus Hebraicis*). Sacerdotium, ab univerſalis Diluvii tempore, primogenitorum principatui annexum fuit, præſertim in familia *Iſaaci*, quæ hoc potiſſimum nomine jus primogenituræ habuit, quod ipſi promiſſa fuerit a Deo Meſſiæ nativitas, præſertim cap. 26. v. 4. Libri Geneſis, ubi ſic Deus alloquitur *Iſaacum*: *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas Cæli, daboque poſteris tuis univerſas regiones has, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*. Peccavit igitur *Eſau*, hoc primogeniti jus vendens, & hac de cauſa ab Apoſtolo *Paulo* cap. 12. v. 16. & 17. Epiſtolæ ad Hebræos vocatur *Prophanus*, eo quod *propter unam eſcam vendidit primitiva ſua. Scitote enim, quoniam & poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam*. At, quod ſpectat Jacobum, qui a fratre ſuo *Eſau* emit jus primogenituræ, diſerte docet *S. Thomas* 2. 2. Quæſt. C. Art. IV. ad 3. eum non peccaſſe: ſic enim ait Angelicus ille Doctor: *Jus primogenituræ debebatur Jacob ex divina electione ſecundum illud Malachiæ*; Jacob dilexi, Eſau autem odio habui. *Et ideo Eſau peccavit primogenita vendens: Jacob autem non peccavit emendo; quia intelligitur ſuam vexationem redemiſſe*.

D. Necdum bene capio, quod de *Jacob* fratre *Eſau* paulo ante dixiſti,

eum

eum videlicet genuiſſe duodecim filios, qui fuerunt duodecim Tribuum Iſraeliticarum Principes. Quocirca, ni moleſtum ſit, recenſe primo duodecim illos filios, quos procreavit *Jacob*. Secundo, expone, quid ſibi velint iſti duodecim Tribuum Principes? Poſtremo, cur iſtæ duodecim Tribus appellatę ſint *Iſraeliticæ*?

M. Patriarcha *Jacob* duodecim genuit filios, quorum ſex nati ſunt ex *Lia*, ſorore *Rachelis*, videlicet *Ruben*, *Simeon*, *Levi*, *Judas*, *Iſſachar*, *Zabulon*; duo ex ancilla *Liæ*, nempe *Gad*, & *Azer*; duo ex ancilla *Rachelis*, ſcilicet *Dan*, & *Nephtali*; & tandem duo ex *Rachele*, nempe *Joſephus*, & *Beniaminus*. Iſti duodecim filii *Jacobi*, fuerunt duodecim Tribuum Principes, id eſt, Patriarchæ, quia unuſquiſque ſuam Tribum, ſeu familiam conſtituit, & ſuæ cuilibet peculiari Tribui nomen ſuum indidit. Sed cur duodecim iſtæ Tribus appellatę ſint *Iſraeliticæ*? Paulo uberius explicandum eſt. Dum *Jacobus* cum tota ſua familia & omnibus bonis ex ædibus ſoceri ſui *Laban* tacitus ad Patrem ſuum Iſaacum reverteretur, eum, tanquam fugitivum, ira percitus *Laban* inſecutus eſt. Sed *Jacobus*, ſingulari Dei protectione munitus, delinivit iram ſoceri ſui *Laban*, & cum ipſo perpetuę & nunquam abrumpendæ pacis & amicitiæ fœdus inivit. Hoc periculo expeditus *Jacobus*, cępto pergebat itinere, in quo iterum periclitatus eſt. Occurrit enim ei frater ipſius *Eſau*, armatis viris bene ſtipatus, & injuriam inferre paratus, quem tamen *Jacobo*, recreatus viſione Angelorum, placavit ac dimiſit, ipſe vero ſolus nocte manſit in caſtris, ubi nocturnum cum Angelo luctamen habuit, donec illuceſceret auroræ, extititque in illa lucta victor. Quod autem virtutis ſuæ præmium tulerit fortiſſimus illę Palęſtrites, accurate narrat Hiſtoria Sacra: Primum *Jacobo* benedixit Angelus in eodem loco. Deinde, tacto femore emarcuit nervus *Jacobi*, victoris. Quo externo ſigno claudicantis uno pede *Jacobi* oſtendere voluit Angelus, qui cum *Jacobo* luctatus fuerat, Deum execrari eos, qui utroque pede claudicant, id eſt, qui ſimul & in carne eſſe, & Deo placere volunt, dumque utrumque male conantur, in utroque claudicant; at verſa vice, felices illos eſſe, in quibus ſic adfectus carnis emortuus eſt, contingente Deo, ut dextro pedi potiſſimum, hoc eſt, ſpiritui, & non carni, innitantur. Poſtremo Angelus, qui tota nocte cum *Jacobo* luctatus erat, affulgente jam aurora, mutavit illius nomen, eique juſſit, ut deinceps non *Jacob* appellaretur, ſed *Iſrael*, hebraice *Sara el*, id, eſt *Dominatus Deo*, quod *Jacob* peculiari Dei auxilio pręvaluiſſet in lucta contra Angelum, qui Deum referebat, ſicut obſervat *Menochius* in cap. 32. lib. Gen. Ab hac igitur nova *Iſraelis* nomenclatura, *Jacobo* ab Angelo impoſita, duodecim Tribus, ſeu familiæ, quæ a duodecim filiis *Jacob* propagatę ſunt, appellatę fuerunt *Iſraeliticæ*.

D. Genuitne dumtaxat Patriarcha *Jacob* duodecim illos filios, quorum nomina mox retuliſti?

M. Præter duodecim iſtos filios Patriarcha *Jacob* ſuſcepit ex conjuge ſua *Lia*, ſorore *Rachelis*, unam filiam, dictam *Dinam*, quę ad ętatem adultam cum perveniſſet, & eximia pulcritudine prędita eſſet, magnum parenti ſuo circa Sichimorum urbem degenti, totique familiæ ſuę intulit damnum. *Dina* ſiquidem, *Jacobi* pulcherrima filia, liberius ac curioſius, quam virginem deceret, urbem Sichimorum, præter auctoritatem patris ſui, ſubire ſolebat, & in aliena illa civitate ſpectatrix, ac viciſſim ſpectanda obambulabat. Contigit autem, ut *Sichemus*, filius *Hemoris*, hujus Regionis Principis, ſtatim ac oculos in eam conjeciſſet, tanto illius amore deflagrarit, ut eam per vim rapuerit, atque conſtuprarit. Deferveſcente poſtea libidinis ardore, *Sichemus* per patrem ſuum ambiit *Dinę* matrimonium, eamque uxorem a parente *Jacob*, & a puellę fratribus petiit. Conſenſerunt illi, ea tamen lege, ut (cum puellam non poſſent incircumciſo nuptui tradere) ipſe cum omnibus ſuis circumcideretur. Annuit Sichimorum Princeps,

ceps, injectum hamum incaute devoravit, nullaque interpoſita mora, ſibi, ſuiſque omnibus circumcidi præputia juſſit. Sed vide, ſodes, qui fuerit tam violenti ac præpoſteri matrimonii exitus? Poſt iſtius imperatæ circumciſionis triduum, dum dolor ex inflicto vulnere gravior & acutior eſſet, *Simeon*, & *Levi*, ob raptam, & violatam *Dinam*, ſororem ſuam, vindictæ cupidi, cum famulis armati urbem Sichimorum irrumpunt, omnes ad unum hujus civitatis mares, lectulis, propter nimium, quem patiebantur, dolorem, affixos, ſubindeque inermes, ac nihil minus cogitantes, jugulant, interficiunt, mulieres & pueros captivos abducunt, & omnia bona in prędam rapiunt. *Hemorem*, hujus Regionis Principem, ejuſque filium *Sichemum* occidunt, & *Dinam*, ſororem ſuam, e domo *Sichemi*, ubi a die ſtupri manſerat, violenter tollunt. Certe, in hoc filiorum *Jacobi* crudeli facinore multiplex, ut optime obſervat, mox a me laudatus *Menochius*, fuit peccatum; primo videlicet *mendacium*. Secundo, *perfidia*. Tertio, *inobedientia* erga parentem *Jacobum*, quem iſta non probaturum ſatis intelligebant. Quarto, *injuſtitia belli*, cum penes illos ſumma poteſtas non eſſet, ſed penes *Jacobum*, eorum parentem. Quinto, *ſacrilegium*, quia ſacra circumciſionis ceremonia ad injuſtam cædem, pluſquam ſcythica barbarie abuſi ſunt. Sexto, *crudelitas*, quod ultra modum ſęvierint. Septimo, *temeritas*, quod parentem *Jacobum*, totamque illius familiam, irritatis illis populis, in ſummum diſcrimen adduxerint. Hoc ſiquidem teterrimum & a ſęculis inauditum facinus potuiſſet facile univerſos Chananęos in familia *Jacobi* integrum excidium armare, niſi Deus eis metum panicum incuſſiſſet, & plus valuiſſet apud Deum pietas *Jacobi* ad miſericordiam, quam filiorum improbitas ad ultionem ſacrilegæ temeritatis. Quod ſi in libro *Judithæ* capit. 9. hoc *Simeonis* factum laudari videtur, juſtitia tantum Dei ibi laudatur, qua Sichimitarum impuritas & violentia vindicata eſt, Deuſque dicitur gladium *Simeoni* dediſſe ad eum modum quo poſtea Aſſyriis & Chananæis datus eſt gladius, ut divinæ juſtitiæ adminiſtri eſſent ad punienda peccata, quamvis ipſi a ſcelere non eſſent immunes. Potuiſſet quidem Deus, ſi voluiſſet, impedire tot peccata, quæ in uno facinore, ſeu in cæde Sichimitarum perpetrarunt filii *Jacob*, ſertam tectam conſervando pudicitiam *Dinæ*. At, permiſit Deus ſtuprum *Dinæ*, ut hoc exemplo intelligerent ceteræ puellæ, quæ adhuc illibatum ſervant virginitatis florem, uſquam tutiorem eſſe formæ & pudicitiæ theſaurum quam domi, nec uſquam magis verſari decere pudicam virginem, quæ pulcritudinem ſua morum integritate, vitæ frugalitate, cultu ſimpliciori, & perpetua a conſpectu & colloquiis hominum fuga ſollicite cuſtodire, debet, & ſingularem modeſtiam, dum cogitur prodire in publicum, fronte, oculis, vultu, totoque corporis geſtu proferre citra fucum. At enim, ut obiter dicam, non domi periclitata eſt pudicitia *Saræ*, ſed quando peregre profecta eſt. Rapta eſt *Dina*, ſed apud exteros. Deus tamen curam habuit pudicitiæ *Saræ*, quia maritum ſuum *Abrahamum*; Dei juſſu, comitata eſt. *Dina* violata eſt, quia, inconſulto patre ſuo *Jacobo*, liberius in aliena civitate obambulans, occaſionem dedit adoleſcenti Principi ejus pudicitiæ inſidias ſtruendi, eamque ad ſtuprum rapiendi: *deprædari enim deſiderat* (ut inquit *Sanctus Gregorius M.* Homilia XI. in Evangelia) *qui theſaurum pubiice portat in via*.

D. Hunc acerbum dolorem, quem Patriarcha *Jacobus*, ob raptum filiæ ſuæ *Dinę*, & cædem Sichimitarum, pertulit, ſolatuſne eſt Deus aliquibus proſperis ac fauſtis eventibus?

D. Deus, qui, ut inquit Scriptura, Electos ſuos tanquam aurum in fornace probare ſolet, afflicto jam *Jacobo* novas addidit afflictiones, effecitque, ut præcedentibus luctuoſis eventibus luctuoſiores ſuccederent. At enim, *Jacobus*, poſt raptum filiæ ſuæ *Dinę*, & injuſtam Sichimitarum cædem, amiſit dilectiſſimam *Rachelem*, conjugem ſuam in dolore partus, id eſt, poſtquam

Digitized by Google

quam enixa eſſet *Beniaminum*. Tanti vulneris, quod mors *Rachelis* cordi *Jacobi* alte infixerat, necdum obductam cicatricem paulo poſt refricuit *Rubeni*, filii *Jacobi*, ingens cum *Bala* una ex uxoribus *Jacobi*, flagitium. *Rubenum* quippe non puduit dormire, & rem habere cum *Bala*, noverca ſua, & patrare graviſſimum peccatum, quod ipſa natura averſatur, quodque cum inſigni divini numinis injuria, cum dedecore & probro conjunctum, longe gravius Patriarcham J*acobum*, quam intempeſtiva *Rachelis* mors, afflixit. Acceſſit, matrimonium, quod J*udas*, inconſulto parente J*acobo*, inivit in civitate *Odolla* cum filia Chananæa. Quod certe matrimonium ægerrime tulit J*acobus*, qui, juxta mandatum Dei, diſtricte prohibuerat filiis ſuis, ne uxores acciperent ex Gente Chananæa, utpote a Deo reprobata. Tandem acerbiſſima jactura, quam Patriarcha J*acobus* fecit cariſſimi filii ſui J*oſephi*, quem in ſenectute ſua ex dilectiſſima conjuge *Rachele* ſuſceperat, & quem fratres ſui, invidia in illum perciti, Iſmaelitis, ſeu Madianitis mercatoribus, vili pretio vendiderunt; hæc, inquam, omnium maxima filii J*oſephi* jactura J*acobo* pectus effodit, vulnus adegit altius, & dolorem dolore cumulavit.

D. Cedo, ſi placet, cauſam, cur J*oſephus* ſibi conflaverit odium & invidiam fratrum ſuorum?

M. Triplex hujus odii & invidiæ fratrum J*oſephi* poteſt aſſignari cauſa. Prima eſt, quod J*oſephus* fratres ſuos, cum quibus paſcebat gregem, accuſaverit apud patrem ſuum (ſicut legitur cap.37. libri Geneſis) *de crimine peſſimo*, id eſt, de peccato contra naturam, vel ſodomitico, ut vult *Rupertus*, vel beſtialitatis cum ovibus, quas paſcebant, ut vult *S. Thomas*, quem ſequuntur multi Scripturæ Sacræ Interpretes. Hinc prima in J*oſephum* odii fratrum ipſius origo. Alteram cauſam odii & invidiæ fratrum J*oſephi* aperte Scriptura eodem in capite, mox a me laudato, indicat his verbis: *Iſrael*, ſeu J*acob*, *diligebat* J*oſeph ſuper omnes filios ſuos, eo quod in ſenectute genuiſſet eum, fecitque ei tunicam polymitam*: (id eſt, veſtem ex ſegmentis alterius materiæ vermiculato opere variegatam) *videntes autem fratres ejus, quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui*. Quam in rem appoſite ait *S. Ambroſius* cap. 2. libri, quem edidit *de ſancto* J*oſepho*: J*acob illum*, ſeu J*oſephum*, *plus amabat, in quo majora virtutum inſignia prævidebat, ut non tam filium pater prætuliſſe videbatur, quam Propheta miſterium; meritoque variam tunicam fecit ei, quo ſignificaret, eum diverſarum virtutum amictu fratribus præferendum*. Poſtrema cauſa odii & invidiæ fratrum J*oſephi* in ipſum fuit relatio ſomniorum ejuſdem J*oſephi*. Narravit quippe J*oſephus* patri ſuo J*acobo*, auſcultantibus fratribus ſuis, ſe ſomniaſſe, quod cum alligaſſet (ut ſibi videbatur per viſum) manipulos in agro cum fratribus ſuis, ſurrexerit manipulus ejus, & ſteterit erectus: converſi autem fratrum manipuli adoraverint manipulum ſuum. Narravit etiam J*oſephus* patri ſuo & fratribus ſuis aliud ſomnium, dicens: *Vidi per ſomnium, quaſi Solem, & Lunam, & undecim Stellas adorare me*. Hac innocentiſſimi juvenis J*oſephi* (erat enim tum temporis ſexdecim duntaxat annorum) relatione ſomniorum, quæ futuræ illius magnæ fortunæ haud obſcura indicia erant, offenſos ſe ac contemptos eſſe arbitrantes ejus fratres, in apertum odium eruperunt, & in ejus perniciem certatim conſpirare cæperunt.

D. Raram eſſe concordiam fratrum utique novi, miror tamen fratrum J*oſephi* animos eo uſque in juvenem illum innocentiſſimum fuiſſe exaſperatos, ut in ejus venditionem conſenſerint. Sed perge, quæſo, narrare, quo pacto facinus tam improbum & audax executioni mandaverint.

M. Juſſit J*acobus* filio ſuo J*oſepho*; ut iret ad agrum, in quo fratres ipſius gregem paſcebant, ut videret, quomodo & ipſi & pecora valerent. Præcepto patris obtemperans obedientiſſimus filius ad fratres ſuos feſtiue advolavit. Sed heu! vix eum eminus venientem conſpexerunt fratres ſui, opportunam eum

perdendi occcaſionem nacti, in eam iverunt ſententiam, *Joſephum* (quem per ludibrum *ſomnatorem* appellitabant) in ciſternam aridam dimittendum eſſe, ut ibi fame necatus, inſcio patre, periret. In hos itaque acerbiſſimos inimicos incidens *Joſephus*, & exutus tunica polymita, qua ex amore fuerat a patre donatus, in cyſternam dimiſſus eſt. Non arriſit *Judæ*, uni e fratribus *Joſephi*, tam tetrum facinus, auctorque fuit ſuis fratribus, ut *Joſephum* ex illa ciſterna retractum, venderent Madianitis, ſeu Iſmaelitis mercatoribus, hac tranſeuntibus, qui illum perpetuæ ſervituti mancipatum, in Ægyptum deportarent. In ſententiam *Judæ*, manibus, pedibuſque deſcenderunt alii fratres *Joſephi*, qui illum, e ciſterna extractum, Iſmaelitis, ſeu Madianitis, vendiderunt homines illi vere ferrei, & erga fratrem ſuum *Joſephum*, qui illos precibus ac lacrymis ad miſericordiam flectere ſtudebat, ſaxa ac ſcopulos geſtantes in cordibus ſuis. Sed non fuit hic ultimus crudelitatis fratrum *Joſephi* actus. Veſtem polymitam, qua *Joſephum* ſpoliaverant, pleriſque locis data opera laceratam, & hædino aſperſam ſanguine ad *Jacobum*, eorum parentem, miſerunt, quam ubi vidit bonus ille ſenex, exclamavit: *fera peſſima devoravit filium meum Joſeph*, tantoque dolore in tam gravi jactura perculſus eſt, ut nullo ſolatio deliniri poſſet, quamvis ejus lacrymas abſtergere conarentur ejus filii, ſacrilegi conſolatores.

D. Horret animus tam indignum fratrum *Joſephi* audire facinus. Sed dicas, quæſo, quam ſortem habuerit juvenis *Joſephus*, a barbaris & ignotis mercatoribus in Ægyptum deportatus?

M. Juvenem *Joſephum*, per invidiam a fratribus diſtractum, & in Ægyptum deductum, *Putiphar*, Præpoſitus Cubiculariorum Regis *Pharaonis*, ab illis mercatoribus Iſmaelitis, ſeu Madianitis, emit, cumque vidiſſet ingenuam, qua pollebat juvenis *Joſephus*, indolem, eximium morum ejus candorem, & eminentem in illius vultu cum liberali pudore modeſtiam, quæ illum omnibus non minus amabilem, quam admirabilem reddebat, illum impenſe amare cœpit, tantique fecit, ut eum omnibus ſuis bonis præfecerit. Domum *Putipharis* per decem annos ſapienter atque feliciter adminiſtravit *Joſephus*. At, cum eſſet pulcherrimus, juxta ac caſtiſſimus, ad ſtuprum a *Putipharis* conjuge, ipſius hera, quæ ejus amore flagrabat, qua verbis, qua precibus, qua pollicitationibus, qua minis ſolicitatus eſt, jamque adhibita manu, & apprehenſo *Joſephi* pallio, procax illa mulier Ægyptia votis ſuis ſe fruituram ſperabat, cum ſubito *Joſephus*, malens mori, quam fœdari, relicto in manibus mulieris pallio, ſeſe ab ejus impudicis complexibus expedivit, & repentina fuga pudicitiæ ſuæ conſuluit. Indoluit, ſupra quam dici poteſt, hæc impudentiſſima fœmina, videns ſpes ſuas deluſas, & prædam cui avidiſſime inhiabat, e manibus ſuis excuſſam. Hinc, amore in furorem converſo, nihil intentatum reliquit ut perderet *Joſephum*, & in ejus caput, pœnam, quam ipſa juſtiſſime merebatur, refunderet. Nec ei infeliciter ſucceſſit eventus. Exclamavit, voluiſſe *Joſephum* vim ei inferre, retentum ejus pallium oſtentavit, clamoribus quæſtus & lacrymas, doctas mentiri, miſcuit: uno verbo; ſic accuſationem ſuam, ac falſam delationem mendaciis adornavit, ut omnem criminis ſuſpicionem a ſe amolita fuerit, & *Joſephus*, tanquam tentator herilis pudicitiæ, in carcerem detruſus ſit, fidei & innocentiæ ſuæ pœnas luiturus.

D. Sexum muliebrem duobus potiſſimum vitiis obnoxium eſſe probe ſcio. Appetit quippe placere cultu, & impatiens eſt injuriarum, aviduſque vindictæ. Sed dicas, velim, quot annos *Joſephus* manſerit in carcere concluſus, & quo pacto inde emerſerit?

M. Per triennium *Joſephus* in carcere manſit una cum duobus Aulicis Regis *Pharaonis*, quorum unus ei a poculis, alter piſtorum magiſter erat, quique ejuſdem Regis juſſu in carcerem fuerant compacti. Horumce duorum Regis Aulicorum ſomnia interpretatus eſt *Joſephus*, veramque ejus eſſe interpreta-

tio-

tionem comprobavit eventus, indeque ars *Joſephi* ſomnia interpretandi per totum Ægypti Regnum inclaruit. Audita *Joſephi* peritia, Rex *Pharao* eum, annos tum temporis triginta natum, e carcere eduxit, & ad ſe accerſivit, ut ab eo ſomniorum ſuorum interpretationem, quam a ſuis ſapientibus habere minime potuerat, conſequeretur. Viderat quippe Rex *Pharao* inter dormiendum vaccas ſeptem præpingues, quas aliæ ſeptem vaccæ macilentæ conſecerunt. Viderat itidem Rex *Pharao* ſeptem ſpicas plenas folliculis, quas ſeptem aliæ ſpicæ tenues, & uredine afflatæ, conſumpſerunt. Quid ſibi vellent hæc ſomnia, aut quid augurarentur, neſcius Rex *Pharao*, Regni ſui ſapientes, ſeu Magos Ægypti, accivit, ſed cum illis hæreret aqua, eoſque plane deficeret Ars quidquam ex his ſomniis Regis ariolandi, *Joſephus*, vinculis ſolutus, ſomnia Regis *Pharaonis* de ſeptem annis ubertatis, abundantiæ, & ſaturitatis, quos alii totidem anni famis, & ſterilitatis excipere debebant, actutum expoſuit, dono Prophetiæ a Deo illuſtratus, auctorque fuit Regi *Pharaoni*, ut per illos ſeptem ubertatis annos, qui ſeptem ſterilitatis annos antevertere debebant, omnem daret operam procurandi annonam, contra penuriam, & famem venturam. Hanc ſomniorum ſuorum genuinam interpretationem cum a *Joſepho* accepiſſet Rex *Pharao*, eum, plaudentibus omnibus Aulæ Proceribus, ad ſummam totius Regni Præfecturam provexit, id eſt, Proregem Ægypti inſtituit, eique adminiſtrationem univerſi Regni ſui concredidit. Cœperunt ſeptem anni ubertatis, quos prædixerat *Joſephus*, per quos ingentem annonæ copiam comparavit, & in horrea cum maxima ſolicitudine convexit. At, ſeptem illis annis ubertatis ſucceſſerunt ſeptem anni ſterilitatis & famis, per quos *Joſephus* non modo totum Ægyptum ſingulari providentia ſublevavit, ſed etiam aliis Regionibus, in quibus longe, lateque graſſabatur fames, alimenta copioſe ſuppeditavit. *Jacobus*, pater *Joſephi*, fame id temporis preſſus, decem filios ſuos pro habenda annona in Ægyptum miſit, qui, cum illuc appuliſſent, totam familiæ ſuæ ſeriem coram *Joſepho*, fratre ſuo, texentes, *Beniamini*, fratris ſui domi relicti, mentionem fecerunt. Fratres ſuos cognovit quidem *Joſephus*, ſed *Beniaminum* fratrem ſuum, ex eadem matre *Rachele* natum, videndi percupidus, de induſtria diſſimulavit, illos a ſe cognoſci, imo verbis male excepit, exploratores Ægypti eos appellavit, & in carcerem detrudi juſſit, nec ab eo fuerunt dimiſſi, niſi prius conſenſiſſent, ut *Joſephus*, retineret in vinculis, tanquam vadem, & obſidem, *Simeonem*, fratrem, natu maximum ex his, qui in venditionem *Joſephi* conjuraverant, & ſimul promiſiſſent, ſe redituros, & ſecum ad *Joſephum* adducturos *Beniaminum*, fratrem ſuum minimum. His legibus, duris licet, obtemperantes fratres *Joſephi* ad patrem ſuum *Jacobum* reverſi ſunt non levem ferentes frumenti copiam, una cum ejuſdem pretio, quod dederant, quodque *Joſephus*, fratribus ſuis inſciis, in ipſorum ſaccis, ſeu ſarcinis inſeri, ac occludi præceperat.

D. Antequam in Hiſtoria *Joſephi* ulterius progrediaris, ſolve, quæſo, Dubium, quod mox ſubiit animum meum, videlicet, quomodo potuerit *Joſephus* citra mendacium appellare fratres ſuos *Exploratores Ægypti*, quos tamen probe ſciebat non eſſe exploratores, ſed eo duntaxat fine in Ægyptum veniſſe, ut frumentum emerent, imperante parente, ſimul, & urgente fame?

M. Fratres ſuos *Joſephus* vocavit *Exploratores*, non ut teſtis affirmans, ſed ut Judex interrogans. Solenne quippe eſt judicibus reos hac loquendi forma abſque mendacio interrogare: *Tu es fur?* quod licet prima fronte, & quantum ad loquendi formam, quædam affirmatio videatur, reapſe tamen mera interrogatio eſt, & in tali ſenſu fratres *Joſephi* id acceperunt, ſtatim negantes, quaſi reſpondendo interroganti, non contradicendo affirmanti: *Non eſt ita Domine, ſed ſervi tui venerunt, ut emerent cibos*. Hæc autem cruda fratrum *Joſephi* negatio, ſi ad

B 2 affir-

Digitized by Google

affirmantem referretur, haud mediocrem injuriam irrogaſſet *Joſepho*, quem, necdum ſibi cognitum, & in ſpeciem iratum, fratres ipſius non verbis exaſperare & offendere, ſed potius officiis & obſequiis demereri, ſibique propitium reddere ſummopere ſtudebant. Præterquam quod crediderim cum *S. Auguſt.* hanc ſimulationem *Joſephi* cum ſuis fratribus non fuiſſe veram, ſed tantum jocoſam ſimulationem, qua illos adigere voluit, ut ei de ſtatu, in quo pater *Jacob*, verſabatur, & de his, quæ *Beniaminum*, fratrem uterinum, ſpectabant, vera narrarent.

D. Liberaruntne fratres *Joſephi* fidem, quam ei dederant, ſe ad illum adducturos *Beniaminum*, fratrem ſuum minimum?

M. Ad parentem *Jacobum* reverſi fratres *Joſephi* copioſam, quam ex Ægypto advexerant, annonam ei dederunt, ſimul & triſtiſſimum nuncium de revellendo ab ejus amplexibus *Beniamino*, quem pater plus ſuis oculis diligebat. Tam acerbam ſeparationem ferre haud poterat bonus ille ſenex, quod ei renovaret dolorem, quem *Joſephus*, paucos ante annos perditus, cordi ejus alte inuſſerat, nec adhuc concoquere potuerat. Quocirca, filiis ſuis, ut promiſſis ſuis ſtarent, tam triſtem ſeparationem ei ſuadentibus, ſurdum ſe præbebat, nec *Beniamino*, corculo ſuo, & baculo ſenectutis ſuæ, carere volebat. Attamen, ſive ob urgentem famem, ſive ad libertate donandum filium ſuum *Simeonem*, quem ſciebat, vinculis in Ægypto eſſe detentum, tandem aliquando *Jacob*, volens nolens, permiſit filiis ſuis, ut *Beniaminum*, ingenti lacrymarum ſuarum copia perfuſum, deducerent in Ægyptum. Huc iterum adventantes fratres ſuos, & ſecum referentes repertum in ſaccis ſuis prioris tritici pretium, ſumma benevolentia, lautoque convivio excepit *Joſephus*; ſed præcipue *Beniaminum*, quem in deliciis habebat, utpote fratrem ſuum uterinum, ſingularis amoris ſignificatione proſecutus eſt, lætoſque omnes ad patrem cum pecunia, quam denuo ſingulis reſtitui juſſit, ſicut prius, remiſit, poſtquam Scyphum ſuum, in quo vaticinabatur, in ſarcinula *Beniamini* condi imperaſſet. At, vix itineri ſe dederant *Joſephi* fratres, paucaque emenſi eſſent ſtadia: cum ecce ſubito a ſatellitibus, a *Joſepho* de induſtria miſſis, invaduntur, furti inſimulantur, & excuſſis ſingulorum ſaccis, inventus eſt in ſarnicula *Beniamini* ſcyphus *Joſephi*, Ægyptiorum Proregis. Quo factum eſt, ut, abſque mora, ſatellites compulerint illos, tanquam publicos graſſatores, & de Prorege Ægypti peſſime meritos, ut ſua relegerent veſtigia, in urbem redirent, & coram Prorege Ægypti ſe ſiſterent, qui in illos debitis pœnis eſſet animadverſurus. Hoc inopinato caſu, tanquam repentini fulminis ictu perculſi fratres *Joſephi*, recta pergunt ad Proregem Ægypti, &, abjectis in terram corporibus, veniam ab ipſo precantur, omnibus pœnis dignos ſeſe ultro profitentes. Ad hæc reſpondit *Joſephus*, ſe unum duntaxat ex illis, *Beniaminum* videlicet, latrunculum ſuum, punire velle, ac detinere ſibi deinceps famulaturum, ceteris vero fratribus, utpote innocentibus, nullum negotium faceſſere velle, ſed potius eis jubere, ut cepta via pergerent ad patrem. Hæc cum audiſſent fratres *Joſephi*, afflictis humi vultibus in lacrymas proruperunt, Proregi ſignificantes, ſe ad patrem ſuum abſque *Beniamino* redire haud poſſe, & *Beniamini* in Ægypto detentionem omni procul dubio mortem illaturam parenti *Jacobo*, jam capulari ſeni, qui filium ſuum *Joſephum*, fratrem uterinum *Beniamini*, aliquot ante annos deperditum, etiamnum lugebat, ejuſque dolor in dies ingraveſcens nullo ſolatio poterat demulceri. Hic *Joſephus*, Prorex Ægypti, a lacrymis, quas hactenus cohibuerat, temperare amplius non potuit, &, ablegatis famulis ſuis, palam *Joſephum* ſe eſſe, & fratrem ab illis venditum voce patria prodidit, trepidantes fratres ſuos erexit, confirmavit, juſſitque ut bonis animis eſſent, quia Deus eum præmiſerat in Ægyptum, ut illorum, multorumque ſaluti conſuleret. Denique, accedente conſenſu Regis *Pharaonis*, præcepit fratribus ſuis *Joſephus*, ut

feſti-

feſtinarent, & acceptis curribus ac jumentis revolarent ad parentem *Jacobum*, eumque cum ſuis omnibus adducerent in Ægyptum. Venerunt itaque fratres *Joſephi* ad parentem *Jacobum*, in Terra Chananæa degentem, *& nunciaverunt ei, dicentes: Joſeph, filius tuus, vivit, & ipſe dominatur in omni Terra Ægypti. Quo audito, Jacob ait: Sufficit mihi, ſi adhuc Joſeph, filius meus, vivit, vadam, & videbo illum, antequam moriar*, Gen. cap. 45. Tunc *Jacobus*, ingenti lætitia geſtiens, ad longum licet, & laborioſum iter ſe confeſtim accinxit, venitque in Ægyptum cum omnibus filiis ſuis, nepotibus, & cuncta progenie, quorum nomina leguntur cap. 46. lib. Geneſ. & ſunt numero ſeptuaginta: *Omnes animæ domus Jacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuere ſeptuaginta.*

D. Hæc, quæ de *Joſepho*, & de deſcenſu *Jacobi* in Ægyptum huc uſque dixiſti, duas mihi ingerunt difficultates, quas hic cum bona tua venia proponam. In primis, narraſti, *Joſephum* præcepiſſe, ut in ſacculo *Beniamini*, junioris fratris ſui, reconderetur ſcyphus, quo ille ad augurandum, ſeu vaticinandum utebatur, & cap. 46. libri Geneſis legitur, diſpenſatorem domus *Joſephi*, poſtquam fratres ejus ad patrem *Jacobum* redeuntes, in via fuiſſet aſſecutus, ſic illos eſſe allocutum: *Quare reddidiſtis malum pro bono? ſcyphus, quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet*: Explica, quæſo, quænam eſſet illa augurandi ſcientia, qua pollebat *Joſephus*, & utrum illam ab Ægyptiis didiciſſet, vel Dei ſpeciali infundentis beneficio eam accepiſſet? Altera difficultas ſita eſt in numero illorum, qui cum *Jacobo* deſcenderunt in Ægyptum. *Moyſes* enim, ſicut obſervaſti, ait cap. 46. libri Geneſis, *Omnes animas domus Jacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuiſſe ſeptuaginta*: Et tamen S. *Lucas* cap. 7. verſ. 14. lib. Actuum Apoſtolorum ſic inducit Sanctum *Stephanum*, loquentem in Concilio Judæorum: *Mittens autem Joſeph accerſivit Jacob patrem ſuum, & omnem cognationem ſuam in animabus ſeptuaginta quinque.*

M. Ut duabus hiſce propoſitis difficultatibus faciam ſatis, a prima exordium ducam, quam ut clarius diluere poſſim, debes in primis obſervare Ægyptum, uti omnis Idololatriæ fontem, atque ſuperſtitionum, ita omnis Magiæ, atque divinationum multiplicium caput factam, atque ſcaturiginem extitiſſe, indeque ad Græcos, Romanos, Indos, Japponenſes, Americanos, & ad alios populos dimanaſſe Idololatriam, variaque per artem diabolicam ariolandi, ſeu augurandi, ac divinandi genera. Præterea, obſervare debes, Patriarchas ante & poſt Diluvium ab omnibus Magiæ ſuperſtitionum, & diabolicarum divinationum ſpeciebus omnino abhorruiſſe. Erant enim viri, fide, religione, & pietate in Deum quam maxime conſpicui, nihil plane cum diabolo, ejuſque inſtrumentis commercii & negotii habentes, ſed ſoli divino cultui, quem ad poſteros tranſmiſerunt, addictiſſimi. His obſervationibus hunc in modum præmiſſis, cenſeo artem, & ſcientiam divinandi, qua *Joſephus* in Ægypto pollebat, fuiſſe propheticam, ipſique cœlitus infuſam. Id manifeſto comprobant non ſolum tot ſcientiæ vere cœleſtis, qua in Ægypto donatus eſt *Joſephus*, experimenta, præſertim in quatuor ſomniorum interpretatione, & futuræ tum fertilitatis, tum ſterilitatis prædictione edita, verum etiam egregiæ, & aliorum captum longe ſuperantes animi dotes, quibus pleniſſime inſtructus, atque exornatus *Joſephus*, vulgo vir divinus in Ægypto audiebat. Addo denique *Joſephum* (ſicut patet ex totius illius vitæ converſatione, quæ in ſacra Hiſtoria deſcribitur) ſpeciali quadam Spiritus Sancti inhabitatione atque aſſiſtentia fuiſſe condecoratum, & eodem Spiritus Sancti lumine, quo erat ipſe affuſus, rerum atque factorum cauſas, & circumſtantias primo ſtatim intuitu ſeſe offerentes, penetrare, accurate cuncta, & adamuſſim examinare, de eiſdem recte, & citra ullum erroris periculum judicare, atque ratiocinari, ſomnia interpretari, & futura prædicere potuiſſe. *Joſephus* itaque hanc artem & ſcientiam, quam habuit divinandi non didicit ab Ægy-

Ægyptiis, Magię, ſuperſtitionibus, variiſque diabolicarum divinationum generibus addictis, ſed illam accepit a Deo, qui ejus mentem Prophetiæ dono illuſtravit. Sed de prima difficultate hactenus ſatis. Ab altera vero, quam propoſuiſti, difficultate breviter me expedio, dicendo, Evangeliſtam *Lucam* in deſcribendis Actis Apoſtolorum ſecutum fuiſſe Verſionem lxx. Interpretum, in qua inter animas, quæ cum Patriarcha *Jacobo* ingreſſę ſunt in Ægyptum, numerantur quinque nepotes *Joſephi*, ſeu quinque filii *Manaſſis*, & *Ephraim*, videlicet *Machir*, *Galaad*, *Sutalaam*, *Taam*, & *Edem*, quos quinque *Joſephi* nepotes prætermiſit in Textu Hebræo *Moyſes*, enumerans ſubinde ſeptuaginta duntaxat animas, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, cum tamen S. *Lucas*, ſequens Verſionem LXX. Interpretum, percenſeat animas ſeptuaginta quinque. Quod ſi dicas hos quinque *Joſephi* nepotes non potuiſſe per anticipationem ab Evangeliſta *Luca* numerari, nec vere dici ingreſſos in Ægyptum, cum ibi nati ſint: reſpondebo ipſe, tam vere *S. Lucam* numeraſſe inter animas, quæ ingreſſę ſunt in Ægyptum, quinque illos *Joſephi* nepotes, tametſi in Ægypto natos, quam *Moyſes* in Textu Hebræo numeret inter animas, quę cum *Jacobo* deſcenderunt in Ægyptum, duos filios *Joſephi*, ſcilicet *Ephraim*, & *Manaſſem*, quos tamen in Ægypto natos eſſe tam certum eſt, quam quod maxime. Prćterea cap. 46. lib. Geneſ. *Moyſes* recenſendo nomina eorum, qui cum Patriarcha *Jacob* deſcenderunt in Ægyptum, numerat *Beniaminum* & decem ejus filios. Non poterat autem *Beniaminus*, quando deſcendit in Ægyptum, eſſe pater decem filiorum, quia *Beniaminus*, quando ingreſſus eſt in Ægyptum, natus erat duntaxat annos viginti tres, ſicut proclive eſt demonſtrare ex Scriptura Sacra, & ex conſenſu omnium Scripturæ Interpretum. At, cui veriſimile ſit, *Beniaminum*, etiamſi a prima pubertate cæpiſſet procreandis liberis operam dare, genuiſſe quot annis prolem, eamque vitalem ſemper, & nullas in ea filias fuiſſe, nihilominus habuiſſe filios decem ante annum ætatis ſuæ vigeſimum tertium? Veroſimilius itaque eſt, *Beniaminum* habuiſſe quidem decem filios, quorum aliquot genuit, antequam cum patre ſuo *Jacobo* deſcenderet in Aegyptum, alios vero genuit in Aegypto. *Moyſes* autem ait, *Beniaminum* deſcendiſſe in Aegyptum cum decem filiis, non quod velit ſacer ille Scriptor, decem illos *Beniamini* filios deſcendiſſe in Aegyptum in ſua perſona (quidam enim ex his decem necdum erant nati) ſed *Moyſes* duntaxat innuit, quoſdam ex his decem filiis *Beniamini*, deſcendiſſe in ſua perſona cum patre in Aegyptum, quoſdam vero ex his decem filiis deſcendiſſe in Aegyptum, non in ſua perſona, ſed in lumbis patris ſui *Beniamini*, in quibus adhuc latitabant, eoſque natos eiſe in Aegypto.

D. Quot anni interfluxerunt a vocatione *Abrahami*, id eſt, ab ejus egreſſu ex *Haran* in Terram Chanaan, uſque ad ingreſſum Patriarchæ *Jacob* in Aegyptum? Et quot annos in Aegypto vixerunt Patriarcha *Jacob*, ejuſque filius *Joſephus* poſt deſcenſum Iſraelitarum in Aegyptum?

M. *Abrahamus*, quando vocatus eſt a Deo, & exivit ex *Haran*, ut veniret in Terram Chanaan, natus erat annos ſeptuaginta quinque, dum autem centeſimum ætatis ſuæ annum attigiſſet, hoc eſt viginti quinque annis poſtquam exiiſſet ex *Harane*, & veniſſet in Terram Chananæam, genuit *Iſaacum*. Nam centenarium fuiſſe *Abrahamum*, quando genuit *Iſaacum*, legimus cap. 17. verſ. 17. & cap. 21. verſ. 5. lib. Geneſis. Porro *Iſaacus*, dum genuit *Jacobum*, natus erat annos ſexaginta, ſicut legimus cap. 25. verſ. 26. lib. Geneſis. Denique, quando *Jacobus* in Aegyptum deſcendit, erat annorum centum triginta, ut ipſemet Regi *Pharaoni*, eum interroganti, quot annos natus eſſet, dum venit in Aegyptum, reſpondit, dicens: *Dies peregrinationis meæ, centum triginta annorum ſunt*. Libri Geneſis cap. 47. verſ. 9. Facta igitur per patres horumce annorum ſupputatione coaleſcet ſumma annorum ducentorum, & quindecim, qui inter-

interfluxerunt a vocatione *Abrahami*, ſeu ab ejus exceſſu ex *Harane* in Terram *Chanaan*, uſque ad ingreſſum Patriarchæ *Jacobi* in Ægyptum. Vixit autem *Jacobus*, poſtquam cum ſuis filiis intraſſet in Ægyptum, annis ſeptemdecim, ut liquet ex cap. 47. v. 27. libri Geneſis, ubi *Jacobus* mortuus dicitur anno ætatis ſuæ centeſimo quadrageſimo ſeptimo. Venerat autem *Jacobus* in Ægyptum annos natus centum triginta ſicut mox diximus, ex quo evidenter conſequitur eum vixiſſe dumtaxat in Ægypto annos ſeptemdecim. Quod ſpectat annos, per quos *Joſephus* vixit in Aegypto, poſtquam pater ipſius *Jacob* cum tota familia ingreſſus eſt in Aegyptum, facile hoc pacto putari poſſunt. *Joſephus* quando ipſius pater *Jacobus* venit in Aegyptum, annum agebat quadrageſimum, & moriente patre *Jacobo*, annum agebat ætatis ſuæ quinquageſimum ſeptimum. A morte autem *Jacobi* uſque ad mortem *Joſephi*, elapſi ſunt quinquaginta tres anni; nam *Joſephus* annos natus erat centum & decem, cum diem ultimum clauſit, ſicut legitur cap. 50. v. 22. & 25. lib. Geneſis. Porro, ſi ex his centum & decem annis vitæ *Joſephi* detrahantur ſeptemdecim anni, quos habebat *Joſephus*, quando, a fratribus ſuis venditus mercatoribus Iſmaelitis, ſeu Madianitis, fuit in Aegyptum deportatus, invenietur *Joſephum* vixiſſe in Aegypto annos nonaginta tres, a tempore vero, quo pater ipſius *Jacobus* migravit in Aegyptum, eum vixiſſe annos ſeptuaginta. Erat enim *Joſephus* annos natus quadraginta, quando pater ipſius *Jacobus* venit in Aegyptum, & mortuus eſt *Joſephus* annos habens centum & decem, ſicut perhibet Scriptura Sacra, ex quo plane ſequitur, *Joſephum* vixiſſe annos ſeptuaginta in Aegypto; poſtquam pater ipſius *Jacobus* cum ſuis filiis venit in Aegyptum, ut ibi ſuum figeret domicilium.

D. Fueruntne *Iſraelitæ*, qui una cum Patriarcha *Jacobo* deſcenderunt in Aegyptum, bene excepti a *Pharaone*, Aegyptiorum Rege, & a *Joſepho*, Prorege Aegypti?

M. Iſraelitæ, qui una cum Patriarcha *Jacobo*, in Aegyptum ſunt ingreſſi; magnifice a *Pharaone*, Rege Aegypti, & a *Joſepho*, Prorege Aegypti, fuerunt ſuſcepti, & collocati in terra *Geſſen*, quæ ipſis, utpote vitam paſtoritiam agentibus, paſcendo pecori aprior erat, illoſque veri Dei cultores, ab Aegyptiis, Idololatriæ addictis disjungebat. Diu in hac Terra *Geſſen*, ſoboles Patriarchæ *Jacobi* habitavit, & majora in dies incrementa cepit. Quod Aegyptii, ſive invidia, ſive metu extimulari, cum ferre minime poſſent, Iſraelitas intolerabili ſervitutis jugo, ſicut legitur cap. 1. libri *Exodi* opprimere tentarunt. Infeſtum iſtud Aegyptiorum conſilium diſerte deſcribit *Flavius Joſephus*, Hebræus, cap. 9. lib. 2. Antiq. Jud. juxta *Rufini* translationem, his verbis: *Cum enim Joſephi* (Proregis Aegypti) *memoriam tempus obliteraſset, Regnumque Ægypti in aliam demigraſset familiam, inhumane tractabant Iſraelitas, & variis laboribus atterebant. Nam & flumen in multas foſſas diducere ſunt juſſi, & mœnia exedificare, & aggeres exſtruere, quibus inundationes fluminis arcerentur. Pyramidum etiam inſanis ſubſtructionibus vexabant gentem noſtram, cogendo varias artes ediſcere & laboribus ferendis adſueſcere*. At, cum videret Aegyptiorum Rex, Iſraelitas, quibus erat exoſus, oppreſſos licet graviſſimis laboribus, magis, ac magis, Deo ſic volente, multiplicari, perdere mares omnes Iſraelitas, recens natos, decrevit, idque molitus eſt per obſtetrices Aegyptias, a quibus cum ſeſe officioſo mendacio deluſum intellexiſſet, ira excandeſcens ferale promulgavit Edictum, de mergendis Nilo, flumine, omnibus infantibus Judæis, exceptis fœminis. Sed irritum plane & evanidum fuit iſtud Regis Edictum, cum id temporis natus ſit in Aegypto *Moyſes*, quem ex aquis, quibus, juxta Regis Edictum, fuerat expoſitus, ſingulari beneficio liberavit Deus, quemque ad aſſerendos Iſraelitas e captivitate Aegyptiaca in priſtinam libertatem deſtinavit.

D. Deſcribe hic quæſo, vitam *Moyſis* ab ejus ortu uſque ad exitum Iſraelitarum ex Aegypto.

M. *Moyſes*, cujus meminere multi non modo ſacri, ſed prophani Scriptores,

natus eſt in Ægypto, ac illuſtres parentes habuit, genere, virtuteque præſtantes. Pater illi fuit *Amram*, filus *Caath*, nepos *Levi*, pronepos *Jacobi*, ſicut legitur cap. 6. verſ. 18. & 20. lib. Exodi. Mater vero ejus fuit *Jocabeda*, neptis *Levi*, & *Amræ* conſobrina, ut patet ex eodem Scripturæ Sacræ loco, mox a me laudato. Infantulum *Moyſem*, ac recens natum, domi cum maxima ſolicitudine, ut periclitanti ejus vitæ conſulerent, per tres menſes occultarunt parentes. Sed veriti, ne fervente regia in pueros Hebræorum inquiſitione, ſibi multiſque Iſraelitis ultimum in Ægypto exterminium accerſerent, ſi diutius contra Edictum Regium puerulum *Moyſem* celarent, illum miſere comploratum ad Nili fluminis ripas expoſuerunt inter juncos, ne a flumine abriperetur, in *fiſcella ſcirpea*, ſeu in cymbula, vel arcula ex papyro formata, & pice oblita, ut moris erat apud Ægyptios. *Maria*, ſoror *Moyſis*, puella decem aut duodecim annorum grandiuſcula, eminus reſpiciens, futuram fratris ſui ſortem tacita expectabat, a matre ſua *Jocabeda* quid facto opus eſſet edocta: Ea ſic excubante puella, ecce filia *Pharaonis* Regis Ægyptiorum, cum ancillis ſuis ad lavandum, purificandumque corpus venit ad fluvium, viditque puerulum aquis expoſitum, viſumque afferri juſſit, totumque a capite ad calcem inſpectum, vultu decoro, totiuſque corporis forma probata, miſereri cœpit, & quaſi maternum induere affectum. Hæc ubi vidit *Maria*, ſoror *Moyſis*, quæ in excubiis erat, protinus accurrit ad filiam Regis *Pharaonis*, eique jam deliberanti de educatione pueruli iſtius (quem Hebræum eſſe ex circumciſione ſtatim cognoverat) promiſit, ſe conducturam puerperam Hebræam, quæ puerulo lac propinaret, & ejus curam haberet; cumque conſenſum filiæ Regis *Pharaonis* facile obtinuiſſet, ſuam & *Moyſis* matrem, tanquam prorſus alienam adduxit, cui puerulum lactandi, & educandi provinciam demandavit filia Regis *Pharaonis*, adoptavitque in locum filii hunc a ſe repertum infantulum, cui *Moyſis* nomen impoſuit, quod de aqua tuliſſet eum. Lingua enim Ægyptiaca *Mos* aquam, *is*, vel *iſes* ſervatum ſignificat. In Aula Aegyptiaca *Moyſes*, procurante filia Regis Pharaonis, quæ illi inſtar matris erat, nutritus, & educatus eſt, omnemque Aegyptiorum ſapientiam, ut ait Scriptura Sacra, fuit pleniſſime edoctus, quod quidem tamen non ſic intelligendum eſt, quod Aegyptii fuerint ante *Moyſem* ſapientiæ, ſeu artium & ſcientiarum inventores (ſicut, poſt *Marſhamum*, Hæreticum Anglum, perperam nonnulli pertendunt) ſed quod Patriarchæ *Abrahamus*, *Jacobus*, & *Joſephus*, qui in Aegypto permanſerunt, vera ſapientia, ſeu Artium & Scientiarum notitia, quam a ſuis Majoribus acceperant, Aegyptios, diſcendi cupidos, jam informaverant, ſicut docet *S. Auguſtinus*, lib. 18. De Civitate cap. 39.

D. Quot annos *Moyſes* manſit in Aula Aegyptiaca Regis *Pharaonis*?

M. Per quadraginta annos *Moyſes* vixit in Aula Aegyptiaca Regis *Pharaonis*, quibus exactis, aulam reliquit, ſeque palam gente Hebræum profeſſus venit ad ſuos fratres, ideſt, gentiles ſuos Hebræos, ut illos variis calamitatibus in Aegypto jactatos, & tantum non oppreſſos, ad patientiam, & in ſpem meliorum temporum erigeret. Sed cum vidiſſet *Moyſes* Aegyptium quemdam, qui conviciis & plagis Judæum immerentem male mulctabat, in percuſſorem irruit, eumque occidit. Quod cum Regi Aegyptiorum innotuiſſet, pœnamque metueret *Moyſes*, in Madianitidem protinus fugit, ubi filiam *Jethro*, dictam *Sephoram*, duxit uxorem, & per quadraginta annos in Madian paſtorem egit. Sed cum attigiſſet annum ætatis ſuæ octuageſimum, & in monte Orebo, qui etiam dictus eſt mons *Sinai*, paſceret gregem ſoceri ſui *Jethro*, apparuit ei Angelus in ardente Rubo, eique nomine Dei loquens, præcepit ut iret ad *Pharaonem* Aegyptiorum Regem, & captivos in Aegypto Iſraelitas in libertatem vindicaret. *Moyſi*, hanc difficilem Provinciam ſuſcipere eo potiſſimum nomine detrectanti, quod blæſus eſſet,

ſet, & impeditioris linguæ, adjunctus eſt comes *Aaron*, ipſius frater, vir facundus & eloquens. Seſe itaque ad iter accingunt *Moyſes* & *Aaron*, in Ægyptum ingreſſi ſunt ambo, Regem *Pharaonem* adeunt, mandatum, ſibi a Deo datum, de Iſraelitis e ſervitute Ægyptiaca liberandis, ei exponunt, & ad faciendam fidem *Moyſes*, virgam, quam præ manibus tenebat, mutavit in draconem, ſeu in ſerpentem, qui ſtatim devoravit illos ſerpentes, in quos miniſterio dæmonum virgas ſuas converterant Magi, ſeu Præſtigiatores Ægypti, quorum Principes fuiſſe *Jannem* & *Mambrem*, docet Apoſtolus *Paulus* Epiſt. 2. ad Timoth. cap. 3. v. 8. Hæc ſigna quæ iſti Magi coram Rege *Pharaone* ediderunt, fuiſſe meras præſtigias fuſe oſtendit *Auguſtinus Calmet*, Benedictinus, in Diſſertatione *De miraculis*, quam præfixit ſuo commentario litterali in librum *Exodi*, & in qua certas præſcribit Regulas, vera miracula a falſis ſecernendi.

D. Tam inſigne prodigium a *Moyſe* per virgam editum compulitne *Pharaonem*, ut dimitteret Iſraelitas ex Ægyro?

M. Nequaquam, ſed potius induratum eſt cor Regis *Pharaonis*, quod vidiſſet, Magos ſuos ſimile ſignum feciſſe, parum cogitans, quod ſerpens, in quem *Moyſes* ſuam virgam, divina ope fretus, verterat, devoraſſet illos ſerpentes, in quos Magi Ægypti miniſterio dæmonum ſuas virgas commutaverant. Cum igitur Regis *Pharaonis* animus, nec ſignis, nec verbis molliri, flecti, ac ſubigi poſſet, tandem a verbis ventum eſt ad verbera, ſeu plagas, quibus Deus per *Moyſem* percuſſit totam Aegyptum, induxitque Regem *Pharaonem*, tot plagis attritum, ut, volens nolens, Iſraelitas dimitteret ex Aegyto.

D. Percenſe, quæſo, illas plagas, quibus Deus per *Moyſem* percuſſit Aegyptum, & quibus tandem aliquando domitus Rex *Pharao*, Hebræos dimiſit ex Aegypto.

M. Plagas iſtas ad decem revocat Scriptura Sacra. In prima. Nilus univerſus verſus eſt in ſanguinem. Secunda plaga fuit incredibilis Ranarum, & Buffonum copia, quæ per totam Aegyptum confeſtim ſparſa eſt. Tertia plaga fuit productio Ciniphum, quos alii putant eſſe pediculos, alii pulices, alii culices. Utut ſit, agnoverunt Magi in hac plaga divinam virtutem, & operationem, dicentes: *Digitus Dei eſt hic*. Quarta plaga fuit productio Muſcarum, quæ aliis obſtrepebant, proboſcide pungebant, morſu aculeum alte infigebant, contactu omnia contaminabant, & ſedentibus, ambulantibus, cubantibus infeſtæ ac moleſtiſſimæ erant. Quinta plaga fuit peſtis animalium. Sexta plaga fuit Lues, quæ pervaſit quoſque homines, inducens ulcera, ardore, & ſanie turgida ac tumentia. Septima plaga fuit grando, quæ permixta fulguribus arbores omnes excuſſit contrivitque. Octava plaga fuit incredibilis locuſtarum multitudo, quæ quidquid ex grandine ſupererat, depaſta eſt. Nona plaga fuit denſitas tenebrarum, quę per totam Aegyptum effuſæ, adeo cæcæ erant, ut nec ignibus, nec facibus accenſis diſſipari poſſent; adeo craſſæ, ut ſentiri, palparique viderentur. Decima denique plaga, quæ divinis in Aegypto flagellis colophonem impoſuit, eſt ſtrages omnium primogenitorum tam hominum, quam animalium, facta ab Angelis exterminatoribus, qui ſolis pepercerunt Hebræis; qui moniti a *Moyſe* ſuperliminaria domorum ſuarum intinxerant ſanguine Agni Paſchalis, quem ſolemni ritu manducaverant. Eadem igitur nocte, qua Angeli exterminatores omnes primogenitos, in domibus, quarum portæ ſacro carebant cruore, occiderunt, turmatim convenerunt Aegyptii, compellentes Hebræos, ut ſuum ex Aegypto maturarent diſceſſum, tantuſque fuit Aegyptiorum timor, ut in his temporum anguſtiis obliti ſint repetere ab Hebræis Vaſa aurea, argentea, aliaque id genus pretioſa monilia, quæ Hebræi pridie quam diſcederent, ab illis mutuati fuerant, & quibus onuſti ex Aegypto abierunt. Hoc pacto Iſraelitæ omnes ſoſpites & incolumes ad ſexcenta virorum millia cum ſuis conjugibus & liberis exceſſerunt ex Aegypto, in qua per ducentos & quindecim annos ab ingreſſu Pa-

triar-

Digitized by Google

triarchæ *Jacobi* hæſerant. In hac profectione Populi Iſraelitici ex Ægypto oſtendit virtutem ſuæ Majeſtatis Deus. Nam, præterquam quod fugientibus Hebræis, præſentiſſimam in via opem tulit per columnam, quæ noctu lucida erat, ut eos illuſtraret, interdiu vero erat opaca, ut illos ab æſtu vindicaret: trajecit etiam Deus Hebræos medio mari rubro, præcedente Angelo, & ſcindente aquam, ut Populus Iſraeliticus per ſiccum gradi poſſet, quem verius (ut ait Poeta) *Curvata in montis faciem circumſtetit unda*. Denique, Deus, qui hactenus ſuſtinuerat in multa patientia Ægyptios, tanquam vaſa iræ apta in interitum, *Pharaonem*, Ægyptiorum Regem, cum magna ſuorum manu Iſraelitas inſecutum, & rubrum mare adhuc patens temere ingreſſum, coeuntibus protinus aquis, cum omni exercitu ita delevit, ut ne unus quidem tantæ cladis nuncius fuerit ſuperſtes.

D. In hac Iſraelitarum profectionis ex Ægypto compendioſa, quam texuiſti, narratione plures invenio difficultates. Prima eſt; quorſum *Moyſes* præcepit Hebræis, ut, ante ſuam ex Ægypto egreſſionem, tam ſolemni ritu comederent Agnum Paſchalem? Altera difficultas eſt, qui fieri potuerit, ut Iſraelitæ per ducentos duntaxat & quindecim annos, per quos ab obitu *Jacobi* manſerunt in Ægypto, ita multiplicati ac propagati ſint, ut, dum ex Ægypto exierunt, cenſa ſint ſexcenta millia Iſraelitarum, cum tamen ſacer Textus Hebræus percenſeat ſeptuaginta tantum animas, quæ una cum Patriarcha *Jacobo* ingreſſæ ſunt in Ægyptum? Tertia difficultas, eſt, quo pacto ſexcenta illa millia Iſraelitarum peditum, ſeu virorum bellatorum, intra tam breve temporis ſpatium, quod illis ab Ægyptiis ad diſcedendum ex Aegypto] conceſſum fuit, potuerint congregari, & in unum locum ſimul convenire, atque compoſita exercitus ordinatione ex Aegypto diſcedere? Quarta difficultas eſt, an peccaverint Iſraelitæ, qui ex Aegypto proficiſcentes, Vaſa aurea & argentea, aliaque id genus, quæ eis commodaverant Aegyptii, ſecum abſtulerunt, hiſque Aegyptios ſpoliarunt? Has quatuor difficultates optarem quidem, ut hic dilucide explanares, ſed veritus, ne longius quam par, ſit, noſtrum protrahatur Colloquium, conſultius eſſe duco, ut earum examen ad proximum, quod habebimus, Colloquium remittamus. Hoc unum igitur duntaxat ſub finem hodierni noſtri Colloquii a te ſcire percupio, num ſcilicet Hiſtorici Prophani, præſertim Aegyptii, aliquam de Iſraelitarum in Aegyptum ingreſſu, & de eorumdem ex Aegypto exitu mentionem fecerint, nomenque expreſſerint illius Aegyptiorum Regis, ſub quo contigit hæc Iſraelitarum ex Aegypto profectio?

M. De ingreſſu Iſraelitarum in Aegyptum, & de illorum ex Aegypto exitu non pauca referunt Scriptores Prophani, potiſſimum Aegyptii, nimirum *Manetho*, *Liſimachus* & *Chæremon*, quorum teſtimonia citat *Joſephus*, Hebræus, in libro primo contra *Apionem*. Verba *Manethonis* ſic *Joſephus* ibidem exſcribit: *Fuit nobis Rex*, *Timæus nomine* (inquit *Manetho*) *ſub hoc Rege neſcio quomodo Deus iratus fuit*, & *præter ſpem ex partibus Orientalibus homines genere ignobiles*, *adepta fiducia*, *in Provincia caſtrametati ſunt*, *facile ac ſine bello eam potenterque ceperunt*, & *Principes ejus alligantes*, *de cetero civitates crudeliter incendere*, & *Deorum Templa evertere*. ... *Vocabatur autem illa gens* Hycſos, *hoc eſt*, *Reges Paſtores*. Hyc *enim ſecundum ſacram linguam* (ſeu Aegyptiacam) *Regem ſignificat*: Sos *vero Paſtorem*, *ſive Paſtores*, *ſecundum communem dialectum*, & *ita compoſitum invenitur* Hycſos. *Quidam vero dicunt*, *eos Arabas eſſe*. *In aliis vero Exemplaribus non Reges ſignificari comperi per appellationem* Hyc, *ſed e diverſo captivos declarari Paſtores*. Hyc *enim Ægyptiaca Lingua captivos*, *aperte ſignificat*, & *hoc potius veriſimile mihi videtur*, & *Hiſtoriæ antiquæ conveniens*. Hos ergo, quos prædiximus, Reges, & eos, qui paſtores vocabantur, & qui ex eis fuere (loquitur nunc Joſephus) obtinuiſſe Aegyptum, ait *Manetho*, annis unde-

cim.

cim & quingentis. Poſt hæc autem idem *Manetho* dicit, Regum Thebaidis, & Aegypti reliquæ factam eſſe ſuper Paſtores invaſionem, & bellum maximum & diuturnum eis illatum. Sub vero Agyptiorum Rege, cui nomen erat *Alisfranmuthoſis*, victos dicit Paſtores, & incluſos in loco, cui nomen erat *Avaris*, filium autem Regis *Alisfragmuthoſeos*, dictum *Themoſim*, conatum eſſe hos Paſtores, incluſos in eo loco, dicto *Avaris*, quem, ut ait *Manetho*, maximo muro atque robuſtiſſimo circumdederant Paſtores, vi, inquam, conatum eſſe Regem Aegytiorum *Themoſim* illos expugnare, ſed cum Rex obſidium deſperaſſet, pacta cum eis feciſſe, ut Aegyptum relinquentes, quo vellent innoxii abirent, illos vero, ſeu Paſtores, his promiſſionibus imperatis, cum omni domo & poſſeſſionibus non minus ducenta quadraginta millia numero ex Aegypto per deſertum in Syriam iter egiſſe, & in terra, quæ nunc Judæa vocitatur, civitatem ædificaſſe, quæ tot millibus hominum ſufficere poſſet, eamque Hieroſolymam vocitaſſe. Hæc, & alia ex *Manethone* exſcribit *Joſephus*, ex quibus illos Paſtores in Aegypto, de quibus loquitur *Manetho*, quoſque *Hycſos* vocat, non alios fuiſſe quam Iſraelitas, qui cum Patriarcha *Jacobo* deſcenderunt in Aegyptum, multis momentis evinci poteſt. Primo, quia Iſraelitæ, qui cum *Jacobo* venerunt in Aegyptum, erant Paſtores: *Paſtores ovium ſumus ſervi tui, & nos & patres noſtri*, ait Patriarcha *Jacobus*, dum Regem *Pharaonem* ſalutavit, ſicut legitur cap. 47. libri Geneſeos. Secundo, ſemel mortuo illo Agyptiorum Rege, qui Iſraelitis impenſe favebat, alius regium in Aegypto ſolium conſcendit, qui Iſraelitarum fuit infenſiſſimus hoſtis, & in eos atrocem perſecutionem excitavit, quam Scriptura Sacra cap. 1. lib. Exodi v. 8. 9. 10. & 11. deſcribit his verbis: *ſurrexit interea Rex novus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Joſeph, & ait ad Populum ſuum: Ecce Populus filiorum Iſrael multus, & fortior nobis eſt. Venite, ſapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur* .... *Præpoſuit itaque* (Rex) *eis* (ſeu Iſraelitis) *magiſtros operum, ut affligerent eos oneribus*. Hinc Iſraelitæ facti ſunt in Aegypto captivi, miſeram coacti ſervire ſervitutem, quos ſubinde *Manetho* jure optimo appellat *Hycſos*, ideſt, *Paſtores captivos*. Tertio, tempus quo illos *Hycſos*, ſeu Paſtores captivos, ex Aegypto pulſos fuiſſe ſcribit *Manetho*, optime quadrat tempori, quo Iſraelitæ ex Aegypto revera egreſſi ſunt. *Apio* ſiquidem, & *Ptolomæus*, *Mendeſius*, citati a *Taciano* in libro quem dedit contra Græcos, & a *Juliano Africano* apud *Euſebium* lib. x. *De Præp. Evangelica* cap. 10. aſſerunt, Iſaelitas exiviſſe ex Agypto, regnante *Amoſo*, qui etiam dicebatur *Amoſis*. Scribit autem *Manetho*, illos *Hycſos*, ſeu Paſtores captivos, egreſſos fuiſſe ex Aegypto, regnante *Themoſi*, qui idem plane eſt ac *Amoſis*. Binomius quippe erat ille Aegyptiorum Rex, ſicut teſtatur *Georgius Syncellus* in ſua Chronographia pag. 63. & 69. & perinde vocabatur *Amoſis*, vel *Themoſis*. Ex quo palam ſequitur, tempus, quo Iſraelitæ egreſſi ſunt ex Aegypto, plane convenire cum Epocha, quam aſſignat *Manetho*, expulſionis ex Agypto illorum Paſtorum captivorum, quos *Hycſos* appellat. Quarto, Iſraelitæ, quando ingreſſi ſunt in Aegyptum, erant Paſtores, id eſt, viri obſcuri, ignobiles, tales autem fuiſſe illos *Hycſos*, ſeu *Paſtores*, qui expulſi ſunt ex Aegypto, teſtatur *Manetho*, quos ideo appellat homines obſcuros, nullaque re geſta memorabili adhuc commendabiles. Quod quidem argumento eſt, illos *Hycſos*, ſeu *Paſtores*, quos *Manetho* ſcribit fuiſſe ex Aegypto extruſos, non alios eſſe quam Iſraelitas, qui tantum poſt ſuam ex Aegypto profectionem in Rempublicam coaluerunt, nomenque ſuum ſub *Moyſe*, *Joſue*, & aliis, ſive Judicibus, ſive Regibus, ſive Pontificibus, toti orbi illuſtre reddiderunt. Poſtremo, ait *Manetho*, illos *Hycſos*, ſeu *Paſtores*, ex Aegypto ejectos, iter ſuum per deſertum in Syriam egiſſe, & in terra, quæ nuncupatur *Judæa*, ampliſſimam extruxiſſe civitatem, quam *Hieroſolymam* appel-

Digitized by Google

appellarunt. Quibus verbis aperte indicat *Manetho*, illos *Hycſos*, ſeu *Paſtores*, quos ex Ægypto exceſſiſſe ſcribit, fuiſſe ipſiſſimos Hebræos, qui ex Aegypto dimiſſi venerunt poſtea in terram, quæ dicitur *Judæa*, ibique civitatem ædificaverunt, quam *Hieroſolymam* vocitarunt. Faceſſat itaque *Joannes Marshamus*, qui in ſuo *Chronico Canone Aegyptiaco*, *Hebraico*, & *Græco*, pertendit: Hiſtoricum *Manethonem* voluiſſe per illos *Hycſos*, ſeu *Paſtores*, qui ex Aegypto fuerunt ejecti, indicare non Hebræos, ſeu Iſraelitas, ſed Arabes, qui in Aegyptum cum irrupiſſent, ibique vitam paſtoritiam degerent, tandem potentiores facti, imperium obtinuerunt, illudque exercuerunt in Aegyptios, a quibus vocati ſunt, *Hycſos*, ideſt, *Reges Paſtores*. Faceſſat, inquam, *Joannes Marshamus*, cujus vanum ſyſtema e fronte pugnat cum hiſtoria *Manethonis*. Nam primo, *Manetho*, conceptis verbis aſſerit, illos *Hycſos*, ſeu *Paſtores* ab Aegypto expulſos, veniſſe in Judæam, ibique civitatem quam *Hieroſolymam* appellarunt, conſtruxiſſe. Qui character in ſolos Hebræos, ſeu Iſraelitas, competere poteſt, non vero in Arabes, quos neque in Judæam veniſſe, neque Hieroſolymorum urbem condidiſſe certiſſime conſtat. Præterea, quamvis *Manetho* innuat, aliquibus viſum eſſe per *Hycſos* ſignificari *Reges Paſtores*, teſtatur tamen idem Hiſtoricus, ſe in aliis Exemplaribus comperiſſe per *Hycſos* non ſignificari *Reges Paſtores*, ſed e diverſo declarari *captivos Paſtores*, & hoc potius *ſibi veriſimile videri*, & *hiſtoriæ antiquæ conveniens*. Tertio, *Manetho* ait, illos *Hycſos*, ſeu *Paſtores*, fuiſſe viros obſcuros, & ignobiles, qui ſane character competere haud poteſt in Arabes, qui in Aegypto non poterant eſſe viri obſcuri & ignobiles, cum, ipſomet fatente *Marshamo*, Arabes ſuos in Aegypto habuerint Reges, & imperium exercuerint in Aegyptios. Denique, *Marshamus* in citato Opere, quod lucubravit, omnem ſibi abrogavit fidem, quia in eo Veteris Teſtamenti antiquitatem evertere totis viribus adnititur; cæremoniarum, quarum in veteri Teſtamento Judæis præcipitur obſervatio, Deum negat eſſe auctorem ac inſtitutorem; Prophetiam *Danielis* de LXX. Hebdomadibus ad Jeſum Chriſtum pertinere andacter inficiatur, *Joſephum*, egregium Nationis & religionis Judaicæ defenſorem in libris, quos ſcripſit contra *Apionem*, Ethnicum Grammaticum Alexandrinum, data opera refellit, impugnat, eumque tamquam fabularum, & mendaciorum Scriptorem traducere ac ſugillare non veretur: Verbo dicam, *Marshamus* in ſuo male conſarcinato opere tot futilia, tot abſurda commenta, tot inaudita paradoxa in his, quæ Religionem, Sacramque Hiſtoriam cum Veteris, tum Novi Teſtamenti ſpectant, effutiit, ut jure optimo apud omnes, qui de Religione bene ſentiunt, tanquam temerarius Scriptor audiat, dignumque judicetur ejus male natum Opus, quod natalitiis tenebris damnetur.

D. Quamvis in tuam ſententiam facile deſcendam, ac vehementer improbem falſam *Marshami* interpretationem; non poſſum tamen, ne quid diſſimulem, narrationem *Manethonis*, circa illorum Paſtorum, quos *Hycſos* appellat, manſionem in Aegypto, conciliare cum his, quæ ſuperius dixiſti de habitatione Iſraelitarum in Aegypto: *Manetho* quippe, teſte *Joſepho*, Hebræo, quem laudaſti, ſcribit, illos Paſtores, quos *Hycſos* nuncupat, manſiſſe in Aegypto per annos quingentos & undecim. At, juxta Chronologiæ ſacræ peritiorum ſententiam, quam ſuperius probaſti, Iſraelitæ habitarunt in Aegypto per annos duntaxat ducentos quindecim. Ex hac itaque haud mediocri Chronologiæ diſcrepantia colligi poſſe videtur, Paſtores illos, quos *Manetho*, appellat *Hycſos*, plane diverſos eſſe ab *Iſraelitis*.

M. Non ita eſt: ſed ex ea Chronologiæ diſcrepantia colligi tantum poteſt primo, circa numerum annorum, per quos Paſtores, quos *Manetho* appellat *Hycſos*, manſerunt in Aegypto, irrepſiſſe in Textum Joſephi mendum, & loco annorum 215. ſuffectum fuiſſe 511. non quod exiſtimem, *Joſephum* Hebræum, qui fuit in ſcribendo

Digitized by Google

do diligentiſſimus juxta ac graviſſimus Auctor, in notandis temporibus ita turpiter erraſſe, ſed quod putem, Textum *Joſephi* in annorum numeris fuiſſe interpolatrice manu vitiatum, ſicut aperte declarant quam plurima menda, quibus in annorum numeris ſcatet hodiernus *Joſephi* Textus, idque ultro fatentur omnes hujus temporis Chronologi, in libris *Joſephi* verſati, quos inter unum inſtar omnium laudabo noſtrum *Melchiorem Canum*, qui lib. 11. *De Locis* cap. 5. ad Argumentum 6. iſtud de libris *Joſephi* profert judicium: *Sed in numeris Joſephi libri menda habent innumera, quæ ego menda viro diligentiſſimo atque graviſſimo aſſignare nec volo, nec debeo*. Secundo, ex ea Chronologiæ, quam adduxiſti, diſcrepantia colligitur, *Manethonem*, & alios Græcos Hiſtoricos Prophanos, multa quidem ex Hiſtoria Sacra hauſiſſe, ſed eam pluribus mendaciis & erroribus aſperſiſſe, ſive ut contradicerent Judæis, quos capitali odio proſequebantur: ſive ut vanam & falſam ſuam antiquitatem, ac Religionem ſtabilirent, ſive ut fabulis, quas finxerunt de ſuis Diis, *Jove*, *Apolline*, *Marte*, *Mercurio*, *Hercule*, & aliis, aliquam veri ſpeciem conciliare poſſent, ſicut lato calamo oſtendit Illuſtriſſimus *Daniel Huetius*, in ſua *Demonſtratione Evangelica*; ſive denique cum eſſent Idolorum cultores, non poterant ſacras litteras *omni ſcrupoloſitate ſequi*, ut ait *Joſephus* lib. 1. contra *Apionem*, ubi ſermonem habens de Scriptoribus Prophanis Græcis, *Demetrio Phalereo*, *Philone ſeniore*, & *Eupolemo*, ait: *Plurimi prædictorum virorum veritate quidem cauſarum antiquarum fruſtrati ſunt.... non enim inerat eis, ut noſtras litteras*, id eſt, Sacram Hiſtoriam, *poſſent omni ſcrupoloſitate ſequi*. Quæ cum ita ſint, mirum ſane tibi videri haud debet, quod *Manetho*, Scriptor Prophanus, & ex ea Gente oriundus, quæ erat Hebræis infeſtiſſima, Hiſtoriam Sacram de ingreſſu Iſraelitarum in Ægyptum, de eorum manſione in Ægypto, & de illorum profectione ex Ægypto, data opera interpolarit, ac nonnullis mendaciis, & erroribus in numeris reſperſerit, quamvis multa reliquerit veritatis veſtigia, & per illos Paſtores, quos vocat *Hycſos*, quoſque ait veniſſe in Ægyptum, in ea diu manſiſſe, & poſtea fuiſſe ex ea expulſos, non obſcure, ſicut mox commonſtravimus, indicare voluerit Iſraelitas, qui erant Paſtores, quique, ut narrat Hiſtoria Sacra, ingreſſi ſunt una cum Patriarsha *Jacobo* in Ægyptum, diu in ea habitarunt, ac denique ex ea pulſi fuere, ſeu potius a Deo per *Moyſem*, eorum Ducem, in libertatem aſſerti ac vindicati. Hæc, quæ hactenus dixi, confirmare non pigebit teſtimonio *Grotii*, qui lib. 1. *De Veritate Chriſtianæ Religionis* hæc appoſite ſcribit: *De exitu Hebræorum ex Ægypto non pauca referunt Scriptores Ægyptii, Manetho, Lyſimachus, & Chæremon. Loca ſunt apud Joſephum contra Apionem, quæ tamen pluribus mandaciis ſunt reſperſa, utpote ſcripta a gente Judæis inſenſiſſima, unde & ſua hauſit Hiſtoricus Cornelius Tacitus. Apparet autem ex is omnibus Scriptoribus Ægyptiis, Hebræos, Ægypti parte potitos, ibi paſtoralem egiſſe vitam, ſed operis poſtea ſervilibus preſſos exiiſſe Ægypto, Ægyptiis etiam quibuſdam ipſos comitantibus Moyſe Duce, perque Arabum terras poſtremo perveniſſe in Syriam Palæſtinam, ibique eos Inſtituta ſecutos, Ægyptiorum Inſtitutis contraria. Ceterum, quomodo in his, quæ huic Hiſtoriæ aſperſere, mendaciis Scriptores Ægyptii interſe quidem, & ſecum ſinguli pugnent, quotque illa ſæculis ab antiquitate Moyſis librorum vincantur, egregie oſtendit Joſephus in illo libro eruditiſſimo* ſeu primo, quem edidit contra *Apionem*. Sed eo de argumento hactenus ſatis, de quo tamen ſi plura ſcire aveas, auctor tibi ſum, ut legas, modo per otium liceat, Tomum ſecundnm perdocti Operis, quod *Cl Ferrandus*, inſignis Senatus Pariſienſis Cauſidicus, gallice concinnavit, cuique hunc præfixit titulum: *Reflexions ſur la Religion Chretienne*. Ibi quippe laudatus ille Auctor hoc argumentum non minus fuſe, quam erudite tractat, & omnes objectiones, quas proponit *Joannes Marſhamus*, pleniſſime diluit.

COL-

Digitized by Google

COLLOQUIUM II.

In quo proponuntur Dubia, quæ tam Theologi, quam Scripturæ Sacræ Interpretes, circa Hiſtoriam tertiæ Mundi Ætatis ventilare ſolent.

DISC. SÆPIUS in ſuperioribus noſtris Colloquiis dixiſti, Deum apparuiſſe Patriarchis *Abrahamo*, *Iſaaco*, *Jacobo*, & aliis, eoſque familiari Colloquio fuiſſe dignatum. At, nunc ſcire vellem, an vere ipſemet Deus ſub humana ſpecie apparuerit Patriarchis? An potius Angelus, humanam formam referens, apparuerit Patriarchis, & cum illis, nomine Dei, quem repræſentabat, Colloquia miſcuerit.

M. Communis eſt Theologorum ſententia, quod dum legitur in Veteri Teſtamento, apparuiſſe Deum Patriarchis, & cum illis fuiſſe locutum; id eo in ſenſu intelligi non debeat, quaſi Deus ſub humana ſpecie ſe ſe Patriarchis conſpicuum exhibuerit, & cum illis ſermonem habuerit; ſed quod Angelus, a Deo miſſus, ejuſque vice fungens, id muneris ex aere ſibi formato corpore, obiret, ſeque Patriarchis adſpectabilem præberet. At, non deſunt celebres quidam Theologi, qui, aliquot Sanctorum Patrum antiquorum, ſeu S. *Juſtini*, Martyris, in Dialogo cum *Tryphone*, S. *Irenæi*, lib. 4. adverſus Hæreſes cap. 26. S. *Auguſtini*, lib. 2. de Trinitate, cap. 13. & *Theodoreti*, q. 5. in Exodum, Doctrinam ſecuti, ſentiunt, quod aliquando in ſacris litteris dicitur, Deum apparuiſſe Patriarchis, id intelligi haud debeat de Angelo, tanquam Dei Legato, ſed potius de Verbo Divino, ſeu de ſecunda Sanctiſſimæ Trinitatis Perſona, quæ ſub ſpecie humana ſeſe Patriarchis jam tum viſibilem oſtendebat. Doctiſſimus *Bernardus l' Amy*, Congregationis Oratorii Presbyter, in ſuo *Apparatu Biblico*, pag. 26. hanc Theologorum ſententiam, his verbis confirmat: *Ille ſummus Deus, qui dicitur dignatus Abrahamum familiari Colloquio, ipſum erat Dei Verbum, ſeu ſecunda Sanctiſſimæ Trinitatis Perſona, quæ ab hiſce temporibus præludebat Incarnationi ſuę. Quamquam enim tunc Carnem non ſic aſſumeret, ut jam fieret Homo, in imagine tamen carnis, ſive veræ, ſive apparentis, conſpicuum Patriarchis ſe præbebat; ipſum, inquam, erat Verbum Dei, ut omnis Antiquitas credidit, unus ex tribus Angelis, qui apparuerunt Abrahæ, & promiſit de lumbis ejus Carnem ſe ſumpturum. Hunc vero Abraham ut Deum ſummum adoravit, pro Deo habuit, & ejus Colloquio gaviſus eſt, ad quod alludens, ut opinor, Chriſtus ajebat* cap. 8. *Evang. S. Joannis*: *Abraham, pater veſter, exultavit ut videret diem meum, vidit & gaviſus eſt*. Præivit *Bernardo l' Amy*, in hac ſententia *Petrus Cunæus*, qui libros 3. *De Republica Hebræorum* cap. 3. pag. 378. hæc habet: *Ajunt præſtantiſſimi Theologi, quotieſcumque Deus immortalis hominibus apparuit, apparuiſſe ſecundam Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonam, ſeu Filium Dei. Quod ſane ab illis recte exiſtimatum eſt. Utique cum Apoſtolus ait: Sæpe Deum ante per Prophetas, noviſſime autem locutum fuiſſe per Filium: non ille negat, viſum antea in terris Meſſiam, ſed haud obiiſſe eum concionandi illud munus ſignificat, quod olim a Vatibus ſemper, ac tandem vero ſuſceptum ab ipſo eſt. Non poterat ipſum illud corpus induere, quod in terris poſtea intuiti ſunt, & contrectavere mortales. Id enim ſero admodum genitum formatumque eſt, neque antea extitit. Quare imaginem duntaxat illius repræſentavit Abrahamo, ſed plane eamdem, quam inter homines habuit.*

D. Libentius, ut candide dicam, deſcenderem in ſententiam horumce Theologorum, qui docent, ſecundam Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonam, ſeu Filium Dei, apparuiſſe etiam Patriarchis, qui vixerunt ante Legem Scriptam, ſeu Moſaicam. Inde enim facili negotio intelligitur, Patriarchas, etiam illos, qui præceſſerunt Legem Moſaicam, habuiſſe notitiam, ſeu fidem in venturum Meſſiam, Liberatorem generis humani, & Mediatorem Deum inter & homines. At, cum ejuſmodi Scecundæ Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis apparitiones non omnibus

Iſrae-

Iſraelitis, qui vixerunt ante Legem Moſaicam contigerint, fateor ultro, me prorſus neſcire, quo pacto Populus Iſraeliticus potuerit ante Legem Moſaicam habere notitiam, ſeu fidem in Meſſiam venturum, cum ejuſmodi notitiam, ſeu fidem, nec ex apparitionibus Secundæ Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ ei factæ non ſunt, nec ex Lege Moſaica, quæ necdum ſcripta erat, haurire potuerit? Hic eſt ſane nodus vindice dignus.

M. Neminem ab Adamo, ſeu a Creatione Mundi, abſque fide in venturum Meſſiam, ſalutem æternam fuiſſe conſecutum, nec deinceps ad finem uſque Mundi conſecuturum, conſtans eſt ac perpetua Eccleſiæ Catholicæ Doctrina, quam nullus citra apertam hęreſim impugnare poteſt. Id tamen diſcriminis fuit inter fidem Patriarcharum ante Legem Moſaicam, & fidem Populi Iſraelitici, quod Patriarchę ante Legem Moſaicam, haberent fidem in venturum Meſſiam magis diſtinctam, quam ideo Theologi appellant *Fidem explicitam;* Populus vero Iſraeliticus ante Legem Moſaicam haberet fidem in Meſſiam venturum minus diſtinctam, quam ſubinde Theologi vocant *Fidem implicitam*, quam videlicet a Patriarchis, & a Mjoribus ſuis acceperant, per continuam traditionem, quę ab ipſa Creatione Mundi uſque ad ipſorum tempora fuit jugiter conſervata, eorumque animis altius infixa. Quod, ne gratis a me dictum eſſe videatur, plurimis Scripturę Sacræ teſtimoniis evincam. In primis, legimus cap. 4. Evangelii, quod ſcriptum eſt a Sancto *Joanne*, mulierculam Samaritanam ex recepta pridem ac pervulgata apud Judæos traditione Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam quem ipſa veniſſe ignorabat, ſic fuiſſe affatam; *Novimus Meſſiam venturum. Cum venerit ille, omnia nobis annuntiabit*. Erant autem Samaritani reſidua pars Iſraelitarum, quos a Judæis olim *Jeroboamus* avulſerat, proindeque ignorare non poterant, quod vulgo cuncti Hebræi ſuper hac re ſenſerunt, ſicut optime obſervat *Petrus Cunæus* ſub finem lib. 3. *De Republica Hebræorum*. Præterea Apoſtolus *Paulus* cap. 11. Epiſtolæ ad Hebręos, poſtquam præmiſit, *Fidem eſſe ſubſtantiam rerum ſperandarum*, non ſolum Fidem *Abelis*, *Enochi*, *Noemi*, *Abrahami*, *Iſaaci*, *Jacobi*, *Joſephi* & *Moyſis* laudat ac plurimum commendat, ſed etiam ejuſdem fidei laudem Populo Iſraelitico, etiam ante Legem Moſaicam, tribuit eo potiſſimum nomine, quod Dei imperio obſecutus, Ægyptum reliquit. Sic enim ait Apoſtolus: *Fide tranſierunt mare rubrum tanquam per aridam terram*. Quin, idem Apoſtolus eodem in capite fidei hujus laudem adſcribit Iſraelitis, qui jam defuncti erant, dicens: *Juxta Fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed a longe eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram. Qui enim hæc dicunt, ſignificant, ſe patriam inquirere.... Nunc autem meliorem appetunt, id eſt cæleſtem*. Id ſępius inculcat Apoſtolus *Paulus*, ſed pręſertim cap. 10. Epiſt. 1. ad Corinthios, ubi indiſcriminatim omnes Iſraelitas fidei elogio ornat his verbis: *Nolo enim vos ignorare, Fratres, quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube, & in mari; & omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt (bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus.)* Tertio, Patriarcha *Jacobus* propediem moriturus in Ægypto, ſuos omnes accerſivit filios, quibus viritim bene precatus, dixit filio Judæ: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium*. Geneſ. cap. 49. quibus verbis voluit Patriarcha *Jacobus*, non ſolum filiorum ſuorum, ſed etiam omnium Iſraelitarum, qui erant in Ægypto, Fidem, quam habebant de adventu Meſſiæ, ſeu Liberatoris, quæque a ſuis Majoribus accepta penitus eorum animis inſidebat, confirmare, prædicens illis, venturum illum Meſſiam, quem expectabant, poſtquam familiæ filii ſui *Judæ* Regium

gium Sceptrum fuiſſet ablatum, & ad alienigenam tranſiiſſet. Quarto, *Joſephus*, filius Patriarchæ *Jacobi*, moriens itidem in Ægypto, obſecravit, & obteſtatus eſt Iſraelitas, ut dum eſſent ex Ægypto exituri, ejus oſſa ſecum aſportarent ſepelienda in Terra Chananæa: *Aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto*, Gen. cap. 50. Sciebat quippe *Joſephus*, fore ut in Chananeenſium ſedibus naſciturus eſſet Meſſias, illicque ſua oſſa quieſcere voluit. Fidem *Joſepho* datam liberarunt Iſraelitæ, quando exceſſerunt ex Ægypto, & fide, quam in Meſſiam venturum habebant, animati, oſſa *Joſephi*, ſepelienda in Terra Chanaan, ſecum aſportarunt: *Tulit Moyſes oſſa Joſeph ſecum, eo quod adjuraſſet filios Iſrael, dicens. Viſitabit vos Deus, aſferte oſſa mea hinc vobiſcum*, lib. Exodi cap. 13. Denique, non tantum Patriarchis, ſed & omnibus Iſraelitis, etiam ante Legem Moſaicam, nota erat illa promiſſio, qua Deus ab exordio Mundi, hoc eſt, poſt primorum parentum noſtrorum peccatum, ſeſe obſtrinxit, mittendi Meſſiam, ſeu Liberatorem, dum imprecando ſerpenti, dixit: *Ipſa conteret caput tuum*, id eſt, Meſſias, aliquando ex muliere naſciturus, conteret caput tuum. Hanc, inquam, promiſſionem, qua Deus ab exordio Mundi ſe obſtrinxerat, mittendi Liberatorem, ſeu Meſſiam, omnes Iſraelitæ etiam ante Legem Moſaicam jam perſpectam exploratamque habebant, tum ex certa traditione ab Adamo ad ipſos uſque propagata; tum etiam ex ſanctificatione Sabbati, quę per ſingulas Hebdomades monebat illos de Creatione Mundi, ſeu in memoriam illorum revocabat Creationem Mundi, formationem primi hominis, ejus elapſum, divinam promiſſionem mittendi Liberatoris, & Legem latam a Deo ab exordio Mundi, & a majoribus ſuis, etiam ante *Moyſis* tempora, jugiter obſervatam, ſanctificandi Sabbatum in memoriam creationis Mundi, & diei ſeptimi, quem ſanctificavit Deus, *quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo*, uti legitur Geneſis cap. 2. Cum igitur omnibus Iſraelitis, etiam ante Legem Moſaicam, nota fuerit hæc promiſſio, qua Deus ab exordio Mundi, hoc eſt, poſt peccatum Adami, ſeſe obſtrinxit, mittendi Liberatorem, ſeu Meſſiam, planum ac expeditum eſſe debet, omnes Iſraelitas, etiam ante Legem Scriptam, habuiſſe aliquam notitiam, ſeu fidem in Meſſiam venturum. Hinc merito S. *Auguſtinus* lib. *de peccato originali* cap. 24. ait; *Sine Fide ergo Incarnationis & Mortis, & Reſurrectionis Chriſti, nec antiquos Juſtos, ut juſti eſſent, a peccatis potuiſſe mundari, & Dei gratia juſtificari, veritas Chriſtiana non dubitat, ſive in eis Juſtis, quos Scriptura Sancta commemorat, ſive in iuſtis, quos quidem illa non commemorat, ſed tamen fuiſſe credendi ſunt, vel ante diluvium, vel inde uſque ad Legem datam, vel ipſius Legis tempore non ſolum in filiis Iſrael, ſicut fuerunt Prophetæ, ſed etiam extra eundem Populum, ſicut fuit Job. Ipſorum enim corda eadem mundabantur Mediatoris Fide*. Quo fit, ut omnino inexcuſabiles ſint Hebræi, qui, licet per Legem Moſaicam, & vaticinia Prophetarum majorem de venturo Meſſia notitiam poſtea habuerint, pertinacia tamen pluſquam adamantina Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam, in quo *Moyſis*, & Prophetarum fuerunt adamuſſim omnia adimpleta oracula, agnoſcere detrectarunt. *Unde cum reputare in animo ſoleo* (utor verbis *Sulpicii Severi*, lib. 1. Hiſtoriæ Sacræ) *Populum*, ſeu Hebræum, *tot beneficiis Dei obligatum, tot cladibus, cum peccaret, coercitum, expertumque & miſericordiam, & ſeveritatem Dei, nequaquam emendatum; & cum ſemper veniam erroris acciperet, ſemper peccaſſe poſt veniam; nihil mirum videri poteſt, Chriſtum nb his non eſſe receptum, cum jam in dies ab initio toties in Domino rebelles deprehendantur, magiſque mirum eſt, illis ſemper peccantibus nunquam Dei, ſi quando eum imploraverunt, defuiſſe clementiam*.

D. In illo Vaticinio Patriarchæ Jacobi: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium*. In hoc, inquam, vaticinio *Jacobi* probe intelligo, promitti adventum Meſſiæ, quando Sceptrum Regium fuerit ablatum e Juda;

Digitized by Google

da; ſed quandonam id revera contigerit, prorſus me latet.

M. Sunt quidam periti Theologi, & Scripturæ Sacræ interpretes, qui aſſerunt, in hoc vaticinio *Jacobi* promitti venturum Meſſiam, quando e tribu *Juda* Sceptrum eſſet ablatum, adeo ut illud Jacobæum Oraculum: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt* &c. ad ſolam Tribum *Judæ* reſtringi debeat cum excluſione Leviticæ, Beniamiticæ, & aliarum Tribuum. Sed pace illorum Theologorum, & Scripturæ Sacræ Interpretum dixerim, huic ſententiæ calculum meum adjicere non poſſe. Primo, quia compertum habemus ex Scriptura Sacra, plures extitiſſe Gentis Judaicæ Duces ac Principes a *Jacobi* vaticinio uſque ad Chriſtum, Servatorem noſtrum, qui ex Tribu Juda non fuerunt oriundi. *Moyſes* nanque & *Joſue*, qui poſt egreſſionem Iſraelitarum ex Aegypto, præfuerunt Populo Judaico, ſuam ex Tribu Juda originem non ducebant, ſed *Moyſes* erat de Tribu *Levi*. *Joſue* vero de Tribu *Ephraim*. Inter *Judices* poſtea, qui poſt *Moyſem*, & *Joſue*, apud Judæos ſumma poteſtate præditi erant, duo tantum fuerunt orti e Tribu Juda, videlicet *Othoniel*, & *Abeſan*. Secundo, tempore, quo Judæi in Captivitatem Babylonicam fuerunt abducti, Sceptrum e Tribu Juda ablatum eſt in *Jechonia* & *Sedecia* Regibus. Poſt laxatam vero Captivitatem Judęorum Reſpublica formam Ariſtocratiæ aſſumpſit, ita ut Judæi nunquam amplius regia, & abſoluta imperandi forma potiti ſint, ut pote qui Perſarum Monarchis primum ſubditi fuerunt, deinde, poſtquam *Alexander Magnus*, Macedo, *Darium Codomannum*, & Perſarum ſimul Imperium deleviſſet, & omnem hujus gloriam ad Græcos tranſtuliſſet; Judæi Græcis paruerunt, ideſt Aſię minoris, & Aegypti Regibus ſervierunt, donec tandem a Romanis devicti ſub jugum miſſi ſunt. Porro, per totum illud temporis intervallum, quod a ſoluta Captivitate Babylonica fluxit uſque ad Chriſtum Dominum, nullos Duces habuerunt Judæi e Tribu Juda oriundos, ſed ſumma rerum erat penes Summos Pontifices, quæ Pontificum poteſtas per Aſſamonæos, in Ordine Sacerdotali conſtitutos, firmata eſt uſque ad tempus *Herodis*, qui devicto *Antigono*, genus Aſſamonæorum penitus extinxit, & Regnum Judææ a Senatu Romano obtinuit. Cum igitur a laxata Captivitate Babylonica uſque ad Chriſtum, hoc eſt, per quingentos, & amplius annos Sceptrum e Tribu Juda fuerit ablatum, ſtare nullo modo poteſt ſententia illorum qui *Jacobi* de venturo Meſſia vaticinium: *Non auferetur Sceptrum de Juda* &c. reſtringunt ad ſolam Tribum Juda, excluſis aliis Tribubus.

D. Quo pacto igitur vis eſſe intelligenda hæc Jacobæi vaticinii verba: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus* &c.? videtur quippe mihi, quod ſola hic indigitetur Tribus *Juda*, excluſis aliis Tribubus.

M. Ut huic Jacobæo Vaticinio de venturo Meſſia ſua conſtet veritas, neceſſum eſt, ut hæc priora verba, quibus conſtat: *Non auferetur Sceptrum de Juda*, non limitentur ad ſolam Tribum *Juda*, excluſis aliis Tribubus, ſed potius referantur ad totam Gentem Judaicam, adeo ut ſenſus ſit, non ablatum iri ſceptrum e tota Gente Judaica, donec veniat Meſſias. Hac autem ſemel admiſſa Jacobæi vaticinii interpretatione, proclive eſt demonſtrare, Judæos a tempore, quo a Patriarcha *Jacobo* editum eſt hoc vaticinium, uſque ad *Herodem*, alienigenam, qui a Senatu Romano Judææ Regnum obtinuit, & quo adhuc in Judæa regnante natus eſt Jeſus Chriſtus, verus Meſſias, ſemper habuiſſe e Gente ſua Judaica, ſeu ex genere ſuo, & ex aliqua Tribus Duces, Reges, ac Principes, qui toti Populo Judaico cum ſumma rerum poteſtate præfuerunt. At enim, poſt mortem Patriarchæ *Jacobi* in Aegypto, Judæi Ducem habuerunt *Moyſes*, qui eos a captivitate Aegyptiaca liberavit. Poſt obitum *Moyſis*, Judaico Populo præfuit *Joſue*, qui illum in terram promiſſam, ſeu in terram Chananæam introduxit. *Joſue*, in regimine Populi Judaici ſucceſſerunt alii Duces, quos e genere ſuo ortos Ju-

Judæi appellarunt *Judices*, qui ſumma apud Gentem Judaicam poteſtate potiebantur. Poſt *Judices*, habuerunt Judæi Reges, & Regia dignitas, ſeu poteſtas permanſit in Tribu Juda, & in familia Davidica uſque ad captivitatem Babylonicam. A tempore autem captivitatis Babyloniæ Judæi habuerunt Duces itidem ex genere ſuo, ſeu Principes exercitus, qui ipſis reducibus, & proprio ſolo, laxata captivitate, reſtitutis præfuerunt. His Ducibus ſuffecti ſunt Pontifices, dicti *Aſſamonæi*, ſeu Malchabæi, qui pariter e Judæorum genere erant oriundi, & quibus Rempublicam Judaicam gubernandi onus incumbebat. Denique, hanc ſupremam Reipublicæ adminiſtrandæ poteſtatem conſervarunt Pontifices, ſue Aſſamonæi, uſque ad *Herodem*, qui, licet non eſſet ex Gente Judaica, ſed alienigena, utpote genere Idumæus, devicto tamen *Antigono*, ultimo Aſſamonæorum Rege, Regnum Judææ obtinuit a Romanis. Quo tempore, cum Judææ Regnum ad *Herodem*, alienigenam tranſierit; natus eſt Jeſus Chriſtus, verus Meſſias, juxta Patriarchæ *Jacobi* vaticinium: *Non auferetur Sceptrum de Juda*, ideſt, de tota Gente Judaica, *donec veniat*, *qui mittendus eſt*, *& ipſe erit expectati Gentium*. Hoc pacto intelligendum, & explicandum eſſe Patriarchæ *Jacobi* de venturo Meſſia vaticinium cenſent ſancti Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici, *Juſtinus*, Martyr, in Dialogo cum *Triphone*, *Athanaſius* in lib. de Incarnatione, *Euſebius* lib. 8. Demonſtrationis Evangelicæ, *Chryſoſtomus* Homilia 77. in Gen. *Ambroſius* in libro de Benedictionibus Patriarcharum, cap. 4. *Auguſtinus* lib. 18. De Civitate Dei c. 45. *Theodoretus* quæſt. 110. in Geneſim, aliique ſancti Patres, qui iſtam vaticinii Jacobæi interpretationem ſuo calculo approbarunt. Huic igitur tam cano, tamque venerando totius Antiquitatis conſenſui aſſenſum præſtares debes.

D. Prono capite veneror antiquos illos ſanctos Patres, eorumque ſententiæ libentiſſime ſubſcribo; ſed necdum feciſti ſatis difficultati, quam mox inſinuavi. Videtur quippe mihi, hæc verba vaticinii Patriarchæ *Jacobi*: *Non auferetur Sceptrum de Juda*, pertinere dumtaxat ad Tribum *Juda*, excluſis aliis Tribubus. Alioqui ſi prædicta verba ſpectent totam Gentem Judaicam, non video certe quid peculiare de filio ſuo, *Juda*, Patriarcha Jacobus prædixerit, dum, antequam moreretur, ſuam ei benedictionem largitus eſt. Et tamen legimus cap. 49. libri Geneſis Patriarcham *Jacobum*, jam morti proximum, convocaſſe omne filios ſuos, hiſque ſingulis viritim, ſpeciatim, ac diſtincte benedixiſſe, atque prędixiſſe, quæ ipſis, eorumque poſteritati deinceps obventura erant. Quæ cum ita ſint, longe veroſimilius mihi videtur, hæc verba vaticinii *Jacobi*: *Non auferetur Sceptrum de Juda*, reſtringenda eſſe ad ſolam Tribum Judæ, excluſis aliis Tribubus Iſraeliticis.

M. Non ita eſt, ſicut ſentis. Quamvis enim hæc benedictio, ſeu prædictio *Jacobi* morientis: *Non auferetur Sceptrum de Juda* &c. toti Genti Judaicæ, ſeu ceteris Tribubus Iſraeliticis competat, attamen *Judæ*, filio Patriarchæ *Jacobi*, peculiarius accommodari debet, & ejus Tribum magis ſpectat, quam ceteras Tribus. Primo, in eo quod ſoli filii Judæ, ſeu viri e Tribu *Judæ* orti, a *Davide* uſque ad captivitatem Babylonicam; hoc eſt, per anno circite quingentos, Regnum in Gente Judaica obtinuerint, idque ſub *Davide*, & *Salamone* florentiſſimum. Secundo, in eo quod, poſt captivitatem Babylonicam, cum ad aliam Tribum, diſtinctam a Tribu Juda, ſuprema poteſtas in Gente Judaica tranſierit; nihilominus univerſus Populus Iſraeliticus a *Juda* nomen ſortitus ſit, tumque primum Iſraelitæ cœperint cognominari *Judæi*. Tertio, in eo quod eodem tempore, quo ſuprema in gente Judaica poteſtas penes Pontifices, ſeu Aſſamonæos erat devolvenda, Regio tamen ipſa, qua Regnum continebatur, tota, aut maxima ex parte ad ſortem Tribus Juda pertinere debebat. Quarto, in eo quod Tribus Juda, ſive in caſtris ponendis, ſive in ordine offerentium, ſive in diviſione terræ Chanaan, ceteris Tribubus pręſtantia quadam, & excellentia ſingulari præire debebat. Poſtremo, in eo quod Jeſus Chriſtus,

ſtus, verus a Patriarcha J*acobo* promiſſus Meſſias, ex ſola Tribu Juda, & non ex aliis Tribubus Iſraeliticis proditurus erat. Propter has, & alias rationes, quæ legi poſſunt apud *Euſebium* lib. 8. *De demonſtratione Evangelica*, jure optimo dici poteſt, hanc benedictionem, ſeu prædictionem Patriarchæ J*acobi*, fuiſſe quidem omnibus Tribubus Iſraeliticis communem, peculiari tamen ratione, ad Tribum J*udæ* pertinuiſſe. Conſule etiam, ſi velis, Diſſertationem, quæ in *Tractatu de Myſteriis, & annis Chriſti*, a me Romæ recens edito, ordine ſeptima eſt, in qua evinco, hoc Patriarchæ J*acobi* Vaticinium: *Non auferetur ſceptrum de* Juda, *donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*, fuiſſe revera impletum in ortu Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, illudque ab omnibus Judæorum argutiis, & cavlllis vindico.

D. Sufficit mihi hæc, quam de Patriarchæ J*acobi* vaticinio dediſti, brevis explanatio. At nunc duo dubia haud levis momenti; ne quid diſſimulem, circa eumdem Patriarcham J*acobum* ſubeunt animum meum, quæ mihi ſolvas velim. Primum Dubium eſt, an revera mentitus ſit J*acobus*, quando, uſus conſilio matris ſuæ *Rebeccæ*, paternam benedictionem, loco, *Eſau* fratris ſui primogeniti, accepit, dicens patri ſuo Iſaaco: *Ego ſum filius tuus primogenitus Eſau*; quod tamen probe ſciebat eſſe falſum. Alterum Dubium iſtud eſt: Num Patriarcha J*acobus* injuſta fraude deluſerit ſocerum ſuum *Labanum*, dum poſt famulatum quatuordecim annorum pacta cum illo mercede, gregem ſuum per virgas ex parte decorticatas, ſicque varias, quas beſtiis inter bibendum, calente venere, objiciebat, copioſa pecudum acceſſione multiplicavit cum evidenti diſpendio gregis ſoceri ſui *Labani*, uti narrat *Moyſes* cap. 30. lib. Geneſis. His duobus Dubiis rogo te, ut breviter facias ſatis.

M. A duobus iſtis, quæ propoſuiſti, Dubiis nunc paucis verbis me expedio, & ad primum dico Patriarcham J*acobum*, ſi litterali Scripturæ ſenſui inhæreamus, vix, ac ne vix quidem a mendacio poſſe excuſari, dum paternam benedictionem loco *Eſau*, fratris ſui primogeniti, conſilio matris ſuæ accepit. Id luculenter colligi poſſe videtur ex capite 27. libri Geneſis, ubi primo narratur, J*acobum* non modo dixiſſe ſe eſſe primogenitum, ſed etiam diſertis verbis profeſſum fuiſſe, ſe eſſe *Eſau*, idque reſpondiſſe patri ſuo *Iſaaco*, de perſona *Eſau*, non de ſolo jure primogenituræ quærenti, & benedictionem *Eſau*, non autem J*acobo* dare volenti. Deinde, legitur eodem in capite, J*a.obum*, vulgares cibos offerentem patri ſuo *Iſaaco*, ideſt, duos hædos, quos non in ſilvis venatus erat, ſed in ſtabulo conquiſitos & electos a matre coquendos, ac parandos attulerat, ipſum rogaſſe, ut de ipſius venatione comederet, quod certe (ſi ſolus attendatur litteralis verborum ſenſus) a fraudis, & mendacii crimine excuſari non poteſt. Denique, ibidem iegitur J*acobum*, accepta benedictione, ſtatim a patre ſuo *Iſaaco*, fraudis ac mendacii fuiſſe inſimulatum. *Eſau* quippe lugenti, & graviter de ſurrepta ſibi a fratre ſuo J*acobo* benedictione querenti, reſpondit pater, J*acobum* veniſſe fraudulenter, & benedictionem ſuffuratum fuiſſe. *Venit germanus frater tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam*. Hæc, inquam, ſi juxta litteralem duntaxat ſenſum expendantur, J*acobum* mentitum fuiſſe haud obſcure ſignificabunt. At, ſi ad ſenſum verborum J*acobi* myſticum, ſeu figuratum, ut par eſt, aſſurgamus, Patriarcham J*acobum* ab omni fraude, & mendacio poterimus excuſare, ſicut illum tam vere, quam pie excuſant ſancti Patres, *Auguſtinus* lib. 1. *contra Mendacium* cap. x. *Theodoretus* quæſt. 81. in Geneſim, *Gregorius* M. Homilia vi. in *Ezechielem*, *Iſidorus Hiſpalenſis*, *Venerabilis Beda*, *Rupertus*, quorum agmen claudit S. *Thomas*, qui 2. 2. qu. cx. Art. 3. in reſponſione ad 3. Argumentum his verbis agit J*acobi* vindicias: Jacob *dicit, ſe eſſe Eſau primogenitum Iſaac, quia videlicet primogenita illius de jure ei debebantur. Uſus eſt autem hoc modo loquendi per ſpiritum Prophetiæ ad deſignandum myſterium, quia videlicet minor Populus, ſcilicet Gentilium, ſubſtituendus erat in* lo-

locum primogeniti, *ſcilicet Judæorum*. Quam rationem excerpſit *S. Thomas* ex jam citato libro primo S. Auguſtino *contra Mendarium*, cap. decimo. Huic itaque ſanctorum Patrum, & graviſſimorum Theologorum, qui J*acobum* a mendacio excuſant, conſtanter adhærere debes, illumque penitus repudiare errorem quorumdam recentium molliorum Theologorum, qui, licet faterentur, J*acobum* non fuiſſe mentitum, ajebant tamen, illum amphibolia, ſeu verbis ambiguæ, ancipitiſque ſignificationis, necnon mentis reſtrictione uſum fuiſſe abſque peccato. Quin, quod magis mirari debeas, hunc amphiboliarum uſum, adeo licitum, & innoxium eſſe audacter pronunciabant molliores illi Theologi, ut non puderet eos aſſerere, Deum ipſum, Patriarchas alioſque viros ſanctos interdum amphibolis, mentiſque reſtrictionibus fuiſſe uſos. Sed, apage hunc errorem Deo, & Sanctis tam injurium, ſinceritati, ac ſimplicitati Chriſtianæ (quam tantopere commendat Chriſtus cap. 5. *Matthæi* verſ. 37. dicens: *Sit autem ſermo veſter; eſt*, *eſt*, *non*, *non*: *quod autem his abundantius eſt*, *a malo eſt*) omnino oppoſitum; ſocietatis humanæ peſtem, & occultandæ veritatis peſſimum artificium, uno verbo, ſæpius fulguritum, & vaticanis protritum fulminibus.

Venio nunc ad alterum, quod propoſuiſti Dubium, an Patriarcha J*acobus* injuſta fraude deluſerit ſocerum ſuum *Laban*, quando ſingulari uſus artificio gregem ſuum multiplicavit, cum gravi jactura, quam inde paſſus eſt *Laban*? Quod quidem Dubium, ut clarius diluere poſſim, obſervare debes, *Jacobum*, poſtquam per quatuordecim annos, *Labano*, ſocero ſuo, nullo recepto præmio, gregem ipſius paſcendo, famulatus fuiſſet, tandem exiguam mercedem ab illo popoſciſſe, ut videlicet quidquid ex ovibus unius coloris deinceps naſceretur variegatum, ideſt, variis diſtinctum coloribus ad ſe pertineret. Annuit *Laban*, futuri artificii, quo J*acobus*, ipſius gener, uſurus erat, omnino inſcius. At, cum ſubdolus, & rapax *Labani* animus, quem multis experimentis per quatuordecim famulatus annos probe perſpectum habebat, J*acobus*, non ſponderet pacti fidem, nec mercedis acceptæ ſecuritatem, niſi notabili coloris diſcrimine, & loci intervallo peculium ſuum, a reliquo *Labani*, ſoceri ſui, grege ſecerneret, ideo J*acobus* ſegregavit oves & capras diſcolores, ſibi oves, & capras unius coloris paſcendas ſervavit, ne, ſi *Labanus*, præter opinionem ſuam, gregem J*acobi* auctum, ac multiplicatum videret, furta & rapinas clamitaret. Aderat tempus, quo Deus injuriam, & damna a *Labano* per quatuordecim annos illata J*acobus*, qui totius ſpei, ac fiduciæ ſuæ anchoram nunquam non in remuneratione divina collocaverat, ſarcire conſtituit. Monetur itaque J*acobus* a Deo de artificio, quo præmia, toleratis laboribus digna, cum fœnore conſequi debebat, cumque non ignoraret J*acobus*, quanta vis eſſet imaginationis in variando fœtu, & quam facile ea moveretur ab errore externo, ſpeciatim in beſtiis, quarum ſenſio cum ſpeciebus corpores arctius connexa eſt, quales fœtus naſci oportebat, tales oculis conſpicientium objiciendas arbitrabatur. Nec viſa commodior via, ut rem ad optatum exitum perduceret, quam ſi virgulta ex arboribus, quarum color artificium adjuvabat, recens refecta, cortice alternis intervallis detracto, variegata in conchis, vel alveis, aqua limpida plenis, reponerentur, ut qua aviditate potum faucibus, ex ſpecies objectas oculis inter bibendum haurirent beſtiæ, quas forte cum imaginibus marium laſcivientium, & adhærentium commixtas, ex aqua, tanquam ex ſpeculo naturali, oculus, alias vagus, & inſtinctu potius, quam conſilio, in objecta quæque raptus, ut ſolet eſſe oculus beſtiarum, ad hoc unum tempore generationis raptus facilius perciperet, & firmius imaginationi imprimeret, unde inſignita, & impreſſa informatio fœtum eodem tempore conceptum imbueret. Non defuit J*acobo* ſucceſſus, quoties uſus eſt iſto artificio, quod fuiſſe naturale ſola vi imaginationis, nullo interveniente miraculo, ad quod citra ullam neceſſitatem recurrunt nonnulli, contigiſſe facile cre-

tradiderim. Vis ſiquidem phantaſiæ, ſeu imaginationis, ſolet in coitu eſſe maxima, & fœtui ſimilitudinem viſam fortiter imprimit, ſicut bene multis experimentis conſtat, quibus falſi convincitur ſyſtema Carteſianorum, aliorumque modernorum Philoſophorum, qui docent, belluas eſſe mera automata, arcanis, rotulis & elateriis affabre contexta, omni cognitione, vita, vi imaginatrice, aliiſque ſenſionibus tam internis, quam externis prorſus deſtituta. Sed iſtud recentiorum Philoſophorum ſyſtema hic impugnare locus non eſt. Quare, Dubii a te propoſiti explicationi duntaxat inſiſtens, breviter hic oſtendam, *Jacobum*, in eo, quo uſus eſt, artificio, injuſta fraude non deluſiſſe ſocerum ſuum *Labanum*. Et primo quidem, *Jacobus* juſte ac licite uſus eſt eo artificio, quia illud ab Angelo in ſomnis doctus erat, ut teſtatur ipſemet *Jacobus* cap. 31. v. 11. libri Geneſis, ſic loquens: *Dixit Angelus Dei ad me in ſomnis: Leva oculos tuos, & vide univerſos maſculos aſcendentes ſuper fœminas, varios, maculoſos, atque reſperſos. Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban*. Secundo, hoc aſtu & dolo uſus eſt, titulo juſtæ compenſationis, quia per viginti annos ſervierat *Labano*, & tamen juſtam laborum ſuorum mercedem ab eo, utpote homine avaro, extorquere necdum potuerat, ſicut ipſemet queritur cap. 31. v. 40. & ſeq. libri Geneſis, dicens: *Die noctuque æſtu urebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis, ſicque per viginti annos in domo tua* (ideſt, ſoceri Laban) *ſervivi tibi, quatuordecim pro filiabus, ſex pro gregibus tuis; immutaſti quoque mercedem meam decem vicibus ... Forſitan modo nudum me dimiſiſſes. Afflictionem meam, & laborem manuum mearum reſpexit Deus, & arguit te heri*. Denique, *Laban* promiſerat *Jacobo* dotes filiarum *Rachaelis* & *Liæ*, quas ei uxores dederat; & quas tamen indotatas reliquit, quemadmodum ipſæmet teſtantur c. 31. v. 14. lib. Geneſis, his verbis: *Reſponderunt Rachel & Lia: Numquid habemus reſidui quidquam in facultatibus & hæreditate domus patris noſtri? nonne quaſi alienas reputavit nos, & vendidit, comeditque pretium noſtrum?* His, & aliis ejuſmodi rationibus probant Scripturæ Sacræ Interpretes *Jacobum* non injuſta fraude deluſiſſe ſocerum ſuum *Labanum*, quando ad augendum gregem ſuum, & ad ſe redimendum ab injuſta vexatione, novo iſto commento, ſeu artificio uſus eſt.

D. Jam ſciebam, *Liam*, & *Rachelem* eſſe filias *Labani*, & uxores Patriarchæ *Jacobi*. Sed earum Hiſtoriam, quam legi in libro Geneſis, duos mihi injecit ſcrupulos, quos mihi eximas velim. Narratur quippe c. 29. hujus libri, *Liam*, quæ erat filia *Labani*, natu major, obtemperaſſe patri ſuo, qui illam concubia nocte introduxit in lectum *Jacobi*, eamque ſuffecit in locum *Rachelis*, quæ vere cum *Jacobo* erat matrimonio juncta, non vero ejus ſoror *Lia*. Quæro igitur, an peccaverit *Lia*, quæ obſecuta patris conſilio, dormivit, remque habuit cum Jacobo, cui tamen nondum nupta erat? Deinde capite ſequenti, ſeu trigeſimo ejuſdem libri Geneſis, legitur, quod *Ruben*, filius *Liæ*, *reperit mandragoras, quas matri Liæ detulit, dixitque Rachel: Da mihi partem de mandragoris filii tui*. Dic, ſodes, quid ſibi velint iſtæ mandragoræ, quibus tantopere delectabatur *Rachel*, & qua virtute pollerent?

M. *Liam* peccaſſe, dum parenti ſuo morem gerendo, intruſit ſeſe, loco *Rachelis*, in lectum *Jacobi*, & cum ipſo carnalem copulam habuit, cui tamen nondum nupta erat, in confeſſo eſt apud omnes Scripturæ Sacræ Interpretes. Conſenſit quippe *Lia* in ſtuprum, imo adulterium, a quo *Jacobus*, hujus facinoris plane neſcius, jure optimo excuſari debet ob facti ignorantiam invincibilem, qua putavit, ſe non cum *Lia*, ſed cum *Rachele*, quæ ei vere nupta erat, congreſſum carnalem habuiſſe. Hinc eſt, quod *Jacobus* mane expergefactus, & videns *Liam*, loco *Rachelis* ſubrogatam, ſic ſocerum ſuum, hujus ſtrophæ, ſeu potius facinoris, auctorem allocutus eſt: *Quid eſt quod facere voluiſti? nonne pro Rachele ſervivi tibi? quare impoſuiſti mihi?* Potuit autem facile *Laban* decipere generum ſuum *Jacobum*, & in ejus le-

lectum *Liam*, loco *Rachelis*, intrudere, qui mos olim vigebat, ut virgines, dum nubebant, in tenebris, verecundiæ cauſa, mariti thalamum adirent. At, ſi peccavit *Lia*, parentis ſui dicto audiens, gravius ſane peccatum admiſit *Laban*, quippe qui filiam ſuam *Liam* ad hoc facinus induxit. Tentavit quidem *Laban*, ſe, prætextu conſuetudinis, ab hoc crimine purgare, genero ſuo *Jacobo* reſpondens: *Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, ut minores* (ſupple ſorores) *ante tradamus ad nuptias*, Geneſis c. 29. Sed fictus ille erat conſuetudinis prætextus, quem obtendebat *Laban*. Nam ſi revera obſtitiſſet aliqua loci conſuetudo, non debuiſſet *Laban* publice illud ſolemne convivium nuptiale, cujus meminit Scriptura Sacra eodem in capite libri Geneſis, celebrare, quaſi uxorem *Jacobo* daturus *Rachelem*, quam omnes ſciebant eſſe natu minorem. Sed de hoc primo, quod propoſuiſti, Dubio, hactenus ſatis dictum ſit. Quod ſpectat alterum Dubium, videlicet quid per *Mandragoras*, quas *Ruben* invenit, & detulit ad matrem ſuam *Liam*, quaſque tantopere expetivit *Rachel*, intelligendum ſit? fateor ingenue, me in explanatione hujus Dubii hærere ad aquas, & qua mihi vadum tentandum ſit, prorſus neſcire. At enim, in primigenio Textu Hebræo c. 30. libri Geneſis legitur, *Ruben* detuliſſe DUDAIM ad matrem ſuam *Liam*. Legitur etiam in Textu Hebræo cap. 7. libri Canticorum: *Dudaim dederunt odorem ſuum*. Sed quid per *Dudaim* intelligendum ſit? Hoc opus, hic labor eſt, reſque difficillima, ac multum & ſæpe quæſita, quæ crucem fixit Scripturæ Sacræ Interpretibus, eoſque coegit in varias abire ſententias. Quapropter ipſe, antequam aperiam, quid in tanta rerum obſcuritate, tantiſque clariſſimorum virorum opinionibus longe diverſis, ac inter ſe pugnantibus, probabilius ſentiam, varias præmittam opiniones, in quas Scripturæ Sacræ Interpretes, virique doctiſſimi in hujus vocis *Dudaim* interpretatione diſtrahuntur. Alii exiſtimant, *Dudaim* eſſe certos quoſdam flores & fructus agreſtes, orientalibus in locis menſe Majo matureſcentes, coloris, odoris, & ſaporis gratiſſimi, eoque nomine multum amabiles. Alii autumant, *Dudaim* eſſe Lilia; alii Narciſſum; alii Tubera. Alii putant *Dudaim* eſſe poma, quæ arabice nuncupantur *Mautz*, & quæ ſunt dulciſſima, guſtuique gratiſſima, & hanc ſententiam tuetur Cl. Vir, exoticarum Linguarum peritiſſimus, *Blaſius Cariophilus in Diſſertationibus Miſcellaneis*, Diſſertatione tertia. Alii docent, *Dudaim* eſſe Mandragoras. Alii denique difficultate oppreſſi, ajunt, quid fuerint *Dudaim* in ſpecie? non liquere, ac ſubinde in hujus vocis explicatione bonas horas collocari non debere. Hæ ſunt diſcrepantes circa notionem *Dudaim* Sacræ Scripturæ Interpretum opiniones, quas inter huic, utpote communiori, adhæreo, quæ vocem hanc *Dudaim* pro Mandragoris accipit. Sic enim omnes Paraphraſtæ, tam Græci, quam Chaldæi, Syri, & Arabes, vocem illam *Dudaim* pro Mandragoris acceperunt. Editio etiam vulgata, a qua diſcedere nefas eſt, illam *Dudaim* Hebraicam vocem, quæ duntaxat duobus in locis Sacræ Scripturæ repetitur (ſcilicet cap. 30. libris Geneſis, & cap. 7. Cantici Canticorum) accipit pro Mandragoris, ut videre eſt in Editione vulgata cap. 30. v. 14. Libri Geneſis, ubi hæc habet: *Egreſſus autem Ruben tempore meſſis triticeæ in agrum, reperit Mandragoras*. (In Textu Hebræo legitur vox *Dudaim*.) Similiter in Editione vulgata cap. 7. v. 13. libri Cantici Canticorum hæc leguntur: *Mandragoræ dederunt odorem*. (In Textu Hebræo habetur vox *Dudaim*.) Cum igitut omnium Paraphraſtarum, & vulgati noſtri Interpretis unus conſenſus & conſpiratio ſit in accipienda voce illa Hebraica *Dudaim* pro Mandragoris, eorum interpretationi lubens ſubſcribo. Monitum tamen te obiter velim, ut caveas a gemino errore, in quem circa ejuſmodi Mandragoras impegerunt aliquot Scriptores. Quidam enim ſunt, qui afferunt, Mandragoras vim habere dandi mulieribus fœcunditatem, & ideo *Ruben* illas detuliſſe ad *Liam*, matrem ſuam, & ad *Rachelem*, ut non ſolum earum

amæ-

Digitized by Google

amænitate, & flagrantia delectarentur, verum etiam ut ab illis acciperent fæcunditatem. Quod quidem tam falſum eſt, quam quod maxime. Nam primo, quid ſcire poterat *Ruben*, adhuc puellus, *Dudaim*, ſive Mandragoras, fæcunditatem comparare, & ſterilitati adverſari? Deinde, legimus in ſacris Litteris, fœminas fuiſſe conſecutas fæcunditatem precibus Deo factis, ſicut de *Sara*, uxore *Abrahami*, & de aliis manifeſtum eſt, ſed nominatim de *Lia* & *Rachele*. Ait enim Scriptura, loquendo de *Lia* cap. 30. v. 17. libri Geneſis: *Et exaudivit Deus preces ejus; concepitque & peperit filium*. Et verſu 22. ejuſdem capitis libri Geneſis, *Moyſes* hæc de *Rachele* ſcribit: *Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudivit eam, & aperuit vulvam ejus, quæ concepit, & peperit filium*. Tertio, ſoli Ethnici gloriabantur, fæcunditatem, vel ſterilitatem adhibitis quibuſdam medicamentis procurari poſſe. At illo Ethnicorum errore laboraſſe *Liam* & *Rachelem*, eaſque ſancto viro *Jacobo* ſociatas, id ſibi perſuaſiſſe, & fæcunditatem a Mandragoris ſe accepturas putaſſe, nulla ratione ſit veroſimile, maxime, cum Patriarcha *Jacob* ægre ferenti *Racheli*, quod infæcunda eſſet, eique dicenti: *Da mihi liberos, alioquin moriar*, ſtatim iratus reſpondit: *Num pro Deo ego ſum, qui privavit te fructus ventris tui?* Quibus verbis palam innuit *Jacobus*, mulieres, quæ ſunt ſteriles, non debere fæcunditatem a medicamentis quærere, ſed illam a Deo, fuſis precibus, poſtulare. Nulla ergo vis ineſt Mandragoris mulieribus ſterilibus accerſendi, ſeu dandi fæcunditatem, ſed tantum, ut docent Medici, Mandragoræ poſſunt quadantenus fæcunditatem juvare. Scribit enim *Plinius* lib. 25. cap. 13. ſemen Mandragoræ potum purgare fæminarum uterum, indeque fieri, ut ad conceptum præparetur. Alter error, quem perinde cavere debes, in eo ſitus eſt, quod nonnulli, poſt *Dioſcoridem* & *Theophraſtum*, affirmant, Mandragoras vim habere philtri amatorii, unde inferunt, *Rachelem* Mandragoras ſororis ſuæ *Liæ* ideo expetiviſſe, ut hoc pacto amorem viri ſui *Jacobi* magis ac magis in ſe accendere ac inflammare poſſet, quemadmodum olim Ethnicis, ad amorem fœminarum ſibi conciliandum, philtris amatoriis uti ſolemne fuiſſe, docent Scriptores Prophani. Sed apage hunc errorem. Tantum enim abeſt, ut Mandragora vim habeat Philtri apti ad provocandum amorem, quin potius ſit genus herbæ ſoporiferæ, propter innatam, quam habet frigiditatem, quo fit, ut ſive olfactu, ſive in poculo ſomnifera ſit, & libidinis impetum cohibeat, ſicut (poſt *Plinium* lib. 25. cap. 13.) docent periti Scriptores Botanici, qui de Mandragora, ejuſque vi, ac proprietatibus tractarunt, quos inter præſertim legi debet *Mathiolus*, qui luculentiſſimos in *Dioſcoridem* edidit Commentarios. Præterquam quod, incredibile eſt, *Liam* & *Rachelem*, quarum preces ad habendam prolem Deus, ut inquit Scriptura Sacra, exaudivit, voluiſſe pagano ritu uti Mandragoris, philtri gratia, quo amorem mariti *Jacobi* ardentius erga ſe excitarent.

D. Id, pace tua dixerim, non mihi incredibile videtur. Suſpicor enim, *Rachelem* Idololatriæ cultricem fuiſſe, eamque a teneris annis in ædibus paternis per educationem, & inſtitutionem, culturæ Idolorum aſſueviſſe. Id non obſcure colligitur ex c. 31. libri Geneſis ubi ſacer Scriptor *Moyſes* narrat, *Rachelem*, una cum ſuo viro *Jacobo*, e paterna domo fugientem, ſurripuiſſe Idola patris ſui *Laban*, non alio certe fine, quam ut ea coleret, ſuperſtitionis, & Idololatriæ ſtudioſa. Si ergo *Rachel* Idolorum cultui fuit addicta, incredibile non eſt, eam, Ethnicorum morem ſecutam, mandragoris, philtri amatorii gratia, uſam fuiſſe, ut arctiori vinculo amorem mariti ſui *Jacobi* ſibi devinciret.

M. Non inficias quidem eo, eſſe quoſdam ſanctos Patres, & Scripturæ Sacræ Interpretes, quibus viſum eſt, *Rachelem* in ædibus patris ſui *Laban*, Idolorum cultoris, educatam, ſuperſtitionum & Idololatriæ ſtudioſam fuiſſe, eamque idcirco, e domo paterna fugientem, compoſitis ſarcinis Deos penates, ſeu Idola patris ſui *Laban* (inſcio viro ſuo *Jacobo*) inſeruiſſe, eaque ſecum furto ſuſtuliſſe. Sic

C 4 cen-

Digitized by Google

cenſent *S. Joannes Chryſoſtomus* Homilia 57. in Geneſim, *Rupertus* lib. 7. Comment. c. 42. noſter *Cajetanus*, & *Oleaſter*. At, *Rachelem* ab Idololatria vindicant non ſolum omnes ferme Scripturæ Sacræ Interpretes, verum etiam plures ſancti Patres, nimirum *S. Baſilius* Homilia 12. in principium *Libri Proverbiorum*, Sanctus *Gregorius Nazianzenus* Oratione 42. & *Theodoretus* queſt. 90. in Geneſim, iiſque rationibus ducuntur, quæ rem plane conficere videntur. At enim primo, veroſimile haud videtur, *Jacobum*, Patriarcham ſanctiſſimum, voluiſſe matrimonium inire cum *Rachele*, ejuſque ſorore *Lia*, ſi utraque fuiſſet revera Idolorum cultrix; ea quippe illicita matrimonia Iſraelitarum cum infidelibus deteſtati ſunt ſancti Patriarchæ *Abrahamus*, *Iſaacus*, ac ſubinde Jacobus, qui ſanctitate morum conſpicuus, ſemper inſtitit veſtigiis Majorum ſuorum. Secundo, Deus preces, quas *Rachel* & *Lia* ad obtinendam prolem fuderunt, gratas habuit, ut ait Scriptura Sacra; quod argumento eſt, eas non fuiſſe Idololatriæ tenebris immerſas, quia, ſicut ait *Apoſtolus: Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo*. Poſtremo, ipſamet *Rachel* ſat ſuperque oſtendit, ſe non eſſe Idolorum cultricem, quando *Labano*, patre ſuo, tentorium ipſius, ad quærenda Idola ſua, ingreſſo, *illa feſtinans* (inquit Scriptura Sacra, Geneſis cap. 31.) *abſcondit Idola ſubter ſtramenta*, ideſt, ſub clitelis *Camelorum*, *& ſedit deſuper*, & ne parenti ſuo, qui ad invenienda Idola ſua omnes angulos cum magna ſolicitudine, perſcrutabatur, aſſurgere cogeretur, ſimulavit, ſe laborare fluxu menſtruorum, ideoque præ infirmitate aſſurgere non poſſe. Non eſt autem veroſimile, *Rachelem*, ſi fuiſſet Idolorum cultrix, voluiſſe ea tam indecenter, tam irreverenter & abjecte tractare. Sed quorſum igitur dices *Rachel* Idola patris ſui ſuffurata eſt, ſi non eſſet Idololatriæ dedita? Huic quæſtioni multifariam reſpondent Scripturæ Sacræ Interpretes. Abſtulit *Rachel* Idola patris ſui, vel quia timuit, ne parens illa aſpiciendo, & per illa augurando, cognoſceret ſuam & mariti Jacobi fugam, quam tamen volebat eſſe occultam; vel ut parenti Idola colendi occaſionem adimeret; vel denique (quod ipſe probabilius cenſeo) quia ejuſmodi Idola ex pretioſa materia erant conflata, quæ *Rachel*, intentione compenſandæ dotis, quam ei parens promiſerat, & injuſte non dederat, ſibi vindicavit, eaque juſto titulo retinere poſſe ſibi perſuaſit. Hæc autem *Labani* Idola, hebraice dicta *Teraphim*, erant ſtatuæ, ſeu figuræ, aut imagines, humanam formam habentes, ut patet ex lib. 2. Regum cap. 19. v. 13. Hac etiam voce Hebraica *Teraphim* proprie utitur Scriptura Sacra ad deſignandas illas ſtatuas, quæ opera Dæmonum reſponſa dabant, ut videre eſt c. 18. v. 18. lib. *Judicum*, cap. 21. v. 21. *Ezechielis*, & cap. 10. v. 2. *Zachariæ*.

D. Poteſtne Judas, qui Patriarchæ *Jacobi*, & *Liæ* filius fuit, excuſari a peccato, dum *Thamarem*, nurum ſuam, conſtupravit, quam tamen non nurum ſuam, ſed ſcortum, ſeu meretricem eſſe putabat? Audivi quippe nuperrime virum quemdam eruditum, qui in publico cætu aſſerebat, ſcortationem fuiſſe licitam Iſraelitis ante Legem Moſaicam, idque ſe evincere poſſe putabat exemplo *Judæ*, qui cum *Thamare*, quam meretricem eſſe credebat, ſcortatus eſt.

M. Priuſquam tuæ difficultati faciam ſatis, hiſtoriam *Judæ* cum *Thamare* congreſſus, ſicut refertur cap. 38. libri Geneſis, paucis deſcribam, ex qua manifeſte patebit, nec *Judam*, nec *Thamarem*, a peccato poſſe ullo pacto excuſari. *Judas*, ſicut in ſuperiori Colloquio jam obſervavimus, inconſulto patre ſuo *Jacobo*, matrimonium iniit cum muliere Chananæa, ex qua tres filios ſuſcepit, videlicet *Herem*, *Onanum*, & *Selam*. Primogenito filio ſuo *Her*, uxorem dedit nomine *Thamarem*. Sed, cum *Her* eſſet vir nequam in conſpectu Domini, & ideo ab illo occiſus, voluit *Judas*, ut *Onanus*, ſuorum filiorum alter, *Thamarem*, jure Leviratus, uxorem duceret, ad ſuſcitandum ſemen fratri ſuo defuncto: *Ingredere*, inquit ei, *ad uxorem fratris tui, & ſociare illi, ut ſuſcites ſemen fratri*

tuo,

Digitized by Google

tuo. *Ille*, ſeu *Onanus*, *ſciens non ſibi naſci filios*, *introjens ad uxorem fratris ſui*, *ſemen fundebat in terram*, *ne liberi*, *fratris nomine*, *naſcerentur*; & *ideo percuſſit eum Dominus*, *eo quod rem deteſtabilem faceret*, cap. 38. v. 8. 9. & 10. lib. Geneſis. Mortuo *Onano*, juſſit *Judas* tertio filio ſuo *Selæ*, ut *Thamarem* acciperet uxorem ad ſuſcitandum, jure itidem Leviratus, ſemen fratri ſuo *Onano* defuncto. At, cum *Sela* adhuc ætatem haberet intempeſtivam matrimonio, coacta eſt *Thamar*, ei deſponſata, expectare, donec *Sela*, in ætatem matrimonio idoneam firmamque adoleſceret. Tandem, promiſſis non ſtante *Juda*, eoque non dante *Thamari* jam adultum *Selam* maritum, quem ei promiſerat, & ex jure Leviratus tenebatur; hanc nimiam dilationem ægre ferens *Thamar*, moræ impatiens, & habendæ prolis percupida, induit perſonam ſcorti, & meretricia ſpecie atque habitu *Judam*, ſocerum ſuum, ad libidinem incitavit, a quo, poſtquam pro furtivo concubitu accepiſſet arrhabonem, ſeu anulum *Judæ*, armillam, & baculum, quem præ manibus tenebat *Judas*, ſeſe ei proſtituit, duoſque ex uno coitu concepit filios, *Pharem* & *Zaram*. Hactenus deſcripſi breviter Hiſtoriam *Judæ* cum *Thamare* congreſſus. Nunc oſtendendum mihi incumbit, ſcortationem non fuiſſe licitam Iſraelitis ante Legem Moſaicam, ac ſubinde nec *Judam*, nec *Thamarem* poſſe a peccato fornicationis excuſari. Et primo quidem, ſcortationem non fuiſſe Iſraelitis licitam ante Legem Moſaicam docet Scriptura Sacra cap. 24. lib. Geneſis, ubi, poſtquam *Moyſes* narravit cruentam cædem Sichemitarum, factam a *Simeone*, & *Levi*, filiis Patriarchæ *Jacobi*, in ultionem ſtupri ſororis ſuæ *Dinæ*, inducit *Jacobum* objurgantem filios ſuos his verbis: *Turbaſtis me*, & *odioſum feciſtie me Chananæis* & *Pherezæis*, *habitatoribus hujus terræ*. Cui paternæ objurgationi confeſtim reſponderunt *Simeon* & *Levi*: *Numquid ut ſcorto abuti debuere ſororem noſtra?* Quod certe reſponſum (ſi ſcortatio Iſraelitis ante Legem Moſaicam licita fuiſſet) plane futile eſſet ad excuſandam crudeliſſimam illam ſtragem, qua *Simeon* & *Levi*, ob ſtuprum ſorori ſuæ *Dinæ* illatum, omnes ad unum Sichemitas internecione deleverunt. Ut quid enim hi duo filii *Jacobi*, ira & furore perciti, tot tragædias excitaſſent, totque homines per ſummam immanitatem & perfidiam trucidaſſent, ſi tum temporis, id eſt, ante Legem Moſaicam, ſcortatio Iſraelitis licita eſſet? præterea, factum iſtud hiſtoricum de ſcortatione *Judæ* cum *Thamare*, dum narrat Scriptura Sacra cap. 38. lib. Geneſis, aperte declarat, ſcortationem non fuiſſe Iſraelitis licitam ante Legem Moſaicam. Ibi quippe legitur, quod cum *Thamaris* uterus, poſt tres menſes a furtivo cum *Juda* concubitu intumeſceret, nunciatum eſt *Judæ*: *Fornicata eſt Thamar*, *nurus tua*, & *videtur uterus illius intumeſcere*. Quem nuncium audiens *Judas*, ſceleris atrocitate perculſus, in eam tulit duram ſententiam: *Producite eam ut comburatur*. Attamen, dum *Thamar* duceretur ad pœnam, & miſiſſet ad *Judam*, ſocerum ſuum, dicens: *De viro*, *cujus hæc ſunt*, *concepi*, *cognoſce cujus ſit anulus*, & *armilla*, & *baculus*. Hæc cum audiſſet *Judas*, ſententiam, quam tulerat in *Thamarem*, revocavit, eamque ab indicta pœna liberam pronunciavit. Quis autem credat, *Judam* in *Thamarem*, fornicationis ream, & quam ipſe prægnantem eſſe ſciebat, tam gravi pœna animadvertere voluiſſe, illamque ultricibus flammis addici juſſiſſe, ſi tum temporis, hoc eſt, ante Legem Moſaicam, ſcortatio, ſeu fornicatio, Iſraelitis licita fuiſſet? Denique, fornicatio non ideo mala eſt, quia Lege Moſaica prohibita eſt, ſed ideo Lege prohibita eſt, quia per ſe & intrinſece eſt mala. Quo fit, ut non potuerit eſſe licita Iſraelitis ante Legem Moſaicam. Id confirmare non pigebit egregio *S. Thomæ* ratiocinio 2. 2. Quæſt. cliv. Art. II. ubi inquirit, *utrum fornicatio ſimplex ſit peccatum mortale?* Sic autem hanc quæſtionem ſolvit. *Reſpondeo dicendum quod abſque omni dubio tenendum eſt*, *quod fornicatio ſimplex ſit peccatum mortale*. *Ad hujus autem evidentiam conſiderandum eſt*, *quod peccatum*

Digitized by Google

catum mortale eſt omne peccatum, quod committitur directe contra vitam hominis: Fornicatio autem ſimplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ ejus, qui eſt ex tali concubitu naſciturus. Videmus enim in omnibus animalibus, in quibus ad educationem prolis requiritur cura maris & fœminæ, quod in eis non eſt vagus concubitus, ſed maris ad certam fœminam, unam, vel plures, ſicut patet in omnibus avibus. Secus autem eſt in animalibus, in quibus ſola fœmina ſufficit ad educationem fœtus, in quibus eſt vagus concubitus; ut patet in canibus, & hujuſmodi aliis animalibus. Manifeſtum eſt autem, quod ad educationem hominis non ſolum requiritur cura matris, a qua nutritur, ſed multo magis cura patris, a quo eſt inſtituendus & defendendus, & in bonis tam interioribus, quam exterioribus promovendus. Et ideo contra naturam hominis eſt, quod utatur vago concubitu; ſed oportet quod ſit concubitus maris ad determinatam fœminam, cum qua permaneat, non per modicum tempus, ſed diu, vel etiam per totam vitam. Et inde eſt, quod naturaliter eſt maribus in ſpecie humana ſolicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis. Hæc autem certitudo tolleretur, ſi eſſet vagus concubitus. Hæc autem determinatio certæ fœminæ, matrimonium vocatur, & ideo dicitur eſſe de jure naturali. Ex quo S. *Thomæ* ratiocinio facile colligitur, fornicationem eſſe peccatum mortale; primo, quia eſt contra bonum procreationis. Fornicator quippe in coitu non intendit generationem prolis, ſed effræni duntaxat libidini ſuæ vult indulgere. Secundo, fornicatio eſt contra bonnm nutritionis, educationis, & inſtructionis prolis. Denique, fornicatio eſt contra divinam Ordinationem, quæ ab exordio Mundi fuit, & eſt, ut una uni conjungatur. Dixit enim Deus *Adamo*, primo omnium hominum parenti: *Quamobrem, relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*, ſive, ut habet Textus Hebraicus, *in carnem unam*, quia vir & mulier, qui eo junguntur actu, qui ad generis humani propagationem a natura eſt deſtinatus, una caro eſſe debent, ideſt, ita ſibi arcta neceſſitudine adhærere, ita ſe amare, fidem ſibi mutuo datam ſervare, & omnes amoris reciproci vices, communi convictu, perpetuo contubernio, bonorum & malorum communione, inter ſe alternare debent, ut unam carnem, ſeu in unum & idem corpus coaluiſſe videantur. Qui ergo ſe carnali copula jungunt, nec una caro eſſe volunt, hoc eſt, per conjugium, perpetuumque contubernium ſociari nolunt, hi profecto non ſolum non utuntur medio ad generis humani propagationem legitimo, verum etiam divinum Inſtitutum violant, primordialemque de Matrimonio Legem, non Moſaicam duntaxat, ſicut perperam ſibi perſuaſit *Joannes Marſhamus*, Scriptor Anglus, qui inter cetera opinionum portenta, quæ effutire illum non puduit, auſus eſt aſſerere in ſuo *Canone Chronico* pag. 17. *ante Legem Moſaicam Hebræis innuptis licitum fuiſſe corporis copiam pro libitu facere*. Qui error ex his, quæ hactenus diximns, abunde confutatus manet. Cum igitur ſcortatio, ſeu fornicatio, non fuerit Iſraelitis ante Legem Moſaicam licita, ſicut jam oſtendimus, aperte ſequitur primo, *Thamarem*, quæ data opera ſe meretricem ſimulavit, & meretricia ſpecie atque habitu *Judam*, ſocerum ſuum, ad libidinem procreavit, ſeque ei proſtituit, a peccato excuſari nullatenus poſſe. Sequitur ſecundo, peccaſſe itidem *Judam* cum *Thamare* congreſſum, quippe qui petulanti libidine incenſus, ad eam acceſſit, quam putabat meretricem, & illicitæ voluptatis fruitionem pactus, nefariæ libidini ſuæ frena laxavit. Hinc *S. Thomas*, loco mox a me laudato, ſic reſpondet tertio, quod ſibi proponit, argumento: *Judam autem neceſſarium non eſt a peccato excuſare, qui etiam auctor fuit venditionis Joſeph.*

D. Nimis moroſum profecto te exhibes cenſorem, dum *Thamarem* a fornicationis peccato excuſari haud poſſe aſſeveras. At, ſi ipſe hac in cauſa arbiter, ac judex ſederem, a peccato eam liberam incunctanter pronunciarem, ob rectam, quam habuit, intentionem, dum ad ſuffurandum *Judæ*, ſoceri ſui, concubitum impulſa eſt. Nec enim furtivum iſtum concubitum

ex-

Digitized by Google

expetivit *Thamar*, ut libidini indulgeret, ſed quia marito, ſeu *Sela*, ſibi promiſſo, & ſuo debito fraudata fuit a *Juda*, ſocero ſuo, & quia etiam ardenti flagrabat deſiderio ex *Abrahami* ſtirpe, quæ a Deo benedicta erat, ſuſcipiendi prolem. Quis autem inficiari poteſt, hanc fuiſſe bonam intentionem, rectum ac pium conſilium? Cum igitur multi, quos conſului, Theologi, nonnullas actiones excuſant, quæ ſine hac intentione factæ jure inculparentur, non video ſane, cur *Thamarem*, cum bona intentione, pioque conſilio operantem in concubitu, quem habuit cum *Juda*, a peccato fornicationis eximere nolis?

M. Recta illa intentio, piumque conſilium, quo *Thamar* inducta eſt ad ſuffurandum *Judæ*, ſoceri ſui, concubitum, non poteſt illam a peccato fornicationis excuſare propter duplicem rationem, quam hic ſubjicio. Prima hæc eſt: Duplex non bonorum officiorum genus diſtinguit *S. Thomas* Quodlibeto 9. Art. xv. Aliud ſuapte natura, ſive, ut loquuntur Theologi de Schola, intrinſece malum, & nullis additis circumſtantiis emendabile. Tale eſt, Ex. gr. ſtuprum, ſeu fornicatio. Aliud eſt non bonorum officiorum genus, quod quidem in malum eſt propenſum, & ſua ſponte inordinatum, ſed tale tamen, ut quibuſdam adhibitis circumſtantiis, poſſit illis inordinationibus exui, immo laudabile fieri, quale eſt quod a *S. Thoma* ibidem commemoratur exemplum illius, qui propter maximas quaſdam Eccleſiæ utilitates retineat plures Præbendas. Hoc jacto ſolidiſſimo in Doctrina morali *S. Thomæ* fundamento, fateor ultro illas actiones, quæ non ſunt ſuapte natura, ideſt, intrinſece malæ, ſed duntaxat propendent in malum, nonnunquam fieri licitas, non ſola & voluntaria directionis intentione, ſed ex additis circumſtantiis, quibus ad bonum reflectuntur, ſicut conceptis verbis docet Angelicus Doctor, loco mox a me citato. At, actionem, quæ eſt intrinſece mala, qualis eſt fornicatio, poſſe adhibitis circumſtantiis, vel ſolo bonæ intentionis flexu evadere bonam, hoc eſt, quod nego ac pernego non ſolum cum *S. Thoma*, ſed etiam cum *S. Auguſtino*, qui lib. *contra Mendacium* cap. 7. hæc habet: *Intereſt quidem plurimum, qua cauſa, quo fine, qua intentione quid fiat. Sed ea, quæ conſtat eſſe peccata, nullo cauſæ bonæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla velut bona intentione facienda ſunt.* Altera ratio, quæ probat recti finis intentionem, quam habuit *Thamar*, non poſſe a fornicationis peccato excuſare, hæc eſt, quia docent Theologi, recti finis intentionem opus, quod ex genere ſuo malum eſt, moraliter bonum non efficere, cum moralis bonitas non ſolum hauriatur ex bonitate finis, verum etiam ex bonitate objecti & circumſtantiarum, & bonum ex integra cauſa, malum vero ex quocumque defectu cenſeatur; alioqui graviſſima peccata homicidium, furtum, duellum, ſacrilegium, &c. quæ quis propter bonum finem perpetraret, puta ad impertiendam eleemoſynam, ad tuendum honorem, ad vitam ſervandam, ad publicum aliquod bonum conſequendum, facili negotio excuſari poſſent, ſicut ea excuſare tentarunt nonnulli moderni molliores Theologi, qui per directionis intentionis methodum, quam excogitarunt, ampliſſimam aperuiſſent viam ad excuſandas excuſationes in peccatis, niſi Eccleſia horrendas laxitates, ac corruptelas, quas in doctrinam moralem invexerunt, proſcripſiſſet. Eſto igitur bona fuerit intentio, rectumque deſiderium ſuſcipiendæ prolis, quo *Thamar* flagrabat; prolem tamen ex furtivo *Judæ*, ſoceri ſui, concubitu expetere, turpe fuit & execrandum flagitium, quia ſicut dicit *S. Auguſtinus* lib. 22. contra *Fauſtum* cap. 62. *Melius ſine filiis remaneret* (Thamar) *quam ſine jure matrimonii mater fieret*. Scio quidem *Judam*, cum facti *Thamaris* veritatem exploratam habuiſſet, ſeque ſceleris participem eſſe intellexiſſet, hæc verba protuliſſe: *Juſtior me eſt*, ideſt, *Thamar*. Non me latet etiam quoſdam Eccleſiæ Doctores, *S. Chryſoſtomum* Homil. 62. in Geneſim, *S. Ambroſium*, lib. 3. Comment. in Evangelium *S. Lucæ*, & *Thedoretum* quæſt. 95. in Geneſim, excu-

Digitized by Google

excuſare intentionem & conſilium *Thamaris*, quæ non impulſu libidinis, ſed amore ſuſcipiendæ prolis, furtivum concubitum *Judæ*, ſocero ſuo, conceſſit. Verum, ut candide fatear, nihil inde ad excuſandum *Thamaris* factum extundi, ſeu elici poteſt; primo, quia Judas non dixit de *Thamare*, quod eſſet ſe ipſo ſanctior, aut caſtior, ſed tantum quod eſſet ſe ipſo *Juſtior*, quod certe veriſſimum eſt; *Judas* enim promiſſa & pacta ſua minime ſervaverat, & injuſte impediebat, ne *Thamar* prolem ex *Sela*, quem maritum ei promiſerat, & dare tenebatur, ſuſciperet. Secundo, *Judas*, his verbis: *Juſtior me eſt*, innuere duntaxat voluit, *Thamarem*, quæ ejus concubitum appetierat, non turpis libidinis cauſa, ſed honeſto ſuſcipiendæ prolis deſiderio impulſam, minus eſſe ream, quam ipſe revera erat, qui turpis ardore libidinis flagrans ad *Thamarem* acceſſerat; ſed illam inſontem nequaquam pronunciavit. Sic verba hæc *Judæ* interpretatur *S. Hieronymus* in libro Traditionum Hebraicarum in Geneſim: *In Hebræo*, inquit ſanctus ille Doctor, *habet*: Juſtificata eſt ex me, (ſeu *Thamar*) *non quod juſta fuerit*, *ſed quod comparatione illius* (ſeu Judæ) *minus mali fecerit*, *nequaquam vaga ad turpitudinem*, *ſed liberos requirendo*. Poſtremo, *Thamarem*, ob illud honeſtum, quod habuit, ſuſcipiendæ prolis deſiderium, nulla fœda libidine conſpurcatum, excuſant mox citati Eccleſiæ Doctores, eam tamen non abſolvunt, quia hæc *Thamaris* intentionis honeſtas in actionem ex ſe & intrinſece malam refundi non potuit, eamque efficere bonam, tametſi actionis malitiam minuerit, & *a tanto*, *non a toto*, ut poſt ſanctum *Thomam* docent Theologi, eam excuſaverit.

D. Referendo ſuperius hiſtoriam *Judæ* concubitus cum *Thamare* obſervaſti, *Judam* tres habuiſſe filios, *Herem* videlicet, *Onanum*, & *Selam*: primogenito filio *Heri* nuptam eſſe *Thamarem*, ſed, eo mortuo, abſque prole, *Onanum*, alterum *Judæ* filium, uxorem, jure leviratus, duxiſſe *Thamarem*, viduam fratris ſui *Her* demortui abſque liberis; denique, demortuo itidem *Onano* abſque prole, *Selam*, qui erat tertius *Judæ* filius, eodem jure leviratus, uxorem accepiſſe *Thamarem*, viduam, ut ſuſcitaret ſemen fratri ſuo *Onano*, qui e vivis abierat nullis procreatis liberis. Jam probe ſcio, jus leviratus in eo ſitum eſſe, quod frater demortui fratris ſui ſine prole uxorem viduam ducere tenebatur, eique ſuſcitare ſemen, ſeu prolem, quæ fratris defuncti ſtirpem propagaret. Qua de re *Moyſes* cap. 25. Libri Deuteronomii v. 5. ſpecialem tulit Legem, his verbis conceptam: *Quando habitaverint fratres ſimul*, & *unus ex his abſque liberis mortuus fuerit*, *uxor defuncti non nubet alteri*, *ſed accipiet eam frater ejus*, & *ſuſcitabit ſemen fratris ſui*. Hanc, inquam, de Leviratu Legem a Moyſe inſtitutam eſſe ſcio. Sed inde emergit difficultas, quam mihi in præſentia expedias velim. Dicas enim, ſodes, quomodo fieri potuerit, ut hanc de Leviratu Legem, cujus auctor ac conditor fuit *Moyſes*, notam habere & obſervare potuerint *Judas*, aliique Patriarchæ, qui ante Legem Moſaicam vixerunt?

M. *Judas*, aliique Patriarchæ, qui ante promulgationem Legis Moſaicæ vixerunt, prædictum jus Leviratus per ſpecialem divinam revelationem notum habuerunt, & obſervarunt, ut conſtat jam adducto exemplo filiorum *Judæ*. Voluit quippe Deus triplici potiſſimum de cauſa, ut jus Levirationis, quo frater defuncti fratris abſque prole uxorem viduam ducere tenebatur, & fratris ſemen excitare, ſeu prolem, quæ ejus familiam propagaret, obſervaretur a ſanctis Patriarchis, qui vixerunt ante legem Moſaicam; primo, ne familiarum Iſraelitarum numerus minueretur, & ne hæreditates Tribuum ac familiarum promiſcue confunderentur, quod accidiſſet, ſi viduæ alienis viris nupſiſſent, bona enim ſua in exteras familias tranſiviſſent. Deinde, hoc jus Leviratus voluit Deus ut Patriarchæ, etiam ante Legem Moſaicam obſervarent, quo jus promogenituræ, addictaque ei benedictio in familia continuarentur ad præfigurandum Meſſiam, qui (ut inquit Apoſtolus in Epiſtola ad Roma-

manos cap. 8. v. 29.) eſt *Primogenitus in multis fratribus*. Denique voluit Deus, ut Patriarchæ, qui vixerunt ante Legem Moſaicam, obſervarent jus Levirationis, quod poſtea per Legem *Moyſis* poſteris ſanciendum, & præſcribendum erat, quo Hebræi, Majorum ſuorum excitati exemplo, jus illud Levirationis, moremque ducendi uxorem fratris ſine liberis defuncti, in Lege Moſaica præceptum, promptius ac facilius obſervarent. Non clam me eſt, *Joannem Marſhamum*, vanis conjecturis indulgentem, auſum fuiſſe aſſerere, Patriarchas ante Legem Moſaicam, mutuatos fuiſſe ab Ægyptiis hoc jus Leviratus, ſeu morem ducendi uxorem fratris abſque prole defuncti; eumque ad tam inauditi hactenus paradoxi probationem citare quamdam Legem ab Imperatore *Zenone* latam (quæ extat lib. 5. *Juſtiniani Codicis*, Tit. VI. L. VIII.) in qua laudatus Imperator narrat, quoſdam Ægyptios idcirco mortuorum fratrum conjuges ſibi matrimonio copulaſſe, quod poſt illorum mortem manſiſſe virgines dicebantur, ideoque diſtricte in hac Lege inhibet *Zeno* Imperator, ne quis, ad exemplum Ægyptiorum, hujuſmodi nuptias contrahere præſumat. At, hæc *Marſhami* probatio quam jejuna, quam ſubleſta & frigida ſit, nemo eſt, qui ſtatim non videat. *Zeno* ſiquidem Imperator non ait, receptum hunc apud Ægyptios morem, & ex jure, patriove Inſtituto ab illis obſervatum, ut defunctorum conjuges, ſibi matrimonio conjungerent, ſed ſolum ait, id ſolemne duntaxat fuiſſe quibuſdam Ægyptiis: *Licet quidam Æygptiorum*, ſunt ipſiſſima verba *Zenonis* Imperatoris. Præterea, mos ille, qui apud quoſdam Ægyptios invaluerat, uxores fratris defuncti ſibi matrimonio ſociandi, eo duntaxat caſu locum habebat, quo mortuus frater non conveniſſet cum ſua conjuge, ideſt, matrimonium cum ea non conſummaſſet: adeo ut poſt mariti mortem virgo permanſiſſe diceretur. At, diſpar omnino fuit, ac longe lateque diſcrepans Juris Leviratus ratio apud Hebræos, quia, juxta, jus Leviratus, quod fuit in uſu apud Hebræos ante Legem Moſaicam, quodque poſtea ſancitum eſt in Legem Moſaica, matrimonium conjugum jam ſupponebatur conſummatum, & frater uxorem fratris abſque liberis demortui ducere obſtringebatur ad ſuſcitandum defuncto fratri ſemen, & ejus hæreditatem una cum benedictione primogeniti in familia conſervandam. Poſtremo Imperator *Zeno* imperare cœpit anno CCCCLXXIV. Quo pacto igitur *Marſhamus* ex ea recentiori *Zenonis* Lege, ſibi, aliiſque perſuadebit, jus Leviratus ante *Judæ* Patriarchæ tempora, & ante Legem Moſaicam apud Ægyptios ibi invaluiſſe, ibique obtinuiſse? Ad ſummum ex ea Imperatoris *Zenonis* Lege colligi poteſt, Ægyptios jus Leviratus, alioſque Hebræorum ex Lege Moſaica ritus mutuatos eſſe, eoſque, Imperante *Zenone*, adhuc obſervaſſe. Ceterum, Patriarcham *Juda*, jus Leviratus a more Ægyptiorum in familiam ſuam recepiſſe, ſicut comminiſcitur *Marſhamus*, tam falſum eſt, quam quod maxime, cum *Judas* id temporis, ideſt, quando filius ejus *Onanus* jure Leviratus, matrimonium inivit cum *Thamare*, uxore fratris ſui *Her*, defuncti abſque liberis, necdum in Ægyptum profectus eſſet, nihilque negotii, ſocietatis, & conſuetudinis adhuc habuiſſet cum Ægyptiis, ſicut convenit inter omnes Scripturæ Sacræ Interpretes, quamvis in aſſignanda hujus Hiſtoriæ *Judæ* & *Thamaris* epocha non una ſit apud illos ſententia. Alii namque putant, hanc *Judæ*, & *Thamaris* hiſtoriam contigiſſe ante venditionem *Joſephi*. Alii vero exiſtimant, hanc *Judæ*, & *Thamaris* hiſtoriam contigiſſe poſt venditionem *Joſephi*. Sed, ut ut ſit de iſtius hiſtoriæ epocha, quam certe ac præciſe non deſignat, & definit Scriptura Sacra, in confeſſo eſt apud omnes, hanc hiſtoriam *Judæ*, & *Thamaris* contigiſſe, antequam Patriarcha *Judas*, una cum patre ſuo *Jacobo* ingrederetur in Ægyptum, eique aliqua cum Ægyptiis intercederet conſuetudo. Faceſſat itaque *Marſhamus*, qui facilius oleum ex pumice extundere potuiſſet, quam ex memorata *Zenonis*, Imperatoris, Lege elicere, jus Leviratus, ſeu morem, quo fratres tenebantur uxores fratrum abſque liberis defun-

cto-

Digitized by Google

ctorum ſibi matrimonio copulare, jam apud Ægyptios ante Patriarchæ *Judæ* tempora, hoc eſt, ante Legem Moſaicam invaluiſſe.

D. Cum de venditione *Joſephi* mox mentionem feceris, obſecro te, ut mihi exponas, quale ſit nomen, quod *Pharao*, Rex Ægyptiorum, poſtquam ſomniorum ſuorum a Patriarcha *Joſepho* explicationem accepiſſet, impoſuit eidem Patriarchæ *Joſepho?* Legi ſiquidem in Scriptura Sacra, *Pharaonem* vertiſſe nomen *Joſephi*, & vocaſſe eum Lingua Ægyptiaca, Salvatorem Mundi: *Dixit Rex ad Joſeph: Ego ſum Pharao, abſque tuo imperio non movebit quiſquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti: vertitque nomen ejus, & vocavit eum lingua Ægyptiaca, Salvatorem mundi*, Geneſis cap. 41. v. 44. & 45. Velim igitur ſcire, an nomen Patriarchæ *Joſepho* a *Pharaone*, Rege Ægyptiorum, impoſitum vere in Lingua Ægyptiaca ſignificet *Salvatorem?*

M. Tametſi, ut candide fatear, Linguam Ægyptiacam prorſus ignorem, & eam nequidem a limine ſalutaverim, nihiloſecius (ne ad aquas omnino hærere videar) referam hic breviter quid circa ethymologiam Aegyptii nominis, quod Patriarchæ *Joſepho* indidit *Pharao*, Aegyptiorum Rex, ſentiant viri eruditi. Dein, eam, quæ mihi magis arridet, ſententiam, quamque tu tenere debes, indicabo. Dudum quærunt Scripturæ Sacræ Interpretes, utrum nomen, quod *Joſepho* Patriarchæ impoſuit *Rex Pharao*, Salvatorem Mundi ſignificet, an vero revelatorem arcanorum, ſeu abſconditorum repertorem. *Lyranus*, Linguæ Hebraicæ peritiſſimus, daturus hujus Aegyptii nominis etymon, hæc ſcribit: *In Hebræo*, inquit, *ſic dicitur*, & vocavit Pharao nomen Joſeph Zaphnath Pahaneah, *quod in Hebraica Lingua ſignificat* occultum revelans, *ſecundum quod dicunt Hebræi & Hieronymus, & eſt conveniens ipſi Joſeph, qui revelavit ea, quæ erant aliis occulta ut patet per prædicta. Utrum autem idem nomen in Lingua Aegyptiaca, ſignificet Salvatorem Mundi, neſcio, niſi quantum dicit tranſlatio noſtra* (ſeu vulgata editio) *quia Linguam Ægyptiacam penitus ignoro*. Hactenus *Lyranus*, qui cenſet, nomen Patriarchæ *Joſepho* a Rege impoſitum ſignificare hebraice *Revelatorem occultorum*, ſed non *Salvatorem*. In eamdem *Lyrani* interpretationem abeunt *Oleaſter*, *Joannes Gregorius* in notis & Obſervationibus in loca aliquot Scripturæ Sacræ c. 16. & aliqui periti Rabbini. At, iſta nominis *Joſepho* a Pharaone impoſiti interpretatio non probatur doctiſſimo *Patri Guillelmo Bonjour*, Ordinis **Eremitarum** *S. Auguſtini*, qui Romæ **anno MDCXCVI.** eruditam Diſſertationem **edidit** *De nomine Patriarchæ Joſephi a Pharaone impoſito*, in qua omnigeno antiquitatis argumento, multiſque perdoctis obſervationibus, ex antiquiſſimis Linguæ Aegyptiacæ fontibus hauſtis, probat, nomen Patriarchę *Joſepho a Pharaone* impoſitum ſignificare in **Lingua Aegyptiaca SALVATOREM. Sed præcipue** Cl. ille Scriptor ſententiam ſuam adſtruit ex vetuſtis Nummis & Inſcriptionibus *De Serapide*, quem tanquam Deum colebant Aegyptii, & in cujus ſimulacro quidam ſancti Patris, Patriarcham *Joſephum* adumbratum eſſe tradiderunt. **In his** nanque Inſcriptionibus *Serapis* appellatur *Servator*, ut patet ex iſta de *Serapide* Inſcriptione, quæ extat apud *Gruterum* pag. 85. num. 3.

DEO.
INVICTO
SERAPIDI
SERVATORI.

Eſt etiam vetus Inſcriptio de *Iſide*, individua *Serapidis* comite, quamque Aegyptii invocabant tanquam *Deam ſalutis* in memoriam ſalutis per Servatorem *Joſephum* latæ. Hæc autem Inſcriptio; *Iſidi Salutari* nuncupata, extat apud *Gruterum* pag. 83. num. 15.

SÆCULO FELICI.
PHISIAS. SACERDOS.
ISIDI. SALUTARIS.
CONSECRATIO.

Advertit tamen eruditus *Guillelmus Bonjour*, imperitum Scalptorem *Iſidi Salutaris* mendoſe poſuiſſe pro *Iſidi Salutari*.

D. Age nunc, & indica, ſi placet, quænam ex his, quas mox adduxiſti, de nomine Patriarchæ *Joſepho* a *Pharaone*, Ægyptiorum Rege impoſito, interpretationibus.

nibus, ſit probabilior, & cui adhærere debeam?

M. Vera & genuina nominis Patriarchæ Joſephi impoſiti interpretatio ea eſt, quæ Joſephum fuiſſe a Rege *Pharaone* appellatum SALVATOREM MUNDI ſtatuit. Hæc enim interpretatio apprime conſona eſt Editioni vulgatæ, quæ, ut antea dixi, cap. 41. lib. Gen. v. 45. hæc habet: *Et vocavit* (ceu Pharao) *eum* (ideſt, Patriarcham Joſephum) Lingua Ægyptiaca SALVATOREM MUNDI. Porro, ab Editione Vulgata, quam Oecumenicum Concilium Tridentinum authenticam declaravit, & Eccleſiæ uſui conſecravit, diſcedere nefas eſt. Præterea, hanc interpretationem ſuo calculo probant ſancti Patres *Auguſtinus* & *Hieronymus*, quorum prior lib. Quæſt. ſuper Gen. quęſt. 135. ait: *Hoc nomen interpretari dicitur*, occulta revelavit, *ex illo utique, quod ſomnia* (Joſephus) *Regi aperuit. Aegyptia vero Lingua Salvatorem Mundi perhibunt iſto nomine appellatum*, quibus verbis palam innuit S. *Auguſtinus*, non ſolum ſibi, ſed & pluribus aliis probatam fuiſſe ejuſmodi interpretationem: *Aegyptiaca vero Lingua Salvatorem Mundi perhibent iſto nomine appellatum*. Idipſum quoque tradidit S. *Hieronymus* lib. *Traditionum Hebraicarum in Geneſim*, ubi hæc habet: *Licet Hebraice hoc nomen abſconditorum repertorem ſonet, tamen quia ab Aegyptio ponitur, ipſius Linguæ debet habere rationem. Interpretatur ergo ſermone Aegyptio* Zaphanath Phaneca, *ſive, ut ſeptuaginta transferre voluerunt* Ψομϑομφα νὴχ *Salvator mundi, eo quod orbem terræ ab imminente famis excidio liberavit*. Auctoritas autem S. *Hieronymi* hac in re præſertim magni ponderis eſſe debet, quippe qui Linguam Ægyptiacam apprime callebat. Epiſtolas enim, quas *S. Pachomius*, *Cornelius*, & *Cyrus* Ægyptio ſermone ad ſe ultro citroque ſcribebant, Latinas ille fecit, ſimplicitatem ſermonis Ægyptii imitatus, ſicut ipſe teſtatur Præfatione in Regulam S. Pachomii: *Ajunt*, inquit, *Thebæi, quod Pachomio, Cornelioque & Syro, qui uſque hodie ultra centum & decem annos vivere dicitur, Angelus linguæ myſticæ ſcientiam dederit, ut ſcriberent ſibi, & loquerentur per alphabetum ſpeciale, ſignis quibuſdam & ſymbolis abſconditos ſenſus involvens: quas nos epiſtolas, ita ut apud Aegyptios, Græcoſque leguntur, in noſtram linguam vertimus, eadem, ut reperimus, elementa ponentes; & qua ſimplicitate Aegyptia ſermonis imitati ſumus, interpretationis fides eſt, ne viros Apoſtolicos, & totos gratiæ ſpiritualis ſermo Rethoricus immutaret*. Cum igitur S. *Hieronymus* Linguæ Ægyptiacæ fuerit peritus, debet omni procul dubio eſſe teſtis locupletiſſimus, omnique exceptione major, ſignificationis vocabulorum hujus linguæ, hiſque omnibus Scriptoribus præferendus eſt, qui, nulla Ægyptii ſermonis ratione, aut notitia habita, nomen Joſephi, a *Pharaone*, Ægyptiorum Rege, impoſitum *Revelatorem arcanorum* interpretantur.

D. Ex his, quæ in noſtro primo Colloquio in Hiſtoriam tertiæ Mundi Ætatis de habitatione Iſraelitarum in Ægypto narraſti, ſatis compertum habeo, tribus potiſſimum rebus hanc habitationem inſignitam atque nobilitatam fuiſſe. Primum enim *Joſephus* eo tempore univerſam Aegyptum ſummo cum imperio, & ſecundus a Rege gubernavit, eoque ſuperſtite omnia propria & læta fuerunt Hebræis. Deinde, poſt mortem Joſephi perinſignis & admiranda fuit multiplicatio Hebræorum, quamvis duriſſima ſervitute ab Aegyptiis opprimerentur. Demum, eorum liberationem atque exitum ex Aegypto tot & tanta tunc a Moyſe edita prodigia illuſtrem ac mirabilem reddiderunt. Hæc, inquam, ex his, quæ de habitatione Iſraelitarum in Aegypto narraſti, ſatis comperta & explorata habeo. Sed nonnihil difficultatis patior circa ſtirpis Iſraeliticæ multiplicationem in Aegypto. At enim, certum eſt ſeptuaginta tantum animas, ut loquitur Scriptura Sacra, ſeu ſeptuaginta duntaxat Iſraelitas familiæ Patriarchæ *Jacobi* deſcendiſſe in Aegyptum, & habitationem Iſraelitarum in Aegypto fuiſſe tantummodo ducentorum & quindecim annorum; atqui tamen, quando Iſraelitæ profecti ſunt ex Aegypto, fuere (ſicut legitur lib. Exodi cap. 12. v. 37.) ſexcen-

cen-

centa armatorum millia, nec eum in numerum venere pueri, aut mulieres, fortaſſe nec calones, nec lixæ, ſed ſolum illi, qui proprie militum loco poterant cenſeri. Qui igitur, amabo te, fieri potuit, ut ex tam paucis Iſraelitis, qui in Aegyptum ingreſſi ſunt, tam exiguo tempore, tantus hominum prodierit numerus?

M. Nonnulli Scriptores, ut ab hac, quam propoſuiſti, difficultate ſeſe expediant, ajunt, Iſraelitas manſiſſe in Aegypto per quadringentos triginta annos, ac ſubinde mirum non eſſe, ſi per tantum temporis intervallum in hunc immenſum, qui percenſetur Exodi cap. 12. v. 37. numerum excreverint, quando egreſſi ſunt ex Aegypto. Verum, hanc ſententiam jam falſi convicimus in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam ſæcundæ Mundi Aetatis, ubi, explicando hæc verba, quæ Deus (c. xv. lib. Geneſis) dicit *Abrahamo*, in Chananæa Regione jam habitanti: *Scito prænoſcens quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubjicient eos ſervituti, & male tractabunt eos annis quadringentis*, oſtendimus, per *terram non ſuam*, tum terram Chananæam, tum Aegyptum deſignari, adeo ut anni Hebræorum peregrinationis, quam Deus eo loci futuram prædixit *Abrahamo*, duas in partes æquales diſtribuendi ſint, & ducenti quindecim peregrinationi eorum in terra Chanaan, ducenti vero & quindecim alii anni peregrinationi eorum in terra Aegypti ſint aſſignandi. Quod quidem, ut magis hujuſce rei pateſcat veritas, duobus momentis hic confirmare non pigebit. Primo, hæc quadringentorum & triginta annorum ſumma ad ſervitutem Aegyptiacam referri citra errorem non poteſt, quia generationes, quas toto eo tempore, quo Iſraelitæ manſerunt in Aegypto, percenſet *Moyſes*, id minime patiuntur. *Caath* ſiquidem filius *Levi* cum patre ſuo, & avo *Jacobo* deſcendit in Aegyptum (Gen. cap. 46. v. 11.) *Amram* autem filius *Caath*, pater fuit *Moyſis*. Quis autem tam bonus, ut credat, unam, vel duas generationes per 430. annos ea ætate protendi potuiſſe? Præterea, 430. annos peregrinationis Hebræorum, de qua loquitur Scriptura Sacra, putandos eſſe non ab ingreſſu Iſraelitarum in Aegyptum, ſed ab eo tempore quo Deus dixit Abrahamo: *In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes*, concors eſt omnium Scriptorum, cum Græcorum, tum Latinorum, necnon peritorum Rabbinorum ſententia. Veteres ſolum hic ponam Scriptores Græcos, quales ſunt *Euſebius* in Chronicis, *Epiphanius* in *Ancorato* cap. 12. *Chryſoſtomus* Homil. 37. in Geneſim ut de *Cedreno*, *Zonara*, e juniorum aliis ſileam. E Latinis vero laudabo S. *Hieronymum* Comment. in Cap. 3. Epiſt. ad Gal. S. *Auguſtinum* cap. 16. libri 16. *De Civitate Dei*, & quæſt. 47. in Exodum, *Severum Sulpicium* lib. 1. Sacræ Hiſtoriæ, ut nihil dicam de modernorum Scripturæ Sacræ Interpretum copia, quorum hic catalogum texere nimis longum foret. Denique, inter Judæos huic ſententiæ aperte ſuffragatur *Joſephus* lib. 2. Antiquitatum Judaicarum cap. 5. ubi conceptis verbis ait, Hebræos profectos fuiſſe ex Aegypto anno, poſt Patriarchæ *Jacobi* migrationem in Aegyptum, ducenteſimo quinto decimo. *Joſephum*, Hebræum, in hoc computo ducentorum & quindecim annorum habitationis Hebræorum in Aegypto, ſequuntur *R. Levi Ben Gerſon*, *R. Salomon*, & Rabbini in *Seder Olam*. Huic igitur tot Scriptorum, in eamdem ſententiam conſpirantium, calculo adhærere debemus, planeque cum illis affirmare, initium quadringentorum triginta annorum peregrinationis Hebræorum, cujus mentionem facit Scriptura Sacra, non eſſe arceſſendum ab ingreſſu Populi Iſraelitici in Aegyptum, ſed a tempore promiſſionis a Deo factæ Abrahamo: *In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes*, ita ut Iſraelitæ una cum *Abrahamo*, *Iſaaco*, & *Jacobo* peregrinati ſint in Terra Chananæa per annos ducentos quindecim, & deinde habitaverint in Aegypto per alios ducentos & quindecim annos. Sed, ſi ita ſit, inquies, quo pacto fieri potuit, ut ex ſeptuaginta illis animabus, ſeu Iſraelitis, qui cum Patriarcha *Jacobo* ingreſſi ſunt in Aegyptum, prodierit, intra ſpatium ducentorum & quindecim

an-

annorum, ingens illa & ſtupenda Iſraelitarum multitudo, quæ prævaleret Ægyptiis; tamque gravem metum conciret *Pharaoni*, Ægyptiorum Regi, ut obſtetricibus mandarit, ut quoties maſculi apud Hebræos naſcerentur, eos interficerent? Huic difficultati tuæ reſpondebo cum *S. Auguſtino in* libro *Quæſtionum in Geneſim*, quæſt. xlvii. *His* (ccxv. annis) *quantum multiplicari potuerint Hebræi, ſi fœcunditas hominis conſideretur, ad juvante illo, qui eos voluit multiplicari, reperietur, non eſſe mirum, quod in ſexcentis millibus peditum egreſſus eſt populus*. Et ſane, ut obiter dicam, ſi tres filii Noemi, *Semus*, *Chamus*, & *Japhetus* a Diluvio uſque ad diviſionem terræ, ſeu diſperſionem hominum, quæ facta eſt anno circiter centeſimo nonageſimo ſecundo a Diluvio pares fuerunt procreandis hominibus, qui ad Turrim Babylonicam ſtruendam, diverſaque condenda Regna ſufficere potuerunt, ſicut oſtendimus in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam ſecundæ Mundi Ætatis; quidni credibile erit, potuiſſe Iſraelitas intra ſpatium ducentorum & quindecim annorum ita ſobleſcere ac multiplicari in Ægypto, ut in numerum ſexcentorum millium hominum armatorum, divina maxime favente ac fæcundante benedictione excreverint, quando ſunt egreſſi ex Ægypto?

D. Dixiſti, ſi bene memini, in ſuperiori Colloquio, Regem *Pharaonem*, ab obſtetricibus Hebræis, quibus ipſe præceperat, ut puerulos Hebræorum, recens ex utero materno egreſſos interficerent, officioſo mendacio fuiſſe deluſum. Quæro nunc, quodnam fuerit iſtud officioſum obſtetricum Hebræarum mendacium? & an revera fuerit peccatum?

M. Illud officioſum obſtetricum Hebræarum mendacium, in hoc ſitum eſt, quod hæ obſtetrices, timentes Deum, & nolentes obtemperare crudeli Mandato Regis de mactandis maribus Hebræorum, irato Pharaoni reſponderunt: *Non ſunt Hebrææ, ſicut Ægyptiæ mulieres: ipſæ enim habent obſtetricandi ſcientiam, & priuſquam veniamus ad eas, pariunt*. Exodi cap. 1. Subdit autem Scriptura Sacra ibidem: *Et quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit eis domos*. Dubium non eſt, quin obſtetrices illæ mentitæ ſint, non quidem animo fallendi, ſed miſericordiam præſtandi, ſed nullo modo mentiendum eſt. Unde cum Scriptura Sacra dicit, eas a Deo fuiſſe mercede donatas, reſpondet *S. Auguſtinus* lib. *Contra Mendacium* n. 32. alias cap. 15. *Non ideo factum, quia mentitæ ſunt, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaque in eis remunerata fallacia, ſed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis*. Et inferius num. 34. alias cap. 17. *Sed dicet aliquis: ergone obſtetrices illæ melius feciſſent, ſi nullam miſericordiam præſtitiſſent? Imo vero illæ mulieres Hebrææ, ſi eſſent tales, de qualibus quærimus, utrum ſit eis aliquando mentiendum, nec aliquid falſi dicerent, & fœda miniſteria de parvulis occidendis liberrime recuſarent. Sed, inquies, ipſæ morerentur. At vide quid ſequatur: morerentur enim cæleſtis habitationis incomparabiliter ampliore mercede, quam domus illæ, quas ſibi fecerunt, in terra eſſe potuerunt: morerentur futuræ in æterna felicitate, mortem perpeſſæ pro innocentiſſima veritate*. Huic Doctrinæ *S. Auguſtini* non ſolum ſubſcribit *S. Thomas*, ejus fideliſſimus diſcipulus, ſed tota ei conſtanter adhæret ſanctioris Ethicæ Schola, quæ omne mendacium in quocumque caſu, omnem fictionem, aut diſſimulationem, vel reſtrictionem mentalem, vel quemlibet verborum ancipitis ſignificationis uſum, quo decipi poſſint homines, & candor Chriſtianus infici, ſuis penitus interdicit, & damnat.

D. Cum iſtud officioſum mendacium, ab obſtetricibus Hebræis prolatum, a peccato excuſari non debere cenſeas, non excuſabis itidem, opinor, a peccato Iſraelitas, qui vaſa aurea & argentea, ceteramque divitem, Aegyptiorum ſupellectilem, quam mox ex Aegypto diſceſſuri ab illis mutuati fuerant, fraudulenter abſtulerunt, ſuffurati ſunt, ſuumque in uſum vendicarunt.

M. Non ita eſt, ſed potius cenſeo, Iſraelitas, qui Aegyptiorum bona ſuum in uſum vendicarunt, non peccaſſe. Primo, quia Deus, qui omnium bono-

rum Dominus eſt, voluit, ut Iſraelitæ, qui multis injuriis vexati, duriſque ac iniquis laboribus, abſque ulla mercede, fuerant ab Ægyptiis tempore captivitatis oppreſſi, terrenis bonis locupletarentur, quibus, Ægyptii, denſiſſimis Idololatriæ tenebris immerſi, ad ſuperſtitionem falſorum ſuorum Numinum in injuriam Creatoris præpoſtere abutebantur. Præterea, id confirmari poteſt exemplo Patriarchæ *Jacobi*, qui, ut ſuperius dicebamus, dum peculiari uſus artificio gregem ſuum auxit, non peccavit, non injuſta fraude ſocerum ſuum deluſit, tum quia hujuſmodi artificium *Jacobus* a Deo edoctus eſt per Angelum: Tum quia etiam nullam, poſt tot annorum famulatum, nihil mercedis acceperat *Jacobus* a ſocero ſuo *Labano*. Tum quia denique, Patriarcha *Jacobus* nihil ſibi ſumpſit, quod non debebatur; ſed arte providit, ne quæ conventione ſua erant, a ſocero ſibi contra jus eriperentur. Et ſane, quam alienus fuerit *Jacobus* a ſurripiendis ſoceri bonis ex pacto ſibi non debitis, non aliunde melius diſci poteſt, quam ex ipſius verbis: Ecce enim quam hoc ſibi a *Labano*, ſocero ſuo, exprobratum indigne ferat: *Quam ob culpam meam, ob quod peccatum meum ſic exarſiſti poſt me, & ſcrutatus es omnem ſupellectilem meam? Quid inveniſti de cuncta ſubſtantia domus tuæ?* Gen. cap. 31. v. 36. & 37. Cave tamen, ne putes, me hic patrocinari velle Doctrinæ recentis Scriptoris *Baunii*, qui in ſua Summa morali pag. 213. & 214. ſextæ Editionis, quam præ manibus teneo, hæc de famulis bona dominorum occulta compenſatione ſurripientibus, habet: *Famuli, qui de ſtipendiis ſuis queruntur, poſſuntne ea augere, tantum ex bonis domini ſibi corradentes, quantum ſufficit ut ſuis laboribus merces reſpondeat? Poſſunt omnino aliquando id licite facere, veluti ſi tam inopes operam ſuo domino locarunt, ut quodvis pretium ab eo accipere coacti ſint: deinde, ſi vulgo ob ſimilia officia famuli majori mercede conducantur.* Cave, inquam, ne putes, hanc *Baunii* doctrinam illicitam, perniciofam, divinæ, naturali, humanæ Legi contrariam, omnibus familiis peſtiferam, ſovendiſque domeſticis furtis accommodatam, me hic approbare velle, a qua tam alienus ſum, quam qui maxime. Nec enim jus eſt famulis in Domini, ſeu heri, bona qui pactis non deeſt; nec Deus illis, itidem ut Iſraelitis, bonorum domini poſſeſſionem adjudicavit. Quocirca, lubentiſſime ſubſcribo cenſuræ, quam doctrinæ *Baunii* furtum famulis concedentis, duæ præſtantiſſimæ Facultates, Pariſienſis nempe, & Lovanienſis jure optimo inuſſerunt. Pariſienſis Cenſura anno MCCXLI. in *Baunium* lata ſic habet: *Falſa eſt & periculoſa, & domeſticis furtis viam aperiens*. Cenſura Lovanienſis his verbis concepta eſt: *Hæc aſſertio falſa eſt, naturam hominis de ſe pronam ad malum præcipitans in furta, ac domeſticam pacem perturbans eo vel potiſſimum quod iſta compenſatio ipſorummet famulorum & famularum judicio relinquitur.*

D. Si *Baunii*, aliorumque ejuſdem farinæ Caſuiſtarum, qui puritatem Doctrinæ moralis Chriſtianæ variis corruptelis & laxitatibus depravarunt, deteſteris doctrinam, ipſe, ut ingenue dicam, non minus odi & execror quoſdam Scriptores prophanos, qui Sacram Hiſtoriam de exitu Iſraelitarum ex Ægypto, eorumque Inſtitutis auſi ſunt multis fabulis & inſulſis figmentis interpolare, dictitantes, liberationem Judæorum ex Ægypto non factam eſſe a Deo per *Moyſem* potenti virtute miraculorum, ſed potius Judæos, quos ajunt, fuiſſe agmen hominum, qui impetigine, ſeu ſcabie & lepra in Ægypto erant infecti, per ignominiam, & ne peſtis illa ad plures ſerperet, e tota Ægypto eſſe expulſos, una cum *Moyſe*, eorum Duce, qui iridem ſcabiem & vitiliginem patiebatur. Hos inter Scriptores, unum, quem nunc penes me habeo, proferam *Cornelium Tacitum*, qui Hiſtoriarum lib. v. cap. 3. & 4. hæc habet: *Plurimi Auctores conſentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, Regem Occhorim, adito Hammonis Oraculo, remedium petentem, purgare Regnum, & id genus hominum, ut inviſum Deis, alias in terras avehere juſſum. Sic conquiſitum collectumque vulgus, poſtquam*

Digitized by Google

quam vaſtis locis relictum ſit, ceteris per lacrimas torpentibus, Moſem, unum exulum, monuiſſe, ne quam Deorum hominumve opem expectarent, ab utriſque deſerti; ſed ſibimet, ut Duci cœleſti, crederent, primo cujus auxilio credentes, præſentes miſerias pepuliſſet. Aſſenſere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil æque quam inopia aquæ fatigabat. Jamque haud procul exitio, totis campis procubuerant: cum grex aſinorum agreſtium, e paſtu in rupem nemore opacam conceſſit. Secutus Moſes conjectura herbidi ſoli, largas aquarum venas aperit. Id levamen: & continuo ſex dierum iter emenſi, ſeptimo pulſis cultoribus, obtinuere terras, in quibus Urbs & Templum dicata ſunt. Moſes, quo ſibi in poſterum gentem firmaret, novos ritus, contrarioſque ceteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos ſacra. Rurſum conceſſa apud illos, quæ nobis inceſta. Effigiem animalis (ſeu aſini) *quo monſtrante, errorem ſitimque depulerant, penetrali ſacravere*, &c. Hæc & alia id genus ibidem ſcribit *Cornelius Tacitus*, quem non pudet, veram, quam texit *Moyſes*, exitus Iſraelitarum ex Ægypto, totiuſque Gentis Judaicæ Hiſtoriam putidis mendaciis interpolare. Sed cum *Cornelius Tacitus* longe poſt tempora *Moyſis* vixerit, ſcire vellem, an ejuſmodi figmenta proprio marte procuderit, aut ex antiquioribus Scriptoribus ea hauſerit?

M. Iſthæc male conſarcinata figmenta hauſit *Cornelius Tacitus* ex antiquioribus Scriptoribus Ethnicis, videlicet ex *Manethone* in Ægyptiacis, *Chæremone*, *Liſymacho*, ſed potiſſimum ex *Apione*, Grammatico Alexandrino, qui ſub Imperatoribus *Tiberio*, *Cajo*, & *Claudio* vixit, quem *Joſephus*, Hebræus, data opera duobus libris perdocte confutavit, Gentiſque Judaicæ Hiſtoriam ab illius Ethnici Scriptoris mendaciis, & calumniis egregie vindicavit. Non is certe ego ſum, qui velim ſingulas hic inſerere rationes, quibus *Joſephus* illorum male feriatorum Scriptorum deliramenta refellit; id enim longius me abduceret, ſed tantum breviter referam præcipuas *Joſephi* rationes, quibus tres inſignes calumniæ horumce Scriptorum Ethnicorum, qui odio pluſquam vatiniano Gentem Judaicam proſequebantur, facili negotio diſpunguntur. In primis, falſum eſt, Judæos, dum egreſſi ſunt ex Ægypto, ſcabie, lepra, aliiſque generibus morborum laboraſſe, ſicut calumniantur iſti Scriptores; nam ſi his morbis languiſſent revera Judæi, quo pacto, quæſo, tantum iter agere, ſuiſque vincendis hoſtibus pares eſſe potuiſſent? Apage fabulam tam craſſo filo contextam. Alteri calumniæ, quam iſti Scriptores inferunt *Moyſi*, dicentes, eum fuiſſe Ægyptium; Sacerdotem Heliopolitanum, nomine *Oſarſiphum* vocatum, & lepra infectum cum aliis ex Ægypto fuiſſe pulſum, ac tandem illorum exulum Ducem factum, mutaſſe nomen ſuum, & deinceps *Moyſem* ab iſtis exulibus, qui fidem ei obſtrinxerant, appellatum eſſe: huic, inquam, atroci calumniæ, ſic reſpondet *Joſephus* lib. 1. contra *Apionem*: *Quod vero hujus calamitatis*, ſeu lepræ, *corpus expers habuit* Moyſes, *ipſius dicta indicant. Leproſis enim & oppidis & vicis interdixit, ut ſeorſim in lacero veſtitu agant, & eum, qui eos attigiſſet, aut ſub idem tectum ſucceſſiſſet, pro impuro habet. Quin etiam, ſi eo morbo laborari, & in priſtinum ſtatum reſtitui contingat, præſcripſit certas purificationes, mundationes, & fontanarum aquarum lavacra, & omnium pilorum abraſiones, multiſque & variis ſacrificiis peractis, tum demum ſanctam Urbem adeundam. Atque contra par erat, qui talem calamitatem*, ſeu lepram, *expertus eſſet, providentiam aliquam ac humanitatem exhibere ſimili infortunio preſſis. Non ſolum autem de leproſis ſic Leges tulit* (Moyſes) *ſed ne nimia quidem corporis parte mutilatos ad ſacrorum curam admiſit. Sed etiam ſi Sacerdoti tale aliquid accidiſſet, honore eum privavit. Quomodo igitur veriſimile eſt, illum has adverſus ſemetipſum cum opprobrio ſuo damnoque tuliſſe Leges? Quin & nomen valde incredibiliter mutavit. Oſarſiph enim* (inquit Apion) *vocabatur. Hoc ad transmutationem nihil quadrat. Verum autem nomen ſignificat ex aqua ſervatum Moyſem, nam aquam Ægyptii Moy vocant.* Tertia denique & horribilis calumnia de ca-

capite aſini a Judæis in Templi Hieroſolymitani penetralibus conſecrato ſua ſponte concidit. At enim, ſi Judæi caput aſini in Templo conſecraſſent, illudque venerati fuiſſent, Idololatriæ cultores extitiſſent. Et tamen *Cornelius Tacitus*, qui, loco a me citato, hanc de capite aſini conſecrato Judæis impingit calumniam, ultro fatetur, Judæos ab Idololatria & ſuperſtitioſo cultu Imaginum penitus abhorruiſſe, Deumque dumtaxat adoraſſe: *Judæi*, inquit, *mente ſola, unumque Numen intelligunt, ſummum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla ſimulacra urbibus ſuis, nedum Templis ſunt. Non Regibus hæc adulatio, non Caſaribus honor.* Qui igitur credibile eſt, Judæos, qui, teſte ipſomet *Cornelio Tacito*, idololatriam ſummopere averſabantur, voluiſſe caput aſini in Templo Hieroſolymitano conſecrare? In hac itaque teterrima concinnanda calumnia non ſibi conſtat *Cornelius Tacitus*, & antiqui Scriptores, ex quibus illam exſcripſit; nullam prorſus merentur fidem, tum quia fuerunt Ethnici, & Gentis Judaicæ infenſiſſimi hoſtes; tum quia etiam certiſſime conſtat, eos multis fabulis ac male conſutis mendaciis Hiſtoriam Sacram interpolaſſe, tum quia denique, æſtu paſſionum abrepti, nullam, de rebus Judæorum ſcribentes, veritatis rationem habuerunt, &, quod caput eſt, animum ad ſcribendum appulerunt longe poſt tempora *Moyſis*, qui primus eſt omnium Gentium Scriptor, atque divina revelatione & inſpiratione Sacram Hiſtoriam litteris conſignavit.

D. Quod Scriptores Ethnici Sacram Hiſtoriam de exitu Iſraelitarum ex Ægypto fabulis, & putidis mendaciis infuſcaverint, mirari certe non ſubit; voluerunt namque ſtupenda illa prodigia, quæ Deus in hac mirabili Iſraelitarum liberatione per *Moyſem* patravit, quæque Genti Judaicę, cujus erant infeſtiſſimi hoſtes, maximum decus conciliabant, negare, & ad Sacræ Hiſtoriæ veritatem occultandam, fabulas de induſtriá commenti ſunt, in quibus nec mica, nec ulla rationis ſcintilla apparet. At, illud maxime miror, quod *Joſephus*, qui erat Gente Hebræus, & Antiquitatum Judaicarum peritiſſimus, incertum habeat, an Mare Rubrum, per quod Hebræi, ex Ægypto egreſſi, ſiccis veſtigiis tranſierunt, naturæ viribus per æſtum maritimum, ſeu fluxum & refluxum, diviſum ſit, an hæc Maris Rubri diviſio facta ſit Dei, ſupra naturæ Leges operantis, poteſtate, ſicque miraculo adſcribenda? Sic enim (locum mihi nuperrime indicante viro erudito) legi apud *Joſephum* lib. 2. *Antiq. Jud.* cap. 7. *Nemo autem*, inquit Joſephus *mirari debet tanquam incredibilia, ſi prius hominibus, & ad malitiam rudibus, de ſalute periclitantibus, via per mare patuit, ſive Dei voluntate, ſive ſponte naturæ: Quandoquidem heri & nudiuſtertius Alexandri ductu Macedonibus Pamphylium Mare ceſſit, & aliam viam non habentibus illac iter aperuit, cum Deus ejus opera ad deſtruendum Perſarum Imperium uti decreviſſet: Id quod omnes teſtantur, qui res geſtas illius Regis ſcripto prodiderunt*: Hanc *Joſephi* de inſigni illo miraculo, quod in Maris Rubri diviſione, & Iſraelitarum tranſitu contigit, præpoſteram dubitationem ferre minime poſſum.

M. Sunt nonnulli Scriptores, qui *Joſephum* excuſant, quod ad captum Ethnicorum, quibus ſcribebat, ſeſe attemperando, in ſpeciem dubitare videatur, an diviſio Maris Rubri in tranſitu Iſraelitarum aut viribus naturæ, ſeu fluxui & refluxui Maris, aut potius omnipotentiæ Dei, ſeu miraculo ſit adſcribenda? *Joſephum* tamen certiſſime in diviſione Maris Rubri, & Iſraelitarum tranſitu agnoviſſe inſigne, quod contigit, miraculum, colligunt illi Scriptores ex his, quæ ibidem narrat *Joſephus*: *Ut vero*, inquit, *ad extremum littus ventum eſt, tum Moyſes ſumpta virga Deum in auxilium ſupplex invocat*. Et poſtquam deſcripſit orationem, quam *Moyſes*, tanto in diſcrimine conſtitutus, fudit ad Deum, ſic pergit: *Hac precatus* (Moyſes) *Mare virga percutit: Quo ictu repente ſciſſum, & retrorſum ſe recipiens, nudum ſolum Hebræis ad fugam capeſſendam relinquit*. Denique narrans *Joſephus*, Ægyptios ſibi quoque eumdem eventum pollicitos fuiſſe, ait: *Verum ſeſel-*

fefellit eos hac opinio, neſcientes non quorumvis talem viam eſſe, ſed Hebræorum tantum ... Ergo cum jam univerſus Exercitus ingreſſus eſſet, refunditur iterum Mare, & Aegyptios fluctibus involvit. Ex hac Jo*ſephi* narratione, quidam Scriptores colligunt, eum in diviſione Maris Rubri, & tranſitu Iſraelitarum, miraculum agnoviſſe. At, ipſe hanc Jo*ſephi* excuſationem admittendam non eſſe judico. Primo quia, ut dem Jo*ſephum* agnoviſſe illud miraculum, attamen illud proponit, non tanquam rem indubitatam, ſed potius illius judicium permittit aliorum arbitrio, dicens: *Sed de his, ut cuique libet, ita ſentiat.* Debuiſſet autem Jo*ſephus* referre iſtud miraculum tanquam extra omnem dubitationis aleam poſitum, quia Scriptura Sacra pluribus in locis diſſertiſſimam de illo mentionem facit. Quædam hic laudare abunde ſufficiet: *Tu autem eleva virgam tuam,* (ait Deus *Moyſi* cap. 14. lib. Exodi) *& extende manum tuam ſuper Mare, & divide illud, ut gradiantur filii Iſrael in medio Maris per ſiccum.* Et Lib. Sapientiæ c. 10. *Tranſtulit illos per Mare Rubrum, & tranſvexit illos per aquam nimiam, inimicos autem illorum demerſit in Mare.* Item cap. 5. lib. J*udithæ* v. 12. *Fugientibus his,* ſeu Iſraelitis, *Deus Cæli Mare aperuit, ita ut hinc inde aquæ quaſi murus ſolidarentur, & iſti pede ſicco fundum Maris perambulando tranſirent.* Denique, ut alia non minus luculenta Scripturæ loca prætermittam, dicitur Pſalmo 135. *Qui diviſit Mare Rubrum in diviſiones, eduxit Iſrael per medium ejus; Et excuſſit Pharaonem, & virtutem ejus in Mari Rubro, quoniam in æternum miſericordia ejus.* Hæc ſane locupletiſſima Scripturæ teſtimonia omnem de eo miraculo dubitandi locum adimunt. Quorſum igitur Jo*ſephus* iſtud miraculum, velut rem incertam & dubiam Ethnicis proponit? Præterea, ſuam Jo*ſephus* de illo miraculo dubitationem confirmat exemplo *Alexandri Magni*, cui Pamphylium Mare ceſſiſſe, & Macedonibus liberum permiſiſſe aditum ait. Quod tamen oppido falſum & fabuloſum eſſe teſtatur *Plutarchus in Vita Alexandri M.* Alii vero (poſt *Strabonem* lib. 14. Geographiæ) aſſerunt, *Alexandrum Magnum* non tranſiiſſe per medium Mare, ſuper Montem duntaxat, qui, affluente Mari, coopertus aquis eſſe ſolebat, tranquillo tamen pelago, diſcoopertus; reciproco autem Maris æſtu interceptos *Alexandrum M.* ejuſque milites magnum ſubiiſſe diſcrimen, adeo ut in aqua umbilico tenus, iter facere cogerentur. Porro, iſtum *Alexandrini M.* tranſitum, nihil ſimile admirabili tranſitui Hebræorum per Mare Rubrum habuiſſe, nemo eſt, qui ſtatim non videat. Denique, quemadmodum Jo*ſephus* jure optimo a viris eruditis culpatur, quod Prophetarum vaticinia, quibus prædicitur adventus Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, ſacrilega adulatione detorſerit ad Imperatorem *Veſpaſianum*, cujus benevolentiam aucupari volebat; ita ipſe exiſtimo, debere vitio verti *Joſepho*, quod miraculum, factum in tranſitu Iſraelitarum per Mare Rubrum, velut incertum & dubium retulerit, ut ſeſe accommodaret ad captum Ethnicorum, qui miraculis, quæ in ſacra Hiſtoria leguntur, nullam fidem dabant. Ex his, quæ hactenus dixi, debes colligere primo, tranſitum Hebræorum per Mare Rubrum non refluxui Maris, quem obſervaverit *Moyſes*, rerum naturalium peritiſſimus, eſſe tribuendum. Refluxus ſiquidem Maris pervia duntaxat littora Maris facit, ſed medium Mare pervium & ſiccum facere non poteſt. Iſraelitæ autem, ut legere eſt in Hiſtoria ſacra, per medium Mare, ſiccis veſtigiis tranſierunt. Præterquam quod, incredibile omnino eſt, hunc fluxum & refluxum Maris Rubri (ſi quis unquam fuit) ſoli *Moyſi* fuiſſe notum, & neminem ex aula Regis *Pharaonis*, neminem e numeroſiſſimo ejus exercitu, neminem Ægyptiorum, qui maritimas plagas incolebant, ullam hujus fluxus & refluxus Maris notitiam habuiſſe. Si enim aliqui inter Aegyptios hunc maritimum æſtum, ſeu fluxum & refluxum Maris, perſpectum & exploratum habuiſſent, confeſtim Regem *Pharaonem*, ejuſque exercitum de evidenti, quod imminebat, periculo monuiſſent, & Rex, ab illis monitus, ſe cum toto exercitu ſoſpitem & incolumem ſervaſſet. Quod cum fa-

ctum haud fuerit, ſed potius contrarium acciderit, ſignum eſt, hunc prætenſum æſtum maritimum, ſeu fluxum & refluxum Maris Rubri latuiſſe Ægyptios, ac ſubinde omnino fictitium eſſe, eique prodigioſum illum per Mare Rubrum Iſraelitarum tranſitum tribui minime poſſe. Addo etiam cum *Julio Scaligero*, apud Criticos ſacros in cap. xv. libri Exodi pag. 304. non potuiſſe *Moyſem* (tametſi Mare Rubrum habuiſſet fluxum, & refluxum) in ſicco una cum Iſraelitis tranſire, nactum refluxionis occaſionem. Hæc ſunt perdocti illius Scriptoris verba: *Erythræo*, ſeu Mari Rubro, *tantus eſt æſtus, ut oſores Sacrarum Litterarum temere mentiti ſint, Moyſem in ſicco tranſiviſſe, nactum refluxionis occaſionem. Quod tamen fieri non potuit; propterea quod ad Syros uſque, quod intimo in receſſu jacet, Mare operit littus illud, neque unquam regrediens ita nudat, ut in feriores partes, qua tranſierunt Hebræi, ſua deceſſione aperiat*. Secundo, colligere debes, falſam eſſe, & Scripturæ Sacræ penitus contrariam opinionem quorumdam Hebræorum, qui pertendunt, Iſraelitas, Duce *Moyſe*, non totum Mare Rubrum tranſiiſſe, ideſt, non ab uno littore Maris ad aliud oppoſitum littus tranſmiſiſſe, immo ne adiiſſe quidem medium Mare, ſed illos duntaxat circumiviſſe neſcio quam rupem, per Mare aliquanto intervallo protenſam, eoſque ducto illo intra Mare circuitu, ſeu ſemicirculo, demum ad littus, unde progreſſi fuerant, rediiſſe. Sic opinantur quidam Hebræi, quos inter cenſetur *Aben-Eſra*. Sed hæc opinio, ſeu potius iſtud recutitum figmentum (cui *Toſtatum*, Epiſcopum Abulenſem, voluiſſe ſuffragari mirantur viri eruditi) aperte adverſatur his, quæ ſuperius laudavi, Scripturæ teſtimoniis, ex quibus coruſcante meridiano ſole clarius patet, Iſraelitas non circuiſſe Mare Rubrum, ſed per medium Mare tranſiviſſe. Si autem quæras, quomodo fieri potuerit, ut tot Iſraelitarum millia, per ſpatium quatuor, aut ad ſummum quinque horarum, tranſierint totum Mare rubrum, quod latiſſime patet, & ex Topographrorum commenſuratione vix horis viginti quinque trajici poteſt? Reſpondebo ipſe, obſervari ab iiſdem Topographis, Mare Rubrum in ſummo ſuo capite eſſe adeo anguſtum, ut eo loco, quo a *Moyſe* trajectum eſt, vix ſex milliaribus pateat. Præterquam quod, Deus robuſtas Iſraelitis ad fugiendum inſeruit, ſuppeditavitque vires, & inſequentium Ægyptiorum metus eis addidit alas, illoſque compulit maturare gradum, ut ab uno littore Maris uſque ad aliud littus oppoſitum feſtino pede ſe conferrent. Sed de tranſitu Iſraelitarum per Mare Rubrum ſatis dictum ſit. Nunc velim breviter obſerves illud Mare, quod nos *Rubrum* vocamus, appellari ab Hebræis *Mare Suph*, nec ideo nuncupari *Rubrum*, quod illius aquæ rubeant (ſicut multis Scriptoribus per errorem obrepſit) ſed quia id nominis huic Mari impoſitum eſt ab *Erythro*, Rege, ut teſtis eſt *Q. Curtius* lib. 8. *Mare*, inquit, *quo alluitur, ne colore quidem abhorret a ceteris. Ab Erythro Rege conditum eſt nomen, propter quod ignari rubere aquas credunt*. Et lib. 10. ait. *Rubrum Mare non colore undarum, ut plerique credunt, ſed ab Erythro, Rege, appellari*. *Erythrus* quippe Græce ſignificat *Rubrum*, non ſecus ac nomen *Edom*, quod idem Mare accepit olim ab *Eſau*, ejuſque poſteris, Regionem Idumæam incolentibus, Hebraice ſignificat itidem *Rubrum*. Circa hanc Maris Rubri ethymologiam cum *Q. Curtio* conſentiunt *Strabon* lib. 16. *Plinius* lib. 6. cap. 23. *Pomponius Mela* lib. 3. cap. 8. *Agathareides* Editionis Oxon. pag. 2. *Philoſtratus* lib. 3. cap. 19. *Arrianus* in libro Rerum Indicarum pag. 579. quos citat recens Scriptor *Humphrydus Prideaux*, Tom. I. Hiſtoriæ Judæorum, quam gallico idiomate concinnavit. Addit quoque *Q. Curtius*, in Inſula quadam illius Maris non procul a continente columnam eminere, iſtius Regis *Erythri* monumentum, litteris ejus gentis ſcriptam. Teſtatur etiam *Brodæus in Miſcellaneis* lib. 3. cap. 9. ſe a multis viris & nautis, qui, tempeſtatibus acti, in Mare Rubrum fuerant ejecti, audiviſſe, Mare illud *Rubrum* appellatum, non diſcrepare, quantum ad aquæ colorem,

ab

Digitized by Google

ab Oceano noſtro. Si plura de tranſitu Hebræorum per Mare Rubrum ſcire deſideres, lege Diſſertationem, quam eo de argumento *Auguſtinus Calmet*, Benedictinus, præfixit ſuo Commentario litterali in lib. Exodi.

D. Cum horam, quam Colloquiis noſtris præfigere ſolemus, ad finem vergere videam, præſtat, ut quidquid adhuc ſupereſt temporis, id totum nunc impendamus in explanandis his omnibus, quæ ſpectant Paſcha, quod Judęi, ſicut antea obſervaſti, juſſu Moyſis, celebrarunt priuſquam diſcederent ex Aegypto. Et primo, ſi placet, incipiamus ab hujus nominis *Paſchatis* ethymologia. Explica igitur quid ſibi velit iſtud Paſchatis nomen? & qua die Judęi Paſcha celebrarint in Aegypto?

M. *Paſchatis* nomen Chaldaicum eſt: ab Hebræis appellatur *Peſach*, a Latino Interprete dicitur *Phaſe*, ſed Latine ſignificat *tranſitum*, ut videre eſt in noſtra Vulgata Editione c. 12. v. 11. & 12. libri Exodi: *eſt enim Phaſe (id eſt tranſitus) Domini*. *Et tranſibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Aegypti ab homine uſque ad pecus*. Ad refricandam itaque ſingulis annis memoriam inſignis illius beneficii, quo Angelus vaſtator, nocte tranſiens, omnia Aegyptiorum primogenita trucidavit, & ſolis pepercit Hebræis, qui portas ædium ſuarum tinctas habebant ſanguine Agni, Paſchatis celebritatem inſtituit Moyſes in Aegypto, cumque Iſraelitę eſſent in procinctu itineris, & illa ipſa nocte ex Aegypto profecturi, juſſit eis *Moyſes*, ut ſuccinctis lumbis, calceatis pedibus, & cum baculo in manu, qui viatorum habitus eſt, Agnum Paſchalem cum feſtinatione comederent, ſicut legitur cap. 12. v. 11. libri Exodi. Hic autem modus celebrandi Paſcha, ſeu Agnum Paſchalem manducandi, peculiaris fuit huic primo Paſchati, quod Hebræi peregerunt in Aegypto, nam deinceps non accincti, ſed diſcincti, non ſtantes, ſed ſedentes, non raptim, viatorum inſtar, ſed lente, & pacate Agnum Paſchalem comederunt Hebræi, eumque morem ſecutus eſt Chriſtus Dominus, dum pridie quam pateretur, diſcumbens cum Diſcipulis ſuis, ſupremum Paſcha celebravit. Explicata breviter cauſa, cur Deus per *Moyſem* juſſerit Hebræis, ut priuſquam excederent ex Aegypto, Paſcha celebrarent, & deinceps hanc Paſchatis celebritatem in perennem beneficiorum memoriam quot annis obſervarent, nunc præfigere debemus diem, qua Hebræi in Aegypto Paſcha peregerunt, ſeu Agnum Paſchalem immolarunt, & manducaverunt. Hæc autem ſtata dies Paſchatis, ſeu immolationis & comeſtionis Agni Paſchalis in Aegypto, fuit dies decima quarta primi menſis ad veſperam, ſicut legitur c. 12. v. 3. l. Ex. *Decima die menſis hujus tollat unuſquiſque agnum per familias & domos ſuas*. Et v. 6. *Et ſervabitis eum ad quartam decimam menſis hujus, immolabitque eum multitudo filiorum Iſrael*. Et cap. 23. v. 5. libri Levitici: *Menſe primo; quarta decima menſis ad veſperam Phaſe Domini eſt*. Porro, primus menſis anni apud Judæos ille eſt, qui partim menſibus noſtris Martio, & Aprili reſpondet; quique ab ipſis appellatur *Abib*, ſeu *Niſan*, & a quo ducitur Veris initium. Quamvis enim menſis *Abib*, ſeu *Niſan*, eſſet antehac apud Hebræos ſeptimus anni, attamen, poſt eorum ex Aegypto profectionem, pro primo menſe anni in rebus ſacris haberi cœpit, Deo ita jubente, cap. 12. v. 2. libri Exodi: *Menſis iſte vobis principium menſium: primus erit in menſibus anni*. Ad veſperam itaque diei decimæ quartæ menſis *Niſan* Paſcha in Aegypto celebrarunt, ſeu Agnum Paſchalem comederunt Hebræi. Per veſperam autem diei decimæ quartæ, intelligi non debet prior veſpera, quæ initium erat diei decimæ quartæ, ſed poſterior veſpera, in quam dies decima quarta deſinebat, ita ut Hebræi, juxta Legis Moſaicæ præſcriptum, Paſcha peragere, ſeu Agnum Paſchalem mactare duntaxat poſſint a meridie diei decimæ quartæ in ſecundis veſperis uſque ad occaſum ſolis; poſtea vero id agere ſit eis a Lege prohibitum. Hinc J*eſus Chriſtus*, qui fuit Legis obſervantiſſimus, ultimum ſuum Paſcha celebravit, ſeu Agnum Paſchalem

Digitized by Google

comedit die a Lege ſtatuta, ſeu die decima quarta in ſecundis veſperis, ſeu ineunte die decima quinta, quæ erat prima dies Azymorum, ſicut teſtantur ſacri Evangeliſtæ, *Matth.* cap. 26. v. 17. *Marcus* cap. 14. v. 12. & *Lucas* c. 22. v. 7. Conſule Diſſertationem decimam nonam Tractatus, quem edidi, *De Myſteriis, & annis Jeſu Chriſti, Servatoris noſtri*, ubi omni argumentorum genere oſtendi, Chriſtum Dominum anno, quo mortuus eſt, ultimum Paſcha peregiſſe, ſeu Agnum Paſchalem cum Diſcipulis ſuis comediſſe die ipſa a Lege præfixa, ſeu die decima quarta in ſecundis veſperis, non vero die decima quarta in primis veſperis, ſicut nonnullis Scriptoribus perperam viſum eſt.

D. Hebræos antequam diſcederent ex Ægypto, Paſcha celebraſſe, ſeu Agnum Paſchalem comediſſe die XIV. in ſecundis veſperis, ægre admodum mihi perſuadere poſſum. Legi etenim capite 12. libri *Exodi*, & apud *Joſephum*, Hebræum, lib. 2. Antiq. Jud. cap. 6. Judæos profectos fuiſſe ex Ægypto, illuceſcente die xv. Menſis *Niſan*. At, ſi Judæi, antequam diſcederent ex Ægypto, Agnum Paſchalem comediſſent in poſteriori veſpere diei 14. menſis *Niſan*, vix intelligi poſſet, nedum explicari, quo pacto omnes Hebræi, intra tam anguſtum temporis ſpatium, quod fluxit a poſteriori veſpera diei 14. menſis *Niſan*, uſque ad diluculum diei 15. ejuſdem menſis, potuerint ſeſe ad iter accingere, vaſa aurea, & argentea, variamque ſupellectilem mutuari ab Ægyptiis, & tandem congregari, in eumdemque convenire locum (erant enim, ut ſuperius obſervaſti, ſexcenta millia peditum armatorum, præter ſenes, mulieres, parvulos, & promiſcuum vulgus Ægyptiorum, qui Judaica Religione initiati Judæos comitari voluerunt.) Id autem eo difficilius creditu eſt, quod *Moyſes*, ſicut legitur eodem in capite libri Exodi, diſtricte inhibuiſſet, ne ullus Hebræorum *egrederetur oſtium domus ſuę uſque mane*. Longe itaque mihi veroſimilius eſſe videtur, Hebræos in Ægypto Agnum Paſchalem immolaſſe, & comediſſe in poſteriori veſpera diei 13. menſis *Niſan*. Hoc enim ſemel poſito, habuerunt Hebræi (poſtquam in Aegypto Agnum Paſchalem manducarunt) diei integræ, ſeu diei decimæ quartæ ſpatium, ut poſſent ſeſe ad iter præparare, dona ab Aegyptiis mutuo accipere, quibus acceptis, illuceſcente die 15. ejuſdem menſis *Niſan*, ex Aegypto, compellente Rege Pharaone, profecti ſunt, ſeque itineri dederunt. Hæc conjectura, quam ultro fateor, me in cætu quorumdam virorum eruditorum paucis abhinc diebus audiviſſe, an tibi probetur, ſcire vehementer deſidero.

M. Hanc conjecturam, quam a viris eruditis te accepiſſe profiteris, certe meo calculo probare haud poſſum. Primo, ſi Hebræi, antequam excederent ex Aegypto, Agnum Paſchalem comediſſent in poſteriori veſpera diei 13. menſis *Niſan*, debuiſſent Judæi poſt exitum ex Aegypto, ſingulis recurrentibus annis Agnum Paſchalem comedere itidem in poſteriori veſpera diei 13. menſis *Niſan*, cum certo certius ſit ex Scriptura Sacra, Judæos debuiſſe poſt egreſſionem ex Aegypto comedere Agnum Paſchalem eodem menſe, eodem die, eadem hora, qua Judæi in Aegypto Agnum Paſchalem manducarunt: *Habebitis autem hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam ſolemnem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno*. Exodi cap. 12. *Immolabis Phaſe veſpere ad ſolis occaſum quando egreſſus es ex Aegypto* cap. 16. lib. Deuteronomii. Atqui tamen compertum omnibus, atque exploratum eſt, Judæos, poſt profectionem ſuam ex Aegypro, ſemper ad noſtra uſque tempora Agnum Paſchalem comediſſe non in poſteriori veſpera diei 13. menſis *Niſan*, ſed in poſteriori veſpera diei 14. ejuſdem menſis, quando videlicet incipit apud Judæos Feſtivitas Azymorum, & tenentur ex præſcripto Legis in hac poſteriori veſpera diei decimæ quartæ menſis *Niſan*, abſtinere in integrum a pane fermentato, & veſci duntaxat pane Azymo. Hæc igitur perennis, & nunquam interrupta Judæorum conſuetudo, argumento eſt, Patres eorum, antequam diſcederent ex Aegypto

pto

pto, non manducaſſe Agnum Paſchalem in poſteriori veſpera diei 13. ſed in poſteriori veſpera diei 14. menſis *Niſan*, qua die Judæis pane fermentato veſci ex Legis præcepto nefas & illicitum omnino eſt. Et ſane, modus ille, quo, ſicut ſuperius obſervavimus, Hebræi in Ægypto Agnum Paſchalem manducarunt, aperte oſtendit, illos in Ægypto Agnum Paſchalem comediſſe non in poſteriori veſpera diei 13. menſis *Niſan*, ſed in poſteriori veſpera diei 14. ejuſdem menſis. At enim, Hebræi in Ægypto Agnum Paſchalem comederunt, non menſæ accumbentes, ſed ſtantes, pedibus calceatis, accinctis renibus, baculum præ manibus tenentes, more illorum, qui parati ſunt ad ingrediendum iter. Non fuit autem neceſſarium, ut Hebræi in Ægypto tam feſtinanter comederent Agnum Paſchalem, ſi revera illum manducaſſent in poſteriori veſpera diei 13. menſis *Niſan*, quandoquidem, facta hac hypotheſi, Agni Paſchalis comeſtio in Ægypto præceſſiſſet integra die & amplius Judæorum profectionem ex Aegypto, quæ ſolum contigit illuceſcente die 15. menſis *Niſan*, in quam apud Judæos incurrit Feſtivitas Azymorum. Ex modo itaque, quo Hebræi in Aegypto Agnum Paſchalem comederunt, facile colligitur, illos non manducaſſe Agnum Paſchalem in poſteriori veſpera diei 13. menſis *Niſan*, ſed in poſteriori veſpera diei 14. ejuſdem menſis, hoc eſt, in pervigilio eorum profectionis ex Aegypto. Denique, univerſa Eccleſia Latina docet contra Græcos, in pane Azymo, & non fermentato confici debere Euchariſtiam, quia Chriſtus Dominus, ultimum Paſcha peragendo cum Diſcipulis ſuis, eam inſtituit poſt comeſtionem Agni Paſchalis in poſteriori veſpera diei 14. menſis *Niſan*, a qua die incipiebat Feſtivitas Azymorum, ac ſubinde vetitum erat Judæis tunc uti pane fermentato, ſed poterant tantum comedere panem Azymum. Si ergo Hebræi manducarint in Ægypto Agnum Paſchalem in poſteriori veſpera diei 13. menſis *Niſan*, dicendum erit, Chriſtum fuiſſe tranſgreſſorem Legis, quando anno, quo mortuus eſt, Agnum Paſchalem comedit in poſteriori veſpera diei 14. a qua incipiebat prima dies Azymorum, ſicut teſtantur tres Evangeliſtæ, ſuperius a me laudati; tenebantur enim Judæi ex Legis præſcripto Agnum Paſchalem comedere eodem menſe, eadem die, eademque hora, qua Hebræi illum manducarunt in Ægypto. Chriſtum autem Dominum fuiſſe tranſgreſſorem Legis ſoli recutiti effutire poſſunt, tamque execrabilem blaſphemiam audire horrent Chriſtianorum aures. Quod ſi dicatur, Chriſtum Dominum, anno, quo ex hoc mundo migravit ad Patrem, Agnum Paſchalem cum ſuis Diſcipulis comediſſe non in poſteriori veſpera diei decimæ quartæ menſis *Niſan*, ſed in poſteriori veſpera diei decimę tertię ejuſdem menſis; tunc improbanda eſſet praxis univerſæ Eccleſiæ Latinæ, quæ contra Græcos Schiſmaticos ſtatuit, ideo Euchariſtiam non in pane fermentato, ſed in pane Azymo confici debere, quia Chriſtus, pridie, quam moreretur, ſupremum Paſcha cum Diſcipulis ſuis peragendo, manducavit Agnum Paſchalem in poſteriori veſpera diei 14. menſis *Niſan*, a qua die apud Judæos incipiebat prima dies Azymorum, & obſtringebantur abſtinere omnino a pane fermentato; quæ Lex de abſtinentia a pane fermentato, non obligat Judæos in poſteriori veſpera diei 13. menſis *Niſan*, cum ab hac die initium non haberet prima dies Azymorum, eſſetque illis integrum, ac licitum per totam illam diem decimam tertiam comedere panem fermentatum: ſed illos tantum obligabat in poſteriori veſpera diei 14. menſis *Niſan*, a qua die auſpicabatur Feſtivitas Azymorum, & Judæis incumbebat obligatio veſcendi pane Azymo, omni ex ædibus ſuis repudiato & ablegato penitus pane fermentato. Si igitur Chriſtus anno, quo in Crucem actus eſt, Agnum Paſchalem comediſſet in poſteriori veſpera diei 13. menſis *Niſan*, Sacroſanctam Euchariſtiam, quam in ultima Cœna inſtituit, confeciſſet in pane fermentato, & non Azymo, ſicque præferenda eſſet praxis Græcorum Schiſmaticorum, in pane fermentato Euchariſtiam con-

conſecrantium, praxi totius Eccleſiæ Latinæ, quæ Euchariſtiam duntaxat conficit in pane Azymo, & non in fermentato; quod tamen nemo Catholicus dicere audeat. Ut igitur Eccleſiæ Latinæ, Euchariſtiam in pane duntaxat Azymo conſecrantis, praxi ſua conſtet veritas, dicendum eſt, Hebræos, antequam diſcederent ex Ægypto, Agnum Paſchalem immolaſſe, & manducaſſe in poſteriori veſpera diei decimæ quartæ menſis *Niſan*, ac ſubinde Chriſtum Dominum, qui erat Legis obſervantiſſimus, Agnum iidem Paſchalem, anno quo mortuus eſt, comediſſe cum Diſcipulis in poſteriori veſpera diei 14. menſis *Niſan*, & Sacroſanctam Euchariſtiam in pane Azymo conſecraſſe. Sed dicis: *Quomodo fieri potuit, at in Ægypto innumerabilis illa Judæorum multitudo (erant enim, ut ait Scriptura Sacra, ſexcenta millia hominum armatorum, non computatis aliis) potuerit intra tam anguſtum temporis ſpatium, quod fluxit a poſteriori veſpera diei 14. menſis Niſan uſque ad diluculum diei 15. ejuſdem menſis, quo Judæi egreſſi ſunt ex Ægypto, ſic ſe præparare ad iter, opulentam ab Ægyptiis mutuari ſupellectilem, congregari ex diverſis locis, & in unum convenire locum, ad profectionem a Moyſe deſtinatam?* At, difficultatem iſtam nullo negotio ſuperabis, ſi advertas, Hebræos in Ægypto fuiſſe a *Moyſe* aliquot retroactis diebus admonitos, ut ſeſe ad iter præpararent. Legimus quippe cap. 12. Exodi, Moyſem præcepiſſe Judæis, ut unuſquiſque decima die menſis. *Niſan* (hoc eſt, quinque circiter diebus, priuſquam Judæi excederent ex Ægypto) tolleret Agnum per familias & domos: Decima die hujus menſis (ait Moyſes Hebræis in Ægypto) *tollat unuſquiſque Agnum per familias & domos ſuas ..... & ſervabitis eum ad quartam decimam menſis hujus* (ſeu Niſan) *immolabitque eum multitudo filiorum Iſrael uſque ad veſperam*. Potuerunt itaque Hebræi, quinque diebus ante profectionem ſuam ex Ægypto moniti a *Moyſe*, facile ſe præparare ad iter, & anguſtias etiam, ſi quæ fuerunt temporis, diligentia ſupplere. Adde etiam, Hebræos in Ægypto hac nocte, qua Angelus omnia Ægypti primogenita interfecit, ſervatis tantum Hebræis, quorum ædes rubebant ſanguine Agni, domi ſuæ concluſos non remanſiſſe; quamvis enim *Moyſes* prohibuiſſet Hebræis, ne quis egrederetur oſtium domus ſuæ uſque mane; ubi tamen ex comploratione Ægyptiorum intellexerunt Hebræi, omnium Ægypti primogenitorum cædem ab Angelo exterminatore eſſe factam, omni abjecta cunctatione ex ædibus ſuis abierunt, eruperunt, & in locum a *Moyſe* indictum, certatim convolarunt, urgentibus præſertim Ægyptiis, tot inopinatis cladibus attritis.

D. Nondum ſatis intelligo, cur *Moyſes* inſtituerit hanc Feſti Azymorum ſolemnitatem, & cur etiam hic Azymorum Feſtus inciperet duntaxat a poſteriori veſpera diei 14. menſis *Niſan*, non vero a poſteriori veſpera diei 13. ejuſdem menſis, ſicut mox obſervaſti.

M. Hoc Azymorum Feſtum eo potiſſimum fine inſtituit *Moyſes*, ut Judæi fixam jugiter haberent recordationem inſignis illius beneficii, quo Angelus vaſtator omnes ad unum Ægypti primogenitos occidit, ſed ſalvos & incolumes reliquit Hebræos, quorum poſtes tincti erant ſanguine Agni, quique ab *Ægyptiis* expulſi, cito & abſque mora ſeſe itineri accingere debuerunt, nec per temporis anguſtias expectare potuerunt, donec panis eſſet fermentatus, ſed (ut ait Scriptura Sacra, cap. 12. Exodi) *conſperſam farinam coxerunt, & fecerunt ſubcinericios panes Azymos*. Ut igitur tanti beneficii, quod Hebræi a Deo acceperant, ſenſum ex eorum animis nulla obliteraret ætas, *Moyſes* hanc Azymorum inſtituit Feſtivitatem, ſanxitque Legem, qua deinceps Hebræi obſtringebantur per ſeptiduum abſtinere a pane fermentato, & comedere duntaxat panes Azymos: *Septem diebus*, inquit Moyſes, *erunt Azyma, in die primo non erit fermentum in domibus veſtris*. Solemnitas autem primæ diei Azymorum incipiebat a poſteriori veſpera diei 14. menſis *Niſan*; quia Judæi feſtos ſuos dies ab occaſu Solis ad alium occaſum ducebant, adeo ut

no-

Digitized by Google

noctem ſequentem, & diem craſtinum ad noctem uſque excluſive complecterentur, juxta illud Lib. Levit. cap. 17. *A veſpera uſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra*. Per Sabbata autem quælibet feſta, maxime vero ſolemnia, intelliguntur. Cum igitur prima dies Azymorum, quæ erat apud Judæos ſolemnis, ſemper incideret in diem 15. menſis *Niſan*, ejus proinde feſtivitas incipiebat a poſteriori veſpera diei 14. ejuſdem menſis. Quemadmodum autem primus Azymorum dies apud Judæos Feſtus ſolemnis eſt, ita & ſeptimus dies, quia, ſicut in primo Azymorum die ex dura captivitate Aegyptiaca in libertatem aſſerti ſunt Hebræi, ita in ſeptimo Azymorum die, *Pharao*, Aegyptiorum Rex; qui furens animi, quo angebatur tot hominum millia Regno ſuo & poteſtati decedere, eos cum ingenti exercitu inſequutus eſt, videnſque Mare Rubrum Populo Iſraelitico, cedentibus in latera aquis, velut in continenti, iter pervium feciſſe, Mare, qua patebat, ipſe ingreſſus, mox relabentibus aquis, cum omni exercitu, curribus, armis, & inſtrumentis, oppreſſus ac deletus fuit.

D. Quid typice præfigurabat, ſeu ſignificabat Agnus iſte Paſchalis, quem Iſraelitæ, jubente *Moyſe*, comederunt, priuſquam diſcederent ex Aegypto?

M. Agnus iſte, quem Iſraelitæ comederunt antequam egrederentur ex Aegypto, præfiguravit *Jeſum Chriſtum*, Salvatorem noſtrum, quem ſub Agni typo, Prophetæ & Apoſtoli adumbrarunt, quique, quamdiu vixit, manſuetudine, modeſtia, patientia, fuit Agno revera ſimillimus. Hanc ſimilitudinem inter Agnum Paſchalem, quem in Aegypto immolarunt Hebræi, & Jeſum Chriſtum, quem Hebræi pariter morti tradiderunt, facile percipies ex variis, quos hic ſubjiciam, typis ac figuris. In primis, ſicut in Aegypto hi homines, qui poſtes ædium ſuarum tinctos non habebant ſanguine Agni Paſchalis, fuerunt ab Angelo exterminatore vita mortali privati: ſic illi omnes, qui ſanguine Chriſti non ſunt aſperſi, æternam mortem incurrunt. Iſraelitæ, poſt mactationem Agni Paſchalis, excuſſa captivitate Aegyptiaca, libertatem recuperarunt, & in terram promiſſam ingreſſi ſunt. Jeſus Chriſtus per effuſionem ſanguinis ſui redemit nos a captivitate diaboli, cui eramus antehac mancipati, nobiſque aditum fecit ad Regnum Cœlorum, quod antea omnibus per peccatum originale erat occluſum. Iſraelitæ poſt mactationem Agni Paſchalis diſceſſerunt ex Aegypto onuſti ſpoliis Aegyptiorum: Jeſus Chriſtus per mortem ſuam *expoliavit Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palam triunphans illos in ſemetipſo*, ſicut ait Apoſtolus *Paulus*, Epiſt. ad Coloſ. cap. 2. v. 15. Agnum ſine macula Iſraelitæ immolarunt in Aegypto: Jeſus Chriſtus appellatur a *S. Petro* Epiſt. 1. cap. 1. v. 19. *Agnus immaculatus*, ideſt, ab omni peccato immunis. Et *S. Paulus* Epiſt. ad Hebræos cap. 7. v. 26. loquendo de Chriſto, ait: *Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex; ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus ... qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo*. Agnum Paſchalem Iſraelitæ in Aegypto immolarunt in medio menſe *Niſan*; eo ipſo tempore, quo immolatus eſt Jeſus Chriſtus. Agnum Paſchalem in Aegypto immolavit univerſa multitudo filiorum Iſrael: Jeſum Chriſtum, verum Agnum, qui tollit peccata Mundi, morti addixerunt Sacerdotes, Scribæ, Phariſæi, & univerſus Judaicus Populus. Agnum Paſchalem in Aegypto Iſraelitæ feſtinanter comederunt, calceatis pedibus, baculos in manibus geſtantes, & ad iter expediti, ſicut ſuperius obſervavimus: Jeſus Chriſtus intra paucas horas proditus, captus, ad varia Tribunalia, videlicet, *Annæ*, *Caiphæ*, *Pilati*, & *Herodis* ductus eſt, damnatus, flagellatus, & in Monte Calvariæ actus in Crucem. Poſtremo, ut mittam alios typos, ſanguis Agni Paſchalis in Aegypto, domorum foribus aſperſus, Iſraelitis ſignum ſalutis, & libertatis fuit: Jeſu Chriſti ſanguis pretium & cauſa ſalutis, atque libertatis omnium hominum eſt. Hos typos, quibus Agnus Paſchalis, in Aegypto immolatus, adumbravit Jeſum Chriſtum perpendens

S. Au-

Digitized by Google

S. *Auguſtinus* Tractatu 50. in *Joannem*, ait: *Illa celebratio umbra erat futuri: Quid eſt umbra futuri? Prophetia Chriſti pro nobis paſſuri, ut tranſiret umbra & lux veniret, & tranſiret ſignificatio, & veritas teneretur. Habebant ergo Judæi Paſcha in umbra, nos in luce. Quid enim opus erat, ut eis Dominus præciperet, per ipſum feſtum diem ovem occidere, niſi quia ille erat, de quo prophetatum eſt: ſicut ovis ad immolandum ductus*. Hinc inter Rabinos, Rabbi *Bechai*, cujus teſtimonium profert doctiſſimus *Joſephus de Voiſin* in ſuis Annotationibus in cap. 4. Partis 2. *Pugionis Fidei*, noſtri *Raymundi Martini*, diſerte aſſerit, Redemptionem noviſſimam, quæ in fine dierum fieri debet per Meſſiam, fore ſimilem Redemptioni Ægyptiacę: *Quippe*, inquit ille Rabbinus, *hæ duæ*, redemptiones, *ſimiles ſunt inter ſe, & traditio Prophetarum eſt, redemptionem noſtram fore ſimilem redemptioni Ægyptiacæ in multis rebus: præſtantiorem tamen futuram, majoremque in cordibus futuram Dei notitiam*. Sed de Agni Paſchalis immolatione in Ægypto facta plura impræſentiarum dicere non vacat, quia, ne longius, quam par ſit, præſens noſtrum protrahamus Colloquium, ceteras quæſtiones, quas multi Interpretes, & Commentatores Scripturæ Sacræ, aliique viri eruditi, prolixe tractare ſolent, nimirum de loco, ubi poſt exitum Iſraelitarum ex Ægypto mactari, & immolari debebat Agnus Paſchalis? De Agni Paſchalis ſacrificii Miniſtris, de Convivis Agni Paſchalis; denique de Ritibus Sacrificii, & convivii Agni Paſchalis: Has, inquam, quæſtiones, quæ ad Legem, quam *Moyſes*, poſt egreſſionem Iſraelitarum ex Ægypto, inſtituit ac promulgavit, pertinent, opportunius dirimemus in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam quartæ Mundi Ætatis, ubi de Lege Moſaica, juxta ordinem Hiſtoriæ Sacræ, data opera diſſeremus. Noſtrum itaque hic claudo Colloquium. Tu vero, cariſſime Diſcipule, honeſtiſſimo, ſuaviſſimoque Sacrarum Litterarum ſtudio, ac virtutis amore animum tuum domi recreare, & reficillare ſatage. Si enim (ut ſpero) amore virtutis, & jugi Scripturæ Sacræ ſtudio contempſeris ceteris Mundi bona, te innocuum, purum, caſtum, integrum, & incorruptum ſervabis: intelliges nihil præter Sacrarum Litterarum ſtudia eſſe dulce; nihil, præter Dei cognitionem, habere amabile: Verbo dicam, ſanctioribus deditus ſtudiis, animum tuum efferes altius ad guſtandam divinam excellentiam; reliqua vero Mundi bona, quæ ſupremo tandem guſtu amara evadunt, tanquam infirma, momentanea; corruptibiliora fuco, & jejuniora papilionibus volantibus, relinquens, fugies, contemnes, abjicies, ac conculcabis, contentus te ipſo, & Scripturæ ſacræ lectione, quæ per ſe tam dulcis, tamque jucunda eſt, ut incredibiles amatoribus ſuis afferat voluptates. Vale igitur, & hæc, ad tuos lares reverſus, ſedulo meditare, ut inde ad Muſeum noſtrum poſtridie doctior ac ſapientior regrediaris.

COLLOQUIUM III.

In quo referuntur Patriarcharum tertiæ Mundi Ætatis, præcipua Geſta & Scripta, quæ Jeſum Chriſtum, *verum Meſſiam, vel adumbrant, vel vaticinantur, ibidemque in putandis annis Patriarcharum ejuſdem Ætatis accurata ſtabilitur Chronologia.*

DISC. IN Patriarchis *Abrahamo*, ejuſque filio *Iſaaco*, viris ſanctimonia vitæ clariſſimis, multa fuiſſe & divinitus dicta & pie geſta, quæ referebantur ad *Jeſum Chriſtum*, verum Meſſiam, in quem crediderunt, & venturum ſperarunt, certiſſime jam ſcio. Novi etiam, Patriarcham *Jacobum*, filium *Iſaaci*, ſuis, quæ retuliſti, præclare geſtis præfiguraſſe Jeſum Chriſtum, eumque venturum prænunciaſſe inſigni illo vaticinio. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*. Geneſis c. 46. Quocirca, in hocce Colloquio, ne actum agere videamur, de geſtis trium illorum Patriarcharum, *Abrahami*, *Iſaaci*, & *Jacobi*, ſermonem inſtituere

tuere non debemus, ſed ſat ſuperque ſufficiet, ceteros tertiæ Mundi ætatis indicare Patriarchas; qui, vel typum Jeſu Chriſti egregiis ſuis factis geſſerunt, vel ſuis Scriptis eum venturum prædixerunt.

M. Inter Patriarchas tertiæ Mundi ætatis, nullus eſt, mea quidem ſententia, qui evidentius Jeſu Chriſti, Servatoris noſtri, typum geſſerit, quam *Joſephus*, filius Patriarchæ *Jacobi*. At enim primo, cum *Joſephus*, præ fratribus ſuis, a patre *Jacobo* plus diligeretur, fratrum ſibi conflavit invidiam, odiumque concivit: Idem contigit Jeſu Chriſto, cujus Doctrinæ repugnarunt Judæi, eumque, quandiu vixit, pariter inſectati ſunt, conviciis proſcindendo, inceſſendo dicteriis, argutiis cavillando, ſodicando actiones, miracula eludendo. Præterea, ſomnia Patriarchæ *Joſephi*, quæ ſummam ei dignitatem protendebant, in Jeſu Chriſto fuerunt adamuſſim impleta. Nam Jeſus Chriſtus a ſuis fratribus fuit adoratus, nec allegorice tantum, ſed revera Sol, Luna, & reliquæ ſtellæ eum, tanquam ſupremum omnium rerum Dominum agnoverunt. Advenienti *Joſepho*, mortem fratres meditantur: *Venite*, inquiunt, *occidamus eum*. Veniente per Incarnationem ad homines *Jeſu*, dicunt Judæi: *Morte turpiſſima condemnemus eum*. Venditur *Joſephus* a fratribus ſuis, viginti, vel, ut alii putant Scripturæ Sacræ Interpretes, triginta nummis, teſtibus *Ambroſio*, & *Auguſtino*: Jeſus Chriſtus a Juda proditore, triginta quoque nummis venundatus eſt. Cruenta *Joſephi* tunica, ad patrem *Jacobum*, cruentam mortem Jeſu Chriſti ſignificat. Apud *Putipharem*, Præpoſitum Cubiculariorum *Pharaonis*, Ægyptiorum Regis, ſerviit *Joſephus*: Jeſus Chriſtus, ut inquit Apoſtolus, *ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*. Joſephus, carcere clauſus, duos inter reos, alteri mortem, alteri ſalutem, & libertatem vaticinatur, eumque orat, ut ſuæ priſtinæ dignitati reſtitutus illius meminerit: Jeſus Chriſtus, affixus Cruci inter duos latrones, unum condemnat, alteri in extremis veniam petenti æternam fœlicitatem ſpondet, cum ab eo rogaretur, ut Regnum adeptus, memor ipſius eſſet: *Memento mei, dum veneris in Regnum tuum*. Ad *Joſephi in* Ægypto *nutum frumenta populis vendebantur*, ut ait Moyſes: Jeſus Chriſtus panem & eſcas populis eſurientibus non ſemel ſubminiſtravit. Ipſe palam profitetur ſe eſſe panem vitæ, panem vivum, qui de Cœlo deſcendit, & eum, qui venerit ad ipſum, non amplius eſuriturum, & qui panem hunc manducaverit, non moriturum. *Joſephus* fratribus ſuis fuit cauſa ſalutis, ideoque ſic eos allocutus eſt: *Pro ſalute veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum... Permiſitque Deus, ut reſervemini ſuper terram*. Geneſis cap. 45. v. 5. & 7. Nec ſolum ſuos fratres, & Ægyptios, ſed exteras quoque gentes fame laborantes ſublevavit, & *Salvator Mundi*, a Pharaone, Ægyptiorum Rege, dictus eſt: Hæc autem omnia mirum in modum quadrant in Jeſum Chriſtum, qui revera fuit *Salvator totius Mundi*. Fratres ſuos dimittens *Joſephus*, præceptum hoc dat proficiſcentibus: *Ne iraſcimini in via*, Geneſis cap. 45. v. 24. Jeſus Chriſtus, a Diſcipulis ſuis abiturus ad patrem ſuum, eis potiſſimum pacem reliquit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, Evang. *Joannis* cap. 14. v. 27. Rex *Pharao* jubet Ægyptiis, ut coram *Joſepho* in genua procumbant, vult inſuper, ut tota Ægyptus ab ipſo pendeat, ſitque *Joſephus* alter a Rege: Deus exaltavit Jeſum Chriſtum, & *donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu, omne genuflectatur*, ſicut ait Apoſtolus Epiſt. ad Philipp. cap. 2. v. 9. Denique de Joſepho ſic fatur moriens Patriarcha Jacobus: *Filius accreſcens Joſeph, filius accreſcens:* De Chriſto Domino teſtimonium perhibens *Joannes Baptiſta*, ait: *Oportet illum* (ſeu Jeſum Chriſtum) *creſcere*, Evang. *Joannis* cap. 3. v. 29. Cujus incrementi in Chriſto figura itidem fuit lapis ille, qui (ſicut ſcribit Propheta *Daniel*. c. 2. v. 35.) *Factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram*.

D. Incredibiliter me delectant iſti typi, quibus antiqui Patriarchæ Jeſum Chriſtum venturum adumbrarunt. Video ſiquidem, ejuſmodi typos ac figuras

ras admirabili concordia, & concentu quadrare cum vita Jeſu Chriſti, quam quatuor Evangeliſtæ accurate deſcripſerunt, & cum exploratiſſima rerum multo poſt geſtarum hiſtoria, ac ſubinde Jeſum Chriſtum, quem Deus tot typis ac figuris, longe ante ejus adventum, delineari ac præfigurari voluit, eſſe illum ipſiſſimum Meſſiam, quem poſt peccatum Adami, ad liberandum genus humanum ſe aliquando miſſurum promiſerat, quemque tot ardentibus votis Patriarchę omni ęvo expectarunt. Perge itaque, ſi placet, alios indicare ſanctos ac pręſtantes viros, qui in tertia Mundi ętate typum Chriſti Domini geſſerunt.

M. Summę patientię, quam Chriſtus Dominus inter dira acerbiſſimę ſuę Paſſionis tormentorum ſupplicia exhibuit, imaginem tibi dabo patientiſſimum poſt hominum memoriam *Jobum*, quem Patriarcharum tertię Mundi ętatis temporibus, & ante *Moyſem* vixiſſe colligo ex ipſius Hiſtoria, deſcripta in libro, qui *Jobi* nomine inſignitur: At enim, in tota illa *Jobi* hiſtoria ne minimum quidem fit verbum de Lege Moſaica, & de Prophetis; nulla extat admirabilium Dei operum ſive in longo in Terram Chanaan itinere, ſive in Ægypto, ſive in Deſerto, mentio. Quod quidem argumento eſt, *Jobum*, & ejus amicos, qui ad illum conſolandum acceſſerant, ante *Moyſis* tempora vixiſſe; nec enim credibile eſt, *Jobum*, ejuſque amicos, ſi *Moyſe* poſteriores fuiſſent, voluiſſe hęc omnia tam alto prętermittere ſilentio. Pręterea, in eadem hiſtoria legitur, *Jobum* ſolitum eſſe offerre ſacrificia; quod certe licitum duntaxat fuit ante Legem Moſaicam; nam poſt promulgationem Legis Moſaicę ſolis Sacerdotibus Aaronicis, ſive his, qui erant e Tribu *Levi*, ſacrificia in Templo offerre fas erat. Pluribus encomiis *Jobum*, tanquam virum eximia patientia pręditum, celebrant ſancti Patres, videlicet *Origenes* Hom. 4. in Ezechielem, *Tertullianus* cap. 14. lib. *de Patientia*, *Cyprianus* in lib. *de Bono Patientiæ*, *Hieronymus* Epiſt. 103. *Baſilius* Hom. 4. *de Gratiarum actione*, *Auguſtinus* Serm. 105. *de Tempore*, *Gregorius M.* Præfat. in Librum *Jobi*, ubi ait, *Jobum* non tantum loquendo, ſed etiam patiendo, Chriſtum prophetaſſe, & venturi cum ſuo corpore Redemptoris typum inſinuaſſe. Alludit autem *S. Gregorius M.* ad celebre iſtud vaticinium, quod *B. Jobus* viva fide in Verbum Divinum, carne indutum, animatus, cap. 19. libri, qui ejus nomine inſignitur, protulit, dicens: *Scio quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Propheta *Ezechiel* cap. 14. ſuæ Prophetiæ, *Jobum* cum *Noemo*, & *Daniele* laudat, atque Catholica Eccleſia *Jobum* veneratur ut ſanctum, ejuſque meminit Martyrologium Romanum die x. menſis Maii, Menologium Græcorum octavo Idus ejuſdem menſis. De patria, e qua oriundus eſt *Jobus*, ſeu an Idumæus, vel Chananæus fuerit? Non convenit inter ſanctos Patres, & Scripturæ Sacræ Interpretes. Probabilius tamen eſt, illum fuiſſe natione Idumæum, quia *Jobus* habitavit in terra *Hus*, ut conſtat ex libri *Jobi* exordio, videlicet cap. 1. verſ. 1. ubi hæc leguntur: *Vir erat in terra Hus, nomine Job, & erat vir ille ſimplex, & rectus ac timens Deum, & recedens a malo.* Porro, Terram *Hus* ſitam fuiſſe in Idumæa ſcribit *Hieremias*, Propheta, capit. 4. *Threnorum*: *Gaude*, inquit, *filia Edom, quæ habitas in Terra Hus.* Edom autem eſt in Idumæa, quæ eſt vicina Arabiæ. Hinc viri Geographiæ periti, Terram *Hus*, patriam *Jobi*, collocant ad Orientem in ſcenitide Arabiæ, cui a Septentrione Meſopotamia, & Euphrates fluvius; ab ortu Babylonia & Chaldæa; ab occaſu Syria, & Paleſtina; a Meridie Arabiæ felicis Montana. Addo etiam quod amici *Jobi*, qui ad illum conſolandum venerant, ſcilicet *Eliphaz Themanites*, *Baldad Suhites*, & *Sophar Naamathites*, vel Idumæi fuerunt, vel Idumææ finitimi, ſicut docent periti Scripturę Sacrę Interpretes.

D. Jo-

Digitized by Google

D. *Jobum* fuiſſe genere Idumæum, non ita facile aſſentior. Erat enim *Jobus*, ſicut patet ex eo, quod mox laudaſti, Scripturæ Sacræ teſtimonio, *vir ſimplex, ac timens Deum* &c. Idumæi autem Ethnicorum Religioni addicti fuerunt uſque ad tempora *Joannis Hircani*, Judæorum Pontificis atque Regis, qui Idumæos armis domuit, adegitque, ut, accepta circumciſione, ad Judæos aggregarentur. Credibile igitur non eſt, *Jobum*, qui ſupremi Numinis notitia pollebat, ſuos natales debuiſſe Idumææ, quæ in ſumma veri Dei ignoratione verſabatur, & Idolorum atque ſuperſtitionum tenebris erat infuſcata.

M. Idumæi, qui ab *Eſau*, primogenito Patriarchæ *Jacobi*, originem ducunt, per certum aliquod tempus ſincerum Dei cultum retinuerunt; ſed poſtea in Idololatriam prolapſi, ex ea duntaxat emerſerunt, quando a *Joanne Hircano*, Judæorum Pontifice, victi, jugum ſubire, & Nationi Judaicæ ſubdi cœperunt, juxta illud Scripturæ Sacræ: *In Idumaam extendam calceamentum meum, mihique alienigenæ ſubditi facti ſunt*. At, *Jobus* ortus eſt in Idumæa, eo tempore, quo in illa vigebat veri Dei cultus, ſicut non obſcure innuere videtur Scriptura Sacra cap. 36. libri Geneſis v. 31. 32. & 33. ubi hæc ſcribit Moyſes: *Reges autem, qui regnaverunt in Terra Edom, antequam haberent Regem filii Iſrael, fuerunt hi: Bela, filius Beor, nomenque urbi ejus Denaba. Mortuus eſt autem Bela, & regnavit pro eo* JOBAD *filius Zare de Boſra*. Idem repetitur lib. 1. Paralipomenon cap. 1. v. 43. & 44. Septuaginta vero Interpretes in ea clauſula, quam libro *Jobi* attexuerunt, quæque reperitur in omnibus Codicibus Græcis, docent, hunc *Jobad*, qui, teſte ſacro Scriptore *Moyſe*, fuit ſecundus Rex Idumæorum, & Pronepos *Eſau*, eumdem eſſe cum *Jobo*. Sic enim, ajunt: *Jobad qui vocatur Job, habitavit in finibus Idumææ & Arabiæ, & accepit uxorem Arabiſſam*. Si igitur juxta hanc clauſulam, libro *Jobi* a lxx. Interpretibus adtextam, quamque antiqui Scripturæ Sacræ Interpretes, & ſpectatiſſimi Patres, genuinam agnoſcunt, iſte *Jobad*, qui fuit pronepos *Eſau*, & Rex Idumæorum ſecundus, idem ſit ac *Jobus*, plane compertum erit, Idumæos adhuc veri Dei cultores extitiſſe, quando in Idumæa natus eſt *Jobus*. Quis enim credat, Idumæos, qui veri Dei Religionem ab *Eſau* acceperant, tam cito ab ea defeciſſe, ut regnante in Idumæa *Jobad*, qui fuit pronepos *Eſau*, ſecundus Idumæorum Rex, & idem omnino ac *Jobus*, Idola coluerint? Probabilius itaque eſt, Idumæam, quando in ea natus eſt *Jobus*, veri Dei adhuc cultricem fuiſſe. Hic autem obiter velim obſerves, Deum, qui *Jobum* elegerat, ut heroicæ patientiæ exemplar fidelibus præberet, atque Jeſu Chriſti, qui vere fuit *vir dolorum*, inſignis typus eſſet, nomen *Jobi*, huic ſancto viro imponi voluiſſe: *Job quippe* (ait *S. Gregorius M.* cap. 8. Præfationis in librum *Jobi*) *interpretatur dolens. Quo nimirum dolore vel Mediatoris Paſſio, vel ſancta Eccleſiæ labor exprimitur, quæ multiplici præſentis vitæ fatigatione cruciatur*. Et hinc etiam eſt, quod Deus voluit, ut *Jobus*, qui, ſicut conſtat ex ipſius hiſtoria, antehac potentiſſimus & opulentiſſimus erat, adverſo fortunæ caſu jactatus, egeſtatem, calamitatem, dolorem, derelictionem, aliaſque hujuſmodi ſubiret miſerias, quo in his typum gereret Chriſti Domini, qui, ut nemo neſcit, in Paſſione ſua a Cognatis, a Diſcipulis, & ab ipſo Patre ſuo derelictus eſt, atque Judæorum furori permiſſus.

D. Nunc geſtit animus audire hiſtoriam *Jobi*, qui fuit typus Chriſti, Mediatoris, & Redemptoris noſtri.

M. *Jobus* fuit inter omnes Orientales, ſeu Arabes, vir magnus, admirabilis, & ubique per Orbem terrarum celebratus, Pietatis athleta, per omnia genera certaminum tranſivit, ſimulque, devicto Diabolo, innumera erexit trophæa. Hic fuit opibus inclytus, ſed poſtea pauper glorioſus & contemptibilis, ſeptem liberorum, & trium filiarum pater & orbus. Hic verſatus eſt in aulis regalibus, ſed idem fuit in ſterquilinio. Hic fuit in ſplendida veſte, ſed poſt illam, in morſu tinearum. Hic poſſedit multa miniſteria,

ſteria, ſed idem ſuſtinuit multas contumelias a familiaribus, in ipſum inſurgentibus, ab uxore inſultante, a tribus amicis, *Elyphaz Themanite*, *Baldad Suhite*, & *Sophar Naamathite*, qui trium Idumææ finitimarum urbium reguli erant, & ad illum conſolandum venerant, ei conviciantibus, & afflicto afflictionem addentibus. Omnia Jobo prius velut e fonte effluebant, pecuniarum copia, potentiæ magnitudo, gloriæ acceſſio, pax & ſecuritas, honores & obſequium, corporis ſanitas, & filiorum opulentia, nec erat in his quidquam moleſtium. Aderant illi divitiæ cum ſecuritate, proſperitas ſtabilis, atque optimo jure: Deus enim undique illum vallaverat; ſed poſt illa omnia receſſerunt, moxque innumeræ tempeſtates immigrarunt in domum illius: omnes, inquam, ac ſibi invicem ſuccedentes, ac perpetuæ, denique ſupra modum, ſupra quam credi, & oratione exprimi poteſt. Siquidem univerſæ facultates ei actutum ereptæ ſunt, famuli, liberique præmatura violentaque morte oppreſſi ſunt, ad menſam, & ipſo in convivio mactati. Tum uxor, ad pietatem ejus ſubſannandam a malo ſpiritu ſubornata, in illum armabatur, ſuaſque machinas admovit viro juſto. Famuli porro & amici, partim exſpuerunt in faciem ejus, quemadmodum ait ipſe: *Non pepercerunt in faciem meam conſpuere:* partim irruerunt in eum, & ex ædibus ſuis ejectus eſt, ac deinceps in ſterquilinio vitam egit. Vermium fontes ex ipſius corpore ſcatebant, membra ejus ſanguine undique difluebant & ſanie, quam, accepta teſta, abſtergebat ipſe ſibi factus carnifex, dolor dolorem excipiebat, & cruciatus intolerabiles, & nox die moleſtior, & dies nocte terribilior, ſicut ipſe dixit: *Quum obdormiero, dico quando erit dies? quando ſurgo, rurſum dico, quando erit veſpera?* Plenus dolorum ſum a veſpera uſque ad diluculum. Omnia præcipitia, omnia ſcopuli, nec eſt ullus qui conſoletur, qui inſultent innumeri. Attamen Jobus in tanta tempeſtate, tantiſque fluctibus adeo intolerandis conſtitit adverſus omnia generoſo & impavido prorſus animo. Bonorum jacturam, liberorumque funera æquo animo tulit, in has voces erumpens: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum.* Ulcera fœdiſſima, quibus Diabolus, permittente Deo, ipſum a planta pedis uſque ad verticem afflixerat, non minori patientia tulit. Uxoris, in eum ſævientis, proterviam his verbis redarguit, ac compeſcuit; *Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es: ſi bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiemus?* Trium amicorum quos mox memoravi, convicia, & imprecationes æqua mente toleravit, nec unquam vinci potuit, ut præ doloris impatientia aliqua in parte peccaret. Quo factum eſt, ut, poſt hanc diuturnam, & a ſæculis inauditam patientiam, Deus non ſolum priſtinam incolumitatem reddiderit patientiſſimo Jobo, verum etiam univerſa, quæ amiſerat, reſtituerit, & duplo majora addiderit. Finem vivendi fecit Jobus anno ætatis ſuæ ducenteſimo decimo ſeptimo. Hic eſt Electorum triumphus, ut nec in adverſa fortuna deſpondeant animum, nec in rebus proſperioribus inſoleſcant. Talis fuit B. Jobus, qui, ſicut ait *Severus Sulpicius* lib. 1. Hiſtoriæ Sacræ, *eo illuſtrior fuit, quod neque opibus integris, quibus prædives erat, corruptus, neque amiſſis depravatus eſt.* Hæc dum audis, chariſſime Diſcipule, nec paupertate dejiciaris, nec divitiis intumeſce; ſed in rerum mutatione animum immutabilem, ſibique ſemper conſtantem retine, quia ſi ſtellæ, quæ ſunt in Cœlis, perpetuoque lucent, identidem nonnullam recipiunt mutationem; ſi Sol & Luna interdum deficiant, extremæ profecto dementiæ eſt, terrena pro ſtabilibus fixiſque ducere. Meditare ſępius hęc S. Joannis Chryſoſtomi verba in *Oratione quinta adverſus Judæos: ſed quid dicis?* ait ille eloquentiſſimus Doctor, *affligit te, premitque corporis morbus? Atqui nondum tanta paſſus es, quanta beatus ille Job, imo ne minimam quidem partem malorum illius. Siquidem, poſtquam interiſſent greges & armenta cum cæteris omnibus, in prædam abductus eſt, & puerorum totus chorus, eaque omnia uno die peracta ſunt, ut non modo natura cala-*

calamitatum, *verum etiam perpetuitas dejicere poſſet athletam*. *Poſt hæc omnia*, *vulnus accepit lethale*, *vidit vermes toto undique corpore ſcatentes*, *nuduſque ſedit in ſterquilinio*, *publicum iis*, *qui aderant*, *ſpectaculum*, *ille juſtus*, *ille pius*, *ille ab omni malo opere abſtinens*. *Nec hic quidem erat malorum finis*, *ſed dolores addebantur diurni pariter ac nocturni*, *novaque quædam & admirabilis illum fames oppugnabat*: *probra quotidiana*, *ſcommata*, *riſus*, *& in ſomnis terrores*, *cogitationum perpetua quædam conflictatio*. *Atqui uxor conſilium dedit*, *ut ab his omnibus malis liberaretur*, *ita loquens*: *Dic aliquod verbum adverſus Dominum*, *ac morere*. *Dic*, *inquit*, *blaſphemiam*, *& ab urgentibus malis liberabere*. *Quid igitur? Num ſubvertit ſanctum illum virum mulieris conſilium? imo contrarium fecit*, *magiſque ſibi ſumpſit alas*, *ſic ut etiam increparet uxorem*. *Potius enim duxit*, *majoribus affici*, *cruciarique doloribus*, *innumeraque perpeti mala*, *quam blaſphemia ulla tantorum malorum relaxationem conſequi*.

D. Niſi me præmonuiſſes, Jobum, fuiſſe a Deo electum, ut typum gereret Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri, qui in Paſſione ſua diris tormentis excruciatus, a Cognatis, a Diſcipulis, & ab ipſo Patre derelictus eſt, atque Judæorum furori permiſſus vix ac ne vix quidem huic hiſtoriæ Jobi aſſenſum præbere poſſem, meumque inducere in animum, hunc virum potentiſſimum & ditiſſimum ad illam extremam egeſtatem fuiſſe redactum, eumque, in ſterquilinio ſedentem, omni humano ſubſidio ita eſſe deſtitutum, ut ſaniem, ex ulceribus ſuis fluentem, teſta abſtergere cogeretur. Id mihi creditu difficile, & ſupra fidem hiſtoriæ eſſe videtur.

M. Quod a Jobo ad extremam ſemel egeſtatem redacto, omnes cognati, & amici abalienati ſint, nec incredibile, nec iam mirum videri debet. In hoc ſiquidem Jobus eamdem nactus, & expertus eſt ſortem, quæ accidit multis, qui toto eo tempore, quo illi arriſit fortuna, abundarunt amicis, ſed adverſo fortunæ ſtatu, dum e florenti illo ſtatu fuerunt dejecti, confeſtim ab illis deſerti ſunt. Quis inter Reges potentior *Davide*? & tamen legimus in Libris Regum, *Davidem*, relictum, & proditum a ſuis, & totius pene Regni conſpiratione expoſitum ad mortem tempore conjurationis Abſalonicæ. Poſſem alia id genus congerere exempla, quæ ſtatui *Jobi* in extrema calamitate derelicti fidem conciliare poſſent, præſertim ſi audiamus Scripturam Sacram, quæ diſerte nos monet, Deum conceſſiſſe Diabolo in omnia *Jobi* bona, & corpus poteſtatem, ea tamen Lege ut ipſi mortem non inferret. Legimus etiam in Libro *Tobiæ* cap. 2. verſ. 12. & ſeq. Deum permiſiſſe tentationem *Jobi*, & cæcitatem *Tobiæ*, ut poſteris daretur utriuſque eximiæ patientiæ exemplum: *Hanc autem tentationem ideo permiſit Dominus evenire illi* (ſeu Tobiæ) *ut poſteris daretur exemplum patientiæ ejus*, *ſicut & ſancti* Job .... *Nam ſicut beato* Job *inſultabant Reges*, *ita parentes & cognati ejus* (ſeu Tobiæ, qui, permittente Deo, cæcus evaſerat) *irridebant vitam ejus*, *dicentes*: *ubi eſt ſpes tua*, *pro qua eleemoſynas*, *& ſepulturas faciebas?* Credibile igitur eſt, Diabolum poteſtate ſibi a Deo conceſſa, & antiquo nequitiæ ſuæ negotio uſum, graviſſima damna, pluresque morbos beato *Jobo* intuliſſe. Sed quænam fuerint illæ morborum ſpecies, quibus *Jobus* a Diabolo fuit afflictus? Incertum eſt, cum hujuſmodi morbos clare & ſpeciatim non exprimat Scriptura Sacra, nec nobis liceat in ea curioſius inquirere, quæ Deus ſilentii ſipario obtecta eſſe voluit. Doctiſſimus tamen *Auguſtinus Calmet*, Ordinis *S. Benedicti*, in Diſſertatione, quam præfixit Commentario litterali in Librum *Jobi*, cenſet cum nonnullis modernis Scriptoribus, Jobum a capite ad talos fuiſſe perculſum lepra, quam non diſcrepaſſe putat ab eo morbo, quem nunc Neapolitani appellant *Morbum Gallicum*, & verſa vice Galli vocant *Morbum Neapolitanum*. At, utrum eruditus ille Scripturæ Commentator ſuis conjecturis rem plane confecerit? judicandum relinquo peritis Medicis, quibus ex officio incumbit, naturas & differentias morborum, queis conflictantur corpora, examinare, diſcutere, ac definire.

D. Habetne hiſtoria *Jobi* certos veritatis characteres, qui eam omni ex parte indubitatam reddant?

M. Hiſtoria *Jobi* certos habet veræ hiſtoriæ characteres, quos inter tres duntaxat hic recenſebo. In primis, antiqui Patres, quos ſuperius laudavi, de veritate hiſtoriæ *Jobi* nunquam dubitarunt, ſed potius eximium illum & ſanctiſſimum Heroem præclaris elogiis celebrarunt, & Chriſtianis ceu patientiæ exemplar in adverſis imitandum propoſuerunt; imo Eccleſia cum Græca, tum Latina B. *Jobo*, tanquam admirandæ patientiæ viro, exhibet cultum, ut videre eſt apud *Joannem Bailletum* in Tomo Sanctorum Veteris Teſtamenti ad diem 10. menſis Maii. Præterea, hæc *Jobi* hiſtoria deſcribitur in libro, qui *Jobi* nomine inſignitur, quem librum non ſolum Hebræi in ſacrorum Voluminum Canonem referunt, ſed etiam ei ſacram & divinam authoritatem aſſerunt ac vindicant Summi Pontifices *Innocentius I.* in Epiſtola ad *Exuperium* Toloſanum Epiſcopum, *Gelaſius* Papa, in Concilio Romano lxx. Epiſcoporum, omnes ſancti Patres, cum Græci, tum Latini, & plura Concilia, videlicet Carthaginenſe III. Synodus quinta generalis, in qua damnatus eſt *Theodorus Mopſveſtenus*, qui inter alios, quos effutiebat, errores, hiſtoriam *Jobi* tanquam fabuloſam explodebat, inſuper Concilium Tridentinum Seſſione 4. ubi liber *Jobi* ſacrorum Librorum Veteris Teſtamenti Canoni accenſetur. Denique Hiſtoria *Jobi*, quæ legitur in libro hujus ſancti viri nomine inſcripto, hos habet veritatis characteres, quibus a fabuloſa hiſtoria plane ſecernitur. Auctor quippe illius libri *Jobi*, non ſolum illius ſancti viri proprium nomen adſcribit, ſed etiam ejus uxorem, & terram, cujus incola fuit, deſignat, liberorum ejus numerum, ac bona, quæ poſſidebat, ſingillatim recenſet, indicat etiam nominatim populos, qui bona ipſius diripuerunt, amicorum, qui illum adierunt, numerum, nomina, patriam exprimit, ſermones, quos invicem contulerunt, accurate refert, poſtremo, ingens præmium, quod *Jobus* pietatis, ac patientiæ ſuæ merito a Deo conſecutus eſt, reſtitutam ſanitatem, auctas opes, & numeroſam prolem oculis Lectoris ſubjicit ſacer libri *Jobi* Auctor. Quæ omnia eſſe veræ hiſtoriæ luculentiſſima argumenta ultro fatebitur, quiſquis erit æquus rerum æſtimator. Non me fugit, *Joſephum*, Hebræum in Antiquitatibus Judæorum verſatiſſimum, alto ſilentio hiſtoriam *Jobi* prætermiſiſſe. At, ex eo *Joſephi* ſilentio perperam Hæretici occaſionem arripiunt, hanc *Jobi* hiſtoriam, ceu fabuloſam repudiandi: tum quia multa, ad hiſtoriam ſacram ſpectantia, a *Joſepho* de induſtria aut omiſſa, aut interpolata fuiſſe demonſtrat clariſſimus *D'Andilli* in ſua Operum *Joſephi* Verſione Gallica; tum quia etiam *Joſephus* gentis ſuæ dumtaxat Judaicæ hiſtoriam concinnandi provinciam ſuſceperat, ad quam cum nihil conferre poſſet hæc hiſtoria *Jobi*, qui ex Populo Hebræo oriundus non erat, eam ideo ſilentio tranſmiſit. Addo etiam, *Joſephum* una cum Judæis admittere viginti duos libros in Canone Veteris Teſtamenti, adeoque ipſum ſacram & divinam auctoritatem tribuiſſe libro, qui nomine *Jobi* inſcribitur, ejuſque continet hiſtoriam, alioqui ſi hunc librum pro ſacro non habuiſſet, viginti tantum & unum libros *Joſephus* repoſuiſſet in Canone ſacrorum librorum Veteris Teſtamenti. Cum igitur *Joſephus* librum *Jobi* in Canonem ſacrorum librorum Veteris Teſtamenti retulerit, neceſſe prorſus eſt, ut hiſtoriam *Jobi*, eo in libro exaratam agnoverit tanquam veram, ſinceram, & divina auctoritate munitam. Unum tamen eſt, ne quid diſſimulem, quod Heterodoxi ad nauſeam uſque opponere ſolent, ut omnem hiſtoriæ *Jobi* fidem adimere, eamque, ceu fabuloſam, rejicere poſſint. Dictitant enim, in hiſtoria *Jobi* multa offendi, quæ fabularum loco haberi debent, cujuſmodi ſunt Concilium Angelorum, cui ipſemet Deus præſuit, Colloquium Satanæ cum Deo, variæ quæſtiones Diabolo factæ a Deo, reſponſiones Diaboli, & alias id genus narrationes, quæ aperte fabulas olent. Verum, hanc Hæreticorum objectionem facili negotio elide-

elidere, ac exſufflare poteris, ſi ſemel advertas, in hiſtoria *Jobi* non omnia in ſenſu litterali eſſe accipienda, ſed quædam in ſenſu litterali, quædam in ſenſu figurato intelligi debere. In ſenſu litterali ſumenda ſunt ea, quæ in hiſtoria *Jobi* narrantur de perſona *Jobi*, de illius ſummis animi corporiſque doloribus a Diabolo, ita permittente Deo, ei inflictis: de jactura bonorum, & liberorum, de colloquiis ejus cum uxore, & amicis, de illius eximia pietate, & heroica patientia, de recuperatione bonorum, de reſtituta ſanitate, de auctis opibus, de numeroſa prole, quam a Deo accepit in præmium invictæ patientiæ ſuæ. Hæc, inquam, in ſenſu litterali accipienda ſunt, in ſenſu autem figurato intelligi debent iſta, quæ in eadem *Jobi* hiſtoria narrantur, de concilio Angelorum, cui præfuit Deus, de colloquio Dei cum Diabolo &c. Sed propter illas figuratas locutiones, quas ſæpius uſurpat Scriptura ſacra, in dubium revocari debere hiſtoriam *Jobi*, ſoli hæretici affirmare poſſunt, qui contempta Eccleſiæ Catholicæ auctoritate, ac deſpecto Spiritu Sancto, in Libros Sanctos impune graſſantur, atque pro nutu & arbitrio ſuo, quos volunt, recipiunt, quos vero nolunt, dictatoria auctoritate a Catalogo Librorum Sacrorum temere expungunt.

D. Necdum indicaſti nomen Auctoris libri, qui ſub nomine *Jobi* proſtat, & in quo deſcripta eſt ipſius hiſtoria.

M. De Auctore libri, qui *Jobi* nomine inſignitur, non una eſt omnium Scriptorum Eccleſiaſticorum ſententia. Quidam hunc librum ab ipſomet *Jobo* ſcriptum eſſe putarunt, eo potiſſimum ducti argumento, quod *Jobus* c. 19. v. 23. illius libri hæc dicat: *Quis mihi tribuat, ut ſcribantur ſermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro, ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice?* Sed quid aliud ex his *Jobi* verbis colligi poſſit, quam vehemens deſiderium, quo optabat, ut hiſtoria ſua, & ſermones conſcriberentur, certe non video. Præterquam quod, ſi *Jobus* eſſet revera legitimus parens libri, qui ejus nomine inſcribitur, *Moyſes*, qui *Jobo* fuit poſterior, non eſſet primus omnium Gentium Scriptor, & tamen *Moyſem* eſſe primum Scriptorem omnium Gentium, conſtans eſt omnium ſanctorum Patrum ſententia. *Jobo* itaque adſcribi haud debet liber, qui ejus nomen præfert. *Codurcus* Præfatione in *Jobum*, cenſet, hunc librum, qui *Jobi* nomine inſcribitur, eſſe genuinum cujuſdam Idumæi Prophetæ fœtum, vel a Propheta *Iſaia* fuiſſe ſcriptum. *Hugo Grotius*, Præfatione Comment. in *Jobum*, aſſerit, libri *Jobi* Auctorem Regibus *Davide*, & *Salomone*, recentiorem eſſe. *Fidericus Spanhemius* c. 13. *Hiſtoriæ*, quam concinnavit, *Jobi*, opinatur, hiſtoriam, quam nunc habemus, *Jobi*, conflatam eſſe a quodam Hebræo. Alii denique, librum, in quo deſcribitur hiſtoria *Jobi*, adjudicant *Moyſi*, qui ex Ægypto fugere coactus, eo quod Ægyptium inſultantem Hebræo calce interemiſſet, & raptim occultaſſet ſabulo, ſeceſſit in eam Arabiæ partem, quam incolebant Madianitæ, & in eo ſeceſſu Madianitico, dum ſummo perfrueretur otio, ſcripſit librum, ſeu hiſtoriam *Jobi*, ut Hebræos, ſuos Gentiles, in Ægyptiaca ſervitute graviſſimis laboribus & afflictionibus oppreſſos, propoſito heroicæ patientiæ exemplo ſolaretur, & ut ipſi ad aſpectum *Jobi*, qui in rebus adverſis æquam ſemper mentem ſervavit, addiſcerent fortiter, ac conſtanter tolerare aſperrimam ſervitutem. Ad hanc poſtremam ſententiam, quæ eruditorum virorum, cum veterum, tum recentiorum ſuffragiis probatur, lubens ipſe accedo. Obiter tamen velim advertas, *Moyſem* in eo conſcribendo libro, qui *Jobi* nomine inſignitur, omnia, quæ ad hiſtoriam, ſeu ad vitam, mores, calamitatem, & proſperitatem *Jobi* pertinent, ſoluta oratione narraſſe: verba vero *Jobi*, amicorum interlocutiones, ejuſdemque reſponſiones metricis numeris illigaſſe: quo fit, ut hic liber partim proſa, ſeu ſoluta oratione, partim verbis ſit concinnatus. Nihil autem deperit hiſtoriæ veritati, ſive proſa deſcribatur, ſive metris illigetur numeris, cum certum ſit, *Lamentationes Jeremiæ*, *Librum Pſalmorum*, *Canticum Moyſis*, *Canticum Deboræ*, &

Barac, aliaque Cantica legi in Scriptura Sacra, quæ ſunt verſibus illigata, & quæ tamen divina pollere auctoritate nullus inficias ire audeat. Legeſis Diſſertationem *De Poetice Hebræorum*, quam *Auguſtinus Calmet*, Monachus Benedictinus, præfixit ſuo *Commentario litterali* in librum Exodi.

D. Nunquam profecto, pace tua dixerim, adducar ut credam, *Jobum*, in ſterquilinio jacentem, ejuſque uxorem, & amicos, qui cum ipſo interloquebantur, carmina, poetarum more, ex tempore fudiſſe; nam, præterquam quod, id difficile & inſolens fuiſſet, non congruebat certe hic Poetice loquendi modus infeliciſſimo huic ſtatui, ad quem redactus erat J*obus*, non tam homo, quam putridum cadaver. Ut quid ergo *Moyſes*, quem dicis eſſe Auctorem libri, qui J*obi* nomine inſcribitur, inducit ſanctum illum virum poetice loquentem? Addo etiam ſtylum, quo in conſcribendo Pentateucho uſus eſt *Moyſes*, eſſe facilem, pervium, familiarem, & omnino alienum a ſtylo poetico, quo librum J*obi* partim exaratum eſſe mox innuiſti. Quæ ſtyli diverſitas haud obſcure probare videtur, *Moyſem* non eſſe Auctorem libri J*obi*.

M. Nullus dubito, quin J*obus*, ejus uxor, & amici patrio & familiari ſermone in ſuis interlocutionibus uſi fuerint. At, *Moyſes*, qui J*obi* hiſtoriam deſcripſit, ſtylum adhibuit poeticum, ſententiarum plenum, illamque ut populares ſuos Hebræos, in Aegypto captivos, ad patientiam, & ad malorum tolerantiam extimularet, novis additis ornamentis condecoravit, ita ut in hoc J*obi* libro verborum collocatio, ſententiarum digeſtio, Dialogi compoſitio, Interlocutorum diſpoſitio, & diſtinctio, figurarum concinnitas, & reliquus ſermonis ornatus *Moyſi*, hujus libri Auctori, tribui debeat. Quod ſi aliquid grandius ſonare videtur liber J*obi*, crebrioribuſque diſtinctus luminibus ac ſententiis, quam ſit Pentateuchus, a *Moyſe* exaratus: *Memineris* (inquit Illuſtriſſimus *Daniel Huetius*, Epiſcopus Abrincenſis, in ſua Demonſtratione Evangelica, Propoſitione IV.) *hunc* J*obi librum fuiſſe a Moyſe ſcriptum, cum florentibus annis vigeret felix piæ mentis calor: Pentateuchum vero ab eodem Moyſe eſſe ſcriptum, cum per ſenectam jam ætatem ignea vis animi deferbuiſſet, tametſi in Hymnis, ſeu Canticis, quæ in Pentateucho occurrunt, ad ſublime & magnificum dicendi genus ſplendide aſſurgat* M*oyſes*. Si autem quæras, quo pacto M*oyſes*, Hebræus, & in Aegypto natus, habere potuerit notitiam hiſtoriæ *Jobi*, hominis Arabis, & eorum adverſæ fortunæ caſuum, quos vir ille juſtus patientiſſime in Arabia toleravit? Reſpondebo, M*oyſem* in ſeceſſu ſuo Madianitico, ubi per quadraginta annos verſatus eſt apud ſocerum ſuum *Jethro*, cujus filiam, *Sephoram* videlicet, ſibi matrimonio junxit, facile hiſtoriam J*obi*, hominis Arabis, & inter ſuos clariſſimi, ex vulgi ſermone diſcere potuiſſe. Madianitæ quippe Arabica Gens eſt, Syrorum & Idumæorum vicina. Quid igitur mirum, ſi M*oyſes*, in Arabia degens, hiſtoriæ *Jobi*, hominis Arabis, & inter ſuos ſpectatiſſimi, notitiam habuerit, maxime, cum hæc hiſtoria paulo ante contigerit, quam M*oyſes*, fugiens ex Aegypto, in Regionem Madianitarum ſeceſſerit, eſſetque apud Madianitas lippis ac tonſoribus notiſſima. In hoc diuturno ſeceſſu ſuo Madianitico, M*oyſes*, propter congreſſum, quem cum exteris habuit, patriam, ſeu Hebraicam, loquelam (quod ceteris hominibus, qui peregrinas diu incolunt Regiones, uſu venire ſolet) inquinavit, & hinc eſt, quod in J*obi* libro, quem in hoc ſuo ſeceſſu Madianitico conſcripſit, occurrant Arabiſmi, Syriaſmi, uti notatum eſt a *S. Hieronymo*, nonnumquam etiam Chaldaiſmi. At, poſtquam M*oyſes*, relicto ſuo ſeceſſu Madianitico, ad ſuos populares, ſeu Hebræos, reverſus eſt, loquelam ſuam Hebraicam excolere ac perpolire ſategit, omneſque ſordes, quas congreſſus exterorum ei aſperſerat, ita abſterſit, ut quando ad ſcribendum Pentateuchum animum appulit, majorem adhibuerit Linguæ Hebraicæ caſtitatem ac munditiem. Sed de hiſtoria J*obi* ſatis dictum eſt. Nec enim otii & inſtituti noſtri eſt, in levibus ac futilibus, quas contra librum J*obi*

pro-

proponunt Hæretici, diluendis objectionibus anxie laborare ac deſudare. Conſule, ſi plura deſideres, Illuſtriſſimum *Danielem Huetium* in ſua *Demonſtratione Evangelica*, propoſitione quarta.

D. Cum Deus ſelegerit *Moyſem*, ut eſſet dux & Legiſlator Gentis Judaicæ, e qua proditurus erat Meſſias, facile mihi perſuadeo, hunc Judæorum Legiſlatorem geſſiſſe typum Jeſu Chriſti veri Meſſiæ. At, quia Judæi hanc ſimilitudinem, quæ *Moyſem* inter & Jeſum Chriſtum intercesſit, obſtinatis animis negant, debes nunc paucis commonſtrare, quo pacto *Myoſes* rebus præclare geſtis Jeſum Chriſtum, Salvatorem noſtrum, adumbrarit?

M. Non ſolum *Moyſes* rebus, quas præclare geſſit, typum geſſit Jeſu Chriſti, ſed etiam in Pentateucho, quem edidit, multis oraculis eum venturum ſole clarius prænuntiavit. Tractat fuſe ea de re *Euſebius* cap. 2. lib. 3. *De Demonſtratione Evangelica*, ubi data opera accuratam & luculentam inſtituit comparationem *Moyſem* inter & *Jeſum*. Sed, quia nimis longum eſſet integrum *Euſebii* ſermonem hic inſerere, ſuprema illius, (cum Illuſtriſſimo *Daniele Huetio*, Abrincenſi Epiſcopo, in ſua *Demonſtratione Evangelica*, Propoſitione IV.) ſequar veſtigia. In primis, *Moyſem*, ſtatim ab ortu, nefario *Pharaonis*, Ægyptiorum Regis, Edicto morti addictum, parentes a letho ei parato ſubduxerunt: *Jeſum* naſcentem, ab *Herode* Rege, ad mortem ſolicite quæſitum, parentes, fugientes in Ægyptum, ab imminente morte, quam immaniſſimus ille Tyrannus ei inferre moliebatur, exemerunt. Deus Principem ac Ducem Hebræorum *Moyſem* conſtituit; *Jeſum* Ducem ac Dominum omnium hominum declaravit Deus, dicens: *Poſtula a me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Pſal.* 2. *Moyſes* ſe a Deo miſſum, magnis approbavit miraculis; *Jeſus* ſe a Deo miſſum ſtupendis confirmavit prodigiis. *Moyſes*, Hebræos ex Ægyptiorum ſervitute vindicavit in libertatem: *Jeſus* homines, Dæmonum omnium mancipatos vinculis, libertate donavit. *Moyſes* Hebræos per Deſertum ad Terram promiſſam introduxit: *Jeſus* hominibus per vitæ hujus anguſtias ad cœleſtem patriam, Ducem ſe præbuit. *Moyſes* natu mare ſiſtit & exſiccat, *Jeſus* ſævientes ventos frænat, & tumidos fluctus dictis ſedat. *Moyſes* Hebræos trans mare ſalvos ducit & incolumes: *Jeſus Chriſtus*, fluctibus ſuſpenſus, graditur ſuper mare, & *Petro*, Diſcipulo ſuo, idem poſſe concedit. *Moyſes* Hebræos, *Jeſus* homines ab Idolorum cultu avertit. *Moyſes* Hebræis, *Jeſus* univerſo generi humano Leges ſanxit. *Moyſes* Hebræos, trajecto Mari Rubro, Ægyptiorum tyrannidi ſubduxit; *Jeſus* hominibus per Baptiſma jugum Dæmonum detraxit. *Moyſes* Deum inter & homines conciliatorem ſe geſſit: *Unus mediator Dei & hominum Homo Chriſtus Jeſus*, ait Apoſtolus *Paulus* Epiſt. 1. ad Timoth. cap. 2. Fuit *Moyſes* cum Domino per quadraginta dies & totidem noctes, panem non comedit, & aquam non bibit, ſicut legitur cap. 34. verſ. 28. lib. Exodi: *Jeſus*, cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit, ſicut narrat Evangeliſta *Matthæus*, cap. 4. verſ. 2. *Moyſes* præcepit Hebræis, antequam egrederentur ex Ægypto, ut Agnum Paſchalem comederent, & omnes, quorum ædes illius Agni ſanguine non rubebant, fuerunt ab Angelo exterminatore occiſi in Ægypto: *Jeſus Criſtus*, ſicut oſtendimus ſub finem ſuperioris noſtri Colloquii, fuit verus Agnus Paſchalis immolatus ab Hebræis, cum ex hoc Mundo ad Patrem eſſet tranſiturus, & omnes qui ejus ſanguine non ſunt aſperſi, æterna morte peribunt. Serpentem æneum exaltavit *Moyſes* in Deſerto, ut ſpectatus ab ægris afferret remedium: *Jeſus* fuit exaltatus, ſeu in Crucem actus, *ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam* Joannis c. 3. v. 14. *Moyſes* ſplendida facie deſcendit de monte: *Jeſus*, conſcenſo cum tribus Apoſtolis monte *transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies ejus ſicut ſol*, Matthæi cap. 17. Eſurientibus He-

bræis coturnices & manna de Cœlo, & aquam de rupe ſitientibus Deus per *Moyſem* in Deſerto largitus eſt: *Jeſus* turbæ in Deſerto fame languenti, cibos non ſemel ſuppeditavit, & aquam vitæ ſe gratis daturum pollicitus eſt. Septuaginta viros de Senibus Iſraelitici Populi Magiſtros ac Duces conſtituit *Moyſes*, cujus & ſpiritum cum illis communicat. Deus: *Jeſu* Diſcipulos ſeptuaginta duos quoquoverſus dimittit, doctrinæ ſuæ præcones, & ſpiritu ſuo afflatos. *Mariam*, lepra laborantem ſanat *Moyſes*: hominem *Jeſus*, eodem morbo affectum, illico ſanitati reſtituit. Denique *Moyſes* duodecim exploratores miſit in Terram Chanaan: *Jeſus* duodecim Apoſtolos miſit in univerſam terram. Hos igitur typos, quibus *Moyſes*, Judæorum Legiſlator præfiguravit *Jeſum Chriſtum*, Salvatorem omnium hominum, ſi attento animo perpendas, fateberis ultro, *Moyſem* inter & *Jeſum*, ſummam intercedere ſimilitudinem. Quo fit, ut Apoſtolus *Paulus* Epiſt. ad Hebræos cap. 11. Fidem, quam *Moyſes* habuit in Jeſum Chriſtum venturum, his verbis maxime commendet: *Fide Moyſes grandis factus negavit, ſe eſſe filium filiæ Pharaonis; magis eligens affligi cum Populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem; majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti. Aſpiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animoſitatem Regis: Invisſibilem enim tanquam videns ſuſtinuit, fide celebravit Paſcha, & ſanguinis effuſionem, ne qui vaſtabat primitiva, tangeret eos*.

D. Perplacet mihi hæc, quam delineaſti, ſimilitudo *Moyſem* inter & *Jeſum* Salvatorem noſtrum, addiderim tamen ipſe, *Moyſem* in hoc etiam figuram fuiſſe Jeſu Chriſti, quod *Moyſes* virorum omnium manſuetiſſimus prædicetur: *Jeſus* vero, qui nobis protulit Legem Gratiæ & Charitatis, mitiſſimus fuit, totus ad bene de omnibus merendum compoſitus, nihilque prius & antiquius habens, quam ut ſui Diſcipuli ejus manſuetudinem æmularentur: *Diſcite a me*, inquiebat illis, *quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris, jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*, Matthæi cap. 11. verſ. 29. & 30. Sed nunc pergamus ulterius, & ea ſtudioſe perquiramus oracula, quibus *Moyſes*, prophetico afflatus ſpiritu Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, prænunciavit adventum.

M. Quod quinque libri *Moyſis*, qui Pentateucho continentur, apertas, manifeſtaſque complectantur de Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, adventu propheticas prædictiones, id toto capite annuo, ac breviter hic demonſtro. Oracula librorum *Moyſis* alia ipſe fudit, alia jam fuſa prodidit ſacris Litteris & poſteritati propagavit. Lapſum narrans *Moyſes* protoparentum exhibet Deum prænunciantem, venturum mulieri filium, per quem ipſa caput ſerpentis conterat Geneſis cap. 3. verſ. 15. Si loquar de *Abrahamo*, de *Iſaaco*, de *Jacobo*, quæ & quantæ de Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, adventu prædictiones erunt mihi recenſendæ ex Libris Moſaicis? Cap. 12. lib. Gen. verſ. 3. dixit Dominus ad Abrahamum: *Et benedicentur in te univerſa cognationes terræ*. Et cap. 22. ejuſdem libri v. 18. Deus iterum dixit Abrahamo: *Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*. Eandem promiſſionem fecit Deus *Iſaaco*, Gen. cap. 26. v. 4. fecit & *Jacobo*, cap. 28. v. 14. ejuſdem Libri Geneſis. Ipſe *Jacobus* moriturus, benedicens filiis ſuis, & quæ ſingulis erant futura, prædixit. Prædictiones has refert *Moyſes* in libro Geneſis cap. 49. Præcipua eſt, quæ pertinet ad Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam, quæque his verbis concepta eſt: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendos eſt, & ipſe erit expectatio Gentium*. Mitto alia vaticinia, quæ *Moyſes* retulit. At, prætermittere nec poſſum, nec debeo inſigne vaticinium, quod *Moyſes* cap. 18. lib. Deuteronomii v. 15. de Jeſu Chriſto protulit, dicens: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies*. Quod *Moyſis* vaticinium S. *Petrus*, jam

Digitized by Google

jam tum naſcente Chriſtianiſmo, objecit Judæis, in ea, quam ad illos habuit, Concione, quæ legitur cap. 3. Act. Apoſtolorum, ubi exponens quæ de Jeſu Chriſto locutus eſt Deus per os Sanctorum ſuorum a ſæculo Prophetarum, ſicut effatur: *Moyſes quidem dixit: Quoniam Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus noſter de fratribus veſtris, tanquam me, ipſum audietis juxta omnia quæcumque locutus fuerit vobis*. Idem *Moyſis* vaticinium objecit Judæis S. *Stephanus* cap. 7. v. 37. ejuſdem lib. Act. Apoſtolorum, dicens: *Hic eſt Moyſes, qui dixit filiis Iſrael: Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris, tanquam me ipſum audietis*. Hoc Moſaicum Oraculum de Jeſu Chriſto intelligendum eſſe negabat olim *Julianus*, Apoſtata, Imperator, quem invictis argumentis confutavit S. *Cyrillus Alexandrinus* libro VIII. contra hunc Imperatorem Apoſtatam. *Euſebius* vero lib. 3. *Demonſtrationis Evangelicæ* cap. 2. probat, hoc Moſaicum Oraculum non de *Joſue*, non de *Davide*, non de *Jeremia*, vel de aliis Prophetis, ſicut Judeæi perperam commentabantur, ſed de uno Jeſu Chriſto eſſe intelligendum: *Num*, inquit, *ex iis, qui poſt Moyſem extiterunt Prophetæ, Eſaias, exempli gratia, aut Jeremias, aut Ezechiel, aut Daniel, aut alius quiſpiam de cæteris duodecim, Legum Auctori Moyſi conferendus extitit? Nequaquam. Sed ex illis tandem quis unquam Moyſi ſimilia effecit? Nuſquam poteris dicere. Sed quiſque illorum a primo ad noviſſimum quoſcumque inſtituebant ac docebant, ad ipſum Moyſem remittebant, atque Populum in hoc reprehendebant, quod Moyſis Legem non ſervaſſet, ſed contra illam feciſſet, neque illum ad quidquam aliud hortabantur, niſi ad ea firmiter tenenda, quæ in Lege Moyſis poſita ſunt. Nullum igitur horum illi ſimilem dixeris. Quemnam igitur alium Moyſi ſimilem futurum canit Oraculum illud, niſi Salvatorem, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum?* Denique, cum inter Samaritanos exorta eſſet controverſia, & quidam inter illos cenſeret, hunc Prophetam, quem poſt ſe miſſum iri prædixit *Moyſes*, eſſe *Doſtben*, ſeu *Doſitheum*, quidam vero alii putarent, *Jeſum Nave*, ſeu *Joſuem*, filium *Num*, ſucceſſorem *Moyſis*, fuiſſe illum Prophetam; S. *Eulogius*, Epiſcopus Alexandrinus, ad dirimendam illam controverſiam, quæ plebem Samaritanam in contrarias factiones diſtrahebat, frequentem Synodum Alexandriæ coegit, utramque damnavit ſententiam, & Jeſum Chriſtum hoc vaticinio a *Moſiſe* prænunciatum eſſe definivit, ſicut refert *Photius*, Opera Sancti *Eulogii* recenſens Codice CCXXX. *Bibliotechæ ſuæ*, ubi hæc habet: *B. Eulogius, diſcuſſis quæ ab utraque parte aſſerebantur, & utraque erroris, a veritate procul remoti, convicta, illum a Prophetis prædictum Meſſiam, ex Scripturis Sacris docuit eſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, verum Deum: illos vero graviſſimo errore laboraſſe: Hos quidem, quod Jeſum Nave illum Prophetam prænuntiatum fingerent, illos vero, quod Doſtben, ſeu Doſitheum impium portentoſe comminiſcerentur. Atque ita Concilium ſolvit*. Hæc itaque prædictio Moyſis de venturo poſt ſe Propheta ſoli Jeſu Chriſto accommodari poteſt, & in ipſo exitum habuit. Similiter, hæc promiſſio, quam ſcribit *Moyſes* a Deo factam Abrahamo: *Et benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes terræ*, manifeſto completa eſt in Jeſu Chriſto de ſemine Abrahæ, vero Meſſia, vero Chriſto, *in quo benedici omnes Gentes non nunc prænunciamus, ſed quod tunc prænunciatum eſt, nunc videmus*, ſicut ait S. *Auguſtinus* c. 41. libri duodecimi contra *Fauſtum*, Hæreticum Manichæum. Poſtremo, *in Chriſto noſtro evidentiſſima luce claruerunt* (ut rurſum utar verbis ejuſdem *Auguſtini* capite mox ſequenti ejuſdem libri) illa Patriarchæ *acobi* verba, que *Moyſes* cap. 49. libri Geneſis refert: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium*; quia eſus Chriſtus, cujus Regnum ſpiritnale quaquaverſus per omnes Gentes patet, venit his temporibus, quibus ablatum eſt Sceptrum de Juda. *Negari* igitur haud poteſt, libros *Moyſis*, Pentateucho comprehenſos, multa eaque aperta & lu-

culenta de Jeſu Chriſto venturo complecti Oracula, quæ vel ipſemet *Moyſes* fudit, vel ab aliis jam fuſa litteris conſignavit, & ad poſteritatem tranſmiſit. Hinc *Philippus* volens *Nathanaelem* trahere ad Jeſum Chriſtum, dixit ei: *Quem ſcripſit Moyſes in Lege, & Prophetæ, invenimus Jeſum, filium Joſeph a Nazareth*, Joannis cap. 1. v. 45. Chriſtus etiam Dominus incredulitatem Judæorum increpat his verbis: *Nolite putare, quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem: eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis. Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit*. Ex his de venturo Jeſu Chriſto Oraculis, quæ in Pentateucho, & in ſingulis Prophetarum libris paſſim continentur, argumentum validiſſimum ſumpſit Apoſtolus *Paulus* ad tuendam coram *Agrippa* Rege, & *Geſto*, Judææ Præſide, cauſam ſuam dicens. *Uſque in hodiernum diem ſto, teſtificans minori atque majori, nihil extra dicens, quam ea, quæ Prophetæ locuti ſunt, futura eſſe, & Moyſes, ſi paſſibilis Chriſtus, ſi primus ex reſurrectione mortuorum; lumen annunciaturus eſt Populo & Gentibus*. Act. Apoſt. c. 26. v. 22. & 23. Nihil iſto argumentandi genere eſt magis in uſu apud Apoſtolos & Evangeliſtas, quorum Scriptis conſtituuntur fundamenta Fidei. Nihil apud ſanctos Patres eſt receptius, nihil Chriſtianis plauſibilius, nihil ad frangendam Judæorum pervicaciam efficacius, ſicut fuſe oſtendi in *Tractatu*, quem publicam in lucem emiſi: *De Vita, Myſteriis, & annis Jeſu Chriſti, Servatoris noſtri*.

D. Quo tempore, & quibus characteribus *Moyſes* ſcripſit Pentateuchum?

M. Probabilius ipſe cum *Theodoreto* Quæſtione prima in Geneſim cenſeo, *Moyſem* ſcripſiſſe Pentateuchum poſt exitum Iſraelitarum ex Ægypto, & poſt Legem a Deo ei datam in monte Sinai: Characteres autem, quibus in ſcribendo Pentateucho uſus eſt *Moyſes*, fuerunt Hebraici, ideſt, iidem plane, ac characteres, quibus olim utebantur Chananæi, quorum Regionem diu incoluerunt Hebræi. *Auguſtinus Calmet* in Diſſertatione, quam præfixit ſuo Commentario litterali in librum Geneſis, aſſerit, *Moyſem* ſcripſiſſe Pentateuchum characteribus Ægyptiacis, qui non diſcrepabant a characteribus, qui erant in uſu apud Chananæos. Certe, Pentateuchus *Moyſis* Samaritanus, qui adhuc extat, quemque antiquiſſimum eſſe affirmant *Origenes*, *Julius Africanus*, *Euſebius*, *Diodorus Tarſenſis*, *Cyrillus Alexandrinus*, *&* *Procopius Gazenſis*, deſcriptus eſt his antiquis Chananæorum characteribus, ſicut teſtantur viri eruditi. Obſervat enim *Joſephus Scaligerus* in *Diſſertatione de litteris Jonum*, ſeu Græcorum, characteres Græcos ad exemplum characterum Samaritanorum eſſe formatos, antiquiſſimam vero eſſe litterarum Jonicarum originem, utpote profectam a Phænicibus, ſeu Chananæis. Hunc Pentateuchum *Moyſis* Samaritanum, antiquiſſimis Chananæorum characteribus exaratum, doctiſſimus *Joannes Morinus*, Congregationis Oratorii Presbyter, hiſce poſtremis temporibus evulgavit, eumque in Heptaplis Pariſienſibus, & in Polyglottis Bibliis inſertis perdoctis Diſſertationibus illuſtravit. His Hebraicis, ſeu antiquis Chananæorum characteribus deſcriptum Pentateuchum *Moyſis* conſervarunt Judæi uſque ad captivitatem Babylonicam, ſed, durante captivitate Babylonica, cum Judæi Linguæ Hebraicæ, & modi antiquos formandi characteres Hebraicos eſſent penitus obliti, *Eſdras*, qui ea laxata captivitate, ſacros libros a mendis, quæ in eos irrepſerant, repurgavit, mutatis antiquis characteribus Hebraicis ſuffecit characteres Chaldaicos, quibus nunc utuntur Judæi, & eorum Biblia hiſce characteribus Chaldaicis deſcripta leguntur.

D. Cum *Moyſes* ſcripſerit duntaxat Pentateuchum poſt exitum Iſraelitarum ex Ægypto, & Legem ei datam in monte Sinai, intempeſtive a te nunc poſtularem notitiam rerum, quas in hoc Pentateucho *Moyſes* complexus eſt: de his quippe commodius ſuo loco, hoc eſt, in Colloquiis noſtris.

ſtris

ſtris in Hiſtoriam quartæ Mundi Ætatis ſermonem inſtituemus. Verum, quia probe ſcio, eſſe qnoſdam incredulos, & omnis Religionis oſores, quos perfricta fronte non pudet antiquitatem, & ſacram Pentateuchi *Moyſis* auctoritatem aut negare, ant ſaltem in dubium revocare, plurimi mea intereſſe video, generales quaſdam circa antiquitatem, & divinam Pentateuchi auctoritatem habere notiones, quo facilius, ſi quos aliqnando nanciſcar ejuſmodi incredulos, eorum petulantiam retundere poſſim. Primum igitur a te percunctor, an *Moyſes* ſit Auctor totius Pentateuchi? Audivi enim, eſſe quoſdam intemperantioris Critices viros, qui licet fateantur, *Myoſem* eſſe Auctorem totius Legis, quæ ad bene conſtituendam Rempublicam Judæorum deſcripta eſt in Pentateucho, periendunt tamen, *Moyſem* non eſſe Auctorem Hiſtoriæ, quæ legitur in Pentateucho, maxime in libro Geneſis, ſed eam a quodam Scriba, poſt obitum *Moyſis*, concinnatam fuiſſe dicunt. Quod ſane antiquitati Pentateuchi *Moyſis* haud parum derogare mihi videtur.

M. In hunc errorem, fateor, non multis abhinc annis impegit *Ricardus Simonius*, qui in ſua *Hiſtoria critica Veteris Teſtamenti* Capitibus primo, ſecundo, & tertio ſupponit, in Republica Judæorum fuiſſe publicos Scribas, Prophetiæ dono inſignes, quibus auctoritate publica demandabatur provincia res memorabiles, ſuis temporibus geſtas, in litteras referendi, non ſecus ac ſolis Hierophantis apud Ægyptios, ſolis Chaldæis apud Babylonios, ſolis Magis apud Perſas, ſolis Gymnaſophiſtis apud Indos, ſolis Litteratis apud Sinas, ſolis Pontificibus apud Romanos, jus ex officio & auctoritate publica incumbebat res ætatis ſuæ memorabiles litteris mandare. Hac autem ſemel facta ſuppoſitione, ait *Richardus Simonius*, Hiſtoriam, quæ legitur in Pentateucho *Moyſis*, fuiſſe ſcriptam ab aliquo Scriba, divino tamen Prophetiæ ſpiritu afflato, qui, poſt mortem *Moyſis*, a Republica Judæorum ſcribendis Judaicæ Gentis Annalibus deſtinatus, ex veteribus Diariis aliorum Scribarum, qui *Moyſi* temporibus coævi fuerant, & res ſub illo geſtas fuſius deſcripſerant, excerpſit Hiſtoriæ monumenta, eaque in ordinem digeſſit, ac ſummatim perſtrinxit, ſicut nunc leguntur in Pentateucho. Hoc eſt novum *Richardi Simonii* Syſtema, quod nulla efficaci ratione, nulla alicujus ponderis conjectura, nullo antiquitatis monumento fultum, imo, expreſſis ac diſertis Scripturæ Sacræ, & ſanctorum Patrum teſtimoniis, quæ *Moyſi*, ceu vero ac legitimo parenti, integrum Pentateuchum aſſerunt ac vindicant, omnino oppoſitum, ab omnibus viris eruditis fuit exploſum atque confutatum, idque jure optimo. Nam, etiamſi fatear lubentiſſime, ſacros conſcribendi libros poteſtatem non fuiſſe promiſcue omnibus in Republica Hebræorum permiſſam, ſed, ut ait *Joſephus* lib. 1. *contra Apionem*, datam fuiſſe *ſolummodo Prophetis antiquiſſima quidem & veterrima ſecundum inſpirationem factam a Deo cognoſcentibus*, *alia vero ſuorum temporum*, *ſicut ſunt facta*, *palam conſcribentibus*; contendo attamen, illos Prophetas, quibus in Republica Hebræorum ex officio & auctoritate publice concedebatur facultas conſcribendi libros ſacros, & de quibus eo loci mentionem facit *Joſephus*, non alios fuiſſe a *Moyſe*, a *Joſue*, & a ceteris aliis ſacris Scriptoribus, qui, divino afflati ſpiritu, libros Scripturæ ſacræ, quos nunc habemus, exararunt. Quo fit, ut nunquam in Republica Hebræorum extiterint illi Scribæ, Prophetiæ dono illuſtres, quos *Richardus Simonius* aſſerit, a *Moyſe*, a *Joſue*, & a ceteris aliis ſacrorum Librorum Scriptoribus fuiſſe plane diſtinctos, & ad illos ſpectaſſe, res memoria dignas, ſuis temporibus geſtas, in litteras referre, vel ex veterum Scribarum Diariis hiſtoricam collectionem excerpere, in ordine digerere, atque compendioſe deſcribere. Horum ſiquidem publicorum Scribarum, quos in Republica Hebræorum a ſacrorum Librorum Scriptoribus diſtinctos commentus eſt *Richardus Simonius*, ne apex quidem in Scriptura Sacra, & in tota retro antiquitate temporum ne minimum quidem occurrit veſtigium. Quo cir-

circa, hoc recens a *Richardo Simonio* de publicis illis in Republica Hebræorum Scribis excogitatum ſyſtema, tam infirmis nixum radicibus corruere neceſſe eſt. Scripſit itaque *Moyſes* Legem ad bene conſtituendam Rempublicam Hebræorum, & auctor etiam eſt Hiſtoriæ, quæ Pentateucho continetur, & quam ipſe a creatione Mundi ad ſua uſque tempora perduxit. Quod ſi quæras, quorſum *Moyſes*, qui Legem daturus erat Hebræis, Hiſtoriam a creatione Mundi, & res præclare geſtas a Patriarchis ante, & poſt diluvium voluerit in Pentateucho deſcribere? hanc ipſe proferam rationem, quam mihi ſuppeditat *Euſebius* lib. 7. *Præparationis Evangelicæ* cap. 7. ubi hæc habet: *Moyſes, eximius ille Theologus, atque ex Hebræis Hebræus ipſe procreatus, cum patriæ Gentis hiſtoriam accurate, ſi quiſquam alius teneret, priſcorum Hebræorum vitas, quæ ſacris Legibus, cujuſdam quaſi proœmii loco, viam munirent, poſterorum memoriæ commendare voluit, nulla unquam oblivione delendas. Iis porro non ea tantum, quæ divinitus acceperant beneficia, verum & nonnullorum præterea, qui omnem cum divinitate pietatis ſenſum abjecerant, mores, ſimul ac pœnas intexuit; ratus iis, qui Legibus ſuis inſtituendi eſſent, genus id cognitionis apprime neceſſarium futurum, ut eos & ab improborum imitatione deterreret, & ad conſectanda proborum exempla ſtimularet. Tanti etiam erat, uti eos non lateret, majorum quidem ſuorum quam plurimos, antequam ab ſeſe Leges ſcripto latæ eſſent, rectæ unius rationis manum ſecutos, ad ſummam Religionis, ac divini cultus laudem perveniſſe, qui, quod & divini Numinis amicitia, & Prophetiæ munere præſtitiſſent, immortali apud ſe memoria viverent. Quibus autem Leges præſcriberet, eos cum Antiquioribus illis eſſe generis ac ſanguinis communione conjunctos, eoque verum eſſe, ut qui hominum Deo cariſſimorum ac virtutis amantiſſimorum nepotes eſſent, iidem Majorum quoque ſuorum pietatis æmulos ſe atque imitatores exhiberent, atque in beneficiorum, ac præmiorum, patribus a Deo conceſſorum, partem ac ſocietatem venire omni ope, ſtudioque contenderent.*

D. Jactabant olim Gentiles antiquitatem Deorum ſuorum, Hiſtorias illorum, necnon pervetuſta ab eis prolata Oracula: optarem igitur ſcire primo, an ſuperſtitioſæ Gentilitatis Deorum Hiſtoriæ antiquiores ſint ea Hiſtoria, quam *Moyſes* in Pentateucho deſcripſit? Secundo, quale extet diſcrimen Oracula horumce Deorum inter, & Oracula, quæ de adventu Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, a *Moyſe* in Pentateucho fuſa fuiſſe, ſuperius oſtendiſti.

M. Fabuloſam plane eſſe ſuperſtitioſæ Gentilitatis Deorum antiquitatem, ipſimet Gentiles tantiſper eruditi ingenue profeſſi ſunt, tempora, quibus Dii Gentium floruiſſe dicuntur, fabuloſa nuncupantes. Præterea, omnis hiſtoria Gentilium longe poſterior eſt ſacra Hiſtoria, quam *Moyſes* deſcribit in Pentateucho, quandoquidem *Moyſes* eſt primus Scriptor omnium Gentium, non ſolum Perſarum, & Græcorum, ſed etiam Ægyptiorum, Chaldæorum, & Aſſyriorum, ac ſubinde multo antiquior eſt Philoſophis, Hiſtoricis, Oratoribus, & Poetis, qui apud Gentiles claruerunt, quique ex libris *Moyſis* bene multa hauſerunt, ſuiſque libris inſeruerunt. Denique, Hiſtoriam, quam *Moyſes* deſcribit in Pentateucho, revelationem mundo coævam habet, & res mirabilis narrat, videlicet de ſummo omnium conditore Deo, de religione, ſeu de cultu, Deo debito, de origine, natura, & conditione primi hominis innocentis, de illius ſtatu poſt peccatum, de ejus miſeriis, de adventu Liberatoris, ſeu Meſſiæ. Nihil aliud ſpirat hæc Hiſtoria, quam ſanctitatem, juſtitiam, pietatem, uno verbo, exprimit quidquid purioris, & ſublimioris virtutis nomine continetur. Contra vero, Gentilium Hiſtoriam nihil horum omnium habet, quibus vera, antiqua, & ſancta internoſcitur Religio, ſed potius, tota quanta eſt, ſcatet erroribus, innumeris antilogiis, næniis, auilibus fabulis, vitiis, turpiſſimiſque Deorum motibus, & obſcænis amoribus fædatur, quibus ad flagitioſam vitam, & ad effræni libidini indulgendum excitantur mortales. Nec tantum Hiſtoria Gentilium narrat, ſed & laudat ſpurciſ-

ſimos

ſimos amores Deorum, quos inter, ut memini, me aliis in Colloquiis obſervaſſe, *Bacchus* temulentus fuit, *Mars* homicida, qui etiam cum *Venere* adulterium commiſit, *Mercurius* fur ac nebulo, qui nihil aliud ad famam ſui reliquit, niſi memoriam fraudum ſuarum. Quid omnium horum pater *Jupiter*, qui ne parum videretur, ſi in expugnanda fœminarum pudicitia maculatus eſſet, etiam ſexui ſuo injuriam fecit? Præterea, ut caſtis tuis auribus parcam, obſcænitates *Veneris*, omnium libidinibus proſtitutæ, non Deorum tantum, ſed & hominum; quibus tamen horrendis vitiis, & flagitioſis Deorum amoribus non puduit Poetas variis figuris & coloribus venuſtatem, & leporem carminibus ſuis addere. Apage ergo hanc Deorum Hiſtoriæ fabuloſam antiquitatem. Quod ſpectat vero Deorum Oracula, quæ Ethnici plenis buccis in ſuis hiſtoriis jactare ſolent; dico, ea ficta, ambigua, & falſa omnino fuiſſe, tum quia ejuſmodi Oracula collimabant ad lucrum, cui inhiabant callidiſſimi Sacerdotes, qui hac arte ambigua fundendi Oracula inſigniter locupletati, deluſi populi ora obliniebant, atque marſupia, mille fraudulentis adhibitis artibus, emungebant. Tum quia etiam, illa oracula tendebant ad bella & negotia ſæcularia felicius adminiſtranda, ut nimirum tumultuantes populos a gerendis bellis avocarent, vel ſpecioſo divinæ promiſſionis obtentu, ad bella redderent alacriores: ſed præcipue ea Deorum Oracula tendebant ad nefariam populorum animis ſuperſtitionem inſtillandam, ac magis magiſque fovendam, & ad alios peſſimos fines, quos ſibi præſtituebant ſceleſtiſſimi ſuperſtitioſæ gentilitatis Sacerdotes, qui populo plus æquo credulo fucum faciebant. Hinc *Lactantius* lib. 2. Divin. Inſtitut. capit. 17. eleganter probat, hæc Deorum Oracula nihil aliud fuiſſe, quam illuſiones & fallacias Dæmonum. Hinc *Cicero*, Ethnicorum licet Religioni addictus, lib. 2. *de Divinatione*, hæc, quæ ſua ætate circumferebantur, Oracula deridet, partim ut falſo conficta, partim ut caſu vera, partim ut ambigua reſponſa Sacerdotum, incautam & ſimplicem plebem decipientium. Hinc *Lucianus*, tametſi Religionis Chriſtianæ infenſiſſimus hoſtis, qui ſub Imperio *Hadriani*, hoc eſt, ſecundo Eccleſiæ ſæculo, vixit, Deorum prædictiones & oracula falſe ridet, inſectatur, & ludibrio habet, ut videre eſt in ejus Dialogis: *De Deorum Concilio*: *De Jove Tragœdo*: *De Jove confutato*, ut jam de ejuſdem Scriptoris aliis *Deorum Dialogis* nihil in præſentia dicam. Quæ cum ita ſint, facile nunc dijudicare potes, quantum falſa illa Deorum oracula diſtent a veris vaticiniis, quæ de Meſſia, ſeu de Jeſu Chriſto venturo, *Moyſes* in Pentateucho fudit, quæque publicis monumentis, tot ſæculis ante eventum oculis omnium expoſita ſunt, ut ſuo tempore implenda, ſicut revera in Jeſu Chriſto, vero Meſſia, fuiſſe omni ex parte impleta tam clare nunc cernimus, quam radii ſolares in meridie cernuntur. Rejectis itaque falſis oraculis, & fabuloſa Deorum Hiſtoria, conſtanter profiteri debemus, Hiſtoriam, quam *Moyſes* deſcripſit in Pentateucho, eſſe antiquiſſimam, ac divina pollere auctoritate: *Cui enim* (ſicut appoſite ait S. *Auguſtinus* lib. 18. *De Civitate Dei* cap. 40.) *melius narranti præterita credamus, quam qui futura prædixit, quæ præſentia jam videmus, nam & ipſa Hiſtoricorum inter ſe diſſonantia copiam nobis præbet, ut ei potius credere debeamus, qui divinæ, quam tenemus, non repugnat veritati?*

D. *Moſem* eſſe primum omnium Gentium Scriptorem, & ex ejus libris Gentiles Philoſophos, Hiſtoricos, Oratores, & Poetas multa defloraſſe, excerpſiſſe, ſuiſque Operibus inſeruiſſe, mox inſinuaſti. Sed quia inde, ut mihi videtur, maxime adſtruitur Pentateuchi *Moyſis* antiquitas, rogo te, ut quod obiter de *Moyſe*, primo omnium Gentium Scriptore, dixiſti, nunc plenius confirmes, & in clariori luce reponas.

M. *Moyſem* eſſe primum omnium Gentium Scriptorem, ac ſubinde antiquiorem prophanis Scriptoribus Philoſophis, Hiſtoricis, Oratoribus, Poetis, & Legum Latoribus, hoc argumento

mento evinci poteſt: certiſſime conſtat, omnes Gentium Scriptores Trojæ excidio recentiores eſſe, & omnes Gentiles Philoſophos, Hiſtoricos, Oratores, Poetas, & Legum Latores poſteriores eſſe *Cyro*, Perſarum Rege, quo regnante, *Solon*, Athenienſis, & ſeptem Græci Sapientes floruerunt. Atqui *Moyſes* temporibus *Cyri*, Perſarum Regis, multo antiquior eſt, imo multis ſæculis ante Trojæ excidium vixit, ac ſcripſit *Moyſes*: negari igitur non poteſt, *Moyſem* eſſe primum omnium Gentium Scriptorem, multoque antiquiorem prophanis Philoſophis, Hiſtoricis, Oratoribus, Poetis, & Legum Latoribus. Eo argumento antiquitatem *Moyſis* ſupra omnes Scriptores prophanos demonſtrant ſancti Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici, nimirum *S. Juſtinus*, Martyr, in Parænesi, & in ſecunda Apologia, *Tertullianus* cap. 19. Apologetici, *Tatianus* Oratione *adverſus Gentes*, ab Euſebio laudatus lib. 10. *Præparationis Evangelicæ* cap. 11. *Clemens Alexandrinus* lib. 1. *Stromatum*, *Julius Africanus* lib. 3. Chronographiæ, *Lactantius* lib. 4. *Divin. Inſtitutionum* cap. 5. *Euſebius*, Epiſcopus Cæſareenſis lib. 10. *Præparationis Evangelicæ* cap. 9. & 14. & *S. Auguſtinus* lib. 18. *De Civitate Dei*, cap. 37. Advertere tamen debes, *Julium Africanum*, *Tatianum*, *Clementem Alexandrinum*, alioſque Auctores, *Euſebio* antiquiores, affirmare, *Moyſem* fuiſſe coævum *Inacho*, Regi Argivorum, *Euſebium* vero, Epiſcopum Cæſareenſem, differre ætatem *Moyſis* ad tempora *Cecropis*, Athenienſium Regis, qui Rege *Inacho* trecentis annis recentior fuit. Verum, etiamſi ſtandum eſſet, circa ætatem *Moyſis*, calculo *Euſebii*, ſemper tamen verum eſſet, *Moyſem* omnium Gentium Scriptores antiquitate ſuperare, quia nullus vel Græcorum, vel externarum Gentium Scriptor proferri poteſt, qui ſit Rege *Cecrope* antiquior. Sed ipſe ſententiam *Julii Africani*, *Tatiani*, *Clementis Alexandrini*, aliorumque Scriptorum *Euſebio* antiquiorum, ſuffragiis munitam, quæ *Moyſem*, temporibus *Inachi*, Regis Argivorum, floruiſſe aſſerit, probabiliorem eſſe cum *Georgio Syncello* in ſua Chronographia pag. 67. & 68. exiſtimo. Quod ſi ita ſe habeat, plane conſequitur, nullum, non tantum apud Græcos, ſed etiam apud Ægyptios aliaſque Barbaras Gentes, extitiſſe Scriptorem ante *Moyſem*. Ægyptii ſiquidem (ſicut obſervat *S. Auguſtinus* libro XVIII. de Civitate Dei cap. XXXVII.) gloriabantur, ſe ab *Iſide* litteras ad ſcribendum accepiſſe, cum ante *Iſidem* litteras nullas haberent, niſi Hieroglyphicas, *Iſis* autem fuit filia *Inachi*, Regis Argivorum, ab Ægyptiis poſt obitum in Deam conſecrata. *Moyſem* autem ſub Rege *Inacho* floruiſſe, & Iſraelitas ex Ægypto eduxiſſe, non ſolum tradunt Scriptores Eccleſiaſtici, mox a me laudati, ſed etiam infenſus Chriſtianæ Religionis hoſtis *Porphyrius*, illoque longe antiquiores Scriptores prophani, *Hellanicus*, & *Philocorus*, qui res Atticas, *Caſtor* & *Thallus*, qui res Syriacas litteris mandarunt. *Moyſem* itaque primum omnium Gentium Scriptorem eſſe, extra omnem dubitationis aleam apud omnes eſſe debet, nec minus certum eſt, antiquos Philoſophos, Poetas, Hiſtoricos prophanarum Gentium legiſſe libros *Moyſis*, & ex iis multa defloraſſe, quæ etiamnum in eorum libris leguntur, ſicut lato, eleganti, & erudito calamo probat illuſtriſſimus *Daniel Huetius* in ſua *Demonſtratione Evangelica* Propoſitione IV. unde pauca hic delibabo. Et primo quidem, antiquos prophanarum Gentium Philoſophos legiſſe libros *Moyſis*, multaque ex illis excerpſiſſe, & in ſuam doctrinam derivaſſe aſſerunt *Clemens Alexandrinus*, lib. 5. *Stromatum*, & *Euſebius* lib. 8. *Præparationis Evangelicæ*, præſertim de *Platone*, qui ideo *Moyſes Atticus* fuit appellatus. Philoſophum etiam *Pytagoram* multa ex libris *Moyſis* ſuffuratum eſſe teſtatur *Hermippus*, Pythagoræus, quod etiam de *Ariſtotele* aſſerit *Clearcus*, Peripateticus. Unde *S. Cyrillus*, Alexandrinus, *Platonem*, & *Ariſtotelem* fures appellat, quod multa e Pentateucho *Moyſis* deprompſerint, & in ſuos libros convaſarint. Tradunt inſuper *Ariſteas* in libro de LXX. Interpretibus, & *Joſephus*, Hebræus, lib. 12. Antiq. Jud. cap. 2.

Theo-

Theopomptum mente fuiſſe privatum, & *Thodectem* oculorum uſu divinitus eſſe orbatum, quod nonnulla e ſacris Voluminibus deflorata Scriptionibus ſuis attexere auſi fuiſſent, ſed agnito demum & correcto errore, fuiſſe utrumque ſanitati reſtitutum. Secundo, libros, a *Moyſe* conſcriptos, lectos fuiſſe a Philoſophis, Poetis, aliiſque Ethnicis Scriptoribus, ex eo maxime patet, quod iſti Scriptores ſacras Hiſtorias, in Pentateucho *Moyſis* deſcriptas, variis modis in ſuis libris interpolarint. Hujus plagii & interpolationis pauca ex multis hic ſubjiciam exempla. Quæ de rerum creatione ſcribit *Moyſes*, ea Carminum Orphicorum Auctor, *Heſiodus* in ſua Theogonia, *Ovidius* lib. 1. Metamorphoſeon, *Virgilius* Egloga 6. & lib. 6. Aeneidos exprimunt. Paradiſum terreſtrem *Plato* deſcribit in *Jovis* horto, ſicut obſervarunt *Origenes* lib. 4. contra *Celſum*, & *Euſebius* lib. 11. *Præparationis Evangelicæ* cap. 13. Serpentis tentatoris, lapſuſque *Adami* & *Evæ* Hiſtoriam *Plato* interpolavit, ſicut probat idem *Euſeb.* cap. 14. Diluvii, & Arcæ Noeticæ Hiſtoriam interpolarunt *Beroſus*, *Abydenus*, *Alexander Polyſtor*, *Lucianus* in Dialogo *De Dea Syria*, *Hieronymus Ægyptius Molo*, & *Nicolaus Damaſcenus*, ſicut referunt *Joſephus* Hebræus, lib. 1. contra *Apionem* & lib. 1. Antiquit. *Jud.* cap. 5. *Euſebius* lib. 9. *Præparation. Evang.* c. 12. & 19. S. *Cyrillus* lib. 1. contra *Julianum*. Turris Babel, & confuſionis linguarum meminit *Abydenus*, rerum Aſſyriarum Scriptor, uti refert *Euſebius* lib. 9. *Præparation. Evangel.* c. 4. Aloidarum fabulam ex Hiſtoria Turris Babel derivatam docet *Origenes* lib. 4. contra *Celſum*. Incendii Sodomorum mentionem faciunt *Diodorus Siculus* lib. 19. *Strabo* lib. 16. *Tacitus* lib. 5. Hiſt. *Solinus*, juxta *Salmaſii* Editionem cap. 36. *Abrahami* Hiſtoriam, quam *Moyſes* fuſe deſcribit in libro Geneſis, legerunt *Beroſus*, *Hecatæus*, & *Nicolaus Damaſcenus*, teſte *Joſepho* lib. 1. *Antiq. Jud.* cap. 8. ubi *Beroſi*, & *Nicolai Damaſceni* verba refert. *Hecatæum* vero juſtum de *Abrahamo* volumen ſcripſiſſe tradit. Ejuſdem Patriarchæ *Abrahami* meminere *Eupolemus*, *Artapanus*, & *Molo*, quorum teſtimonia, ab *Alexandro Polyſtore* relata, leguntur apud *Euſebium* lib. 9. *Præparationis Evangelicæ* capitibus 17. 18. & 19. Patriarchæ *Jacobi* meminerunt *Thedotus* lib. *de Judæis*, & *Alexander Polyſtor*, mentionem quoque fecerunt Patriarchæ *Joſephi*, ut videre eſt apud *Euſebium* lib. 9. *Præparation. Evangel.* capitibus 17. & 23. ubi eorum teſtimonia refert. Hiſtoriam *Moyſis*, & exitus Iſraelitarum ex Aegypto interpolarunt, variiſque figmentis infuſcarunt *Manetho*, *Cheremonus*, *Lyſimachus*, & *Apion* Grammaticus Alexandrinus, quos erudite refellit *Joſephus*, Hebræus, libris, quos edidit contra *Apionem*, ſicut jam obſervavimus ſub finem primi noſtri Colloquii in Hiſtoriam hujuſce tertiæ Mundi Ætatis. Denique, ex Moſaicis Libris Theologiam, & complures variarum Gentium Leges ac Ritus manaſſe, præter *Voſſium* & *Bochartum*, eruditis ac veriſimilibus conjecturis evincit Illuſtriſſimus *Daniel Huetius* in ſæpe laudata ſua Demonſtratione Evangelica, ubi Phœnicum Theologiam ex *Moyſis* libris profluxiſſe probat *Propoſit.* 4. cap. 3. Idem de Aegyptiorum Theologia demonſtrat clariſſimus ille Auctor cap. 4. Græcos Moſaicam Doctrinam infinitis fabulis obduxiſſe probat Doctiſſimus ille Præſul capite octavo. Omnem Romanorum Theologiam ex libris *Moyſis*, velut e fonte, hauſtam fuiſſe oſtendit cap. 9. Si plura hac de re ſcire aveas, legeſis *Demonſtrationem Evangelicam* doctiſſimi Præſulis *Danielis Huetii*, qui hoc argumentum ceteris uberius, felicius, & elegantius tractavit, ornavit, exhauſit, a capite tertio *Propoſitionis quartæ* uſque ad caput undecimum. Ipſe vero, qui brevitati conſulo, hujus argumenti delecta & interpolata ab Scriptoribus prophanis ſacra *Moyſis* Hiſtoria, finem facere volui aliquot duntaxat adductis exemplis ex hac reconditioris eruditionis ſylva ſelectis.

D. Antiquos ſuperſtitioſæ Gentilitatis Philoſophos legiſſe libros *Moyſis*, & ex illis multas excerpſiſſe, atque in ſuam doctrinam derivaſſe, non ita facile mihi perſuadere poſſum. Primo, quia

quia

Digitized by Google

quia antiqui Ethinici Philoſophi Linguam Hebraicam non callebant. Quomodo igitur fieri potuit, ut lectitarint libros *Moyſis* hebraice exaratos? Præterea, Judæi abhorrebant omnino a commercio, & ſocietate Gentilium, eos pro immundis habebant, adeo ut ex eorum contactu putarent, ſe immunditiem contrahere, & hoc eſt, quod *S. Petrus* cap. 10. *Act. Apoſtolorum* v. 28. ait: *Vos ſcitis, quomodo abominatum ſit viro Judæo conjungi, aut accedere ad alienigenam*. Cum igitur Judæi nihil negotii, commercii, & ſocietatis haberent cum Gentilibus, eorumque conſortia fugerent, veroſimile non videtur, illos Legem Moſaicam, qua, ſecundum Deum, nihil prius, ſanctius, & auguſtius habebant, voluiſſe exteris, ſeu viris a Religione Judaica extorribus communicare, eiſque liberam permittere poteſtatem legendi libros *Moyſis*, & ex his multa delibandi.

M. Antiquos Philoſophos, alioſque Scriptores Ethnicos, quamvis a Judaica Natione eſſent Religione, patria, moribus, ac Legibus omnino ſejuncti, notitiam librorum *Moyſis* habere potuiſſe, multis momentis oſtendi poteſt. Primo, quia Scriptura Sacra teſtatur, Judæos, cum Paleſtinam armis ſubegerunt, ex Ethnicis pleroſque ſervaſſe incolumes, velut Gabaonitas, Jebuſæos, alioſque, cum quibus Judæi promiſcue commixti didicerunt opera eorum. In hoc igitur communi victu, & continua ſocietate, quam Judæi habebant cum Ethnicis, potuerunt cum illis libros *Moyſis* communicare. Nec ſolum ex ea ſocietate Judæorum cum Ethnicis, poſt devictam Palæſtinam, ſed etiam ex frequenti acceſſu quamplurium Proſelytorum, qui ex omnibus Mundi Regionibus ad Judæorum Religionem, Rituſque confluebant, vero quam ſimillimum eſſe probatur, libros *Moyſis* ad exterarum Gentium notitiam perveniſſe. Præterea, Judæi non ſic infra anguſtos Paleſtinæ fines continebantur, ut cum exteris nullam conſuetudinem, nullumve commercium haberent. Imo potius, frequens illis cum Phænicibus, propter loci vicinitatem, intercedebat commercium. Reges etiam *Juda*, videlicet *David*, ejuſque filius *Salomon* commercium habuerunt cum *Hiramo*, Rege Tyri, cum Regina Saba, cum Regibus Hethæorum, & Syriæ, & cum Ægyptiorum Rege, cujus filiam duxit uxorem Rex *Salomon*, aliaſque ex Gentibus filias ſibi matrimonio copulavit, ſcilicet Sidonias, Moabitas, Ammonitidas, Idumæas, & Hethæas, quæ ſenſim ſine ſenſu cor illius depravarunt, eumque ad cultum Idolorum impulerunt. Potuerunt itaque Ethnici beneficio frequentis illius commercii, quod habuerunt cum Judæis, notitiam ſibi comparare librorum Moyſis, eoſque legendi facultatem. Tertio, poſt *Alexandri Magni* Expeditionem in Aſiam, jam tum frequens Judæos inter, & Græcos vigebat commercium, quia tum temporis Judæi Imperio Græcorum ſubditi erant. Poſt etiam *Alexandri Magni* obitum, *Ptolomæus Lagi*, Ægyptiorum Rex, invaſit Hieroſolymam, magnum Judæorum numerum abduxit in Ægyptum, eoſque jure Alexandrinæ Civitatis donavit. Græci igitur Ethnici cum Judæis ſimul habitantes facile *Moyſis*, ejuſque librorum notitiam aſſequi potuerunt. Addo etiam, fieri haud potuiſſe, quin libri *Moyſis*, quorum exemplar ſinguli Judæi penes ſe habere tenebantur, in Ethnicorum poteſtatem, & cognitionem venirent, quando omnes ad unum Judæi a *Nabuchodonoſore*, Aſſyriorum Rege, in captivitatem Babylonicam abducti ſunt. Sed dicis: *Ethnici Philoſophi Græcæ tantum Linguæ periti erant, quo pacto igitur libros Moyſis, hebraice conſcriptos legere potuerunt?* At, numquid, amabo, Poetæ, & Philoſophi Ethnici, qui excellenti ingenio præditi erant, potuerunt intra breviſſimum tempus ſufficientem Linguæ Hebraicæ conſequi notitiam, ut libros *Moyſis* intelligerent & ſecundum verborum ſaltem ſenſum intelligerent? Præterquam quod, non deſunt viri eruditi (quos inter, religione, meritis, doctrina, virtute, ac dignitate, eminet illuſtriſſimus *Daniel Huetius* in ſua *Demonſtratione Evangelica*, *Propoſitione* 4. cap. 12.) qui cenſent, ante Expeditionem *Alexandri Magni* in Aſiam extitiſſe libro-

rum

rum *Moyſis* Verſionem Græcam, vetuſtiorem Verſione illa Græca, quæ poſtea, regnante in Ægypto *Ptolomæo Philadelpho*, a lxx. Interpretibus adornata eſt. Huic ſententiæ adſtipulantur *Clemens Alexandrinus*, lib. 5. *Stromatum*; & *Euſebius*, lib. 13. *Præparationis Evangelicæ* cap. 12. Libros etiam *Moyſis* ante *Ptolomæum Philadelphium*, Ægyptiorum Regem, jam Lingua Græca fuiſſe donatos, aſſerunt *Ariſtæas* ab *Euſebio* laudatus lib. 8. *Præparationis Evangelicæ*, cap. 5. & *Demetrius Phaleræus* in Epiſtola, quam ſcripſit ad mox citatum *Ptolomæum Philadelphum*, Ægyptiorum Regem, quamque referunt *Joſephus* lib. 12. Antiquit. Jud. cap. 2. & *Euſebius* lib. 8. *Præparationis Evangelicæ* cap. 3. Hac autem ſemel admiſſa ſententia de Græca librorum *Moyſis* Verſione, quæ ſit vetuſtior Verſione Græca lxx. Interpretum, facile percipitur, antiquos Græcos Philoſophos, Poetas, & Hiſtoricos, ope illius vetuſtioris Verſionis Græcæ, libros Moyſis lectitare, & plura ex his haurire potuiſſe, etiamſi Linguæ Græcæ eſſent duntaxat periti, & in ſumma Linguæ Hebraicæ ignoratione verſarentur.

D. Moyſem eſſe primum omnium Gentium Scriptorem, eumque veteres Ethnicos Philoſophos, Poetas, Oratores, & Hiſtoricos antiquitate ſuperare, jam probe intelligo. At, cum Athei, aliique viri increduli, non tantum negent antiquitatem librorum Moyſis, verum etiam mordicus pertendant, eos divina non pollere auctoritate, obſecro te, atque obteſtor, ut præcipua argumenta, quibus viri eruditi revelationem, inſpirationem, & divinam librorum Moyſis auctoritatem contra Atheos, alioſque incredulos probare ſolent, hic in medium proferre non graveris.

M. Multa ſuppetunt, eaque firmiſſima, argumenta, quæ libris Moyſis divinam aſſerunt ac vindicant auctoritatem. Primum argumentum petitur ex innumeris miraculis, & ſtupendis prodigiis, quæ a Moyſe, Dei auctoritate munito, edita fuiſſe, jam obſervavimus; cujuſmodi ſunt repentina mors omnium Primogenitorum in Ægypto tam pecudum, quam hominum: (exceptis Iſraelitis,) Converſæ aquæ fluminum in ſanguinem; tenebræ denſiſſimæ omnibus Ægyptiis offuſæ: Mare Rubrum virga Moyſis diviſum; Iſraelitarum per medium ejus ſiccis veſtigiis trajectio: Pharaonis, Ægyptiorum Regis, exercitus ſubmerſio, columna nubis & ignis, quæ Iſraelitarum viæ dux erat, & alia quam plurima prodigia, quæ in mirabili Iſraelitarum ex Ægypto liberatione patravit Moyſes, non clanculum, ſicut factitare ſolent impoſtores, ſed in propatulo, videntibus Ægyptiis, & coram oculatis teſtibus ſexcentis & amplius Iſraelitarum millibus. Horumce miraculorum veritatem probat non ſolum perpetuus conſenſus Judæorum, qui illa religioſe ſuſceperunt, & ad eorum memoriam poſterorum animis altius infigendam inſtituerunt Sacramenta, Sacrificia, Cæremonias, Solemnitates, & alia id genus monumenta, quæ etiamnum ſedulo retinent & obſervant; verum etiam, eamdem miraculorum Moyſis veritatem confirmant Moyſis vitæ integritas, candor, modeſtia, ſtyli, orationiſque ſimplicitas, ex quibus præclaris iſtius Judæorum Legislatoris dotibus, facile intelligitur, eum non ita fuiſſe comparatum, ut falſa ac fictitia vellet venditare miracula. Alioqui fuiſſet Moyſes poſt homines natos imprudentiſſimus, ſi, jaciendo Reipublicæ Judaicæ fundamenta, perſuadere voluiſſet, Iſraelitas e captivitate Aegyptiaca liberatos eſſe ſtupendis prodigiis, quorum falſitatis tam Iſraelitæ ſibi conſcii fuiſſent, quam Aegyptii, apud quos Moyſes prædicta prodigia edita eſſe narrat. Nihil etiam gloriæ & auctoritatis ex fictione & falſitate illorum miraculorum ſibi conciliare poterat Moyſes, ſed potius odium, invidiam, contemptum, & indignationem Aegyptiorum ſibi conflaſſet, omnem fidem ſibi apud Iſraelitas abrogaſſet, nullumque Judaicæ Reipublicæ, quam fundabat, incrementum, ſed ultimam cladem ac ruinam attuliſſet. Alterum argumentum de divina auctoritate librorum Moyſis deſumitur ex hiſtoria & doctrina, quam complectuntur, & ex ſanctiſſimis Legibus ac Præceptis, quæ in illis continen-

nentur. Hiſtoriam nobis exhibent libri Moyſis ex divina revelatione profectam, humano generi coævam, ab ipſo Mundi exordio congruis inſtrumentis diſpenſatam, & ad nos uſque mirabilis Dei providentia tot inter ac tantas rerum perturbationes & viciſſitudines temporum integram ac illibatam jugiter conſervatam, in qua verba non ornant res, ſed ipſa rerum magnitudo mentem Moyſis, & verba ſupra humanum modulum rapit, ita ut eloquii ſimplicitas reſpondeat Scriptori Moyſi, qui cum nec aſtutus eſſet, nec ullius nectendæ ac concinnandæ fraudis capax, Hiſtoriam non ſtylo exquiſito & affectato, non in verborum delectu, & in apta rerum collocatione poſito, ſed ſimplici, & ad rudium captum accommodato, ſcripſit; rerum tamen, quas refert Moyſes, magnitudo tribui debeat Deo, qui per Moyſem loquebatur, qui ejus menti impreſſit illuſtrationem & cognitionem rerum, quas litteris mandare debebat, ejus voluntatem movit inſpirando, excitando, & ſpeciali afflatu impellendo, ut fideliter & conſtanter eas litteris conſignaret, ejus manui ſingulari aſſiſtentia adfuit, ne rem pro re conſcriberet; denique ſic illum direxit, ut nullum vel minimum errorem, ſive qui mentiendo profertur, ſive qui memoriæ lapſu, vel alio quovis humano defectu inter ſcribendum obrepere poteſt, iis, quæ divinitus ei revelata aut inſpirata erant, immiſceret. Doctrina etiam, quam exhibent libri Moyſis, eſt omni humana inventione ſublimior, & purioribus naturæ ac rationis circa Religionem principiis maxime conſentanea, utpote quæ Dei in creatione Mundi omnipotentiam magnificat, ſimulque declarat ejus erga homines, quos condidit, affectum, & ineffabilia ſummæ ipſius charitatis viſcera, æterna indicat bona, quæ Deus colentibus ſe præparavit, & quo pacto Deus a nobis in charitate, in ſanctitate, in juſtitia, & in omni bonitate ſit colendus. Sanctiſſimæ itidem Leges, & optima Præcepta recte vivendi, ad Deum tendendi, eique adhærendi in libris Moſaicis traduntur, & in iis docentur omnes virtutes, quæ veræ ac perfectæ eſſe haud poſſunt, ubi non eſt vera Religio. Et ſane, ſi Lex Moſaica cum Gentium prophanarum Legibus, ſi mores & Inſtituta Judæorum olim ſecundum illa viventium, cum Ethnicorum moribus componantur, manifeſto patebit, Legem Moſaicam eſſe divinam. Nam, præterquam quod Ethnici, per inextricabiles Idololatriæ tenebras oberrantes, & in ſentina omnium vitiorum immerſi, plures Deos admitterent, beſtiis, rebuſque vitæ expertibus cultum deferrent, ac pro Diis colerent, eorum inſuper Sacra, ſicut ipſemet fatetur *Porphyrius*, Scriptor Ethnicus, in libro quem edidit: *De abſtinentia ab eſu animalium*, plena erant crudelitate, Deos ſuos humano ſanguine ubique ferme placabant (quem barbarum morem nec Græcorum, nec Romanorum mores ſuſtulerunt.) Nihil ſpirabant Gentiles niſi ultionem, vindictam, arma, bella, ſtrages, incendia. Nullam apud illos latrocinia infamiam habebant, Gladiatorum mutuæ dilaniationes licitæ & honoris loco ducebantur, erantque publica populorum oblectamenta: exponere liberos ſuos, eoſque Dæmoniis immolare, mactare, ſacrificare quotidianum: concubitus marium cum maribus exemplis Deorum ſuorum impune ac palam defendebant. Prætermitto turpiſſimos mores, quibus, ut videre eſt apud *Euſebium* lib. 6. *Præparation. Evangelicæ* cap. 10. Perſæ, Bactri, Parthi, Armeni nuptiarum honeſtatem, & jura contaminarunt, atque infandam libidinem approbarunt. Porro, hæc crimina, hos nefandos variarum prophanarum Gentium mores damnat Lex Moſaica, eaque ad bene ſancteque vivendum præcepta præſcribit, ut multi Scriptores Ethnici Judęos, in hac Lege inſtitutos, ob morum integritatem, encomiis celebrarint, ſicut probant *Joſephus*, Hebręus, in libris contra *Apionem*, & *Euſebius* lib. 10. *Præparation. Evangelicæ*. Tertium argumentum, quo probatur, libros Moyſis divinam habere auctoritatem, petitur ex his vaticiniis, quę de venturo Meſſia aut ab aliis fuſa, aut a ſe prolata, refert Moyſes in ſuo Pentateucho, quęque in Jeſu Chriſto, vero Meſſia

poſt

Digitized by Google

poſt multorum ſæculorum myriades, adimpleta fuiſſe ſuperius oſtendimus. Prædictio autem futuri evidens eſt divinæ auctoritatis argumentum: *Idoneum opinor teſtimonium divinitatis veritas divinationis*, inquit *Tertullianus* cap. 20. *Apologetici*. Quartum de divina librorum Moyſis auctoritate argumentum ſuppeditant Jeſus Chriſtus, & ejus Apoſtoli, qui Moyſis Scripta laudarunt ad doctrinæ, quam hominibus prædicarunt, confirmationem: *Amen, amen, dico vobis*, (inquit Chriſtus cap. 5. Matthæi) *donec tranſeat cœlum & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit a Lege, donec omnia fiant*, &c. quibus verbis Chriſtus Dominus Legem Moyſis, id eſt, totum Moyſis Pentateuchum, etiam quantum ad minima, quæ in eo continentur, ſacra, divina, & infallibili pollere auctoritate palam declarat. Poſtremo, ut mittam cetera de divina Librorum Moyſis auctoritate argumenta, certum eſt, libros Moyſis ſemper a Judæis, quos olim Deus ſingulari protectione, innumeriſque beneficiis dignatus eſt, & quibus etiam credidit eloquia ſua, pro ſacris ac divinis habitos fuiſſe, & etiamnum haberi, tametſi in libris Moyſis multa de adventu Meſſiæ extent vaticinia, quæ in Jeſu Criſto, vero Meſſia, ſuiſſe adimpleta apertiſſime demonſtrant Chriſtiani. Hinc *S. Auguſtinus* cap. 46. lib. 18. *De Civitate Dei*, appellat Judæos *Capſarios Chriſtianorum*, qui libros noſtros circumferunt, *ut cum Pagani non credunt, quæ nos de Chriſto prædicta eſſe dicimus, mittamus eos ad inimicos fidei noſtræ Judæos, qui libros neſtros circumferunt, in quibus eadem habentur, quæ nos prædicamus*. Et Concione 1. in Pſalmum 58. hæc habet idem Aquilinus Doctor: *Diſperſi ſunt Judæi, teſtes iniquitatis ſuæ, & veritatis noſtræ...ſi aliquando Paganus dubitaverit, cum ei dixerimus Prophetias de Chriſto, quarum evidentiam obſtupeſcit; & admirans putaverit a nobis eſſe conſcriptas, de Codicibus Hebræorum probamus, quia hoc totum ante prædictum eſt. Videte, quomodo de inimicis noſtris alios confundimus inimicos*. Judæos etiam *S. Thomas* Lectione 2. in Cap. 9. Epiſt. ad Rom. vocat *capſarios noſtros, cuſtodientes libros, a quibus fidei noſtræ teſtimonium perhibetur*.

D. Legem Moſaicam veros divinæ auctoritatis characteres habere, ſolide quidem probaſti, optarem tamen, ut modo explicares quædam Apoſtoli *Pauli* teſtimonia, quibus, ut nuperrime audivi, abutuntur nonnulli, ut Legis Moſaicæ elevent auctoritatem, doceantque, illam ſuis umbris, figuris, ac terroribus hypocritas, & vilia duntaxat mancipia fecisſe, atque cupiditates irritaſſe potius, quam coercuiſſe. Ait enim Apoſtolus Epiſt. ad Galatas cap. 4. v. 9. cæremonias Veteris Legis eſſe *infirma & egena elementa*. Epiſt. ad Romanos capit. 4. v. 15. *Lex enim iram operatur*. Epiſt. 2. ad Corint. cap. 3. v. 6. idem Apoſtolus de Lege Moſaica, ait: *Littera occidit, Spiritus autem vivificat*. Et verſu ſequenti appellat Legem Moſaicam, *adminiſtrationem mortis*. Denique, Epiſt. ad Hebræos cap. 7. v. 18. hæc ſcribit: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit Lex*. Explica igitur, ſi placet, hæc Apoſtoli *Pauli* teſtimonia, quæ prima fronte, ut libere dicam, auctoritati & utilitati Legis Moſaicæ haud parum derogare videntur.

M. Ad germanam exponendam Apoſtoli *Pauli* mentem, variæ poſſunt teſtimoniorum, quæ laudaſti, afferri interpretationes. In primis, Apoſtolus non ait, Legem Moſaicam eſſe per ſe *adminiſtrationem mortis*, ſeu per ſe impellere ad peccatum, & irritare cupiditates, ſed tantum ex occaſione. Lex enim Moſaica ad peccatum per ſe non impellebat, ſed ex occaſione duntaxat, quia cupiditas, occaſione accepta ex Lege indicante malitiam peccati, magis excitabatur & irritabatur. Loquitur enim his in locis Apoſtolus *Paulus* non de omnibus indiſcriminatim Judæis, ſed tantum de illis, qui carnales erant, quique dum metu pure ſervili ſervabant externa Legis præſcripta, ſe pro juſtis arroganti ſupercilio venditabant, cum revera non ſervarent Legem, interius madentes vitiis, & id, quod totius Legis caput erat, negli-

negligentes. Hanc eſſe genuinam Apoſtoli *Pauli* mentem patet ex ipſius Epiſtola ad Romanos cap. 7. ubi hæc habet: *Nam peccatum, occaſione accepta per Mandatum*, ſeu per Legem, *ſeduxit me, & per illud occidit. Itaque Lex quidem ſancta, & Mandatum ſanctum, juſtum, & bonum*. Non damnat itaque Apoſtolus Legem Moſaicam, quam potius fatetur eſſe bonam, juſtam, & ſanctam, ſed perſtringit vitium quorumdam carnalium Judæorum, qui, occaſione accepta cognitionis peccati per Legem, excitabantur, ſtimulante cupiditate, ad peccandum, vel qui perfectioni Legis non reſpondebant, vel qui Lege abutebantur contra ſcopum & finem Legis, vel qui non diſtinguebant id, quod temporaneum eſſe debebat in Lege, ab eo, quod in ea debuit eſſe perpetuum. Præterea, Apoſtolus *Paulus* in his, quæ citaſti, locis, vult ſolum oſtendere, Legem Moſaicam non habuiſſe ex ſe vim conferendi veram juſtitiam, ſeu dandi gratiam ſanctificantem. Hinc Epiſt. ad Galatas cap. 3. v. 11. ait: *Quoniam ex Lege nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt, quia Juſtus ex fide vivit, Lex autem non eſt ex fide*. Rurſus ibidem v. 21. inquit: *Si enim data eſſet Lex, quæ poſſet vivificare, vere ex Lege eſſet juſtitia, ſed concludit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus*. Et ad Romanos cap. 3. dicit: *Quia ex operibus Legis non juſtificabitur omnis caro coram Deo, per Legem enim cognitio peccati*. Id igitur diſcriminis eſt, juxta Apoſtolum *Paulum* inter Legem Veterem, ſeu Moſaicam, & Legem novam, ſeu Evangelicam, quod Lex Vetus præcipiebat tantum, non promittebat, nec vi ſua gratiam dabat, ut impleretur amore, quia per eam non dabatur Spiritus Sanctus, qui eſt principium amoris. Lex etiam Vetus jubebat, non ex ſe juvabat; peccatum puniebat, non ex ſe tollebat; exigebat, non dabat; onerabat, non roborabat; erat Lex timoris, non amoris, multaque, propter Hebræorum cordis duritiem tolerabat, quæ erant imperfecta, ſicut libellum repudii, polygamiam, pœnam talionis, &c. Aſt, Lex Nova, ſeu Evangelica, & præcipit, & promittit, & jubet, & roborat; exigit, & adjuvat, dat quod exigit, ſeu ſpiritum non ſervitutis in timore, ſed adoptionis filiorum Dei, ut ait Apoſtolus Epiſt. ad Romanos cap. 8. indeque Lex Nova appellatur Lex amoris: *Hæc eſt* (inquit S. *Auguſtinus* cap. 17. libri contra *Adimantum*) *breviſſima & apertiſſima differentia duorum Teſtamentorum, timor, & amor; illud ad hominem veterem, hoc ad novum hominem pertinet*. Explanata ſat ſuperque Apoſtoli Pauli mente, nunc duos e diametro oppoſitos, circa Legem Moſaicam errores, oculis tuis ſubjiciam, a quibus perinde cavere debes. Primus error eſt *Pelagii*, ejuſque Diſcipulorum, qui, Legem Moſaicam nimium extollentes, aſſerebant, juſtos, qui vixerunt ante Legem Evangelicam, juſtitiam, ſeu morum ſanctitatem, & ſalutem æternam fuiſſe conſecutos non per fidem in Chriſtum venturum, ſed vi Legis Moſaicæ, quæ gratiam ſanctificantem eis conferebat: *Agnoſcimus hereſim veſtram* (ſic Pelagianos alloquitur *Auguſtinus* lib. 2. Operis imperfecti contra *Julianum*:) *definivit enim Pelagius, quod non ex fide Chriſti antiqui vixerunt juſti*. Sed hic Pelagianorum error proſcriptus eſt in Synodo Dioſpolitana, & ab Apoſtolo *Paulo* c. 2. v. 16. Epiſt. ad Galatas fuit præfocatus his verbis: *Scientes autem quod non juſtificatur homo ex operibus Legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti: Et nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus Legis; propter quod ex operibus Legis non juſtificabitur omnis caro*. Et v. 21. ejuſdem capitis: ait: *Non abjicio gratiam Dei. Si enim per Legem juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*. Alter error, circa Legem Moſaicam, eorum eſt, qui docent, Legem Moſaicam ad irritandas magis cupiditates, quam ad illas coercendas idoneam fuiſſe: Deum illos omnes, qui ſub Lege Moſaica vixerunt, reliquiſſe in impotentia obſervandi Legem. Denique, *Moyſem*, Prophetas, Sacerdotes, & Doctores Legis Moſaicæ nullum Deo dediſſe filium, ſed ſolum effeciſſe mancipia per timorem.

Hu-

Digitized by Google

Hujus erroneæ doctrinæ præcipui aſſertores ac patroni fuerunt *Deſiderius Eraſmus*, & *Paſchaſius Queſnellus*, quorum prior nonnullas protulit Propoſitiones, quas hic inſeram cum Cenſura, quam ſacra Facultas Pariſienſis in eas tulit die 17. menſis Decembris anni MDXXVII. & quæ extat Tomo IX. ejuſdem *Eraſmi* Operum poſtremæ Editionis Lugduni Batavorum anii MDCCVI. a pag. 815. uſque ad pag. 954. Alter vero Scriptor, ſeu *Paſchaſius Queſnellus*, aliquot itidem circa Legem Moſaicam propoſitiones, quas hic etiam referam, docuit, quæ a *Clemente XI.* Pontifice Maximo, in Conſtitutione, quæ incipit, *Unigenitus Dei Filius*, quæque data eſt die 8. menſis Septembr. anni MDCCXIII. proſcriptæ ſunt. Ordiar autem a Propoſitionibus *Eraſmi*, quarum prior hæc eſt:

Cum Lex terrorem incuteret potius quam amorem, quid ſupererat, niſi poſteaquam per Legem didicerant homines ſe peccatis obnoxios, nec potuiſſe ab his temperare; ſimulque ſcirent Dei, ſeveri Vindicis, judicium neminem poſſe effugere, niſi ut trepidarent, horrerent, ac deſperarent. Quis autem amare poteſt, quem horret? Hæc propoſitio, quæ inter multas *Eraſmi* Propoſitiones a ſacra Facultate Pariſienſi confixas eſt ordine 24. excerpta eſt e *Paraphraſi Eraſmi* in cap. primo Evangelii Sancti *Marci*.

Cenſura ſacræ Facultatis Pariſienſis.

Hæc propoſitio innuens, homines Veteris Legis non potuiſſe vitare peccata, & magis induci per Legis cognitionem ad deſperationem, quam ad amorem, eſt injuria Legi & Legislatori Deo. Tradidit enim Dominus Legem, non per quam perirent homines, ſed juſtificarentur (ideſt, illi, qui habentes fidem in Chriſtum venturum, Legem obſervabant) juxta illud Apoſtoli: (*Ad Rom. cap. 7.*) *Lex quidem ſancta & Mandatum juſtum*. Et illud Levitici: (*Levit. c. 18.*) *Cuſtodite Leges meas atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis. Neque enim Deus ad impoſſibile obligavit per Legem Moſaicam, cum non poſſit eſſe injuſtus.*

Propoſitio ſecunda, quæ in Cenſura Facultatis Pariſienſis eſt ordine 25. excerpta eſt ex Paraphraſi *Eraſmi* in c. 1. Evangelii *S. Marci*.

Lex Moyſis morbis, victimis, ac terroribus fecit Hypocritas.

Cenſura Facultatis Pariſienſis.

Hæc Propoſitio rurſus Legi Moſaicæ contumelioſa eſt, & ipſi Deo, qui hujuſmodi umbras, victimas, & cæremonias Legis inſtituit; quæ ſua inſtitutione ad bonum inducebant, & veritatem figurabant Novæ Legis.

Propoſitio tertia, quæ in Cenſura Facultatis Pariſienſis eſt ordine 26. deprompta eſt ex Paraphraſi *Eraſmi* in caput 6. Epiſt. ad Romanos.

Lex cupiditates irritabat, potius quam coercebat.

Cenſura Facultatis Pariſienſis.

Hic non convenienter uſus eſt Scriptor officio Paraphraſtæ. Quandoquidem Lex de ſe potius coercebat cupiditates, quam irritabat. Non enim data eſt Lex a Deo ad incitandum homines in peccata, ſed ad cohibendum, alioqui non eſſet ſancta neque juſta.

His *Eraſmi* Propoſitionibus, a ſacra Facultate Pariſienſi anno MDXXVII. damnatis, affines ſunt aliquæ Propoſitiones *Queſnelli* circa Legem Moſaicam, quas una cum aliis ejuſdem Scriptoris Propoſitionibus *Clemens XI.* Summus Pontifex anno MDCCXIII. confixit in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*, &c.

F 2 Pro-

Digitized by Google

Propoſitio *Queſnelli*, quæ, inter centum & unam Propoſitiones, a *Clemente XI.* damnatas, eſt ordine ſexta:

Diſcrimen inter fœdus Judaicum & Chriſtianum, eſt, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum Legis a peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia: in iſto vero Deus peccatori dat quod jubet, illum gratia ſua purificando.

Hæc *Queſnelli* Propoſitio, quatenus aſſerit, homines, qui erant ſub Lege Moſaica, relictos fuiſſe a Deo in impotentia obſervandi Legem, coincidit cum prima Propoſitione *Eraſmi*, qui itidem docebat homines, ſub Lege Moſaica, peccatis obnoxios, *non potuiſſe ab illis ſe temperare*, & ideo fuit jure merito damnatus a ſacra Facultate Pariſienſi, quia, ut ait celeberrima illa Academia in ſua Cenſura: *Neque enim Deus ad impoſſibile obligavit per Legem Moſaicam, cum non poſſit eſſe injuſtus*. Porro, injuſtus fuiſſet Deus, ſi illis imponendo obligationem adimplendi Legem Moſaicam, eos tamen reliquiſſet in impotentia obſervandi Legem, hoc eſt, ſi non eis contuliſſet, vel ſaltem, non obtuliſſet gratiam, qua præcepta Legis Moſaicæ ipſis redderentur poſſibilia. Quamvis certum ſit, Deum multis carnalibus Judæis, qui gratiis illis ſibi a Deo collatis, vel oblatis, quibus Legis Moſaicæ præcepta reddebantur eis poſſibilia, propria malitia & cupiditate reſiſtebant, juſto judicio denegaſſe ulterius auxilium, ſeu per ſe efficax, neceſſarium ad actualem obſervationem præceptorum Legis Moſaicæ, quodque Deus ex ſe paratus erat illis conferre, niſi illi, propria malitia & dominante cupiditate, gratiis illis ſibi a Deo collatis, vel oblatis, quibus præcepta Legis Moſaicæ reddebantur eis poſſibilia, obicem & impedimentum data opera poſuiſſent. At, in hac denegatione auxiliorum per ſe efficacium, reſpectu quorumdam carnalium Judæorum, non eſt conſtituendum diſcrimen inter fœdus Judaicum & Chriſtianum, quemadmodum *Eraſmus* & *Queſnellus* perſuadere voluerunt. Nam Deus etiam Chriſtianis, qui ſunt in ſtatu Legis gratiæ & Evangelicæ, quique gratiis illis a Deo ſibi vel conceſſis, vel oblatis, per quas præcepta Legis Evangelicæ redduntur eis poſſibilia, propria malitia & æſtuante cupiditate reluctantur, juſto judicio denegat gratias per ſe efficaces ad actualem obſervationem præceptotum Legis Evangelicæ neceſſarias, quas tamen Deus *de ſuo bonus*, ut inquit *Tertullianus*, paratus eſſet illis conferre, niſi ipſimet ſua malitia & effervеſcentis cupiditatis vitio obſiſterent illis gratiis, quas Deus ipſis largitur, vel offert, & per quas fiunt eis poſſibilia præcepta Legis Evangelicæ. Et iſti ſunt, qui, ſicut ait Scriptura Sacra, *rebelles ſunt lumini*, & dicunt Deo: *Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*. Jure itaque optimo utraque *Eraſmi* & *Queſnelli* propoſitio damnata eſt, quia, ut docet Sanctus *Thomas* 1. 2. quæſt. 98. artic. 2. ad 4. Quamvis *Lex Vetus non ſufficeret ad ſalvandum homines, tamen aderat alîud auxilium a Deo hominibus ſimul cum lege, per quod ſalvari poterant, ſcilicet fides Mediatoris, per quam juſtificati ſunt antiqui Patres ... Et ſic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis ſalutis auxilia.*

Altera Queſnelli *Propoſitio, quæ inter centum & unam Propoſitiones*, a Clemente XI. *proſcriptas, eſt ordine ſexageſima quinta:*

Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui ſunt, abſque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint niſi mancipia per timorem.

Hæc Propoſitio *Queſnelli* juſta de cauſa Vaticano protrita fuit fulmine. Una quippe eſt omnium ſanctorum Patrum ſententia, Moyſem, Prophetas, Sacerdotes

tes, & Doctores Veteris Legis, expreſſam & explicitam habentes fidem in Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam, ac Liberatorem a Deo promiſſum, pertinuiſſe ad Eccleſiam Chriſti, & jam non nomine, ſed re ipſa fuiſſe Chriſtianos. Eccur igitur non Deo dederunt, antequam morerentur, ullum filium, & non effecerunt niſi vilia mancipia per timorem? Præterea, conſtat, Moyſem & Prophetas, qui Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, prædixerunt adventum, induxiſſe multos Iſraelitas, qui jam per Legem cognoſcebant ſe eſſe peccatores (*Per Legem* enim, ut inquit Apoſtolus in Ep. ad Romanos, *cognitio peccati*) ut intelligerent, ſibi opus eſſe Salvatore, ſeu Jeſu Chriſto, in eum crederent, ejus adventum ardentibus votis & precibus deſiderarent, atque ſicut docet *S. Thomas* loco mox a me laudato in reſponſione ad 3. Argumentum, *recurrerent ad auxilium gratiæ ejus*. Quis autem dicat, ejuſmodi Iſraelitas, ſic a Moyſe, & a Prophetis inſtructos, per fidem, quam habebant, in Chriſtum venturum, juſtitiæ dono præditos, adeoque jam pertinentes ad Eccleſiam Chriſti, fuiſſe tamen vilia duntaxat timoris mancipia; & non vere filios, Chriſto Salvatori noſtro, per fidem & charitatem adhærentes? Fateor quidem ultro, Legem Moſaicam non habuiſſe vim juſtificandi, ſed dico, illam eo tendiſſe, ut Judæi, cognoſcentes per Legem ſe eſſe peccatores, ſuæ infirmitatis conſcii ſibique diffiſi, ad gratiam confugerent, opem Salvatoris, a quo ſolo ſanari, & veniam peccatorum conſequi poterant, implorarent. Non ſecus ac ſi Medicus alicui ægroto, qui ſibi ſanus videretur, præſcriberet, ut quotidie mille paſſus ambularet, eo fine, ut ſtatim ac virium ſuarum imbecillitatem cognoverit, Medico ſe curandum ac ſanandum committat. Addo etiam, hanc Propoſitionem *Queſnelli* in eumdem recidere ſenſum, quem habet ſuperius inſerta *Eraſmi* Propoſitio, a ſacra Facultate Pariſienſi proſcripta, hiſque verbis concepta: *Lex Moys umbris, victimis, ac terroribus fecit hypocritas*. Si plura deſideres, legeſis *S. Thomam* lectione 8. in cap. 3. Epiſtolæ *Pauli* ad Galatas, ubi explicat, quo pacto Lex Moſaica non obſit gratiæ, nec ſit contra promiſſa Dei, ſed fuerit Pedagogus noſter in Chriſto, ſicut ait Apoſtolus *Paulus*. Præcipuam duntaxat rationem, qua nititur Angelicus ille Doctor, hic deſcribam: *Lex*, ſunt verba S. Thomę, *obſequitur promiſſis Dei in generali quantum ad duo. Primo, quia manifeſtat peccata, Epiſt. ad Rom. cap.* 3. per Legem cognitio peccati. *Deinde, quia manifeſtat infirmitatem humanam, in quantum homo non poteſt vitare peccatum, niſi per gratiam, quæ per Legem non dabatur. Et ſicut iſta duo, ſcilicet cognitio morbi, & impotentia infirmi multum inducunt ad quærendum Medicum: ita cognitio peccati & propriæ impotentiæ inducunt ad quærendum Chriſtum. Sic ergo Lex obſecuta eſt gratiæ, in quantum præbuit cognitionem peccati, & experientiam propriæ impotentiæ. Et ideo dicit Apoſtolus*, SCRIPTURA, *id eſt, Lex ſcripta*, CONCLUSIT, *ideſt, tenuit incluſos Judæos* SUB PECCATO, *ideſt, oſtendit eis peccata, quæ faciebant, ſicut ait Apoſt. cap.* 7. *Epiſt. ad Romanos*: concupiſcentiam neſciebam, &c. *Item Lex concluſit Judæos ſub peccato, quia, veniente Lege, ſumpſerunt occaſionem peccandi, ut ait Apoſt. ad Rom. cap.* 11. Concluſit Deus omnia in incredulitate, &c. *Et hoc ideo, ut homo quæreret gratiam. Et ideo dicit Apoſtolus*: UT PROMISSIO, *id eſt gratia repromiſſa, daretur non ſolum Judæis, ſed omnibus credentibus, quia illa gratia poterat liberare a peccatis, & hæc gratia eſt ex fide Jeſu Chriſti*. Quid, ſodes, hoc egregio *S. Thomæ* ratiocinio ad ſtabiliendum diſcrimen, quod intercedit Judaicum fœdus inter & Chriſtianum, clarius ac ſolidius dici poteſt?

D. Hoc unum *S. Thomę* ratiocinium, ad conſtituendum diſcrimen, quod eſt fœdus Judaicum inter & Chriſtianum, inſtar omnium argumentorum eſſe debet, planeque ſufficit ad refellendos errores, quorum mox meminiſti, & in quibus oppugnandis inſudarunt, ac multum operę nuperrime poſuerunt aliquot Theologi. Miſſis igitur *Eraſmi*, & *Queſnelli* circa diſcrimen, quod eſt fœdus Judaicum inter & Chriſtianum, erroribus; nunc ſub finem hujuſce noſtri Colloquii, in quo generatim de Moyſe, de Lege, quam de-

Digitized by Google

dit Hebræis, quorum ſubinde Legiſlator fuit, & de libris, quos conſcripſit, ſermonem habuimus, unum duntaxat proponam Dubium, quod ſpectat integritatem quinque librorum Moyſis, videlicet, *Geneſis*, *Exodi*, *Levitici*, *Numerorum*, *& Deuteronomii*, qui Pentateucho continetur. Cum enim iſti libri fuerint exarati a Moyſe, qui, ſicut ſuperius oſtendiſti, omnes Gentium Scriptores, Philoſophos, Poetas, Oratores, & Hiſtoricos, antiquitate ſuperavit; ſcire vellem, an, & quomodo hi libri Moyſis in tam longa ſæculorum ſerie, ac tanta viciſſitudine temporum puri & integri ad nos pervenerint? vel an temporum injuria, & odio Judæorum in Chriſtianos, fuerint data opera corrupti & interpolati, in his preſertim vaticiniis, quæ a Moyſe de adventu Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, fuſa eſſe, paulo ante commonſtraſti?

M. Sunt, ſat ſcio, nonnulli moderni Scriptores, qui aſſerunt, quemdam famoſum apud Judæos Rabbinum, dictum *Akibah*, qui ſub *Hadriano*, Imperatore, ſeu in ſecundo Eccleſiæ vivebat ſæculo, de induſtria ex Chronologia Patriarcharum, qui vixerunt ante & poſt Diluvium, expunxiſſe mille ac quingentos ferme annos. Qua facta annorum detractione, ajunt illi Scriptores, accidit, ut Chronologia Patriarcharum primæ & ſecundæ Ætatis, quæ extat nunc in Pentateucho Moyſis, ſeu in libro Geneſis, ſit corrupta, & contractior mille & quingentis annis calculo lxx. Interpretum. Verum, quia hanc modernorum Scriptorum ſententiam tam in Colloquiis noſtris in hiſtoriam primæ & ſecundæ Ætatis, quam in Diſſertatione quinta Tractatus, quem edidi: *De Myſteriis & annis Jeſu Chriſti*, pluribus momentis, falſi convici, ſupervacaneum omnino eſſet in ea operoſius confutanda hic diutius immorari. Contra igitur alios quoſdam recentiores itidem Scriptores probandum breviter ſuſcipio, Judæos nec voluiſſe unquam adulterare libros Moyſis, nec potuiſſe etiam illos corrumpere, tametſi ex malitia, vel odio in Chriſtianos perciti, id ſacrilegii attentare voluiſſent. Et ſane, Judæos nunquam voluiſſe contaminare libros Moyſis patet ex duplici potiſſimum capite. Primo, quia eadem vaticinia, quæ de venturo Meſſia cecinit Moyſes, vel jam ab aliis fuſa retulit in ſuo Pentateucho, quæque Apoſtoli & ſancti Patres priorum Eccleſiæ ſæculorum citarunt ad probandum Jeſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam a Moyſe prædictum, hæc, inquam, de venturo Meſſia vaticinia reperiuntur etiamnum pura, integra, & illibata in Pentateucho Moyſis. Nec ea vaticinia in dubium revocant Judæi, tametſi, ne fateri cogantur, Jeſum Chriſtum, quem in Crucem egerunt, eſſe verum Meſſiam, a Deo in libris Moyſis promiſſum, ſeſe miſere torqueant, atque in omne latus ſeſe vertant, quo illis vaticiniis tenebras offundant, illaque ſiniſtris, detortis, ac violentis adhibitis interpretationibus eludere poſſint. *Si ergo dixerunt aliqui*, inquit *S. Hieronymus* Commentario in cap. 6. Iſaiæ, *poſt adventum Domini Salvatoris, & prædicationem Apoſtolorum, libros Hebræos fuiſſe falſatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator, & Evangeliſtæ, & Apoſtoli teſtimonia protulerint, ut Judæi poſtea falſaturi erant.* Præterea, Judæos major librorum Moyſis tenebat Religio, quam ut illos vel ex malitia, vel ex odio Chriſtianorum depravare voluerint. Sic enim *S. Juſtinus*, Martyr, in ſuo Dialogo cum *Tryphone*, Judæo, de mutilatione Scripturæ Sacræ, cujus Auctores fuerant Principes Judæorum, inducit eumdem *Thryphonem*, his verbis reſpondentem: *Incredibilis videtur res illa, incredibilis, inquam, profecto videtur: horribilius ſiquidem eſt Vituli fabricatione, quam in terra deſerta facere manna expleti* (Judæi) *aut liberis mactatis Dæmonibus, aut Prophetarum ipſorum occiſione*. Eamdem erga omnes libros ſacros religionem omnium Judæorum animis inſediſſe, ita ut millies potius mori, & membratim diſcerpi maluiſſent, quam ut his quidpiam adderent, aut demerent, teſtantur *Joſephus* & *Philo*, Hebræi: idque facile colligitur ex libris, quos Judæi ediderunt, ut libros ſacros ab omni errore ſervarent immunes, præſertim ex inſigni illo Opere, quod *Maſſoram*, ideſt

Cri-

Criticam Sacram, appellant, ſuitque adornatum a peritiſſimis Scholæ Tyberiadis Rabbinis, ut puram Scripturæ Sacræ lectionem poſſent ſemper Judæi ſartam tectam cuſtodire, & ex libro, *Sopherim*, ſeu *Scribarum*, in quo pene innumera traduntur præcepta, ad rectam ſacrorum librorum deſcriptionem neceſſaria, ne quid videlicet vel leviſſimi erroris in eos temporum injuria obrepere poſſit, ſicut videre eſt apud *Joannem Morinum*, Congregationis Oratorii Presbyterum, cap. 6. *Exercitation.* 12. lib. 2. *de Hebrai*, *Graecique Textus ſinceritate*, apud etiam *Richardum Simonium*, ejuſdem Congregationis Presbyterum, in *Diſquiſitionibus Criticis*, & apud *Vvaltonum* in *Apparatu Biblico* Proleg. 8. qui de hoc libro *Sopherim* late ac erudite tractarunt. Hæc igitur ſi expendantur momenta, liquebit profecto, Judæos nunquam voluiſſe libros Moyſis, alioſque Scripturæ Sacræ libros, quos penes ſe habebant, corrumpere, ſed illos potius a tam immani ſcelere vehementer abhorruiſſe, nihilque tam cordi ac curæ ſemper habuiſſe, quam ut libros Moyſis, quem, ceu Legiſlatorem ſuum, ſumma veneratione proſequebantur, alioſque libros ſacros, quos ſuo Canoni adſcriptos habebant, ſumma adhibita diligentia ad ſeram uſque poſteritatem intactos atque illibatos tranſmitterent. Sed, ut dem, voluiſſe Judæos, odio in Chriſtianos impulſos, mutilare libros Moyſis; contendo tamen, illos tam ſacrilegum conſilium executioni mandare nunquam potuiſſe. Primo, quia incredibile prorſus eſt, Judæos, qui, poſt Urbis Jeruſalem deſtructionem, factam a *Tito*, filio *Veſpaſiani*, Imperatoris, per totum, qua late patet, Orbem fuerunt diſperſi, in depravationem librorum Moyſis, & aliorum Scripturæ concordibus votis, & animis ita conſpirare potuiſſe, ut nullus tam execrando ſceleri intercedere, nullus reclamare auſus fuerit, præſertim cum apud Judæos eſſent variæ Sectæ, videlicet Rabbaniſtarum, Karaitarum, Samaritanorum, Phariſæorum, Sadducæorum, qui ſeſe mutuo, & implacabili odio inſectantes, huic ſacrilegæ Codicum ſacrorum interpolationi conſentire renuiſſent. Secundo, Chriſtiani, qui hanc Judæorum in violandis ſacris Codicibus temeritatem facile reſcire potuiſſent ab illis Judæis, qui, teſte Euſebio in Hiſt. Eccleſ. a Judaiſmo ad Chriſtianos confugiebant, confeſtim in Judæos inſurrexiſſent, palamque oſtendiſſent, ex illis Exemplaribus Hebraicis, quæ penes ſe habebant, vel in ſuis Bibliothecis aſſervabant, ſacros Codices interpolatrice Judæorum manu fuiſſe aut ex malitia, aut invidia, vitiatos, adulteratos, & mutilatos. Quod tamen nunquam fecerunt Chriſtiani, ſed potius, ut antea dicebamus, Judæos tanquam Scripturæ Sacræ librorum capſarios noſtros, & fidiſſimos cuſtodes, laudarunt. Tertio, nulla ratione veroſimile fit, permiſiſſe Deum, ut Judæi falſarent, & immutarent libros Moyſis, alioſque Scripturæ Sacræ Codices, quos a ſacris Scriptoribus exarari voluit, ut ex his fontibus omnes Gentes, depulſa Idololatriæ caligine, ſalutares ſapientiæ haurirent aquas, & veræ Religionis documentis imbuerentur. Addo etiam, Sanctum Hieronymum, in nova, quam lucubravit, Scripturę Sacræ Verſione, Textum Hebræum, velut incorruptum, eſſe ſectatum, & Patres Concilii Tridentini authenticam declaraſſe, ſuoque calculo approbaſſe Editionem vulgatam, quæ adamuſſim reſpondet Textui Hebræo, tam in Pentatheuco Moyſis, quam in aliis ſacris Veteris Teſtamenti Libris. Ceterum, quamvis ipſe conſtanter doceam, Judæos ſummopere ſemper caviſſe, ne quis error Pentateuchum Moyſis, alioſque ſacros Veteris Teſtamenti Libros progreſſu temporis pervaderet, ac ſubinde Textum Scripturæ Sacræ originarium, videlicet Hebraicum, in his, quæ ad fidem, & mores ſpectant, eſſe etiamnum purum, integrum, nullaque labe contaminatum; non inficior tamen, vel temporis injuria, vel Scribarum negligentia irrepſiſſe in Textum Hebræorum Pentateuchi Moyſis, & aliorum Veteris Teſtamenti Librorum, errata quædam & leviora menda, ſicut poſt *Bellarminum*. & *Melchiorem Canum*, evincit *Vvaltonus* in Apparatu Biblico ad Biblia Polyglotta Londinenſia, Prolegom. 7. Non eo etiam inficias, fuiſſe

Digitized by Google

multos Rabbinos, qui ineptas, planeque nugatorias tradiderunt Scripturę Sacrę interpretationes, immo & aniles fabulas proprio marte excogitaſſe, quę poſtea Talmudi tam Babylonico, quam Hieroſolymitano insertę fuerunt. At ſiniſtras illas interpretationes, vanaque commenta & deliria, cum Rabbini in ſacros Codices non intruſerint, nulla ratione dici poſſe exiſtimo, eos de induſtria, & ex odio Chriſtianorum in ſacrorum Codicum depravationem certatim conſpiraſſe. Hęc, quę hactenus diximus, de antiquitate, revelatione, veritate, integritate, & auctoritate Librorum Moyſis, necnon de diſcrimine, quod eſt Legem Moſaicam inter & Legem Evangelicam, tibi abunde ſufficere debent ad habendam generalem notitiam Librorum, & Legis Moyſis; ſpecialem vero notitiam rerum, quę continentur in Pentateucho Moyſis, vel quas complectitur Lex Moſaica, dabimus, auxiliante Deo, in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam quartæ Mundi Ætatis.

D. Plene, juxta ac dilucide, in hocce Colloquio retuliſti Patriarcharum tertię Mundi Ætatis, Geſta, necnon eorum Scripta, in quibus Jeſu Chriſti, veri Meſſię, adventum prædixerunt. Supereſt nunc, ut, ſub finem noſtri Colloquii, annos Patriarcharum tertię Mundi Ætatis, quę incipit a vocatione *Abrahami*, & protenditur uſque ad profectionem Iſraelitarum ex Ægypto, juxta accuratiorem Chronologiam, digeras ac diſponas, atque eorum Geſta, compendioſe deſcripta, juxta ſeriem Chronologicam annorum a Creatione Mundi referas.

M. Tuæ utilitati conſulturus, Tabulam Chronologicam hic ſubjiciam, in qua annos, & geſta Patriarcharum, qui vixerunt in tertia Mundi Ætate uſque ad exitum Iſraelitarum ex Ægypto, connectam cum annis Mundi, qui interfluxerunt a vocatione *Abrahami*, a qua initium ducit tertia Mundi Ætas, uſque ad Iſraelitarum ex Ægypto profectionem, in qua eadem Mundi Ætas finem habet.

TA-

TABULA CHRONOLOGICA,

In qua Anni & Geſta Patriarcharum, qui vixerunt in tertia Mundi Ætate, connectuntur cum annis Mundi, qui effluxerunt a vocatione Abrahami, *a qua tertia Mundi Ætas ſumit exordium, uſque ad Iſraelitarum ex Ægyptio egreſſionem, in qua deſinit eadem Mundi Ætas.*

Ab anno a creatione Mundi MM. LXXXIII. quo contigit vocatio *Abrahami*, & cœpit tertia Mundi Ætas, uſque ad annum a creatione Mundi MM. XCIV.

PAtriarcha *Abrahamus* anno a creatione Mundi 2083. annos natus ſeptuaginta quinque, vocatus eſt a Deo, & exivit ex *Haran*, eique promiſit Deus, naſciturum ex ipſius ſemine Meſſiam, & daturum illi Terram Chanaan, in quam relicta cognatione ſua, juſſu Dei venit cum *Sara*, uxore ſua, & *Loth*, fratris ſui filio. *Loth* a patruo ſuo *Abrahamo* ſeparatur, & ſeſe recepit in urbem Sodomæ. Venit poſtea *Abrahamus* in Hebron. Quatuor Reges ſuperat. A *Melchiſedecho* benedicitur. Renovavit Deus promiſſionem *Abrahamo* de prole, eique juſſit, ut carnem ſuam, & omnis maſculini ſexus, circumcideret in ſignum Fœderis, quod cum eo pepigit. Futuram poſteritatis ſuæ annorum 400. peregrinationem, ſervitutem, & afflictionem (hoc eſt, per ducentos, & quindecim annos in Terra Chanaan, & per ducentos, & quindecim alios annos in Ægypto) a Deo docetur. *Loth*, nepos *Abrahami*, ab Angelo Sodomis ereptus, ac ſoſpes, & incolumis e Sodomorum urbe evaſit, antequam, ob nefariam ſuorum incolarum libidinem, hæc civitas igne cœleſti conſumpta eſſet. Uxor autem *Loth*, quod contra Angeli præceptum, muliebri curioſitate ducta, reſpexiſſet poſt ſe, confeſtim verſa eſt in ſtatuam ſalis.

Ab anno a creatione Mundi MM. XCIV. uſque ad ann. Mundi MMCX. LVIII.

Abrahamus anno a creatione Mundi 2094. ex *Agar*, ancilla ſua, quam in uxorem duxerat, genuit *Iſmaelem*, a quo originem habent Populi, dicti *Iſmaelitæ*. Sed hunc filium, una cum matre *Agar*, jubente Deo, domo ſua expulit *Abrahamus*, poſtquam ei, centeſimum annum agenti, anno a creatione Mundi 2108. *ex Sara*, ipſius conjuge, natus eſt, juxta divinas promiſſiones, *Iſaacus*, ex cujus ſemine proditurus erat Meſſias.

ſias. Hunc filium *Iſaacum* annos natum viginti quinque, Deus, volens *Abrahami* explorare fidem, & obedientiam, imperavit ei ut mactaret anno a creatione Mundi 2133. Sed dum *Abrahamus* ad filii ſui *Iſaaci* mactationem ſeſe accingeret, jamque ad eum immolandum gladio armatam manum extenderet, ab Angelo prohibitus eſt ne faceret. *Sara*, uxor *Abrahami*, & mater *Iſaaci*, e vivis exceſſit ann. a creatione Mundi 2145.

Anno a creatione Mundi MMCLVIII.

Abrahamus, anno Mundi 2148. filio ſuo *Iſaaco*, nato annos quadraginta, uxorem dedit, nomine *Rebeccam*, filiam *Bathuelis*, qui ex *Nachore*, fratre *Abrahami*, ortum ducebat.

Anno a creatione Mundi MMMCLX-VIII.

Rebecca, poſt viginti annos ſterilitatis a contracto matrimonio cum *Iſacco*, enixa eſt gemello partu *Eſau*, & *Jacobum* anno Mundi 2168. Quibus in utero ipſius antequam naſcerentur, colluctantibus, *Rebecca*, mater, a Deo, quem conſuluerat, reſponſum accepit, duarum diſſidentium Gentium Auctores ex ipſius utero prodituros.

Anno a creatione Mundi MMCL-XXXIII.

Abrahamus, centum ſeptuaginta quinque annos natus, mortuus eſt in ſenectute bona anno Mundi 2183.

Ab anno a creatione Mundi MMCCXLV. uſque ad ann. Mundi MMCCLXII.

Jacobus, filius *Iſaaci*, fratri ſuo, majori natu, ſuadente matre *Rebecca*, benedictionem patris *Iſaaci*, ſenio jam caligantis, ſubripuit anno Mundi 2245. & hac de cauſa, ut iram fratris ſui *Eſau*, quam in ſe concitaverat, declinaret, fugam arripuit, & ad *Laban*, avunculum ſuum, fratrem videlicet *Rebeccæ*, ſeſe contulit. Quo in itinere vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam. Appulſus *Jacobus* domum *Labani*, poſtulavit ab eo *Rachelem*, filiam ejus, ut eam ſibi matrimonio copularet. Annuit quidem *Laban*, ſed, per fraudem loco *Rachelis*, nocte in lectum *Jacobi* ſubmiſit *Liam*, ſororem *Rachelis*, natu maximam, quam uxorem ducere coactus eſt *Jacobus*, qui poſtea tamen, *Rachelem*, quam impenſe diligebat, in uxorem accepit,

pit,

Digitized by Google

pit, & ex utraque ſorore, atque ex earum ancillis, nimirum ex *Bala* & *Zelpha*, quas itidem ſibi matrimonio junxit, ſuſcepit duodecim mares filios, qui fuerunt Patriarchæ duodecim Tribuum Iſrael.

Beneficia, quibus Deus *Jacobum*, toto eo tempore, quo apud *Laban* ſocerum ſuum manſit, curam ipſius gregis habendo, abunde cumulavit, moverunt invidiam *Laban*. Quo factum eſt, ut *Jacob* ex ædibus *Laban* una cum uxoribus ſuis, & prole, & gregibus capeſſiverit fugam. In itinere luctatus eſt cum Angelo, & prævaluit, indeque dictus ISRAEL, hoc eſt, *prævalens Deo*, cujus perſonam referebat ille Angelus. In patriam quoque revertens *Jacobus*, fratrem ſuum *Eſau*, quem obvium in itinere habuit, muneribus, obſequiis, & officiis placavit.

Ab anno a creatione Mundi MM. CCLXII. uſque ad ann. MMCCL-XXII.

Simeon & *Levi*, filii Patriarchæ *Jacobi*, ob raptum, & ſtuprum illatum vi ſorori ſuæ *Dinæ*, omnes ad unum Sichemitas injuſte trucidant. *Rachelem*, dilectam conjugem ſuam, *Jacobus* amiſit, quæ in partu, ideſt, poſtquam enixa eſſet *Beniaminum*, e vivis ſublata eſt. Filii Patriarchæ *Jacobi*, ægre admodum ferentes, quod *Joſephus*, frater, eſſet carior patri, in eum inſurrexerunt, eumque per ſummam perfidiam vendiderunt mercatoribus, a quibus ductus eſt in Ægyptum, ibique ſervivit *Putiphari*, Præpoſito Cubiculariorum *Pharaonis*, Ægyptiorum Regis. *Joſephus* natus erat annos ſeptemdecim, quando captivus fuit aſportatus in Ægyptum anno a creatione Mundi 2276. *Iſaacus* pater Jacobi, annos natus centum octoginta, mortuus eſt anno Mundi 2228. *Joſephus* in Ægypto ſerviens *Putiphari*, de vi illata pudicitiæ uxori heri ſui ab eadem uxore, cujus libidini conſtanti animo obſtiterat, falſo accuſatus, in carcerem conjectus eſt, in quo poſtquam per triennium manſiſſet, ſeque ſagacem ſomniorum interpretem probaſſet, in Aulam *Pharaonis*, annos natus triginta accitus eſt, ut interpretaretur ſomnium iſtius Ægyptiorum Regis anno a creatione Mundi 2289. hoc eſt, 13. annis, poſtquam venditus a fratribus ſuis, ductus eſt in Ægyptum. Declaravit autem *Joſephus* ſomnio Regis *Pharaonis*

Ab anno a creatione Mundi MM-CCLXXII. uſque ad ann. Mundi MM. DXIII. quo *Moyſes* Iſraelitas eduxit ex Ægypto.

Digitized by Google

nis portendi, fore poſt ſeptem annos fertiles, famem, quæ per totidem annos erat duratura. Rex *Pharao*, fidem habens verbis *Joſephi*, curavit, ut per ſpatium ſeptem fertilium annorum ingens undequaque colligeretur frumenti copia, & huic negotio, totiuſque Imperii Ægyptiorum regimini *Joſephum* præfecit. Poſt transactos ſeptem fertilitatis annos, ubi obtigerunt anni ſteriles, quoniam aliis in Regionibus non ſuppetebat frumentum, & maxima graſſabatur fames, coacti ſunt fratres *Joſephi* deſcendere in Ægyptum, quos primum, ceu viros ſibi omnino ignotos, & Ægypti exploratores excepit *Joſephus*, ſed tandem ſe illis manifeſtum fecit, patremque ſuum cum tota familia ad ſe in Ægyptum accerſivit anno a creatione Mundi 2298. Habitavit autem *Jacobus* in Ægypto, ſeu in Terra Geſſen, & poſſedit eam, & multiplicatus eſt nimis, & in ea vixit annis ſeptemdecim; natuſque annos centum quadraginta ſeptem, mortuus eſt anno a creatione Mundi 2315. Moriens Patriarcha *Jacobus*, celebre edidit vaticinium de tempore, quo oriturus eſſet Meſſias, quod in Jeſu Chriſto fuit omni ex parte adimpletum. *Joſephus* etiam, filius Patriarchæ *Jacobi*, poſtquam in Ægypto præfuiſſet annis 80. migravit ex hac vita anno a creatione Mundi 2369. cum expleſſet centum, & decem annos vitæ ſuæ. Poſteri autem Patriarchæ *Jacobi*, ſic in Ægypto propagati ſunt, ut, poſt ducentos, & quindecim annos, per quos manſerunt in Ægypto, pluſquam ſexcentum mille numerarentur animæ, prognatæ e familia *Jacobi*, qui in Ægyptum cum ſeptuaginta duntaxat animabus advenerat. Hæc Iſraelitarum in Ægypto multiplicatio invidiam Ægyptiorum illis conflavit, & defuncto Ægyptiorum Rege, cui *Joſephus* placebat, tam duram ſervitutem deinceps experti ſunt Iſraelitæ, ut labentibus annis, Rex Ægypti, *Pharao* dictus, ferale promulgarit Edictum, quo jubebat, ut omnes Hebræorum pueruli, recens nati, projicerentur in flumen, ne ad ætatem adultam pervenire poſſent. Tunc in Ægypto anno poſt obitum *Joſephi* ſexageſimo quarto, anno autem a creatione Mundi 2433.

natus

natus eſt *Moyſes*, ita appellatus, quod ex aquis, quibus a parentibus fuerat expoſitus, eductus ſit miniſterio filiæ Regis Ægyptiorum. *Moyſes*, ubi adoleviſſet, Aulam Regiam, in qua fuerat educatus, contemnens, fugit in ſolitudinem, ubi a Deo, qui eum in rubo ardenti alloquebatur, juſſus eſt Populum Hebræum ex Ægypto liberare. Hoc Dei Mandatum *Moyſes*, una cum fratre ſuo *Aarone*, in virtute multorum prodigiorum ſignificavit *Pharaoni*, Ægyptiorum Regi, a quo tamen, ut pote in malo maxime obdurato, nonniſi poſt decem plagas, quas Deus per *Moyſem* toti Ægypto inflixit, Hebræi tandem aliquando dimiſſi ſunt, ut eo properarent, quo illos per *Moyſem* vocabat Deus. Pridie autem quam ex Ægypto proficiſcerentur Hebræi, juſſit illis *Moyſes*, ut mactarent Agnum, ejuſque ſanguine aſpergerent oſtia ſua. Angelus exterminator, qui noctu cunctas Ægyptiorum domus pervadens, omnes eorum primogenitos interfecit, ab Iſraelitis, quorum domos ſanguis Agni diſtinguebat, omnino abſtinuit. Sic nos Chriſtiani pretioſo ſanguine Jeſu Chriſti, qui verus eſt agnus immaculatus, ſervamur ab æterna morte, & per aquas Sacramenti Baptiſmi, quibus mergitur peccatum, ad vitam migramus æternam.

Moyſes, annos natus octoginta, Iſraelitas ex Ægypto eduxit, atque in libertatem vindicavit anno a creatione Mundi 2513. A vocatione vero *Abrahami* 430. Iſraelitas, Duce *Moyſe*, ex Ægypto profectos, Rex *Pharao*, mutato conſilio, inſecutus eſt, ut illos ſervituti denuo manciparet, &, ſicut eleganter ait *Sulpitius Severus* lib. 1. *Hiſtoriæ Sacræ: furens animi*, *quo angebatur*, ille Rex, *tot hominum millia Regno*, *& Poteſtati decedere*, *exercitum prope educit*: *jamque eminus arma*, *ſignaque*, *& protenta patentibus late campis acies viſebantur*, *cum Hebræis*, *metu trepidis*, *ad Cælum aſpectantibus Moyſes a Deo monitus*, *percuſſum virga mare diſcidit*. *Ita populo cedentibus in latera aquis*, *velut*,

Anno a creatione Mundi MMDXIII. a vocatione *Abrahami* CCCCXXX.

lut in continenti, iter pervium fuit. Nec cunctatus Rex Ægyptius cedentes inſequi, mare, qua patebat, ingreſſus; mox coeuntibus aquis, cum omni exercitu deletus eſt. Tunc Moyſes incolumitate ſuorum, exitio hoſtium, virtuteque Dei exultans, Canticum Domino cecinit (quod legitur cap. xv. ſacri libri *Exodi*) *idemque omnis turba virilis ac muliebris ſexus fecit.*

D. Ex ea, quam hic attexuiſti, Tabula Chronologica facile intelligo, a vocatione *Abrahami*, quæ contigit anno a creatione Mundi MM LXXXIII. & a qua exordium ſumit tertia Mundi Ætas, uſque ad Iſraelitarum ex Ægypto profectionem, quæ accidit anno a creatione Mundi MMDXIII. & in qua deſinit tertia Mundi Ætas, interfluxiſſe annos quadringentos, & triginta, per quos Deus prædixerat *Abrahamo*, poſteritatis ſuæ peregrinationem duraturam, hoc eſt, poſteros *Abrahami*, a tempore Vocationis illius Patriarchæ fore peregrinos in terra Chananæa per ducentos, & quindecim annos, illoſque poſtea per alios ducentos, & quindecim annos in Ægypto manſuros, tanquam peregrinos, antequam poſſiderent Terram Chanaan, quam Deus *Abrahamo*, ejuſque poſteris daturum ſe promiſerat, ſicut memini, te jam obſervaſſe contra nonnullos Scriptores, qui perperam aſſerunt, Hebræos per quadringentos, & triginta annos in Ægypto peregrinos, & afflictos fuiſſe. At, cum bona venia tua dixerim, hora, quæ nunc imminet prandii, noſtrum huc uſque protractum cogit finire Colloquium. Scis etenim celebratum a *Plutarcho*, *Gellioque* iſtud *Catonis* dictum, ex Oratione quadam, qua diſſuaſit Legem Agrariam, quamque ſic exorſus eſt, ut dicat, arduum eſſe ad *Ventrem* verba facere, qui *careat auribus*. Interpellante itaque fame, domum me recipio, ut poſt prandium poſſim facilius præparare me ad proximum Colloquium: in quo de Hiſtoria quartæ Mundi Ætatis, quæ ab exitu Iſraelitarum ex Ægypto initium habet, deſinitque in quarto anno Regni *Salomonis*, quo ab eodem Rege jacta ſunt Templi Hieroſolymitani fundamenta, differere incipiemus: *expleto* ſiquidem *ventre*, ſicut vulgari fertur Adagio, *melior eſt conſultatio*, ſive ut ait *Plutarchus* lib. 7. *Sympoſiacon*: *Conſultatio tum melior, cum expleveris alvum*.

HI-

HSTORIA ECCLESIASTICA VETERIS TESTAMENTI;

SEU

QUARTÆ MUNDI ÆTATIS,

Quæ initium habet ab exitu Iſraelitarum ex Ægypto, & deſinit in quarto anno Regni Salomonis, *quo, ab eodem Rege jacta ſunt Templi Hieroſolymitani fundamenta.*

HEBRÆI, inquit eleganter *Lactantius* cap. x. libri „ IV. *Divinarum Inſtitutionum*, ex Ægypto „ egreſſi in ſolitudinem multa mirabilia viderunt, „ nam cum ſitim paterentur, ictu virgæ rupe „ percuſſa, proſiliit fons aquæ, populumque re- „ creavit. Quo rurſus eſuriente, cœleſtis ali- „ menti pluvia deſcendit, quin etiam coturnices in caſtra eo- „ rum ventus induxit, ut non modo pane cœleſti, ſed etiam „ inſtructioribus epulis ſaturarentur. Pro his tamen divinis be- „ neficiis honorem Deo non reddiderunt, ſed depulſa jam ſervi- „ tute, jam ſiti fameque depoſita, in luxuriam prolapſi ad pro- „ phanos Ægyptiorum Ritus animos tranſtulerunt. Cum enim „ *Moyſes*, Dux eorum, aſcenderet in montem, atque ibi qua- „ draginta diebus moraretur, aureum caput Bovis, quem vocat *Apin*,

Digitized by Google

„ *Apin*, quod eos ſigno præcederet, figurarunt. Quo peccato;
„ ac ſcelere offenſus Deus, impium & ingratum populum pro
„ merito pœnis gravibus affecit, & Legi, quam per *Moyſem*
„ dederat, ſubjugavit. Poſtea vero, cum in deſerta parte Sy-
„ riæ conſediſſet, amiſerunt vetus nomen Hebræi, & quoniam
„ Princeps examinis eorum Judas erat, Judæi ſunt appellati,
„ & terra, quam incoluere, Judæa. Et primo quidem, non
„ dominio Regum ſubjecti fuerunt, ſed populo, ac Legi civiles
„ Judices præſidebant, non tamen in annum conſtituti ſunt,
„ ſicut Romani Conſules, ſed perpetua juriſdictione ſubnixi.
„ Tum ſublato Judicum nomine, poteſtas regalis inducta eſt.
„ Verum, Judicibus regimen eorum tenentibus, pravas religio-
„ nes ſæpe ſuſceperant, atque offenſus ab his Deus, toties
„ alienis ſubjugabat, donec rurſus pœnitentia populi mitigatus,
liberaret eos ſervitute. Quibus verbis *Lactantius* non ſolum dat generalem quamdam notitiam quartæ Mundi ætatis, ſed etiam oſtendit, ſtatum Reipublicæ Hebræorum aliquam ſubiiſſe mutationem in quarta Mundi ætate, quando videlicet Deus, dando *Moyſi* Legem in monte Sinai, eum conſtituit Reipublicæ Hebræorum Ducem, ac Principem, voluitque, ut poſt mortem *Moyſis*, eamdem Hebræorum Rempublicam adminiſtrarent, primum *Joſue*, deinde *Judices*, ac denique Reges. Hæc autem Reipublicæ Hebræorum ſtatus, poſt datam Legem a Deo, mutatio in hoc ſita fuit, quod ſtatus regiminis Hebræorum a vocatione *Abrahami* uſque ad illorum egreſſionem ex Ægypto eſſet pure Theocraticus, ideſt, immediate pendens a Deo, quem Hebræi ſolum Ducem, Rectorem, ac Præſidem agnoſcebant. At, Hebræi, poſt profectionem ex Ægypto, ferre non valentes præſentiam Dei, territi videlicet fulgoribus, in quibus Deus, dando Legem *Moyſi*, in monte Sinai, apparuit, orarunt Deum, ut non eos alloqueretur, ſed *Moyſe*, tanquam Miniſtro, & Mediatore, uteretur. Annuit eorum petitioni Deus, tuncque *Moyſes* cœpit ſub Deo regere Rempublicam Judæorum, cujus ſtatus evaſit Ariſtocraticus, & ſumma rerum, poſt Deum, penes Optimates fuit. Neque enim *Moyſes* ſolus Rempublicam Hebræorum adminiſtravit (ſicut optime obſervat *Carolus Sigonius* cap. v. lib. I. *De Republica Hebræorum*) ſed multis, iiſque bonis & prudentibus viris, rem totam commiſit, ut alii ſacra, alii prophana curarent. Ex his autem, qui operam rebus ſacris dederunt, unus erat duntaxat Pontifex, reliqui Sacerdotes & Levitæ. Qui vero rerum prophanarum curæ in cu-

Digitized by Google

cubuerunt, alii conſultationibus, alii judiciis vacarunt, nonnulli pacis, quidam belli ſtudia coluerunt, ac promoverunt) omnes tamen non ex arbitrio voluntatis, ſed ex præſcripto Legis ſuo fungi munere, in primiſque judicia & juſtificationes exercere conſtituit. Quam ob rem, etſi regimen Hebræorum cœperit eſſe ſub *Moyſe* Ariſtocraticum, attamen (uti perdocte obſervat *Petrus Cunæus* cap. 1. lib. 1. De Republica Hebræorum) *Moyſes*, Rempublicam Hebræorum conditurus, quæ in terris ſanctiſſima foret, ſummam rerum poteſtatem ſupremo Numini detulit, & cum alii nomina alta, ut res fert, reperiant, ac Monarchiam modo, Oligarchiamque, & interdum Democratiam appellent: nihil *Moyſes* horum fore pro natura, atque indole intellexit tanti Imperii. Igitur regiminis quemdam modum conſtituit, quem præſignificanter *Flavius Joſephus*, Hebræus, adverſus *Apionem* vocari poſſe *Theocratiam* ait, quaſi tu ejuſmodi civitatem dixeris, cujus Præſes, Rectorque ſolus Deus ſit. Quæcumque enim gerebantur, hujus geri judicio, ac numine profeſſus eſt. Idque ita verum eſſe claro documento probavit *Moyſes*. Etenim, qui omnia ex ſe uno prudentia videbat, quique populum oratione flectebat in omnem, quam volebat partem, nullam ex tam bella, & opportuna occaſione potentiam ſibi, nullas opes, nullos honores quæſivit. Id, quod profecto vix hominis eſſe videtur. Eſt enim inſita mortalibus Imperii cupido quædam, eaque vetus hercle admodum, & cunctis affectibus flagrantior, quam, ut ego exiſtimo, nunquam expellere e pectore ſuo *Moyſes* potuiſſet, niſi intereſſe & præeſſe rebus gerendis Deum vidiſſet, cum quo in ſocietatem Regni venire extrema dementia fuiſſet. Jam vero, quo firmior Hebræorum Reſpublica foret, ita ſanxit, edixitque, ut omnia ex Lege a Deo data fierent. Legis autem non Dominos, ſed Cuſtodes & Miniſtros, eſſe voluit Magiſtratus. Hinc fuit ſub *Moyſe* Hebræorum Reipublicæ ſtatus, ſub Deo, Ariſtocraticus, quem ſub *Joſue*, ſucceſſore *Moyſis*, ſub Senioribus & Judicibus, Hebræi, poſtquam ſuas ſedes, juxta promiſſionem divinam, in Terra Chananæa locaſſent, conſtanter retinuerunt, donec tandem ſtudio capti regiminis Gentium, poſtularunt a Deo per *Samuelem*, ultimum Judicem, ut daret illis Regem dicentes: *Conſtitue nobis Regem, ut judicet nos, ſicut & univerſæ habent Nationes*, cap. 8. v. 5. lib. 1. Regum. Conceſſit Deus Hebræis Regem, tuncque ſtatum

Reipublicæ Hebræorum Ariſtocraticum, in quo Lex potiſſimum cum Deo dominata erat, excepit Status Monarchicus, ſeu ſucceſſio Regum, e quorum nutu, & arbitrio, potius quam ex divinæ Legis Imperio Hebræi pendere cœperunt. Primus apud Hebræos Rex fuit *Saul*; ſecundus *David*, cui ſucceſſit filius *Salomon*, qui anno quarto Regni ſui conſtruxit Templum Hieroſolymitanum. A Rege autem *Salomone* Regnum in Familia Davidica apud Hebræos hæreditarium evaſit uſque ad Regem *Sedeciam*, qui a *Nabuchodonoſore*, Aſſyriorum Rege, cum Populo Judaico captivus in Babyloniam abductus eſt. Hanc brevem iſtius mutationis, quæ in quartæ Mundi Ætate contigit circa ſtatum Reipublicæ Hebræorum, notitiam præmittendam eſſe duxi, quo facilius ejuſdem quartæ Mundi Ætatis, quæ incipit ab exitu Iſraelitarum ex Ægypto, & finem habet in quarto Regni *Salomonis* anno, quo jacta ſunt Templi Hieroſolymitani fundamenta, Hiſtoriam in tribus Colloquiis, juxta præſcriptam nobis Legem, deſcribendam aggrediamur. In primo Colloquio referemus ea, quæ Hebræis ab eorum ex Ægypto profectione uſque ad Legem datam *Moyſi* a Deo in monte Sinai, & poſt Legem datam, acciderunt uſque ad obitum *Moyſis*; ibidemque explicabimus res præcipuas, quas ſpeciatim complectitur Lex a Deo data, quæ dicitur Moſaica, videlicet Præcepta, Ritus, Sacrificia, Sacramenta, Feſta, Immunditias Legales, Sacerdotum Conſecrationes, & alia id genus, quæ Sacra & Religionem Hebræorum ſpectant. In altero Colloquio nonnulla Dubia, ſive ad Legem Moſaicam, ſive ad quædam Facta Hiſtorica quartæ Mundi Ætatis attinentia, quæ a Theologis & Scripturæ Sacræ Interpretibus proponi ſolent, dirimemus. In poſtremo Colloquio Geſta *Joſue*, in regimine Reipublicæ, Hebræorum, *Moyſis* ſucceſſoris, necnon Judicum & Regum, qui præfuerunt Hebræis uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum, quo extructum eſt Templum *Salomonicum*, ſeu Hieroſolymitanum, deſcribemus, & eadem opera accuratam trademus ſeriem annorum, qui in quarta Mundi ætate, hoc eſt, ab egreſſione Populi Iſraelitici ex Ægypto uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum elapſi ſunt.

COL-

Digitized by Google

COLLOQUIUM PRIMUM

In quo referuntur ea, quæ Hebræis, ab eorum ex Ægypto profectione, uſque ad Legem datam Moyſi, *a Deo in monte Sinai, & poſt Legem datam, acciderunt uſque ad obitum* Moyſis, *ibidemque explicantur res præcipuæ, quæ continentur in eadem Lege; videlicet Præcepta, Ritus, Sacrificia, Immunditiæ Legales, Sacramenta, Feſta, Sacerdotum Conſecrationes, & alia id genus, quæ Sacra, & Religionem Hebræorum ſpectant.*

DISCIP. QUid Hebræis, ſemel ex Aegypto profectis, & per miraculoſum Maris Rubri tranſitum, e manu inſequentium Aegyptiorum liberatis, accidit, antequam Deus illis per *Moyſem* daret Legem in monte *Sinai*?

M. Deus Hebræos ex Aegypto egreſſos, & ad ultiorem ripam Maris Rubri, quod ſicco veſtigio tranſierant, appulſos, ſingulari protectione dignatus eſt, atque in variis, quas in Eremo habuerunt, manſionibus, donec ad Deſertum *Sinai* pervenirent, multa, eaque ſtupenda, in eorum gratiam patravit miracula. In primis, Hebræi, poſtquam per triduum in Deſerto *Sur*, ſive *Etham*, iter egiſſent, caſtra in *Mara* poſuere, ubi aquam quidem invenerunt, ſed quæ, ob inſitam amaritudinem, ad potum, ſitimque ſedandam uſui eſſe non poterat. Quo factum eſt, ut aquæ penuria laborantes, cumque eſſent natura queruli, & ad murmurationem proclives, protinus inſolenti contumacia inſurrexerint in *Moyſem*, qui doctus a Deo, arboris lignum in aquam injecit, cujus hæc vis fuit, ut dulcem aquæ ſaporem redderet. Inde digreſſi Hebræi, venerunt in *Elim*, ibique duodecim fontibus aquarum, & ſeptuaginta arboribus palmarum repertis, conſederunt. At, ubi pervenerunt ad Deſertum *Sin*, quod eſt inter *Elim* & *Sinai*, rurſum, ob penuriem victis, tumultuari, & murmurare cœperunt, non ſolum contra *Moyſem*, ejuſque fratrem *Aaronem*, ſed etiam contra ipſummet Deum, Aegypti ſervitium, cum ſaturitate ventris, deſiderantes. Huic tamen ingrato, & duræ cervicis populo non defuit Deus. Nam, præter ingentem coturnicum copiam, ad eorum caſtra vento delatam, paravit eis cibum exquiſitiſſimum, juxta ac delicatiſſimum, qui dictus eſt *Manna*, quia primum cum admiratione, & hac voce *Manhu*, ideſt, *Quid eſt hoc?* a Populo Hebræo exceptus eſt. Manna illud non fuiſſe naturalem & vulgarem cibum, ſed præternaturalem, miraculoſum, & munus a Deo cœlitus miſſum, multis rationibus probat *Buxtorfius* in ea, quam edidit, *Exercitatione in Hiſtoria Mannæ*, quarum aliquas hic compendioſe deſcribam. Et primo quidem, Manna non fuiſſe cibum naturalem, ſed miraculoſum, patet ex modo, quo depluebat, & conſervabatur. Nam, nec in terram cadebat, nec ramis arborum adhærebat, ſicut in terram cadit, vel arborum ramis adhæreſcit Manna naturale, quod in Arabia reperiri *Joſephus* Hebræus, aliique Scriptores, cum veteres, tum recentiores teſtantur; ſed in circuitu duntaxat caſtrorum Hebræorum, & non alibi, inveniebatur. In tanta porro copia depluebat iſtud Manna quotidie, & qualibet anni tempeſtate, etiam in hyeme, ut innumeris Hebræorum myriadibus alendis abunde ſufficeret. Nec minus miraculoſa erat hujus Mannæ conſervatio. Quamvis enim iſtud Manna, quod in agro reſiduum erat, fervente Sole, liqueſceret, attamen ſingulis diebus collectum ab Hebræis, & ad caſtra delatum, ita durum evadebat, ut mola frangeretur, vel pilo tereretur, nec igne liqueſceret, ſed in tortulas conformaretur. Quin, iſtud Manna, quod in diem ſequentem aſſervatum corrumpebatur, & verminibus ſcatebat, die tamen Sabbati in-

incorruptum ſervabatur, & ideo Feria ſexta duplum Manna depluebat, quia illud Sabbato colligere non licebat, immo nullum Manna Sabbato, quo Hebrei quieſcere debebant, in agro inveniebatur; quod ſane palam oſtendit, iſtud Manna non fuiſſe cibum naturalem, ſed miraculoſum. Secundo, Manna iſtud, præter inditum ſibi naturalem ſaporem, alium habebat in ore piorum, ſeu ſpiritualium Hebræorum, deſideriis eorum attemperatum, ut docet *S. Gregorius* lib. VI. *Moralium* c. IX. quod ſane abſque ſpeciali miraculo fieri haud potuit. Addo etiam, iſtius Mannæ per quadraginta annos, quibus Hebræi in Deſerto erraront, quotidianum effluxum, aperte demonſtrare, Manna non fuiſſe cibum vulgarem & naturalem, ſed potius præternaturalem, cœleſtem & miraculoſum. Hinc eſt, quod Deus juſſit, ut urna hoc Manna plena conſervaretur in intimo Sanctuario, in perpetuum monumentum. Hoc autem Dei præceptum fuiſſet ſupervacaneum, ſi Manna iſtud fuiſſet naturalis & vulgaris cibus. Hinc etiam ſancti Patres docent, Manna, quo Hebræi per XL. annos uſi ſunt in Deſerto, fuiſſe panem cœleſtem, & inſignem figuram Chriſti, & corporis ejus in Euchariſtiæ Sacramento, ad ſpiritualem animarum noſtrarum alimoniam, quandiu in calamitoſo hujus Mundi Deſerto peregrinamur, nobis dati, idque probant ipſiſſimis verbis Jeſu Chriſti, de ſe ipſo, cap. 6. Evangelii *S. Joannis*, dicentis: *Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducaverunt Manna in Deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de Cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur.*

D. E Deſerto *Sin* profectos Hebræos, ſeu Iſraelitas, in quem locum deduxit *Moyſes*, ut ibi caſtrametarentur?

M. E Deſerto *Sin* profectos Iſraelitas ducit *Moyſes* in locum, dictum *Daphca*, ubi caſtrametati ſunt. Deinde, e *Daphca* progreſſi, caſtra poſuerunt in *Alus*, & ex *Alus* egreſſi tentoria fixerunt in *Raphidim*, ubi quædam obſervatione digna Iſraelitis contigerunt, quæ hic breviter referam. Inprimis, Populus Iſraeliticus, cum aquæ penuria tentaretur, excanduit in *Moſem*, & ægre ab ejus exitio temperavit; Tum *Moyſes* de vita periclitans, mandante Domino, apud locum, cui *Oreb* nomen eſt, petram, ſeu rupem, virga percutiens, murmuranti populo large ſcaturientis aquæ copiam fecit. Secundo, ſub idem tempus, quo in *Raphidim* Iſraelitæ manebant, Amalecitæ irruperunt, illos incurſionibus vaſtarunt, & ad pugnam provocarunt. Quocirca, *Moyſes*, ſuis in prelium eductis, ſupremum totius exercitus Imperium *Joſue*, filio *Nuni*, dedit, ipſe vero, ſociis aſſumptis *Aarone* & *Hur*, ſpectator pugnę futurus, ſimul precandi Dominum gratia, in verticem montis conſcendit. Conſerto prælio, acies dubio eventu, ancipitique marte concurrebant. Hebræi tamen vincebant, quamdiu *Moyſes* manus ſupplices in Cœlum erigeret, iis autem remiſſis, Amalecitæ, reſumptis viribus, prævalebant. Quod advertentes *Aaron* & *Hur*, appoſito ſaxo, in quo ſederet *Moyſes*, manus ejus ex utraque parte ad occaſum uſque ſolis ſuffulcierunt. Sic in fugam acti, fuſi, proſtratique ſunt Amalecitæ, quos *Joſue* in multam noctem cecidit. Tunc *Moyſes* omnem victoriæ gloriam, ut par erat, ſoli Deo acceptam referens, ei Altare in perpetuum erexit monumentum cum hoc titulo: ***Dominus exaltatio mea.*** Sancti Patres, & antiqui Scriptores, videlicet *S. Juſtinus* Martyr, in Dialogo cum *Tryphone*, Judęo, *Tertullianus* lib. 3. adverſus *Marcionem*, c. 37. *Theodoret.* q. 34. in Geneſim, & *S. Hieronym.* in Epiſtola ad *Fabiolam*, aſſerunt *Moyſem*, in monte expanſis manibus orantem, dum *Joſue* contra Amalecitas pugnabat, typum fuiſſe *Jeſu Chriſti*, in Cruce ſalutis noſtræ hoſtes vincentis. Tertio per idem tempus, quo in *Raphidim* manſerunt Iſraelitæ, *Jethro*, Moyſis ſocer, cum filia *Sephora*, quæ *Myſi* nupta, proficiſcente in Aegyptum viro, domi reſederat, liberiſque ejus, cognitis rebus, quæ per *Moyſem* gerebantur, venit, eique negotiorum undis pene obruto ſanum ſuggeſſit negotium. Auctor quippe

pe ei fuit, ut ordines populi diſtribueret, & conſtitueret Tribunos, ſeu Chiliarchas, Centuriones, Decuriones, & viris quinquagenis Præfectos. Placuit *Moyſi* prudentiſſimum ſoceri ſui conſilium, viroſque ex omnibus Iſraelitarum Tribubus ſelectos judiciis præfecit, & poſtquam illos conſtitutos Judices, ut demandata ſibi Provincia ſancte fungerentur, adhortatus eſſet, perduxit Iſraelitas in Deſertum *Sinai*, ibique caſtrametati e regione montis *Horeb*, per annum fere integrum commorati ſunt, ſpectatores rerum, quæ in ea ſtatione contigerunt, varitetate & admirabilitate ceteras, quas in aliis manſionibus jam viderant, longe ſuperantium.

D. Deſcribe, obſecro te, res illas varietate & admirabilitate ſingulares, quas Iſraelitis in Deſerto *Sinai* contigiſſe mox inſinuaſti.

M. Tot inter eventus, qui Iſraelitis in Deſerto *Sinai* commorantibus acciderunt, eminet præſertim Legis promulgatio, a qua ſubinde incipiemus, indicando breviter locum, tempus, & modum, quo facta eſt hæc Legis promulgatio; deinde, ceteros inſignes perluſtrabimus eventus, qui ad eamdem Iſraelitarum in Deſertum *Sinai* ſtationem referentur. In primis, Deus, volens cum Iſraelitis icere fœdus, eoſque ſibi præ omnibus Populis adſtringere, ac ſuum illis amorem, & ſingularem protectionem polliceri; juſſit eis Legem, quam eis daturus erat accepturis, ut ſe ab iniquitatibus mundarent, & veſtimentis, corporibuſque ablutis, conjugali etiam congreſſu per triduum abſtinerent. Sic diſpoſitis & præparatis Iſraelitis, Deus dedit Legem *Moyſi* in monte *Sina*, vel *Sinai*, in quem aſcendere, vel fines illius tangere, ſub pœna capitis Deus Iſraelitis inhibuerat. Hæc autem Lex data eſt poſt quadringentos & triginta annos a vocatione *Abrahami*, die vero ab exitu ex Ægypto, & a primo Iſraelitarum Paſchate quinquageſimo. Hinc apud Chriſtianos manavit Feſtum Pentecoſtes, qua die (quæ fuit quinquageſima a reſurrectione Chriſti Domini) Nova, ſeu Evangelica Lex fuit, per illapſum Spiritus Sancti in Apoſtolos promulgata, ſicut notat expreſſe S. Leo ſerm. 1. *De Pentecoſte*, ubi ait: *Sicut Hebræo quondam Populo, ab Ægyptiis liberato, quinquageſimo die poſt immolationem Agni, Lex data eſt in monte Sinai, ita poſt Paſſionem Chriſti, qua verus Dei Agnus occiſus eſt, quinquageſimo a reſurrectione ipſius die, in Apoſtolos, plebemque credentium Spiritus Sanctus illapſus eſt, ut facile diligens Chriſtianus agnoſcat, initia Veteris Teſtamenti Evangelicis miniſtraſſe principiis, & ab eodem Spiritu conditum fœdus ſecundum, a quo primum fuerat inſtitutum.* Sed vide, ſi placet, maximum diſcrimen, quod intercedit inter modum, quo Lex Vetus, ſeu Moſaica, fuit in monte *Sinai* promulgata, & modum, quo Lex nova, ſeu Evangelica, in Cœnaculo Hieroſolymitano promulgata eſt in die Pentecoſtes. Lex quippe Vetus in monte *Sinai* prodita eſt, duabus Tabulis inſcripta lapideis. At, in Cœnaculo Hieroſolymitano Nova Lex per Spiritum Sanctum inſcripta eſt cordibus credentium. In promulgatione Veteris Legis auditi ſunt validi tubarum clangores, quibus undique quatiebatur aer. Apparuerunt inſuper denſiſſima nubes, montem *Sinai* operiens, ignis terribilis, flammæ, fumus, incendium, fulgura & tonitrua, tamque terrifico apparatu Lex Vetus data eſt, ut Populus Iſraeliticus, diſcors, obmurmurans, ac terrore perculſus, prohibitus ſit, ut mox diximus, attingere montem: ſed in Cœnaculo Hieroſolymitano, ubi promulgata eſt Lex Evangelica, apparuit quidem ignis, non qui exureret corpora, ſed qui mentes illuminaret. Auditus eſt etiam Spiritus vehemens, non terrorem, ſed alacritatem afferens robur & lætitiam inferens Diſcipulis *Jeſu Chriſti*, qui ideo, ſicut ait Scriptura ſacra, erant in Cœnaculo placidi, quieti, unanimeſque deprecantes & expectantes adventum Spritus Sancti. Si autem quæras cauſam iſtius diſcriminis, quod in modo utramque Legem, ſeu Veterem & Novam, promulgandi reperitur, non aliam certe aſſignare poſſum præter iſtam, quam tradunt ſancti Patres. Lex Vetus, ſeu Moſaica, fuit Lex ti-

moris, adeoque ad timorem Hebræis injuſtis, duræque cervicis incutiendum, terrifico apparatu debuit promulgari: at vero, Lex Nova, ſeu Evangelica, cum ſit Lex Gratiæ, Lex Amoris & Charitatis, promulgari debuit cum omni ſuavitate & delectatione, quam vera Chriſti pax, & Spiritus Sancti Charitas cordibus credentium inſpirare & inſerere ſolent.

D. Sed, cur, quæſo, Deus hanc poſitivam, ſeu ſcriptam Legem, quæ appellatur Moſaica, dedit Hebræis, quibus tamen ad bene vivendum abunde ſufficere poterat Lex naturæ, quæ a creatione Mundi ſemper viguit, hæretque etiamnum animis hominum penitus infixa?

M. Duplici de cauſa Deus hanc Legem poſitivam, ſeu ſcriptam, quæ dicitur Moſaica, dedit Hebræis. Primo, quia, ſicut mox obſervavimus, Deus, hanc poſitivam Legem condendo, fœdus ſuum Populo Iſraelitico pangere voluit, atque ſuæ erga eum peculiaris benevolentiæ, prædilectionis & protectionis pignus exhibere, ac monumentum, quod eſſet ære perennius. Secundo, Populus Iſraeliticus, ad quotidiana Dei beneficia minime attentus, effrænatiſque naturæ, per primi hominis peccatum corruptæ, motibus, potius quam rationi obtemperans, a Deo ſæpius avertebatur ad res creatas, & in Ducem ſuum *Moyſem* rebellabat. Quin, depravati & in ſemetipſos contumelioſi, & in alios injuſti, criminum omne genus, Gentilium more, patrabant, adeo ut, dominante in multis carnalibus Hebræis, non ſecus ac in Ethnicis, perverſa concupiſcientia, ferocientibus pravæ libidinis motibus, & omnino inferiori parte contra ſuperiorem ſeſe altius efferente, langueſceret animi vis, labefactaretur libertas, conticeſceret ratio. Quocirca, ut lex naturalis, quæ apud Hebræos, ſicut apud reliquos Populos, per peccatum erat pene extincta, in hominum animis reviviſceret, ac rationi contra cupiditatem ſuppetias ferret, poſitiva Lege, ſeu Scripta, quæ dicitur Moſaica, fuit a Deo renovanda, ut ope iſtius Legis Moſaicæ Hebræi ſe eſſe peccatores, & virium ſuarum infirmitatem agnoſcentes, recurrerent ad Medicum, ſeu ad Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam & Mediatorem omnium hominum, quem Lex Moſaica venturum oſtendebat, ipſius opem implorarent; & per fidem ab ipſo impetrarent gratiam medicinalem, & remiſſionem peccatorum, quam Lex Moſaica ex ſe dare non poterat, ſicut memini, me juxta doctrinam Sancti *Thomæ*, Angelici Præceptoris, expoſuiſſe ſub finem tertii Colloquii noſtri in Hiſtoriam tertiæ Mundi Ætatis.

D. Non certe e mea memoria exciderunt generales illæ notiones, quas Legem Moſaicam ſpectantes, ſub finem tertii Colloquii noſtri in Hiſtoriam tertiæ Mundi Ætatis mihi ſuppeditaſti, & quibus te in iſto, quod in Hiſtoriam quartæ Mundi Ætatis hodie jam incæpimus, primo Colloquio, additurum promiſiſti ſpecialem & accuratam expoſitionem rerum, quæ in Lege Moſaica ad bene conſtituendam Rempublicam Judæorum, comprehenduntur, cujuſmodi ſunt Præcepta, Ritus, Sacrificia, Sacramenta, Feſta, Immunditiæ Legales, Sacerdotum Conſecrationes, & alia ejuſmodi, quæ pertinent ad Religionem Hebræorum. Sed, antequam hæc Legis Moſaicæ capita, quibus præcipue conſtat Judæorum Religio, diſtincte articulatimque exponas, perge, ſi placet, compendioſam deſcribere Hiſtoriam rerum, quæ Hebræis, poſt Legem datam *Moyſi* a Deo in monte *Sinai*, uſque ad finem quartæ Mundi Ætatis contigerunt.

M. Ubi primum *Moyſes* Legem ſibi a Deo datam in monte Sinai, ad Populum Hebræum retuliſſet, eamque vidiſſet ab eodem Populo publicis acclamationibus, feſtiviſque gratulationibus acceptam, Aram ſub montis Sinai radicibus, ſuffultam duodecim titulis, ſeu columnis, quæ Deum inter & duodecim Iſraelitarum Tribus, ſancitum fœdus ſignificabant, erexit, nullaque interpoſita mora, rurſum montem, in quo Dominus conſiſtebat, conſcendit *Moyſes*, adhibitis ſecum ſociis *Aarone*, *Nadab*, *Abiud*,

& ſe-

& ſeptuaginta Senioribus Iſraelitis. Sed, hi Deum propius intueri nolentes, locum tamen, in quo Dominus, viſibili quidem ſpecie, ſed mirabili forma, & claritudine eximia ſtabat, viderunt. *Moyſes* autem accerſitus a Domino, interiorem nubem, quæ circum Dominum ſteterat, ingreſſus eſt, & in ea quadraginta diebus totidemque noctibus abſque cibo & potu moratus, modum conſtruendi Tabernaculum & Arcam, Sacerdotum Ornamenta, Conſecrationem, Sacrificia, ceteroſque divini Cultus, Ritus edoctus verbis Dei eſt. At, interea temporis, carnales Hebræi, diuturnioris moræ; quam in monte trahebat *Moyſes* (quadraginta quippe dies apud Dominum duxerat) impatientes, compulerunt *Aaronem* ad conflandum Idolum. Imminentem tumultuantis Populi ſeditionem metuens *Aaron*, ex fuſis mulierum inauribus Vitulum aureum, ad ſimilitudinem Ægyptiorum Deorum, conflavit, conſecravit, & inſanienti Populo, extructa Ara, adorandum propoſuit, ſicque ſemetipſum Idololatriæ crimine polluit, ſicut clarius conſtabit ex his, quæ dicturi ſumus in proximo Colloquio, in quo ea ſolvemus Dubia, quæ circa Hiſtoriam quartæ Mundi Ætatis tam Theologi, quam Scripturæ Sacræ interpretes agitare ſolent. Vitulo itaque aureo furens Populus Hebræus, ſuique Domini plane immemor, hoſtias offerre, vino, & ventri ſe dare, epulis, cantibus, choræis, ludo, & libidini affatim indulgere cæpit. Quæ omnia juſto dolore deſpectans Deus, improbum populum niſi a *Moyſe* fuiſſet exoratus, penitus deleviſſet. Ad caſtra cito reverſus *Moyſes*, cum duas lapideas Decalogi Tabulas, digito Dei exaratas, detuliſſet, populumque luxui, crapulæ, & ſacrilegio deditum nactus eſſet, Tabulas confregit, indignam eſſe Gentem exiſtimans, cui lex Domini traderetur; *Aaronem* vehementer increpuit, Vitulum aureum ſolo æquavit, ac in pulverem comminutum Idololatris propinandum exhibuit: denique, vindictam ſumpturus de Idololatris præcepit *Moyſes* Levitis, ut eos diſtrictis gladiis cæderent. Quo impetu quaſi viginti tria millia hominum perempta tradit noſtra Editio vulgata, lib. Exodi cap. 32. v. 28. Sed tria tantum millia virorum in hac ſtrage cæſa fuiſſe legimus in Textu Hebraico, in Verſione lxx. Interpretum, in Pentateucho Samaritano, in Verſionibus Syriaca & Arabica, in Paraphraſi Chaldaica Onkeloſi, ſicut obſervarunt aliqui ſancti Patres, quos ſequuntur *Sanchez*, *Pagninus*, *Malvenda*, *Cajetanus*, aliique haud pauci moderni Scripturę Sacrę Interpretes eruditi, quos percenſet noſter *Natalis ab Alexandro* Art. VIII. *Diſſertationis Anticriticæ*, quam edidit contra *Claudium Fraſſenum*, Ordinis S. *Franciſci*, & ſacrę Facultatis Pariſienſis Doctorem eximium. Pręferendum tamen eſt, quod Vulgata noſtra recenſet. His peractis, Religionis zelum Levitis, qui ſtrenuos Dei milites, & gloriæ ipſius vindices ſeſe pręſtiterant, gratulatus *Moyſes* rurſum aſcendit in montem, ubi iteratis pro Populo Hebręo, jam reſipiſcentię & pœnitentię ſenſu permoto, precibus, novas a Deo obtinuit Tabulas in eorum locum ſuffectas, quas confregerat *Moyſes*. Quadraginta dies ſine cibo ac potu cum Domino in monte poſtquam commoratus eſſet *Moyſes*, deſcendit de monte, Tabulas, Decalogum digito Dei ſcriptum continentes, pręferens, ejuſque facies, propter conſortium, quod propius cum Domino habuerat, tanta claritudine renidebat, ut *cornuta* (ſicut habet noſtra vulgata Editio) appareret, ideſt, radios in modum cornuum ſic emittens, ut intueri eum populus non valeret. Sed, cum mandata Dei relaturus eſſet, vultum, cujus ſplendorem ferre non poterat populus, velamento obtexit *Moyſes*, atque ita toti audienti populo Mandatorum, quę acceperat a Deo, exactam obſervantiam, promptamque executionem imperavit. Tunc annuente omni populo, nec ſolum maximam pecuniæ ſummam, inſtar capitationis indictam, ſolvente, ſed etiam ſpontanea donaria, armillas, & inaures, annulos, dextralia & ſpecula, aliaque id genus devotiſſimo animo offerente, Tabernaculum, Arca fęderis, Altare, Menſa

Digitized by Google

Propoſitionis, Veſtes Sacerdotales, Candelabrum, & reliqua Inſtrumenta, & Vaſa, quæ Sacrificia ſpectabant, quæque *Moyſes* in monte *Sinai* verbis Dei edoctus fuerat, in Deſerto ad montem *Sinai* fabricata ſunt a duobus peritis Artificibus, videlicet *Beſeleel*, filio *Uri*, de Tribu Juda, & *Ooliab*, filio *Achiſamech*, de Tribu Dan.

D. Priuſquam de præceptis Legis Moſaicæ, de ſtructura Tarbernaculi, Arcæ Fœderis, Altaris, Menſæ Propoſitionis, & de his quæ Sacerdotes, Sacrificia, ceteroſque divini cultus ritus ſpectant, ſigillatim diſſeramus, optarem vehementiſſime, ut non interrupto Hiſtoriæ filo, referres hic omnia, quæ Hebræis, poſt acceptam Legem a Deo, contigerunt uſque ad obitum *Moyſis*.

M. Jam ſcio, perſpicuitatem cum brevitate conjunctam tibi in ſtudio Hiſtoriæ ſacræ in amore eſſe, quapropter id in præſentia pro virili agam, ut omnia, quæ Hebræis, poſt datam a Deo Legem in monte *Sinai*, contigerunt memoria & ſcitu digna, breviter ac dilucide continuo orationis filo perſtringam. Et primo quidem Hebræi, per turmas diſtributi, e Deſerto *Sinai* profecti, continuo tridui itinere pervenerunt in Deſertum *Pharan*, ubi Mannæ cibum, quo, ut ſupra retulimus, utebantur faſtidientes, & tot tantiſque beneficiis Dei ingrati, carnium deſiderio, viles, quibus in Ægypto aſſueverant, dapes appetere cœperunt, Deique bonitatem graviter offenderunt. Annuit inſanis eorum deſideriis Dominus, & ut in Gentem illam indomitam, ſaniſque conſiliis ſemper male renitentem, ſevere animadverteret, immenſam copiam coturnicum caſtris intulit, quas cum iſti helluones avide diriperent, primoribus labiis vix admotis carnibus, interibant. Sic carnales Hebræi, eo, quem deſideraverant, cibo puniti ſunt, & mortis pœna perculſi a Deo vindice, pravæ ſuæ cupiditatis promeritas pœnas dederunt. Præterea, *Aaron*, frater *Moyſis*, & *Maria*, ejus ſoror, oblocuti ſunt contra *Moyſem*, quod uxorem duxiſſet, *Sephoram*, Gente Æthyopiſſam, ſeu Madianitidem. At, Deus *Aaronem* & *Mariam* obtrectantes *Moyſi*, graviter increpuit, & *Mariam* lepra percuſſit, quæ extra caſtra confeſtim ejecta eſt, & poſt ſeptem dies, Moyſe orante, ſanata rediit in caſtra. Tertio, Hebræis, adhuc in Deſerto *Pharan* commorantibus, res accidit luctuoſa ſane, quæ ipſis maximam intulit cladem, & *Moyſem*, atque *Aaronem* in ſummum vitæ diſcrimen adduxit. Miſerat, jubente Deo, *Moyſes* e deſerto *Pharan* (cui vicina erat terra Chanaan, cujus poſſeſſionem Dominus promiſerat *Abrahamo* & poſteris ejus) duodecim Exploratores ex ſingulis Tribubus delectos, ut totam hanc Regionem Chananæam ſedulo perluſtrarent. Poſt quadraginta dies reverſi illi duodecim Exploratores, in hanc Terram miſſi, renunciarunt, felicem omni copia rerum, ac fertiliſſimam eſſe illam Regionem. Decem tamen ex illorum Exploratorum numero terrore ac diffidentia populi animos impleverunt, referentes ſe in Terra Chanaan vidiſſe munitas urbes, ingentibus muris oppida cincta, & terræ illius incolas, corpore validos, & de genere Gigantum, quibus Hebræi compoſiti, nani, pumiliones, & locuſtæ viderentur. Hæc audientes Hebræos magna inceſſit formido, quæ ſtatim in ſeditionem erupit, eo progreſſam, ut ſpreto *Moyſis* imperio, alterum Ducem ſibi conſtituere pararent, cujus ductu in Ægyptum reverterentur. Tunc *Joſue* & *Caleb*, qui inter Exploratores fuerant, populum obſecrant & obteſtantur, ne Exploratoribus, formidoloſa referentibus, fidem adhibeat. Proteſtantur ſeſe una cum illis Exploratoribus hanc Terram perluſtraſſe, nihilque in illa metuendum reperiſſe, ſed potius maximam rerum omnium ubertatem, & infirmas Gentium, Terram illam incolentium, vires. Denique, trepidanti populo ſpem faciunt auxilium Dei ac præſidium præſentiſſimum habendi, ac ſubinde Hoſtes, contra quos dimicare debebat, prædæ potius quam exitio fore. Hac adhortatione nihil apud perduellem populum profecerunt *Joſue* & *Caleb*, quin, niſi Deus a populo illo incredulo pœnas exegiſſet, & motam ſeditionem compeſcuiſſet, inſanæ multi-

tu-

Digitized by Google

tudinis, illos lapidibus obruere volentis, furorem non evaſiſſent. Omnes præter *Joſue* & *Caleb*, ab ingreſſu Terræ promiſſæ excluſi ſunt. Decem Exploratores, qui hujus ſeditionis auctores erant, a Deo ſubita morte ſublati. Hebræorum exercitus ab Amalecitis & Chananæis cæſus, fuſus, ac diſſipatus eſt. Circa idem tempus, homo colligens ligna in die Sabbati juſſu Dei lapidibus obrutus eſt. *Core*, *Dathan*, & *Abiron*, contra *Moyſem* & *Aaronem* conjurantes, vivos hiatu ſuo terra abſorbuit. Nec multo poſt, totius populi, in tumultum proni, orta ſeditio eſt in *Moyſem*, & *Aaronem*, & ſtatim in eos catervatim mors graſſata eſt, momentoque omnes internecione deleti fuiſſent, niſi Deus precibus *Moyſis* placatus, cladem avertiſſet, qua jam quatuordecim hominum millia, & ſeptiginti perierant. Volens autem oſtendere Deus, quantum ſibi placeret *Aaronis* Sacerdotium, illud confirmavit miraculo, quo virga *Aaronis*, aliis Principum XII. Tribuum Iſrael virgis permixta, floruit, & recentes edidit Amygdalas, reliquis virgis, ſterilibus & exſuccis remanentibus. Debuiſſet Populus Hebræus, tot plagis & ſtragibus a Deo punitus, ſapere, & a ſeditione ſe cohibere juxta illud tritum Adagium: *Piſcator ictus, ſapiet*. Sed longe aliter populum illum rebellem, & ſæpius contumacem in Deum, ſe geſſiſſe ſacra Hiſtoria narrat. Vix enim Populus Hebræus, e Deſerto *Pharan* Profectus, in Deſertum *Zin* perveniſſet, & caſtrametatus fuiſſet in *Cades*, in apertam ſeditionem, ob aquæ penuriam, proſiliit, & impotentius in *Moyſem* atque *Aaronem* debacchatus eſt. Tunc *Moyſes*, a Deo monitus, ut petram, quæ ſitienti populo aquas ſufficeret, virga feriret, ſemel atque iterum petram virga percuſſit. Qua in re a Domino notatus eſt *Moyſes*, quod per diffidentiam non niſi iterato ictu aquam e ſilice eduxerit, & ob hoc peccatum, *Moyſes*, ejuſque frater *Aaron*, ejuſdem diffidentiæ conſcius, promiſſam Terram Chanaan non ſunt ingreſſi, ſed in ejus limine, ut mox dicemus, mortui ſunt. In hoc Deſerto *Zin* in *Cades*, *Maria*, ſoror *Moyſis*, mortua & ſepulta eſt, dumque ex eo Deſerto *Moyſes* diſcedere, & Populum Hebræum per Regionem Idumæam educere pararet, miſſis ad Regem Idumæorum Legatis, tranſeundi copiam rogavit, nolens, cum ea gente ob jus ſanguinis, pugnare. (Erant enim Idumæi ex ſtirpe *Eſau*, filii *Iſaaci*, Patriarchæ oriundi.) Sed, Rege Idumæorum tranſitum negante, *Moyſes* in montem *Hor*, qui eſt in finibus Idumææ, iter convertit, ibique exceſſit e vita *Aaron*, frater *Moyſis*, anno ab egreſſione Iſraelitarum ex Ægypto quadrageſimo, annos natus centum viginti tres. *Aaroni* ſucceſſit in ſummi Sacerdotii dignitate *Eleazarus*, ejus filius. In hoc itinere, quo Populus Hebræus ad montem *Hor* tendebat, *Arad*, Gentis Chananæorum Regem, cum valido exercitu irrumpentem, & Hebræorum tranſitum impedire molientem, *Moyſes*, fultus Dei auxilio, debellavit, ejuſque numeroſum exercitum internecina clade delevit. Victores Hebræi, & ex monte *Hor* digreſſi, in Terram Chanaan, patribus ſuis a Deo promiſſam, ſe propediem ingreſſuros ſperabant, ſed ſpe ſua, ob varias emergentes difficultates, fruſtrati, & in diverſis ſtationibus tentoria figere coacti, tandem diuturnioris moræ impatientes, antiquas ſuas de cibo, potu, tædio, & faſtidio querimonias refricare, ac palam *Moyſi* obtrectare cœperunt. Sed illorum obmurmurationes repreſſerunt ſerpentes igniti, a Deo immiſſi, ac morſibus venenum inſpirantes, quo inflammata ſemel corpora, febre ardentiſſima corripiebantur, ac complures extincti ſunt. Ceteris vero, ne eamdem necem incurrerent, conſuluit *Moyſes*, erigendo (in typum Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, quem in Crucem egerunt Judæi) *Serpentem Æneum*, quem dum morſibus Serpentum percuſſi adſpicerent, ſanabantur. Poſthæc, Hebræi omnes ſuas curas, cogitationes, & labores ad id potiſſimum contulerunt, ut hoſtes, qui in Terram promiſſam, ſeu Terram Chanaan, aditum eis præcludebant, ſtrenue debellarent, atque penitus extirparent. Et primo quidem, aggreſſi ſunt

Digitized by Google

ſunt *Sehon*, Regem Amorrhæorum, & *Og*, Regem Baſan, eoſque numeroſo licet exercitu ſtipatos, perculerant, devicerunt, profligarunt, totaque illorum regione & oppidis potiti ſunt. Deinde, arma verterunt in *Balac*, Moabitarum Regem, qui contra ipſos non tam aperto Matre, quam malis artibus pugnaturus acceſſerat. Evocaverat ad ſe ille Moabitarum Rex, magna propoſita mercede, *Balaamum*, quemdam Meſopotamiæ Ariolum, ut Hebræis imprecaretur. Periculum advertens Ariolus, ire primum recuſavit; ſed tandem, promiſſis, aurique ſacra fame ineſcatus, ad *Balac*, Moabitarum Regem, proficiſcitur animo maledicendi Hebræis. At, dum Aſinæ inſidens, iter peragerent *Balaam*, ecce Aſina (territa aſpectu Angeli, ignito gladio armati, quem citius illa vidit quam cæcus ille vates) divertit a via, ſed ab hero ſuo, illam in viam revocare volente, verberibus contuſa, ruditum ſuum in humanum ſermonem convertit, dicens hero ſuo: *Quid feci tibi? cur percutis me? ..... Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum ſtantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram*, ſicut legitur cap. 22. lib. *Numerorum*. Hinc *Balaam*, licet ut morem gereret *Balaac*, Moabitarum Regi, Sacrificia præmiſiſſet, biſque conatus eſſet maledicere Iſraelitis, ſpiritu tamen Dei impulſus, ter ei benedixit, & proſpera quæque ipſis auguratus, adventum Jeſu Chriſti vaticinatus eſt, dicens: *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael*, ſicut legitur cap. 24. v. 17. libri *Numerorum*. Sed, quod fidem omnem ſuperat, idem ille vates, qui Spiritu Sancto afflatus, ter Iſraelitis bene precatus fuerat, tamque inſigne de Jeſu Chriſti adventu Oraculum ediderat, impium, & impuriſſimum ſuggeſſit *Balaco*, Regi Moabitarum, conſilium, ut videlicet per Moabiticas & Madianiticas fœminas ad Idololatriam & ſcortationem Iſraelitas pelliceret, hiſque meretricularum illecebris ac lenociniis corruptos a veri Numinis cultu abalienaret. Placuit Moabitarum regi iniquiſſimum illud *Balaami* conſilium, & ſtatim eleganti ſpecie puellas obtulit Iſraelitis, quorum quamplurimi non ſolum cum illis ſcortis turpiſſime volutati ſunt, verum etiam, conculcato divino fœdere, *Baalis*, qui & *Beelphegor*, vel *Priapus* etiam dicitur, impuris, impiiſque myſteriis initiati ſunt. Exarſit ſubito ira Dei in illos ſceleſtiſſimos homines, juſſitque Deus *Moyſi*, ut cunctos Principes populi, criminis auctores, alios etiam initiatos *Beelphegor*, ſuſpendio, aut gladio interficeret, ceteros vero ſcortatores Deus, immiſſa peſte, omnes ad unum una nocte extinxit, adeo ut numerus eorum, qui vel ſuſpendio, vel gladio perirerunt, vel peſte ſublati ſunt, fuerint viginti quatuor millium, ſicut narrat *Moyſes* cap. 25. v. 9. libri *Numerorum*, dicens: *Et occiſi ſunt viginti quatuor millia hominum*. Tunc accidit iſtud egregium & memorabile *Phinees* filii *Eleazari*, Sacerdotis, Factum, quod eodem in capite libri *Numerorum* refert *Moyſes*. Cum enim quidam Hebræus libidinoſus, dictus *Zambri*, excuſſo omni rubore, meretricem Madianiticam, dictam *Cosbi*, inſpectante univerſo populo, in tentorium ſuum perduceret, & cum ea inverecunde & quaſi in propatulo rem haberet, ſurrexit *Phinees*, pio ardore ſuccenſus, armatuſque pugione irruit, & uno ictu utrumque confixit. Hic *Phinees* Zelus, quo utriuſque impudice coeuntis ſanguine caſtimoniæ litavit, fuit quidem Deo gratiſſimus, qui tamen acerbiores pœnas promerebantur Madianitæ, præcepit Deus *Moyſi*, ut in eos moveret bellum, quod ſtatim, Duce *Phinees*, geſtum eſt, tantaque fortitudine Iſraelitæ, pietate, & juſtæ ultione ſuccenſi, adverſus impuriſſimas illas copias pugnarunt, ut in conflictu omnes Principes Madianitæ, qui erant numero quinque, ceciderint cum *Balaamo* Ariolo; viri etiam omnes trucidati fuerint cum mulieribus, quæ virum noverant; ſolæ virgines ad triginta duo millia ſervatæ, & una cum pueris in ſervitutem abductæ. Hoc pacto numeroſiſſima ac bellicoſiſſima Madianitarum Gens ab Iſraelitis uno prælio proſtrata ac profligata eſt, ne uno quidem milite in victorum caſtris deſiderato, nulloque impune abeunte, ſed ſingulis, ita

vo-

Digitized by Google

volente Deo, acerbiſſimas ſuæ, aut alienæ impietatis pœnas dare coactis. Tandem, his confectis, *Moyſes* in monte *Nebo*, qui e Moabitidis campeſtribus aſſurgit, aſcendit, ibique bene precatus populo, Legeque divina accurate commendata, diem ultimum vitæ ſuæ clauſit anno ætatis ſuæ centeſimo vigeſimo, ab exitu Iſraelitarum ex Ægypto anno quadrageſimo, poſtquam Populo Iſraelitico per annos quadraginta in Deſerto præfuiſſet. Vidit quidem *Moyſes* in monte *Nebo* totam Terram promiſſam, ſed eam ingreſſus non eſt, quod, ſicut jam obſervavimus, eo tempore quo ut jaxum feriret, & aquam produceret, ei a Deo præceptum eſt, poſt tot virtutum ſuarum experimenta, diffiderit ac dubitaverit. Quin, ſancti Patres, & Scripturæ ſacræ Interpretes tradunt, ideo Iſraelitas per quadraginta annos in Deſerto manſiſſe, donec omnes, qui verbis Dei non crediderant, interirent. Exceptis enim *Joſue* & *Calebo*, nemo inter Iſraelitas, ultra viginti annos natus ex Ægypto profectus, Jordanem tranſiit, & in Terram promiſſam integreſſus eſt. Mortuo itaque *Moyſe*, & ſepulto in loco, qui hactenus latuit, atque finito tanti viri morte juſtiſſimo Iſraelitarum luctu, *Joſue*, jam a Deo & a Moyſe ſublectus, Reipublicæ Hebræorum Imperium capeſſivit, vir ſane virtutibus *Moyſis* quam ſimillimus, cujus res præclare geſtas, ſicut *Judicum*, atque Regum, qui Populo Iſaelitico præfuerunt uſque ad quartum Regni Salomonis annum, quo jacta ſunt Templi Hieroſolymitani fundamenta, opportunius referemus in Colloquio tertio, quod in Hiſtoriam hujuſce quartæ Mundi Ætatis habituri ſumus. Nunc, poſtquam Hiſtoriam ſacram a tempore quo Deus dedit Legem *Moyſi* in monte *Sinai*, produximus uſque ad obitum ejuſdem *Moyſis*, qui Hebræorum Legislator audit, debemus continenti ordine expendere in hocce hodierno noſtro Colloquio res præcipuas, quæ Hebræorum Religionem, divinumque cultum ſpectantes, in hac Lege, data *Moyſi* a Deo, ſpeciatim continentur.

D. Annuo lubentiſſime, teque de his rebus, quæ ad Hebræorum Religionem divinumque cultum attinentes in Lege *Moyſi* a Deo data, ſpeciatim continentur, differentem pronis ac ſuſpenſis auribus auſcultabo. Optarem tamen, ut antea diſſolveres Dubium, quod de morte *Moyſis* nupperime proponebant quidam viri eruditi, aſſerentes, ſalva & inculpata fide dici poſſe, *Moyſem* non eſſe mortuum, ſed potius eum cum *Enocho*, ſeptimo ab Adamo Patriarcha, & cum Propheta *Elia* translatum fuiſſe in Cœlum, indeque, appetente fine mundi, ſeu ſæviente perſecutione Antichriſti, denuo venturum in Mundum cum *Enocho* & *Elia*, ut ſit Chriſti Judicis Præcurſor, & tunc ferali Edicto Antichriſti morti una cum *Enocho* & *Elia*, Præcurſoribus itidem ſecundi adventus Jeſu Chriſti, addictum iri. Utrum igitur ſalva fide negari poſſit, *Moyſem* mortuum eſſe, quæſo te, ut me edocere non graveris.

M. Tribus potiſſimum momentis, quæ hic indicare abunde ſufficiet, evincitur, nullo pacto poſſe ſalva fide negari *Moyſem* fuiſſe mortuum. Nam primo, Scriptura Sacra lib. Deuteronomii cap. 32. & ultimo diſerte teſtatur, *Moyſem* eſſe mortuum & ſepultum in Valle Terræ Moab contra Phogor, ejuſque ſepulcrum uſque in præſentem diem eſſe omnino ignotum. Mortuum etiam eſſe *Moyſem* narrat Scriptura Sacra, lib. *Joſue* cap. 1. his verbis: *Et factum eſt poſt mortem Moyſis, ſervi Domini, ut loqueretur Dominus ad Joſue, filium Nun*, &c. Præterea, *Moyſem* revera mortuum eſſe aperte tradunt antiqui Scriptores Eccleſiaſtici, quos inter *Origenes* Homilia XXV. in Librum *Numerorum*, & ſancti Patres, videlicet *S. Gregorius Niſſenus* in Libro *De Vita Moyſis*, *S. Auguſtinus*, multis in locis, ſed præcipue lib. XVIII. *De Civitate Dei* cap. XI. S. *Epiphanius* Hæreſi IX. & Hæreſi LXIV. quorum agmen claudet *Rupertus*, Abbas Tuitienſis, qui libro 2. in Deuteronomio cap. 22. verſans data opera id genus argumenti, ſic tandem concludit: *Igitur quantiſcumque quis e contrario nitatur argumentis, libero confirmamus, quia ſicut Aaron, ſic &* Moy-

Digitized by Google

Moyſes vere & depoſitione corporis mortuus ſit. Ad hęc accedunt locupletiſſima teſtimonia Hiſtoricorum Judęorum, quorum primus *Joſephus* lib. 4. Antiquit. Jud. cap. ult. hæc de Moyſe ſcribit: *Mortuuſque eſt* (Moyſes) *ultimo anni menſe, die prima menſis, quia Macedonibus Dyſtrus dicitur, a noſtris vero Adar... Triginta diebus luxit eum populus, cui nunquam triſtius quidquam accidit, quam tunc Prophetæ mors*. Alter vero Hiſtoricus Judęorum Scriptor *Philo* ſub finem libri tertii; quem ſcripſit *De vita Moyſis*, hęc habet: *Hujuſmodi fuit vita obituſque Moyſis, Regis Legiſlatoris, Vatis, & Pontificis, ſicut ſacris litteris proditur*. Ex his igitur momentis, e ſacris Libris, e ſanctorum Patrum Operibus, atque ex antiqua & continua Judęorum Traditione depromptis, liquido conſtat, non poſſe ſalva fide negari, *Moyſem* eſſe mortuum. Voluit tamen Deus, ut locus in quo tumulatus eſt *Moyſes*, eſſet omnino ignotus, ne apud Gentem Judaicam, ad idololatriam maxime propenſam, vir adeo bene de illa meritus divinos conſequeretur honores, ſicut cenſent *Theodoretus*, Quæſtione XLIII. in *Deuteronomium*, & alii. Hinc in Epiſtola Canonica *Judæ* Apoſtoli legimus, *Michaelem* Archangelum diſceptaſſe adverſus Diabolum de corpore *Moyſis*, eo quod improbiſſimus ille veterator locum ſepulturæ Moyſis vellet Judęis patefacere, ut contra Dei Legem, occaſionem Idololatrię illis miniſtraret. Non me latet, S. *Hilarium* in capit. 20. *Matthæi* in ea ſingulari fuiſſe ſententia, quod *Moyſes* futurus ſit cum Propheta *Elia*, ſecundi adventus Chriſti Pręcurſor; at, ex illa ſingulari S. *Hilarii* ſententia inferri minime poteſt, hunc S. Doctorem exiſtimaſſe, Moyſem non eſſe mortuum. Fieri quippe potuit, ut *Moyſes*, tempore Transfigurationis Jeſu Chriſti, cui cum *Elia* interfuit, reſurrexerit, illicque ſecundum corpus & animam præſens adfuerit, ſub finem tamen mundi ſecundo moriturus regnante Antichriſto, cujus furorem ſanguine ſuo ſit extincturus. Porro, Moyſem tempore Transfigurationis Chriſti reſurrexiſſe ad tempus, & in corpore apparuiſſe docere videntur S. *Joannes Chryſoſtomus* Homilia 57. in *Matthæum*, S. *Hieronymus* in capite 17. *Matthæi*, S. *Auguſtinus* Tractatu 124. in *Joannem*, & S. *Joannes Damaſcenus*, Oratione *De Transfigurat.* nihilo ſecius mihi magis arridet opinio S. *Thomæ*, qui 3. part. quæſt. 45. art. 3. ad 2. docet, Moyſem Transfigurationi Chriſti Domini adfuiſſe quantum ad animam tantum, non quantum ad proprium corpus, ſed aliud ab ipſo aſſumptum fuiſſe, ex altera materia virtute divina compactum, in eum ſane modum, quo Angeli in aſſumptis corporibus ſeſe ſpectabiles præbuerunt. Sed de morte Moyſis dictum ſatis.

D. Explica nunc, ſi placet, res præcipuas, quæ in Lege data Moyſi a Deo, ſpeciatim continentur, & in primis oſtende, quænam fuerit forma Tabernaculi, in quo Deus ab Hebræis coli voluit, quodque, ut ſuperius inſinuaſti, extructum eſt juxta exemplar, quod Deus Moyſi in monte *Sinai* monſtravit.

M. Si Tabernaculi ſtructuram, parteſque ſingulas, quas ſacer Scriptor Moyſes a capite 25. uſque ad caput 28. Libri *Exodi* accurate deſcribit, vellem in præſentia late exponere, dies profecto me deficeret, & intra præfixos Colloquiis noſtris limites me nullo pacto continere poſſem. Strictim itaque, ſicut Hiſtoricum Eccleſiaſticum decet, Tabernaculi, in quo Deus ab Hebræis coli voluit, ſtructuram ſecundum præcipuas illius partes delineabo. Tabernaculum igitur, in quo Deus coli voluit, quodque *Sanctuarium* etiam dictum eſt, hanc formam referebat. Ædificium erat inſtar Templi, ſed portatilis, ex lignis confectum, quod per partes facile compingi ac diſſolvi poterat, & in quemcumque locum deferri. In Tabernaculo locus erat ſanctior, velo diſtinctus, qui *Sanctuarium Sanctuarii*, & *Sancta Sanctorum* appellabatur. Ibi vero *Arca Fœderis* ſervabatur, ex lignis ſetim intus & foris deaurata, coronaque aurea circumdata. Hanc Arcam Fœderis operiebat *Propitiatorium Aureum*, quod & *Oraculum* iridem dicebatur, quia inde Deus reſponſa dabat Moyſi, Aaroni,

ac

ac ſubinde Summis Sacerdotibus ipſum conſulentibus. Utrumque latus Propitiatorii duo Cherubini aurei, expanſis alis tegebant, ſeſe mutuo reſpicientes, verſis in Propitiatorium vultibus. *Sancta Sanctorum* Tabernaculi ſoli Pontifici ſemel in anno pervia erant, videlicet die ſeptima menſis ſeptimi, quo *Feſtum Expiationis* celebrabatur. Præter iſtum locum, ſeu præter iſtam Tabernaculi partem, quæ dicebatur *Sancta Sanctorum*, erat alter locus, ſeu alia ejuſdem Tabernaculi pars, quæ vocabatur *Sancta*, quæque complectebatur *Altare Thymiamatis*, ad cujus Altaris latus dextrum erat Candelabrum ductile de auro puriſſimo, Lucernis ſeptem pariter aureis inſtructum. Ad latus vero ejuſdem Altaris ſiniſtrum erat menſa, ex lignis Setim, & auro mundiſſimo circumdata, in qua, ad ſignificandum numerum duodecim Tribuum Iſrael, reponebantur XII. Panes ſacri, qui dicebantur *Panes Propoſitionis*, & ſingulis Sabbatis mutabantur, uſibuſque Sacerdotum cedebant. Denique, Tabernaculum habebat duplex Atrium, unum exterius, in quo ſtabant Laici, aliud interius, in quo erant Labrum æneum, & Altare Holocauſtorum. In Labro æneo manus pedeſque abluere tenebantur Sacerdotes antequam Tabernaculum ingrederentur, & ad Altare, ut thymiama offerrent, acceſſuri eſſent. Habes nunc paucis verbis delineatam ſtructuram Tabernaculi, quod Deus in monte Sinai præcepit Moyſi, ut ædificaret in gratiam Iſraelitarum in Deſerto peregrinantium, ſicut perdocte explicat Angelicus Doctor *S. Thomas* 1. 2. Quæſt. CII. Art. IV. ad I. his verbis: *Cultus*, inquit, *duo reſpicit, ſcilicet Deum, qui colitur, & homines colentes. Ipſe igitur Deus, qui colitur, nullo corporali loco clauditur: unde propter ipſum non oportuit ſpeciale Tabernaculum fieri aut Templum. Sed homines, ipſum colentes, corporales ſunt, & propter eos oportuit ſpeciale Tabernaculum, vel Templum inſtrui ad cultum Dei, propter duo. Primo quidem, ut ad hujuſmodi locum convenientes cum hac cogitatione, quod deputaretur ad colendum Deum, cum majori reverentia accederent. Secundo, ut per diſpoſitionem talis Templi vel Tabernaculi ſignificarentur aliqua pertinentia ad excellentiam divinitatis, vel humanitatis Chriſti, & hoc eſt, quod Salomon dicit lib. 3. Regum c.* 8. Si Cœlum & Cœli Cœlorum te capere non poſſunt, quanto magis Domus hæc, quam ædificavi tibi? Et *poſtea ſubdit*: Sint oculi tui aperti ſuper domum hanc, de qua dixiſti: Erit nomen meum ibi, ut exaudias deprecationem ſervi tui, & populi tui Iſrael: *Ex quo patet, quod Domus Sanctuarii* (ſeu Tabernaculi) *non eſt inſtituta ad hoc, quod Deum capiat, quaſi localiter inhabitantem, ſed ad hoc, quod nomen Dei inhabitet ibi, id eſt, ut notitia Dei ibi manifeſtetur per reliqua, quæ ibi fiebant, vel dicebantur, & quod propter reverentiam loci orationes ibi fierent, magis exaudibiles ex devotione orantium*. Hoc, longiuſculum licet, *S. Thomæ* teſtimonium hic inferere neceſſarium duxi, ut ſtatim intelligas, quam falſum ac putidum ſit iſtud commentum, quod *Joannes Spencerus*, Scriptor Anglus, obtrudere non erubuit, docens, Tabernaculum, in quo Deus coli voluit, non ex Dei ſapientia & voluntate, ſed ex prophana Gentium Religione originem duxiſſe. Pingit enim ille audaciſſimus Scriptor, longe ante Moyſem, Aegyptiis, aliiſque Gentibus ſolemne fuiſſe, falſorum ſuorum Numinum, ſeu Idolorum imagines, in thecis aut tentoriis collocatas circumferre, vel ut Deos honore ſingulari colerent, vel ut eos haberent indivulſos viarum & periculorum ſuorum comites. Ad hunc ſuperſtitioſum Gentilium morem, quem tollere non ita promptum erat, ſeſe accommodaſſe Deum, & in Tabernaculo, quod ab Hebræis, quoſcumque vellent, aſportari poſſet, habitare dignatum eſſe pertendit *Spencerus* lib. 3. *De Legibus Ritualibus Hebræorum*, Diſſertatione I. cujus errorem invictis argumentis hic breviter confutare non abs re erit. Et I. quidem impium eſt dicere, Deum quando præcepit Moyſi, ut fabricaret Tabernaculum portatile, in quo habitare & ab Hebræis coli volebat, ſeſe demiſiſſe ad prophanum illum morem Gen-

Gentium, quæ ſuum Idolum *Moloch in* Tabernaculo portatili colebant, ſicut ſupponit *Spencerus*. Impium, inquam, eſt, ne quid gravius dicam, aſſerere Deum, qui ſemper Idololatriæ cultores averſatus eſt, atque graviſſimis pœnis ſubjecit, voluiſſe in his, quæ ipſius cultum ſpectant, ſe accommodare prophanis Gentium Religionibus. Deus autem præcepit Moyſi ut fabricaret Tabernaculum juxta formam, quam ei in ſacro monte *Sinai* oſtenderat ac præſcripſerat: *Inſpice* (inquit Deus *Moyſi* c. 25. v. 40. Libri Exodi) *& fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*. Quibus Domini verbis concidunt duæ ineptiſſimæ *Spenceri* conjecturæ. Ait enim primo, Tabernaculi fabricam Gentis Iſraeliticæ voluntati & æmulationi, magis, quam Dei voluntati vel præcepto eſſe adſcribendam. Quod tamen oppido falſum eſſe conſtat ex citatis Scripturæ Sacræ verbis, quibus Deus in monte Sinai Moyſi fabricam Tabernaculi præcepit. Secundo ait *Spencerus*, Fabricam Tabernaculi ab Hebræis factam eſſe juxta formam, quam habebat Tabernaculum *Moloch*, Idolum Gentium. Quod etiam tam falſum eſt, quam quod maxime. Deus enim in monte *Sinai* præſcripſit formam Tabernaculi, in quo coli volebat, eamdemque formam capitibus 25. 26. & 27. Libri Exodi accurate deſcriptam habemus. At, formam Tabernaculi *Moloch* nullibi deſcriptam reperimus. Addo, nullum *Spencero* certum ſuppetere antiquitatis monumentum, quo probare poſſit, morem illum Gentium, Deorum ſuorum Imagines in Tentoriis, aut Ædiculis, ſeu Templis portatilibus circumgeſtandi, eſſe *Moyſe* antiquiorem, vel coævum, cum nullus Auctor, ſicut jam in noſtris præcedentibus Colloquiis oſtendimus, proferri poſſit *Moyſe* vetuſtior, aut ei ſuppar, qui rerum iſtarum fidem faciat. Debuiſſet igitur *Spencerus*, habita ratione Hiſtoriæ ſacræ, & Antiquitatis *Moyſis*, ultro fateri, Tabernaculum fuiſſe a *Moyſe* fabricatum, ſecundum formam in monte Sinai a Deo ei oſtenſam ac præſcriptam: ſed poſtea, Diabolum, æquales divinos honores ſibi arrogare volentem, Gentibus, Idololatriæ tenebris immerſis, inſpiraſſe, ut Tabernacula, Tentoria, & Ædiculas Numinibus ſuis exſtruerent, ad ſimilitudinem Tabernaculi, quod, jubente Deo, fabricarat *Moyſes*. Sed, ut dem *Spencero*, Thecas, Tabernacula, Ædiculas, ſeu Templa portatilia *Molochi*, aliorumque ſuperſtitioſæ Gentilitatis falſorum Numinum in uſu fuiſſe apud Aegyptios, Ammonitas, Moabitas, alioſque Populos Idololatras, antequam Deus ab Iſraelitis coleretur (quod tamen non probavit *Spencerus*, nec ullus unquam probare poterit) inde tamen minime ſequeretur, Deum, quando præcepit *Moyſi*, ut Tabernaculum, in quo ab Iſraelitis coli volebat, exſtrueret, ſe ad mores Gentium demiſiſſe, & aliquam Tabernaculi *Molochi* formæ rationem habuiſſe; ſed potius ſequeretur, Deum præcepiſſe, ut Tabernaculum, in quo ſpecialiter coli volebat, fabricaretur, ad extirpandam penitus Idololatriam, & Populum Iſraeliticum cultui ſuo arctius devinciendum. Nec enim Deus, ut obiter dicam, Tabernaculum fieri juſſit propter ſe, quaſi eo indigeret, & aliquo corporali loco claudi poſſet, ſicut viſum eſt Populis Idololatris, qui Deos ſuos Templis & Simulacris aſtrictos & incluſos ſibi perperam perſuadebant: ſed Deus Tabernaculum extrui juſſit propter Judæos, ob duas rationes, quas ex ſancto *Thoma* mox adduxi. Oſtendit etiam Doctor ille Angelicus primæ Secundæ Quæſt. CII. Art. IV. ad II. non fuiſſe conveniens, ut Populus Iſraeliticus, quamdiu manſit in Deſerto, non habens certam manſionem, variiſque bellis, quæ cum finitimis Gentibus gerere cogebantur, impeditus, ædificaret Templum, in quodam loco fixum, ſed convenientius fuiſſe, ut haberet duntaxat id temporis Tabernaculum portatile. Hæc ſunt ſancti illius Præceptoris verba: *Tempore David Regis, & Salomonis, Populus ille* (ſeu Iſraeliticus) *habuit quietiſſimum ſtatum, & tunc primo ædificatum fuit Templum in loco, quem Deus deſignaverat Abraham, Geneſis c. 22. ut offerret filium ſuum in holocauſtum*... *Locus autem ille deſignari non debuit per ædifi-*

Digitized by Google

cationem Templi ante tempus prædictum propter tres rationes, quas Rabbi Moyſes aſſignat. Prima eſt, ne Gentes appropriarent ſibi locum illum. Secunda eſt, ne Gentes ipſum deſtruerent. Tertia vero ratio eſt, ne quælibet Tribus vellet habere locum illum in ſorte ſua, & propter hoc orirentur lites & jurgia, & ideo non fuit ædificatum Templum, donec haberent (ſeu Judæi) *Regem, per quem poſſet hujuſmodi jurgium compeſci. Antea vero, ad cultum Dei erat ordinatum Tabernaculum portatile per diverſa loca, quaſi nondum exiſtente determinato loco divini cultus. Et hæc eſt ratio litteralis diverſitatis Tabernaculi & Templi. Ratio autem figuralis eſſe poteſt, quia per hæc duo* (videlicet Tabernaculum & Templnm Salomonicnm) *ſignificatur duplex ſtatus. Per Tabernaculum enim, quod eſt mutabile, ſignificatur ſtatus præſentis vitæ mutabilis. Per Templum vero, quod erat fixum & ſtans, ſignificatur ſtatus futuræ vitæ, quæ omnino immutabilis eſt, & propter hoc in ædificatione Templi dicitur, quod non eſt auditus ſonitus mallei, vel ſecuris, ad ſignificandum, quod omnis perturbationis tumultus longe erat a ſtatu futuro. Vel per Tabernaculum ſignificatur ſtatus Veteris Legis: per Templum autem, a Salomone conſtructum, ſtatus Novæ Legis; unde ad conſtructionem Tabernaculi ſoli Judæi ſunt operati; ad ædificationem vero Templi cooperati ſunt etiam Gentiles, ſcilicet Tyrii & Sydonii*, Hactenus S. *Thomas*, qui a quæſtione XCVIII. Primæ Secundæ uſque ad Quæſtionem CVI. *De Veteri Lege*, & de his omnibus quæ ad illam ſpectant, ad miraculum diſſerit, & omnibus Scriptoribus qui eo de argumento tractarunt, palmam præripuit, teſte *Paulo Burgenſi*, in Hiſpania genere & eruditione inter Judæos magni nominis: deinde, abdicato Judaiſmo, Epiſcopatu Carthaginenſi primum, poſtea Burgenſi, unde ortus erat, & illi nomen adhæſit, ſuiſque in ſacram Scripturam Commentariis celeberrimo: Ille, inquam, vir, in ſacris Litteris, & Rabbinorum Commentariis verſatiſſimus, teſtatus eſt, dum viveret, ſe Veteris Teſtamenti in Divo *Thoma* medullam defæcatiſſimam reperiſſe, ſeque beneficium vocationis ad Chriſti Eccleſiam debere illius Scriptis, unde ſibi Fidei Catholicæ veritas illuxerat, maxime ex Quæſtionibus *De Veteri Lege*, quas S. *Thomas* in Prima Secundæ doctiſſime pertractat. Id obiter velim obſerves contra *Theophilum Raynaldum*, aliosque nonnullos S. *Thomæ* æmulos obtrectatores, qui ex mendo, quod oſcitantia Typographorum irrepſit in Reſponſione ad ſextum Argumentum, quod ſibi proponit S. *Thomas* in Articulo IV. Quæſtionis CII. Primæ Secundæ, ubi legitur, *Propitiatorium fuiſſe Tabulam lapideam*, occaſionem arripiunt inſultandi in Sanctum *Thomam*, quaſi ignoraverit Angelicus ille Doctor, *ex auro puriſſimo factum eſſe Propitiatorium*, ſicut legitur Exodi c. 25. v. 17. & c. 37. v. 6. ejuſdem libri. Sed in hac ſancto Doctori impingenda calumnia aperte illi obtrectatores prodiderunt ignorantiam & malitiam ſuam: ignorantiam quidem, quia ſcire debebant, S. *Thomam* Lectione 1. in c. 9. Epiſtolæ *Pauli* ad Hebræos diſerte Propitiatorium appellare *Tabulam auream*: malitiam vero ſuam itidem demonſtrarunt, quia non ignorabant, in antiquis & correctis ſummæ Tripartitæ S. *Thomæ* Exemplaribus Vaticanis, & Salmaticenſibus, non legi loco mox a me laudato: *quædam Tabula lapidea*; ſed legi: *quædam Tabula, quæ dicebatur Propitiatorium*; ex quibus antiquis & emendatis Exemplaribus compertum facile habere poterant, hunc errorem, qui in quædam Summæ S. *Thomæ* Exemplaria irrepſit, alicui imperito falſatori vel oſcitanti Typographo eſſe adſcribendum, non autem S. *Thomæ* inurendum. Sed, quia hac de re plura dicere non vacat, legeſis eruditam in hunc S. *Thomæ* locum mox citatam clariſſimi noſtri *Joannis Nicolai*, ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctoris, Annotationem, in qua *Theophilus Raynaldus* pro ſuis meritis plautino ſale perbelle defricatur.

D. Eo lubentius hanc doctiſſimi *Joannis Nicolai* Annotationem legam, quod interdum adeſſe ſoleam cætui quorumdam hominum, qui eruditione quidem pollent, ſed nimium mihi videntur moroſi ac ſupercilioſi Cenſores, quip-

quippe qui omnes promiſcue Scholaſticos, ne excepto quidem *S. Thoma*, Doctore Angelico, adductis labiis, corrugataque fronte carpunt, perſtringunt, inſectantur, aſſerentes, eos nugis & tricis Scholæ immorari, & vanis, futilibuſque Quæſtionibus immorari, neglecto Scripturę Sacræ ſtudio, cujus ſenſum nec aſſequantur, nec curent. Quam certe iniquam Cenſuram, ſeu potius calumniam, ſaltem a *S. Thoma* depellunt tam illa, quam mox retuliſti, *Pauli Burgenſis*, Scripturæ Sacræ peritiſſimi, confeſſio, quam doctiſſimæ illæ Quæſtiones *De Veteri Lege*, quas in prima Parte ſuæ Summæ proponit ac dilucidat hic ſanctus Doctor, quaſque nos in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam primæ Mundi Ætatis prælibavimus, videlicet de opere ſex dierum, de productione primorum parentum, *Adami* & *Evæ*, de horum dotibus, & conditione in ſtatu innocentiæ. Ex his, inquam, Quæſtionibus, de quibus *S. Thomas* non minus docto, quam lato diſſeruit calamo, poſſet facile unuſquiſque uberrimum in Pentateuchum, ſeu in quinque Libros *Moyſis* conficere Commentarium. Spretis igitur viris illis hypercriticis, quibus ſolenne eſt omnia, quæ ad ipſorum ſalivam non ſunt ſatis temperata, immiti virga & inofficioſa cenſura excipere, atque pluſquam dictatoria auctoritate damnare, nunc etiam atque etiam te rogo, ut cetera, quibus conſtabat Tabernaculum, cujus fabricam Deus imperavit *Moyſi*, juxta mentem & doctrinam *S. Thomæ* explicare pergas.

M. Rerum, quæ continebantur in Tabernaculo explicationem, cum litteralem, tum typicam, egregie admodum Primæ Secundæ Quæſtione CII. Art. IV. ad Reſponſionem ſexti Argumenti dat *S. Thomas*, Doctor Angelicus, qui prætermiſſis aliis Scriptoribus, qui prolixas de eodem Argumento concinnarunt lucubrationes, unus inſtar omnium nobis eſſe debet. Explicationem autem litteralem rerum, quæ continebantur in Tabernaculo, his verbis orditur *S. Thomas*: poteſt, inquit Angelicus ille Doctor, & horum, quibus conſtabat Tabernaculum, alia ratio aſſignari magis litteralis. In Arca enim continebantur Tabulę Legis, ad tollendam Legis oblivionem; unde dicitur Exodi cap. 28. *Dabo tibi duas Tabulas lapideas, & Legem ac Mandata, quæ ſcripſi, ut doceas filios Iſrael*. Virga vero Aaron ponebatur ibi ad comprimendam diſſenſionem populi de Sacerdotio Aaron: unde dicitur lib. Num. cap. 17. v. 10. *Refer virgam Aaron in Tabernaculum teſtimonii, ut reſervetur in ſignum rebellium filiorum Iſrael*. Manna autem conſervabatur in Arca ad commemorandum beneficium, quod Deus præſtitit filiis Iſrael in Deſerto; unde dicitur Libri Exodi capit. 16. *Imple Gomor ex eo*, id eſt Manna, *& cuſtodiatur in futuras retro generationes, ut norint panes, quibus alui vos in ſolitudine*. Candelabrum vero erat inſtitutum ad honorificentiam Tabernaculi: pertinet enim ad magnificentiam domus, quod ſit bene luminoſa. Habebat autem Candelabrum ſeptem calamos (ut *Joſephus*, Hebræus, dicit lib. 3. Antiq. Jud. c. 7. & c. 10.) ad ſignificandum ſeptem planetas, quibus totus Mundus illuminatur. Altare vero thymiamatis erat inſtitutum, ut jugiter in Tabernaculo eſſet fumus boni odoris, tum propter venerationem Tabernaculi, tum etiam in remedium fœtoris, quem oportebat accidere ex effuſione ſanguinis, & occiſione animalium. Menſa autem apponebatur ad ſignificandum, quod Sacerdotes, Templo ſervientes, in Templo victum habere debebant: unde duodecim panes ſuperpoſitos, in memoriam duodecim Tribuum, ſolis Sacerdotibus edere licitum erat, ut habetur *Matt.* cap. 12. Menſa autem non ponebatur directe in medio ante Propitiatorium, ad excludendum Ritum Idololatriæ: nam Gentiles in Sacris Lunę ponebant menſam coram Idolo Lunę, unde dicitur Jerem. cap. 7. *Mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ Cœli*. In Atrio vero extra Tabernaculum continebatur Altare Holocauſtorum, in quo offerebantur Deo Sacrificia de his, quæ erant a populo poſſeſſa; & ideo in atrio poterat eſſe populus, qui hujuſmodi Deo offerebat per manus Sacerdotum: ſed ad interius Altare, in quo ipſa devotio & ſan-

& ſanctitas populi offerebatur, non poterant accedere, niſi Sacerdotes, quorum erat Deo offerre populum. Eſt autem hoc Altare extra Tabernaculum in atrio conſtitutum ad removendum cultum Idololatriæ: nam Gentiles intra Templa, Altaria conſtituebant ad immolandum Idolis. Hæc eſt explicatio litteralis, quam tradit *S. Thomas* rerum omnium, quæ continebantur in Tabernaculo, ex qua explicatione facile confutari poteſt inſulſum commentum *Joannis Spenceri*, qui lib. 3. *De Legibus Ritualibus Hebræorum*, Diſſertatione V. auſus eſt aſſerere, *Arcæ Fœderis*, quæ in Tabernaculo Divinæ præſentiæ ſacratiſſimum Symbolum erat, originem arceſſendam eſſe e ſacris Ethnicorum Ciſtis, ſeu Arcis, & Cherubinos, qui expanſis alis utrumque latus Propitiatorii tegebant, originem itidem accepiſſe ab Ægyptiorum ſimulacris, & hieroglyphicis, quæ myſticis illorum ciſtis erant inſculpta: hoc, inquam, inſulſum, & a ſæculis inauditum *Spenceri* commentum facile ex ea *S. Thomæ* litterali explicatione refelli poteſt. At enim, oſtendit primo S. *Thomas*, Deum ad ſuum ſtabiliendum cultum, & ad abolendam penitus Idololatriam, præcepiſſe ut fierent Tabernaculum, Arca Fœderis, ceteraque omnia quæ in Tabernaculo continebantur: quis autem credat, Deum, ad promovendum ſuum apud Iſraelitas cultum, & ad extirpandam Idololatriam, voluiſſe, aut permiſiſſe unquam, ut ſibi ab Iſraelitis fabricaretur Tabernaculum juxta ſtructuram Tabernaculi Idoli *Moloch*, & in hoc Tabernaculo reponeretur Arca facta ad ſimilitudinem myſticarum Ciſtarum, ſeu Arcarum, quibus utebantur Ethnici, cum duobus Cherubinis expreſſis itidem ad formam Symbolorum, ſeu Simulacrorum, & Hieroglyphicorum, quæ Ægyptii, aliique Populi, Idololatriæ addicti, ſuis Myſticis Ciſtis, ſeu Arcis, ad Diabolum in ſuis falſis Numinibus colendum, inſcribere ſolebant? Præterea, hæc explicatio litteralis, quam tradit S. *Thomas*, rerum omnium, quæ continebantur in Tabernaculo, exacta eſt ad hiſtoricam narrationem, quam texuit *Moyſes*, qui ſicut in præcedentibus Colloquiis oſtendimus, fuit primus omnium Gentium Scriptor: at vero *Joannes Spencerus*, ut probet morem apud Ægyptios, alioſque Populos Ethnicos obtinuiſſe habendi Tabernacula, Ciſtas, ſeu Arcas, cum Symbolis, Simulacris, & Hieroglyphicis in honorem, & cultum falſorum ſuorum Numinum, citat duntaxat Auctores, qui ſunt multis ſæculis *Moyſe* poſteriores, cujuſmodi ſunt *Pauſanias*, *Apulejus*, *Plutarchus*, *Theocritus*, *Porphyrius*, *Tibullus*, *Catullus*, *Valerius Flaccus*, *Ovidius*, ex quorum teſtimoniis hoc unum tantummodo extundi poteſt, Tabernacula, Arcas, ſeu myſticas Ciſtas, Symbola, Simulacra, & Hieroglyphica apud Ægyptios, Phænices, Græcos, & Romanos in honorem, & cultum falſorum ſuorum Numinum longe poſt Moſaica tempora in uſu eſſe cœpiſſe, & Diabolum, qui non tantum ſimia, ſed corruptor divini cultus, ſemper extitit, ritus ſacratiſſimos, quibus Deus colebatur, æmula operatione ad Sacra falſorum Numinum traduxiſſe, illiſque Ethnicis inſpiraſſe, ut Arcas quoque, ſeu Ciſtas myſticas, arcana quædam, ſed impura & magica inſtrumenta, ſimulacra, obſcœnas imagines, & alias id genus celantes quiſquilias, in ſuorum Numinum Sacris adhiberent, aut etiam ſolemni pompa circumferrent.

D. Litteralem rerum, quæ continebantur in Tabernaculo, expoſitionem S. *Thomæ* magna quidem animi mei oblectatione auſcultavi; optarem tamen ut aliam hic proferres typicam explicationem, quam tradit Angelicus ille Doctor, earumdem rerum, quas continebat Tabernaculum.

M. Tota explicatio typica, quam dat *S. Thomas*, rerum, quæ continebantur in Tabernaculo, ordinatur ad Jeſum Chriſtum, quem Tabernaculum, & omnia in eo comprehenſa, præfigurabant. Sic enim habet Angelicus Doctor: Figuralis ratio horum omnium aſſignari poteſt ex relatione Tabernaculi ad Chriſtum, qui figurabatur. Eſt autem conſiderandum, quod ad deſignandam imperfectionem legalium figurarum, diverſæ figuræ fuerunt iſti-

inſtitutæ in Templo ad ſignificandum Chriſtum: ipſe enim ſignificatur per Propitiatorium, quia ipſe eſt *Propitiatio pro peccatis noſtris*, ut dicitur Epiſt. 1. *Joannis*, cap. 2. Et convenienter hoc propitiatorium a Cherubinis portatur, quia de eo ſcriptum eſt: *Adorent eum omnes Angeli Dei*, ut habetur Epiſt. *Pauli* ad Hebræos cap. 1. Ipſe etiam (ſeu Chriſtus) ſignificatur per Arcam; quia Chriſtus fuit plenus ſapientia & charitate, quæ per aurum ſignificatur. Intra Arcam autem erat urna aurea, id eſt, ſancta anima, habens Manna, id eſt, omnem plenitudinem ſanctitatis & divinitatis. Erat etiam in Arca virga, id eſt, poteſtas ſacerdotalis, quia ipſe eſt factus Sacerdos in æternum. Erant etiam ibi Tabulæ Teſtamenti ad deſignandum, quod ipſe Chriſtus eſt Legislator. Ipſe etiam Chriſtus ſignificatur per Candelabrum, quia ipſe dicit cap. 8. Joannis: *Ego ſum lux Mundi*. Per ſeptem Lucernas, ſeptem dona Sancti Spiritus. Ipſe etiam ſignificatur per menſam, quia ipſe eſt ſpiritualis cibus, ſecundum illud *Joannis* cap. 8. *Ego ſum panis vivus*. Duodecim etiam panes ſignificabant duodecim Apoſtolos, vel doctrinam eorum. Sicut per Candelabrum & Menſam poteſt ſignificari Doctrina & Fides Eccleſiæ, quæ etiam illuminat & ſpiritualiter reficit. Ipſe etiam Chriſtus ſignificatur per duplex Altare, ſcilicet *Holocauſtorum* & *Thymiamatis*, quia per ipſum oportet nos offerre omnia virtutum opera, ſive illa, quibus carnem affligimus, quæ offeruntur quaſi in Altari Holocauſtorum; ſive illa, quæ majori mentis perfectione, per ſpiritualia perfectorum deſideria Deo offeruntur in Chriſto, quaſi in Altari Thymiamatis, ſecundum illud Epiſt. ad Hebræos *cap. ultimo*, verſu xv. *per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo*. Hæc eſt rerum omnium, quæ continebantur in Tabernaculo, typica, quam tradit *S. Thomas*, explanatio, ex qua colligere debes, res, quas in Religione Judæorum tanquam ſacras, & ad cultum pertinentes, inſtituit Deus, collineaſſe in Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam, qui omnes illas figuras, quibus in Veteri Lege fuit adumbratus, adimplevit, ſicut fuſe commonſtravi in Tractatu, quem edidi, *De Myſteriis Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri*.

D. Quamvis in utraque Expoſitione, cum litterali, tum typica rerum, quæ continebantur in Tabernaculo, tradita a *S. Thoma*, ſingularem ſancti illius Doctoris ſuſpiciam in Sacræ Scripturæ interpretatione intelligentiam ac facilitatem, unum tamen in ſanctiſſimi noſtri Præceptoris, ne quid diſſimulem, utraque explicatione, ab ipſo data, offendo, quod Critici hujus temporis, ad alios Scriptores carpendos promptiſſimi, improbare poſſent. Ait quippe *S. Thomas*, in Arca Fœderis, quę erat in Tabernaculo, non ſolum reconditas fuiſſe Tabulas Legis, ſed etiam in eadem Arca fuiſſe urnam, quæ habebat Manna, & Virgam *Aaronis*, quæ fronduerat: id autem quo pacto cum Scriptura ſacra, quam nuperrime legebam, cohætere poſſit, certe non video. Sic enim cap. 8. v. 9. lib. 3. Regum legi: *In Arca aut non erat aliud niſi duæ Tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Iſrael, cum egrederentur de terra Ægypti*. Et lib. 2. Paralipomenon cap. 5. v. 10. *Nihil aliud erat in Arca, niſi duæ Tabulæ, quas poſuerat Moyſes in Horeb, quando Legem dedit Dominus filiis Iſrael, egredientibus ex Ægypto*. Cum igitur juxta Scripturam ſacram, eſſent duntaxat in Arca Fœderis duæ Tabulæ Legis, non video ſane, qua ratione potuerit *S. Thomas* affirmare, in Arca Fœderis, præter duas Tabulas Legis, reconditas fuiſſe urnam, quæ habebat Manna, & Virgam *Aaronis*, quæ fronduerat. Hanc, quæſo, dirime difficultatem, ut contra Criticos, ſi quos nanciſcar, illico paratam reſponſionem habere poſſim.

M. In Arca Fœderis, præter duas Tabulas Legis, repoſitas fuiſſe urnam, quæ continebat Manna, & virgam *Aaronis*, quæ fronduerat, aſſerit quidem *S. Thomas*, ſed poſt Apoſtolum *Paulum*, qui cap. 9. Epiſt. ad Hebræos, v. 3. & 4. hæc habet: *Poſt velamentum autem ſecundum, Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, Aureum habens Thu-*

ribu-

ribulum , *& Arcam Teſtamenti circumtectam ex omni parte auro , in qua urna aurea habens Manna , & Virga Aaron , quæ fronduerat , & Tabulæ Teſtamenti .* Vide, non ſolum *S. Thomam*, ſed etiam Apoſtolum *Paulum* aperte profiteri , in Arca , præter duas Tabulas Legis, fuiſſe urnam, quæ habebat Manna, & Virga *Aaronis*, quæ fronduerat?

D. Video quidem , S. *Thomam* plane conſentire cum Apoſtolo *Paulo*. Aſt, ut candide fatear, necdum video, nec modum reperire poſſum conciliandi Apoſtolum *Paulum* cum his, mox a me citatis Scripturæ ſacræ locis, in quibus conceptis verbis dicitur , in Arca Fœderis fuiſſe duntaxat duas Tabulas Legis . Aliquam itaque, ſi placet, indica viam, qua monſtrare poſſim , Apoſtolum *Paulum*, ejuſque Diſcipulum S. *Thomam* , his a me adductis Scripturæ ſacræ locis minime repugnare.

M. Duplex ſuppetit via, ſeu ratio, qua oſtendi poteſt, Apoſtolum *Paulum*, ejuſque Diſcipulum S. *Thomam*, nullo pacto repugnare his Scripturæ ſacræ locis , quæ mox in medium adduxiſti . In primis dici poteſt, Apoſtolum ſcripſiſſe, urnam habentem Manna , & Virgam *Aaronis* fuiſſe in Arca , quia juxta Arcam erant, more loquendi ſolemni Scripturæ ſacræ , quo aliquid in loco aliquo eſſe dicit, quod juxta illum eſt. Sic Ex. Gr. legimus in Evangelio, Chriſtum ejeciſſe ementes, & vendentes e Templo, qui tamen non in ipſo Templo, ſed in porticu Templi negotiabantur. Sic Chriſtus Dominus crucifixus dicitur in Hieruſalem, quamvis non in urbe, ſed prope eam crucifixus ſit. Hoc ergo ſenſu Apoſtolus *Paulus* ſcribit, urnam auream habentem Manna, Virgam *Aaronis*, & Tabulas Legis fuiſſe in Arca: Tabulas quidem , ut intra Arcam reapſe incluſas : Virgam vero *Aaronis* , & urnam auream habentem Manna , tanquam juxta poſitas in Tabernaculo, ideſt in capſa Arcæ adjacente , & lateri ejus exterius adhærente, in quo loco Deus c. 31. v. 26. Libri Deuteronomii præcepit his, qui portabant Arcam Fœderis , ut reponerent Librum Geneſis , dicens : *Tollite librum iſtum , & ponite eum in latere Arcæ Fœderis Domini Dei noſtri , ut ſit ibi contra te in teſtimonium.* Alia via, ſeu ratio, qua oſtendi poteſt, Apoſtolum *Paulum* , ejuſque Diſcipulum S. *Thomam* , nou adverſari his, quæ retuliſti, Scripturæ ſacræ teſtimoniis, hæc eſt, ut dicamus, temporibus quidem *Moyſis* , & Regis *Salomonis*, ſolas Tabulas Legis in Arca Fœderis extitiſſe , ſed poſt *Salomonis* tempora Sacerdotes cupientes in ſecretiori, tutiorique aſſervare cuſtodia tam urnam auream , quæ habebat Manna , quam Virgam *Aaronis*, quæ fronduerat , iſthæc duo monumenta in Arca , cum Tabulis Legis , repoſuiſſe , indeque factum eſſe, ut Apoſtolus *Paulus* , hujus rei non inſcius (utpote qui Traditiones Majorum ad pedes *Gamalielis* probe edoctus erat) recte ſcripſerit , hæc tria, videlicet Tabulas Legis, urnam, quæ continebat Manna, & Virgam *Aaronis*, quæ fronduerat, extitiſſe in Arca; idemque, poſt Apoſtolum *Paulum*, docuerit S. *Thomas*, qui a doctrina illius Apoſtoli ne latum quidem unguem unquam deſcivit .

D. Quid continebant duæ iſtæ Tabulę Legis, quæ, ut antea dixiſti, in Arca Fœderis reconditæ erant?

M. Duæ iſtæ Tabulæ Legis, quæ in Arca reconditæ erant, complectebantur *Decalogum*, ideſt, decem Præcepta, quæ Deus dedit *Moyſi* in monte *Sinai*, quæque deſcripta ſunt c. 20. Libri Exodi, & cap. v. Libri Deuteronomii. In his autem decem Præceptis, quę his duabus Tabulis erant inſcripta, quę moralia ſunt, ſive, quæ ad regendos mores ſunt comparata , quæcumque etiam ad Legem naturalem, & immutabilem pertinent, breviter comprehenduntur, ita ut Decalogus proprie nihil aliud ſit, niſi Lex naturalis litteris conſignata. Sunt autem hæc decem Præcepta, iſto ordine diſpoſita .

1. *Ego ſum Dominus Deus tuus , qui eduxi te de Terra Ægypti, de domo ſervitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem.... Non adorabis ea , neque coles.*

3. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum , &c.*

Digitized by Google

3. *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices* .... qui dies Sabbati in diem Dominicum a Chriſtianis eſt commutatus, in honorem Reſurrectionis Chriſti Domini.

4. *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus dabit tibi*.

5. *Non occides*.

6. *Non mœchaberis*.

7. *Non furtum facies*.

8. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*.

9. *Non concupiſces uxorem proximi tui*.

10. *Non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, & univerſa quæ illius ſunt*.

Hæc decem Præcepta Dei, quibus conſtat Decalogus, ut memoriæ tuæ facilius mandare poſſis, ſequentes Verſus, quibus ſunt incluſa, in rem tuam libenter ſubjiciam:

Unum cole Deum, nec jures vana per ipſum.
Sabbata ſanctifices, habeas in honore parentes:
Ne ſis occiſor, mœchus, fur, teſtis iniquus:
Alterius nuptam, nec rem cupias alienam.

D. Ejuſmodi Præcepta, contenta in Decalogo, & ad quæ oportet omnes actiones noſtras, velut ad amuſſim, dirigere, jam a puero ſum edoctus. Sed, ſi tibi moleſtum non eſſet, vellem ex te in præſentia diſcere compendioſam quidem, ſed accuratam notitiam rerum, quæ his decem Præceptis, digito Dei ſcriptis, jubeantur, aut prohibeantur. Incipe ergo, quæſo te, ab expoſitione primi Præcepti Decalogi.

M. Decem divina illa præcepta non egent interpretatione: Legis enim verba debent eſſe dilucida, & ſi quem in his requiras Interpretem, ſunt complures, qui hoc abunde præſtiterunt. Attamen votis tuis ut faciam ſatis, brevem hic tibi ſuppeditabo notitiam rerum, quæ his decem Præceptis aut imperantur, aut vetantur. Primum itaque Præceptum eſt: *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, &c.* Hoc Præcepto prohibetur, ne falſis Diis, aut ulli omnino creaturæ, ſive aſtris aut elementis, aut animalibus, aut hominibus, aut Angelis, divinus honos deferatur, omneſque Idololatriæ Ritus, omnia ſuperſtitionum genera diſtricte inhibentur. Ad hoc primum Decalogi Præceptum revocatur Præceptum de diligendo Deo ſuper omnia: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*, lib. Deuteron. cap. 6. v. 5. Hoc autem Præceptum amoris Dei ſuper omnia Judæos non minus in Veteri Lege, quam Chriſtianos in Lege Evangelica obligabat. Quo fit, ut graviter errent nonnulli, qui ut elevent obligationem Præcepti amoris Dei ſuper omnia, ajunt, hoc Præceptum ſatis impleri, ſi factis externis Lex non violetur. His enim verbis, quibus iſtud amoris Dei ſuper omnia Præceptum conceptum eſt, actus etiam internos præcipi certiſſimum eſt, conjunctim videlicet cum externis. Hoc itaque primum Decalogi Præceptum violatur primo ab his, qui non diligunt Deum ſuper omnia. Secundo, ab illis, qui Solem, Lunam, ac Stellas, aut Hominem, Serpentem, Bovem, Canemve, aut horum Deorum ſimulacra colunt pro Deo. Denique, violatur ab iſtis, qui adhærent variis ſpeciebus divinationis ſuperſtitioſæ, quales ſunt *Necromantia*, *Divinatio per Pythones*, *Geomantia*, *Hydromantia*, *Æromantia*, *Pyromantia*, *Haruſpicium*, *Aſtrologia judiciaria*, ſeu *Genethliaca*, *Augurium* per garritum avium, *Auſpicium* ab earum volatu, *Omen*, *Chiromantia*, *Spatulomantia*, *Metopoſcopia*, *Phyſiognomia*, *Onirocritica*, *Sanationes Magicæ*, *Maleficia*, & alia id genus, in quibus, etiamſi non ſit expreſſa cum Dæmonibus conſpiratio, eſt tamen aliquod tacitum commercium, ac ſubinde tacita Dei abnegatio. De variis iſtis ſuperſtitioſæ divinationis ſpeciebus legeſis S. *Thomam* 2. 2. Quæſt. 95. Art. 3. & inter recentiores Scriptores lege tres libros, quos gallico idiomate perdocte ſcripſit *Joannes Baptiſta Thiers*.

D. Cum in hoc primo Decalogi Præcepto tanta diligentia vetentur fieri Imagines & Simulacra, qui, obſecro te, fa-

factum eſt, ut hodie Templa Catholicorum plena ſint Imaginibus, Simulacris, & Reliquiis Sanctorum?

M. Judæorum Populus erat craſſiſſimus, & ad Gentium ſuperſtitionem mire proclivis, ut vix crederent quod oculis non cernerent, ideoque Lex tot verbis eos deterret longius ſubmovens a periculo labendi in Idololatriam. Nunc vero, poſteaquam per Evangelicam lucem extinctus eſt omnis Ethniciſmus, non eſt idem periculum. Præterea, *Moyſes*, ut ſuperius diximus, ex præſcripto Dei duos Cherubim aureos in Tabernaculo poſuit in ſummis Propitiatorii partibus, & in Vaſis Templi, quod extruxit Rex *Salomon*, ſicut legitur lib. 3. Regum cap. 7. erant Boum, Leonum, & Cherubin ſculptiles Imagines. Rurſus lib. 2. Paralipomenon cap. 3. ſculpuntur Cherubin in parietibus. In Mitra Pontificis erat imago Lunæ, in ejus Veſte malorum punicorum Simulacra. Non eſt igitur veriſimile Judæis ſimpliciter interdictum omne genus Imaginum, ſed ne more Gentium haberent ſimulacra, quæ proponerentur adoranda, ſicut explicat *S. Thomas* 3. P. Quæſt. 25. art. 3. ad 1. ubi ait, hoc primo Decalogi Præcepto prohiberi adorationem Imaginum, quas Gentiles faciebant in venerationem Deorum ſuorum, & ideo præmittitur: *Non habebis Deos alienos coram me*. Et ideo in pluribus Eccleſiæ ſæculis frequens fuit in Templis ſacrarum Imaginum uſus, & cultus, ut Iconoclaſtæ, qui debitum eis cultum abjudicabant, eaſque frangebant, fuerint in ſecunda Nicæna Synodo Œcumenica tanquam hæretici anathemate perculſi, atque proſcripti. Concilium etiam Tridentinum ſacrarum imaginum in Templis uſum atque cultum probavit, & ſanxit ſeſſ. 25. c. 2. contra Lutheranos, & Calviniſtas, alioſque hujus furfuris Heterodoxos. Idem dicendum eſt de Reliquiis Sanctorum, quorum corpora, quæ fuerunt Spiritus Sancti in eis inhabitantis Templa, colimus propter animam, quæ fuit eis unita, quæ nunc in Cælis fruitur Deo, & propter Deum, cujus in terris fuerunt Miniſtri, & quorum Reliquias ſæpe numero Deus illuſtravit miraculis, quorum teſtes locupletiſſimi, & omni exceptione majores ſunt S. *Ambroſius* Epiſtola 85. & Sermone 94. S. *Auguſtinus* lib. 22. *De Civitate Dei* cap. 8., & alii ſancti Patres, qui hujuſmodi miracula ſe vidiſſe litteris prodiderunt. De cultu Reliquiis Sanctorum exhibendo legeſis Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 2. S. *Thomam* 3. P. Quæſt. 25. Art. 6. & Catholicos Scriptores Polemicos, qui calamum ſtrinxerunt in Lutheranos, Calviniſtas, & alios Hæreticos, qui Iconomachorum Hæreſim recoxerunt. Advertere tamen debes primo, Votum, cum ſit actus Religionis, ſoli Deo fieri, & promitti debere. Secundo, ſacrificium ſoli Deo eſſe offerendum, ſoli Deo Templa, & Altaria eſſe erigenda. Hinc S. *Auguſtinus* lib. 8. *De Civitate Dei* cap. ultimo, ait: *Sacerdos non dicit; Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule*, ſed Deo de illorum victoriis gratias agimus, & nos viciſſim ad imitationem heroicarum virtutum, quarum nobis exempla reliquerunt, adhortamur. Templa etiam, & Altaria, in honorem Sanctorum eriguntur, non ut illis Sacrificium offeratur ipſis Sanctis, ſed ut ſoli Deo in eorum memoriam, & honorem exhibeatur Sacrificium, ſicut probat *S. Thomas* 2. 2. Quæſt. 84. Art. 2. & 3.

D. Iſta profecto pro meo captu ſatis explanate diſſeruiſti. Nunc, quæ ſecundo Decalogi Præcepto præcipiantur, aut prohibeantur, ſummatim, quæſo, perſtringe.

M. Quoniam divinæ Majeſtatis hoc poſtulat dignitas, ut non ſolum de ea magnifice ſentiant homines, nec tantum abſtineant a cultu ſimulacrorum, verum etiam, ne verbo parum reverente eam dehoneſtent apud homines; ideo hoc ſecundum Decalogi Præceptum jubet, ut non aſſumatur nomen Dei in vanum, *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*. Nam aſſuetudo levium verborum minuit in loquentium, & auditorum animis reverentiam Numini debitam. Apud Judæos tanta erat olim veneratio divini nominis, ut myſticum illud nomen, quod *Tetragramaton* appellant, ſcriberent litteris non efferendis. Inter Ethnicos etiam fue-

runt quidam ſapientiæ laude celebres, præſertim *Plato*, *Menander*, *Iſocrates*, *Quintilianus*, *Clinias Pythagoricus*, & alii, qui cenſuerunt, vel omnino a juramento abſtinendum, vel graviſſimis duntaxat cauſis, & urgente neceſſitate eſſe jurandum. Quanto igitur magis ad Evangelicam pietatem pertineret, ut Chriſtiani numquam nominarent Deum, niſi genua flectendo, aut aperiendo caput, aut, ſi neutrum liceret, modica capitis inflexione, & vultu reverentiam præ ſe ferendo? At, proh dolor! nonnulli hodie ſunt Chriſtiani, quos non pudet, prava conſuetudine, tertio quoque verbo addere, *per Deum*, *per mortem Dei*, &c. ſicque aut animi gratia, aut per temulentiam, iracundiamve jurare, & nomen Dei in vanum aſſumere, cum tamen Chriſtus Dominus cap. 5. verſ. 34. Diſcipulis ſuis prohibeat juramentum his verbis: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino.* Quod tamen Chriſti præceptum non ita intelligendum eſt, quaſi nuſquam jurare liceat, ſed cum eo temperamento id accipiendum eſt, ut Chriſtianus non facile juret, non pro re levi, non abſque neceſſitate, ſed juramentum pro virili caveat quantum poteſt. Ad quam interpretationem flecti poſſunt quædam duriora in ſpeciem veterum Patrum dicta, præſertim SS. *Chryſoſtomi*, *Ambroſii*, & *Hieronymi*, qui juramentum omne a Chriſto prohibitum innuere videntur. Ut autem juramentum ſit licitum, debet fieri primo cum judicio, ideſt, non temere, & inconſulto. Secundo, cum juſtitia, ideſt, juramentum cadere debet ſuper materiam juſtam, licitam, & honeſtam. Poſtremo, juramentum fieri debet cum veritate, ita ut jurans arbitretur, non levi, ſed gravi fultus ratione, verum eſſe, quod profert in juramento, alioqui eſſet perjurium. Has tres conditiones, ſeu circumſtantias eſſe prorſus neceſſarias ut juramentum ſit licitum, & evadat actus virtutis, & Religionis probat S. *Thomas* 2. 2. Quæſt. 89. Art. 3. ex Propheta *Hieremia*, dicente: *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, in judicio, & in juſtitia.* Quæ cum ita ſint, neſcio ſane, quo colore poſſit excuſari conſuetudo nunc paſſim jurantium in omni pene negotio. Huic certe ripæ non bene creditur, quia crebro jurando pejerare diſcimus. Mihi videtur, Chriſtianos jurare tantum debere, dum cogit neceſſitas, aut negotii gravitas. Juravit quidem *Paulus*, ſed non pro penula, aut ære, ſed pro gloria Evangelii. Sed ſatis hactenus dictum ſit de ſecundo Decalogi Præcepto, quo non modo perjurium, ſed quælibet in Deum irreverentia prohibetur, præſertim blaſphemia, qua Dei Majeſtati, providentiæ, bonitati, juſtitiæ, aliiſque Attributis derogatur, & convitiis, atque imprecationibus, Deus ipſe, vel Sancti ejus laceſſuntur. Prohibentur etiam hoc ſecundo Decalogi Præcepto infidelitas in votis, & ſcelus falſorum Prophetarum, atque eorum omnium qui ſe a Deo miſſos mentiuntur, & falſam doctrinam ſpargunt, populoſque ſeducunt, quia, ſicut illi, qui vovent quod revera implere in animo non habent, aut quod vovent, poſtea non implent, nomen Dei in vanam aſſumunt; ita Pſeudo-Prophetæ, & Doctores erroris, qui pereginas doctrinas diſſeminant, & alios a veri Dei cultu abducunt, nomen Dei pariter in vanum aſſumunt.

D. Quid jubet, vel prohibet tertium iſtud Decalogi Præceptum: *Memento, ut ut diem Sabbati ſanctifices?*

M. Iſtud tertium Decalogi Præceptum ſpectat ad cultum Dei, cui præſertim conſecrat ſeptimum quemque diem, quo totus homo, abſtinens ab omni opere ſervili, vacat operibus latriæ, hoc eſt, hymnis, precationibus, ſacræ doctrinæ, ſacrificiis, eleemoſynis, aliiſque exercitamentis, quæ fidem, & charitatem erga Deum excitant, ne quis excuſare poſſit, ſibi per neceſſarias occupationes non eſſe otium colligendi animum ad ea quæ ſunt pietatis. Eodem Decalogi Præcepto obviam itum eſt inclementiæ, & avaritiæ Judæorum, quæ olim tanta erat, ut nullam relaxationem darent ſervis, ancillis, & mercenariis advenis. Quam Judæorum avaritiam, & inclementiam utinam non imitarentur quidam Chriſtiani, qui die ſeptimo, cultui Dei ſpeciatim conſecrato, & ſervos, & an-

& ancillas ſuas quieſcere non ſinunt, ſed externis atque operibus ſervilibus addicunt, ut inde temporale aliquod emolumentum percipere poſſint.

D. Quid intelligis per opus ſervile, quod iſto Decalogi Præcepto prohibetur?

M. Per opus ſervile intelligo opus externum, quod quæſtus gratia ſolet exerceri, velut arare, fabricare, negotiari &c. Opus autem externum non prohibetur, quaſi vitioſum ſit, cum potius per ſe ſit bonum, ſed eo fine prohibetur, ut quod per ſe bonum eſt, cedat ei, quod optimum eſt, ſcilicet ei, cujus gratia præcipue conditus eſt homo, videlicet ut cognoſcat, veneretur, colat, ametque Deum ſuper omnia. Quamvis enim homo poſſit & debeat mediis in laboribus Deum colere, & amare ſuper omnia, vix tamen homo poteſt animum, ut par eſt, in Deum attollere, niſi liber ſit ab his laboribus, & negotiis, quæ & tempus abſumunt, & magnam animi partem ſibi vindicant; Diem itaque quietis Deus hominibus indulſit, ut per illud externum otium diſcerent animum habere a tumultuoſis cupiditatibus feriatum, videlicet ab odio, ab ira, a crapula, ab ambitione, a libidine, & ceteris carnis affectibus. Quapropter, viderint illi Chriſtiani, qui diem illam quietis vel ſomno, vel fabulis, vel inertiæ dant, aut ingluvie, temulentia, aliiſque peccatis contaminare audent: viderint, inquam, illi Chriſtiani, quo pacto ſervent hoc Præceptum de ſanctificatione Sabbathi, non præſtantes hoc, cujus gratia Præceptum iſtud proditum eſt a Deo, his verbis: *Memento, ut diem Sabbathi ſanctifices*. Sanctificare enim, eſt ſanctis operibus diem tranſigere, nec ullis, Deo indignis, actionibus prophanare.

D. Quorſum Deus ad id deſignavit diem ſeptimam, quæ dicitur dies Sabbathi?

M. Diem ſeptimam Deus ideo delegit, quia (ſicut legitur Exodi cap. 31. v. 17.) *ſex diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & in ſeptimo ab omni opere ceſſavit*; non quod Deus poſt Mundi fabricam, ſex dierum ſpatio abſolutam, quaſi laſſitudinem ſuam ſeptimo die voluerit otio recreare: (apage tam craſſam & indignam Deo imaginationem) ſed voluit Deus, ut nos perpetuo recordaremur, quod hic Mundus ab ipſo conditus ſit, non ut in his, quæ hujus Mundi ſunt, conquieſceremus, ſed ut ex his, quæ condita ſunt, agnoſcentes conditorem, ad illius exemplum requieſceremus ab amore rerum viſibilium; ac per fidem, vitæque innocentiam, quæ vera animi pax eſt, ad illam æternam quietem, quam habebimus in Cœlis, properaremus. Sunt enim quodammodo tria Sabbatha. Primum fuit Dei ſine nobis in creatione Mundi. Secundum eſt noſtrum per Dei beneficentiam, ſed imperfectum in hac vita. Tertium eſt abſolutum in futuro ſæculo.

D. Sæpius audivi te dicentem, Moſaicam Legem, quod ad cæremonias attinet, abrogatam eſſe. Illud autem de ſanctificatione Sabbathi Præceptum maxima ex parte videtur ad cæremoniarum genus pertinere, debet ergo nunc in Lege Evangelica eſſe penitus antiquatum.

M. Præceptum de ſanctificatione Sabbati eſt partim naturale & morale, & partim cæremoniale, ſicut docet S. *Thomas* 2. 2. Quæſt. 122. Art. 4. ad 1. Naturale eſt iſtud Præceptum de ſanctificatione Sabbathi, quantum ad hoc, quod homo certum vitæ ſuæ tempus determinet ad publice colendum Deum, non ſolum cultu externo, ſed interno: & ſic tale Præceptum viget adhuc in Lege Evangelica. At, cæremoniale eſt iſtud Præceptum de ſanctificatione Sabbathi, quatenus deſignat ſpeciale tempus, ideſt, diem hebdomadæ ſeptimam, ſeu diem Sabbathi in ſignum & memoriam creationis Mundi. Quo fit ut illa determinatio diei ſeptimæ, ſeu Sabbathi, cum fuerit cæremonialis, ab Eccleſia fuerit immutata in diem Dominicam, non ex vi Præcepti Legis, ſed, ut ait S. *Thomas*, Quæſt. mox a me citatæ Art. 4. in Reſponſione ad quartum ſibi propoſitum argumentum, ex Conſtitutione Eccleſiaſtica, & Populi Chriſtiani conſuetudine.

D. Sed cur, quæſo, Eccleſia hanc diem ſeptimam mutavit in diem Domini-

minicam, quæ apud Judæos eſt prima dies hebdomadæ?

M. Hujus mutationis, quam Apoſtolorum auctoritate factam eſſe docent bene multi Theologi, & Scripturæ Sacræ Interpretes, duplex poteſt afferri ratio. Prima eſt, ne in hoc conſentientes cum Judæis, videremur & in reliquis conſentire. Hinc *S. Chryſoſtomus* miro ſtudio deterret Chriſtianos, ne iiſdem diebus jejunarent, quibus ſolemne erat Judæis jejunare. Altera ratio eſt, quia Deus quodammodo bis condidit Mundum, & in hoc hominem. Primum enim creavit quod non erat, utique per Filium ſuum Unigenitum. Dein, per eumdem Filium ſuum incarnatum, hominemque factum, reſtituit quod perierat: ibi dicitur requieviſſe ab omni opere condendo; hic Chriſtus ab operibus diſpenſationis requieſcens, dum corpore requieſcit in ſepulchro, velut abrogat Judaicum Sabbathiſmum, dumque diei Dominicæ diluculo reſurgit immortalis, Sabbathum Evangelicum nobis commendavit; & ea de cauſa dies ille dicitur Dominicus, & in eo cantat Eccleſiaſticus Chorus: *Hic eſt dies, quem fecit Dominus*. Dicitur etiam *Paſcha* dies, ipſo vocabulo nos admonens veteris typi. Judæi, refecti Agno Paſchali, tranſierunt Mare Rubrum: nos refecti ſanguine Chriſti, tendimus ad Terram Cœleſtem. Illos Agni cruor, illitus poſtibus eorum, ſervavit ab Angelo exterminatore: nos Chriſti ſanguis liberavit a tyrannide peccati. Vide, quam mire iſthæc quadrent per omnia. Sed de Sabbatho hic plura non dicam, cum de ejus inſtitutione, & de illius ad Ethnicos propagata cognitione meminerim, me haud pauca obſervaſſe in Colloquio tertio in Hiſtoriam primæ Mundi ætatis.

D. Quo pacto intelligendum eſt iſtud quartum Decalogi Præceptum: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus dabit tibi?*

M. Secundum Deum primus honos debetur parentibus, per quos Deus nobis hoc vitæ munus dedit, quorum cura nos educavit, per quos nos inſtituit ad cognitionem Dei, ſummi parentis omnium, & ad charitatem ipſius evexit. Quocirca præcipit Deus, ut honoremus patrem, & matrem. Quo præcepto adſtringuntur filii ad honorem, reverentiam, amorem, & gratiarum relationem, quantum fieri poteſt, atque neceſſaria vitæ præſidia parentibus indigentibus ultro impendenda. Hoc quippe officium in parentes repenſatio quædam eſt impendiorum, moleſtiarum, ac laborum, quos nobis infantibus impenderunt; dum mater fert tædium geſtationis, pariendi, munus lactandi, & nutriendi: longarum item curarum, quas pater tolerat, ſumptus ſuggerens, & omnem exhibens curam, ut liberi ad pietatem erudiantur. Quando igitur parentes, vel ætate defecti, vel quodam adverſo fortunæ caſu dejecti, egent filiorum auxilio; tunc filii tenentur præſentiſſimum eis afferre ſubſidium, quod præſtant quædam animalia, ſeu Ciconiæ, quæ parentes ſenio laſſos geſtare viciſſim ac fovere ſolent. Apud Ethnicos etiam laudatur *Æneas*, qui patrem *Anchiſen* humeris ſublatum extulit ab urbis Trojæ incendio. Pietas enim proprie dicitur affectus in Deum, in parentes, ac patriam. Referre gratiam iis per quos vitam vel accepimus, vel recuperavimus, pietatis eſt. Bene mereri de his, qui prius de nobis bene meriti ſunt, gratitudinis eſt. Præceptoribus autem eximiam debemus gratiam; quod ſicut per parentes contingit ut vivamus, ita per hos contingit ut bene vivamus, & quemadmodum illis corporis vitam ferimus acceptam, ita his debemus animi vitam. Porro, quod de parentibus dico, pertinet itidem ad omnes, qui nobis ſanguinis propinquitate juncti ſunt, aut qui ea præſtiterunt officia, quæ parentes pii ſolent ſuis præſtare liberis. Addo denique, iſtud Præceptum non ſolum ad parentes, verum & ad Epiſcopos, Reges, Præceptores, Magiſtratus, & Heros ſeu Dominos, qui ſervos habent, pertinere. Quibus enim jubetur rependi honor, hi eadem opera jubentur ea præſtare officia, quibus magna debetur gratia.

D. Ergone longævi ſunt omnes, qui pie colunt parentes?

M. Longævam vitam, tanquam præmium

mium pietatis erga parentes, promiſit quidem Deus craſſis Judæis, qui ſpe commoderum temporalium, velut infantes, alliciendi erant ad officia pietatis. Duriter quippe habiti in Ægypto, longiſque per Deſerta itineribus fatigati, miro deſiderio inhiabant ad terram, a Deo eis promiſſam, lacte & melle fluentem, eoque adjectum eſt: *Ut bene ſit tibi, & longævus ſis ſuper terram, quam Dominus Deus dabit tibi*. Verum, quamvis Deus det ſæpe numero in hac vita præmium pietatis erga parentes, non hic tamen expectandum eſt illud pietatis præmium, ſed in illa terra viventium. Vitam debemus progenitoribus, in quos ſi grati fuerimus, æquum eſt, ut eo, quod accepimus, diu fruamur. Nec hi tamen falluntur promiſſo, quibus hic non contingit vitæ longævitas. Aut enim hoc datur, quod juxta hujus Præcepti litteram promiſſum eſt, aut aliquid illo multo præſtantius. Neque enim fallit, qui pollicitus vitrum, dat gemmam. Filios autem, qui non colunt parentes ſuos, ut par eſt, Deus etiam in hac vita punit. Nam, præter jacturam, quam faciunt, famæ ſuæ, negligendo, ac contriſtando progenitores ſuos; ſæpe etiam fit, ut qualem quiſque ſe præſtiterit parentibus ſuis, tales erga ſe habeat liberos, nec eſt alia gravior homini calamitas, quam habere filios impios. Meretur autem ingratitudo, ut quod immerens accepit, invitus amittat.

D. Explica nunc, ſi placet, iſtud quintum Decalogi Præceptum: *Non occides*.

M. Hoc quinto Decalogi Præcepto prohibetur Homicidium, ſeu hominis occiſio. Pluribus autem modis poteſt contingere homicidium. Calumniator pro gladio, jaculo & veneno, utitur lingua ad occidendum hominem. Avarus, dum egenti non ſuccurrit, fame occidit: Maleficæ periment incantamentis. Maledicus ad mortem adigit. Puellæ, quæ ex crimine conceperunt, & ad vitandam infamiam, eient abortum, etſi fœtus inanimatus ſupponatur, infanticidium committunt. Parentes etiam, qui infantes abjiciunt & exponunt; tametſi ab aliqua prætereunte miſericordia colligantur, violant quintum iſtud Decalogi Præceptum. Quiſquis, ob ſui honoris defenſionem, hominem, vel clam, vel in duello, ſeu ſingulari certamine occidit, aut impactam ſibi alapam, vel calumniam, cæde proximi vindicat, homicidii reus eſt. Qui ſibi necem conciſcit, ne infamiæ ſuæ ſit ſuperſtes, patrat homicidium, ſicut multis argumentis probat S. *Auguſtinus* lib. I. *De Civitate Dei* cap. 17. 18. 19. 20. 21. 22., & ſeq. Si quis furem, pecunias, aut quælibet alia fortunæ bona rapientem, ad hujuſmodi bonorum defenſionem & conſervationem, occidit, homicida eſt, niſi ſit fur nocturnus, de quo juſta ſuppetit dubitandi ratio, an ad occidendum venerit; aut ſit fur diurnus, qui ſe telo defendat. Denique, hoc quinto Decalogi Præcepto non tantum prohibentur cædes, ſed mutilatio & vis quælibet proximo illata; odium inimicorum, ira, vindicta, aliique affectus, qui ad homicidium tendunt, ſuntque ad omnem occaſionem parati ad lædendum.

D. Si nullo pacto liceat occidere, quid dicemus de bellis ac publicis judiciis?

M. In legitimis judiciis Lex ipſa occidit, non Judex, qui tenetur judicare, ut docet *S. Thomas*, ſecundum allegata & probata. Lex autem a Deo eſt, jubens unum membrum tolli ob totius corporis incolumitatem. In bellis quoque juſte ſuſceptis, & legitime geſtis, lex occidit, non homo. Ceterum Princeps, qui non neceſſitate, neque Republicæ ſtudio, ſed ob privatos affectus, bellum ſuſcipit, violat quintum iſtud Decalogi Præceptum: *Non occides*.

D. Quid, ſi quis privatus occidat invadentem? Numquid etiam violabit quintum iſtud Decalogi Præceptum: *Non occides*?

M. Nemini privato, ſive per Legem Moſaicam, ſive per Legem Evangelicam, licet, etiam ſeſe contra invaſorem defendendo, animum habere quemquam occidendi. Sed, ſi quis, dum invaſoris ictum avertit, hunc enſe feriat, non ei verti crimini debet, quia nihil ea in re facit, niſi *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, ut loquitur *S. Thomas* 2.2. Quæſt. 64. Art. 7. *Et ideo*, inquit Angelicus ille Doctor, *ſi aliquis*, ad

ad defendendam propriam vitam, utatur majori violentia, quam oporteat, erit illicitum. Ad hoc autem ut liceat capitis periculum exitio certam mortem intentantis depellere, multæ conditiones requiruntur, quas perſequi non eſt hujus inſtituti. Quin, S. *Auguſtinus*, & quidam antiqui Patres exiſtimant, eum, cui certa mors intenditur, nec ullum eſt effugium, non ad ſui defenſionem proſilire, ſed Dei auxilium implorare debere; ita ut, ſi malit occidi, quam occidere, Chriſtiani hominis officio egregie fungatur.

D. Quid prohibetur hoc ſexto Decalogi præcepto: *Non mœchaberis?*

M. Hoc ſexto Decalogi Præcepto prohibetur præcipue *Adulterium*, quo alterius conſtupratur uxor, eodemque Præcepto vetatur omnis extra legitimum matrimonium Veneris uſus, ſeu quilibet carnis coitus nefarius. Quod genus ſunt *Fornicatio*, quam ſimplicem vocant, viri ſcilicet ſoluti cum ſoluta itidem muliere concubitus; *Stuprum*, quo virginis integritas violatur, ideoque ſimplici fornicatione gravius eſt: *Raptus*, quo mulier quævis, contra ſuam voluntatem, ad concubitum opprimitur, vel invita abducitur; *Sacrilegium*, quo quis emiſſum a ſe votum caſtitatis opere violat, vel cum perſona Deo caſtitatis voto conſecrata commiſcetur: *Inceſtus*, quo quis effræni libidine cum conſanguinea, vel affini copulam habet, quibus addi debent peccata contra naturam, quæ ſunt monſtra libidinis, videlicet *Mollities*, ſeu pollutio, *Venus maſcula*; ſeu ſodomia; & *Beſtialitas*, ſeu coitus cum brutis animalibus. Denique, hoc ſexto Decalogi Præcepto prohibentur tactus, aſpectus impudici, verba oſcæna, oſcula libidinoſa &c.

D. Multum ſane mihi placet decens ille ordo ſex illorum Decalogi Præceptorum, quæ hactenus breviter explanaſti. Tria ſiquidem prima Decalogi Præcepta pertinent ad Deum, quo nihil melius aut carius. Quartum Præceptum ad parentes, quibus ſecundum Deum honos debetur. Quintum ad vitam & corpus, quæ poſſeſſio unicuique cariſſima eſt. Sextum ad uxorem, quæ eſt una caro cum viro. Perge nunc explicare ſeptimum Decalogi Præceptum, & indica, quid eo prohibeatur.

M. Septimum Decalogi Præceptum his verbis conceptum eſt: *Non furtum facies*, pertinetque ad externa bona, ſine quibus tamen vivere haud poſſumus. Quocirca, qui pauperem ſpoliat neceſſariis, fur eſt. Qui res inventas legitimo Domino non reſtituit, furti reus eſt. Qui iniquas exactiones imponunt, ſuggerunt, vel juſta vectigalia inæqualiter diſtribuunt, vel amplius exigunt, fures ſunt. Judices, qui venalia judicia exercent, munera accipiunt, vel emungunt & extorquent, ut lites in alterius partis favorem dirimant, aut prorogent, fures ſunt. Qui defraudant operariorum mercedem, ut vel in longius, quam par eſt, tempus ſolutionem ejus de induſtria magno eorum incommodo protrahant, furti rei ſunt. Fœneratores, ſeu Uſurarii, qui aliquid lucri ſupra ſortem, ſeu ſummam principalem, percipiunt vi & cauſa mutui, fures ſunt & latrones. Peculatores, qui ſuppilant ex ærario publico; ſacrilegi, qui res ſacras auferunt; hi, qui abducunt aliena jumenta, aut pecudes, Plagiarii, qui abducunt aliena mancipia, ſeu liberos; Piratæ, & prædones, qui vi ac belli ſpecie ſpoliant homines, nec non illi, qui clam aliena ſurripiunt, hi, inquam, omnes quotquot ſunt, furti crimen incurrunt. Sed varia iſthæc furtorum genera nulli non ſunt notiſſima. Alia autem ſunt tectiora quidem, ſed non minus atrocia.

D. Dic, quæſo, quænam ſint iſta furtorum genera, tectiora quidem, ſed his, quæ mox recenſuiſti, non minus atrocia?

M. Qui mutuum, ac commodatum, aut depoſitum accepit, retinetve hoc animo, ut ſi poſſit, nunquam reddat, non minus fur eſt, quam is qui, effractis ſcriniis, rem alienam aufert. Similiter & operarius, aut non præſtans id quod pollicitus eſt, aut decem diebus abſolvens quod poterat quinque, ſi mercedem integram accepit, fur eſt. Hi, qui monetam pu-

Digitized by Google

publicam arte reddunt deteriorem, aut gemmas fictitias vendunt pro nativis, aut ſimili fuco deludunt proximum, vel qui ſuas merces vendunt, non quanti debent, ſed quanti poſſunt, vel qui vinum, multa dilutum aqua, pro mero vendunt, fures pariter ſunt. Idem dicendum eſt de molitoribus, piſtoribus, veſtiariis, qui rem alienam vel ſubtrahunt, vel vitiant. Jam vero, quid attinet dicere de monopolis, qui frumenta emunt & recondunt, ut ea, ingraveſcente annona, majori quo poterunt pretio divendant? Certe ejuſmodi homines eſſe peſtes Reipublicæ, & immanis furti ac rapinæ reos nemo negare poteſt. Breviter furtum eſt, quidquid cogeris reſtituere, ſi adſit facultas. Nam fur eſt, qui bona fama ſpoliat hominem, & qui puellæ ſimplicem animum aſtu corrumpit.

D. Quid prohibetur iſto octavo Decalogi Præcepto: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium?*

M. Sicut in quinto Decalogi Præcepto nomine homicidii comprehenditur omnis læſio proximi, ita in hoc octavo Decalogi Præcepto ſub falſi teſtimonii titulo continetur noxa omnis, qua per linguam afficimus proximum. In hunc ſcopulum impingunt omnes, qui vel obtrectando, vel adulando, vel ſubdolis conſiliis, vel corrupta doctrina, quam diſſeminant, nocent proximo. Hoc etiam octavo Decalogi Præcepto non tantum vetatur falſum teſtimonium, quod adverſus proximum in judicio profertur, ſed etiam omnis omnino judicii perverſio, & corruptela, ſeu verbis, ſeu factis, ſeu inſtrumentis facta a teſtibus, accuſatoribus, delatoribus, reis, Judicibus, advocatis, Notariis, Procuratoribus &c. prohibetur. Item eodem Decalogi Præcepto inhibentur calumnia, detractio, ſuſurratio, murmuratio, famoſorum, ſeu dentatorum libellorum conſcriptio, aut divulgatio, nec non omnia mendaciorum genera, quæ nunquam licita eſſe, etiamſi ſint tantummodo jocoſa & officioſa, probat invicte S. *Auguſtinus* duobus libris, quos edidit *adverſus Mendacium*, a qua S. *Auguſtini* doctrina quidam moderni laxiores Caſuiſtæ deciſcentes, & reſtrictionum mentalium, ancipitiſque ſignificationis verborum uſum licitum eſſe, ſibi, aliiſque, ad excuſandas excuſationes in peccatis, perſuadere volentes, a Sede Apoſtolica jure optimo fuerunt proſcripti.

D. Duo, quæ ſequuntur Decalogi Præcepta, nonum videlicet, & decimum, non mihi videntur a præcedentibus Decalogi Præceptis diſcrepare. Sic enim habet nonum Præceptum; *Non concupiſces uxorem proximi tui*. Quod pertinet ad ſextum Decalogi Præceptum: *Non mœchaberis*, quo, ſicut ſuperius dixiſti, prohibetur adulterium. Similiter, decimum Decalogi Præceptum his verbis continetur: *Non concupiſces domum proximi tui, nec agrum, nec ſervum, nec ancillam, nec bovem, nec aſinum, & univerſa, quæ illius ſunt*. Quis autem non videt, ejuſmodi Præceptum pertinere ad ſeptimum Decalogi Præceptum: *Non furtum facies?* Ut quid ergo, quæſo te, opus erat his duobus poſtremis Decalogi Præceptis? An non qui malum facinus prohibet, eadem opera prohibet malam voluntatem, ſeu cogitationem, deſiderium, & concupiſcentiam faciendi malum?

M. Datum eſt hoc ruditati Populi Judaici, qui, quoniam pravæ voluntati, ſeu concupiſcentiæ, & cogitationis faciendi peccatum non eſt præſtituta pœna per Legem Moſaicam, crediturus erat, voluntatem, ſeu concupiſcentiam, internamque cogitationem deliberatam committendi vel adulterium, vel furtum, non eſſe peccatum, quia prædicta voluntas, ſeu interna cogitatio, apud homines eſt impunita, non quia non ſit crimen, ſed quia volubilis eſt hominis cogitatio, & factum probari poteſt, voluntas vero, ſeu interna cogitatio ſoli Deo eſt cognita. Ut igitur Deus craſſos Judæos ab hoc errore retraheret, poſtquam ſexto Decalogi Præcepto prohibuit Adulterium, & ſeptimo Furtum: tandem nono Decalogi Præcepto prohibet prava deſideria, & nefarias cogitationes, quibus aliquis con-

concupiſcere & deſiderare poſſet uxorem alterius. Similiter, decimo Decalogi Præcepto prohibet voluntatem, qua quis concupiſcit, appetit, & inordinate deſiderat habere, aut rapere aliena bona. Hinc Chriſtus Dominus, alludens ad ſiniſtram illam interpretationem, qua craſſi quidam & carnales Judæi Legem corrumpebant, ait *Matth.* cap. 5. v. 27. & 28. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Pravæ itaque cogitationes adulterii, furti &c. ſi in iis homo delectetur, vel eas, ut par eſt, vigili ſtudio depellere, atque extinguere non ſatagat, ſunt peccata, quamvis etiam ab operibus abſtinere decreverit. Quam in rem extat præclara *Minutii Felicis* in *Octavio* ſententia, dicta contra Ethnicos: *Vos ſcelera admiſſa punitis: Apud nos*, ſeu Chriſtianos, *& cogitare, peccare eſt*. Ceterum recolere debes, id quod ſatis fuſe oſtendimus in ſecundo noſtro Colloquio in Hiſtoriam primæ Mundi Ætatis, videlicet primos concupiſcentiæ motus, qui ratione inconſulta, & nequaquam conſentiente, ſed penitus invita, erumpunt, peccata non eſſe, ac ſubinde nec habitualem concupiſcentiam, nec motus plane indeliberatos prohiberi duobus iſtis poſtremis Decalogi Præceptis. Ecquis enim (niſi ſit peccati originalis expers, vel jam in patria immortalis vitæ particeps) hos indeliberatos concupiſcentiæ motus, qui ſunt peccati originalis appendices, non perſentiat? His itaque duobus poſtremis Decalogi Præceptis prohibetur duntaxat, ne illis concupiſcentiæ motibus aſſenſum præſtemus, & ad hoc Apoſtolus *Paulus* Epiſt. ad Romanos cap. 10. v. 12. nos adhortatur his verbis: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus*. Sed de Præceptis Decalogi ſi plura ſcire aveas, legeſis Sanctum *Thomam* 1. 2. quæſt. C. Art. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.

D. Præter decem illa Decalogi Præcepta, quæ mox expoſuiſti, præſcribitne Lex Moſaica alia Præcepta, ad quorum obſervationem obſtringerentur Hebræi?

M. Præter iſta Decalogi Præcepta, quæ ſunt moralia, ſeu naturalia, Lex Moſaica præſcribit alia Præcepta, quorum quædam dicuntur *Cæremonialia*, & ordinantur ad cultum Dei; quædam vero nuncupantur *judicialia*, ſeu forenſia, quæ ad ordinem & conſervationem Reipublicæ Hebræorum ſunt præſcripta. Agemus hic primo de Veteris Legis Cæremoniis, quæ, ut docet S. *Thomas* 1. 2. Quæſt. CI. Art. IV. convenienter dividuntur in Sacrificia, Sacramenta, Sacra, & Obſervantias.

D. Incipiamus, quæſo, a Sacrificiis Legis Moſaicæ, & oſtende, quid iſthæc Sacrificia figurarent, & unde nata ſit eorum origo?

M. Legis Moſaicæ Ritus omnes, tum maxime Sacrificia, Chriſtum Dominum in Cruce mactandum, & pro generis humani redemptione cum totius ſanguinis effuſione immolandum, præfigurabant, & ideo in Veteris Legis Sacrificiis mactabatur vivum animal, ejuſque ſanguis effundebatur ad placandum & colendum Deum. Unde autem nata ſit illa conſuetudo mactandi viva animalia in laudem & honorem Dei? Reſpondet *Joannes Spencerus*, hanc conſuetudinem profluxiſſe ex prava opinione & ruditate Gentium. Vult quippe ille Scriptor, Deum Sacrificiorum Ritus, quos Judæi in Ægypto viderant, & ab Idololatris didicerant, toleraſſe emendatos, eoſque in Republica Hebræorum in ſacratiorem uſum evexiſſe. Verum, vanam eſſe & oppido falſam hujus Scriptoris conjecturam, tribus momentis evinci poteſt. Primo, quia veriſimile non eſt, Deum eoſdem, quos Ægyptii ſuis Idolis deferebant, ſibi honores poſtulaſſe, & cum ſolemnem ſuum apud Hebræos cultum inſtitueret, non maluiſſe verum & novum ordinare ac præſcribere cultum, quam emendicare falſum, & antiquitus prophanatum a viris ſibi infenſis, utpote Idololatriæ cultoribus. Secundo, originem Sacrificiorum altius repetendam eſſe quam ab Ægyptiis, patet ex præcedentibus noſtris Colloquiis, ubi ex Scriptura

Sacra oſtendimus, ab antiquis Patriarchis, ab *Abele*, a *Noemo*, *ab Abrahamo*, *Melchiſedecho*, *Jobo*, *&c.* oblata eſſe Sacrificia, quæ Deo placuerunt. Denique, ea fuit veteris Legis Sacrificiorum ratio, ſicut conſtans eſt omnium ſanctorum Patrum, cum Græcorum, tum Latinorum doctrina, ut inſtituta ſint in ſymbola, & typos mortis Chriſti. Debuit ergo Deus illa Sacrificia ordinare, & præſcribere Ritus eorum; quod tamen non feciſſet Deus, ſi Sacrificiorum origo, ut cenſet *Spencerus*, fuiſſet a Dæmoniis profecta. Non indigebat quidem Deus iſtis Moſaicæ Legis Sacrificiis, ut ſanguinem Hircorum potaret, & manducaret carnes Taurorum. Sanguis etiam brutorum animantium purgare haud poterat animam peccatricem, ſed repræſentabat pretioſum Sanguinem Jeſu Chriſti, quo vere mundati ſumus. Placebant itaque Deo Veteris Legis Sacrificia, quoniam ſibi fieri poſtulabat, ſed quatenus erant ſigna, & ſimbola Sacrificii, quod Chriſtus Dominus, ejus Filius Unigenitus, ei in Ara Crucis offerre debebat, & in quem collimabant omnia Veteris Legis Sacrificia.

D. Cum varios ſciam fuiſſe Sacrificiorum Veteris Legis Ritus, ſupervacaneum eſſet in explicandis Ritibus, cuique Sacrificio propriis, multum hic terere tempus. Abunde itaque ſufficiet mihi, ea a te circa Sacrificia Veteris Legis ſcire, quæ de omnium Sacrificiorum ſpeciebus, & ſingulorum Ritibus habent ſacri Codices. Ex his autem, quæ mox dixiſti, probe intelligo, Sacrificium in Lege Moſaica fuiſſe mactationem vivi animalis, & per hanc mactationem oſtendiſſe Judęos, ſe per peccatum commeruiſſe mortem æternam, a qua tantum liberari poterant, non per ſanguinem animalium, quem in Sacrificiis effundebant, ſed per Sanguinem Chriſti, quem ſparſus ille animalium ſanguis reprę́ſentabat. Sed nunc indica, quęſo, quænam eſſet Veteris Legis Sacrificiorum materia animata, vel inanimata?

M. Materia animata Veteris Legis Sacrificiorum conſiſtebat in animalibus, quę Deo in Sacrificio offerebantur. Ex his autem animalibus munda tantùm, eorumque octo duntaxat ſpecies, Altari ſuo Deus admoveri juſſit, videlicet Oves, Boves, Capras, Hędos, Vitulos, Columbas, Paſſeres, & Turtures, ſicut legitur Lib. Levitici cap. 1. 2. 10. & 14. Materia vero Veteris Legis ſacrificiorum inanimata erat, panis, ſimila, ſpicę, vinum, ſal, oleum, & thus, ſicut pręſcriptum eſt Lib. Levitici c. 2. v. 1. Sacrificia, quæ ex materia animata, ſeu ex mundis animalibus Deo offerebantur, his cęremoniis peragebantur. Primo, immolandæ victimę ad oſtium duntaxat Tabernaculi, & non alibi, offerri debebant. Secundo; quoties quis immolandam victimam ſuſcipiebat, illam ſiſtebat ante Altare, & manum capiti ejus imponebat. Tertio, offerens ſolemnes quaſdam preces edebat. Quarto, jugulabatur animal, & proprium munus erat Sacerdotum excipere ſanguinem, illum transferre, Deo offerre, & eo aſpergere Altare, ceteraque ſubire munia. Licebat tamen hominibus alienis, id eſt, non Sacerdotibus, victimam pelle exuere, eamdemque varias in partes diſſecare.

D. Quot erant in Veteri Lege Sacrificiorum ſpecies?

M. Tres in Veteri Lege erant Sacrificiorum ſpecies. Alia quippe dicebantur *Holocauſta*, alia *Pacifica*, alia denique *Propitiatoria*, ſive, ut Scriptura Sacra loquitur, *pro peccato*. (Levitici c. 1. 3. 4. 5. 6. & 7.) In Sacrificio, quod dicebatur *Holocauſtum*, tota victima in Dei honorem, & ad recognoſcendum ſummum ejus in res omnes dominium omnino conſumebatur, & qui illud offerebant, ſe totos Deo addictos eſſe profitebantur. In Sacrificio, quod dicebatur *Pacificum*, quodque ex Bobus, Ovibus, Agnis, vel Capris offerebatur, triplex fiebat diviſio. Prima, ſcilicet adeps, & ſanguis, Deo adolebatur, cum cauda, renibus, & jecore. Altera pars, ſcilicet pectus, & armus dexter, cedebant in uſum Sacerdotis. Tertia, nempe caro reliqua, cedebat privatis, qui obtulerant. Poſtremo, Sacrificium, dictum *Propitatiorium*, ſive

ve *pro peccato*, eoque per ignorantiam commiſſo, quadruplex erat. Primo. Pro peccato Pontificis, & in hoc immolabatur Vitulus. Secundo; Pro peccato Populi ex eodem animalium genere. Tertio; Pro peccato Principis, & tunc mactabatur Hircus. Quarto; Pro peccato Plebeii, & tunc immolabatur Capra, vel Ovis. Iſtud triplicis ſacrificii diſcrimen perdocte explicat S. *Thomas* 1. 2. Quæſt. CII. Artic. 3. ad 8. & in Reſponſione ad decimum argumentum docet, inter omnia ſacrificia holocauſtum fuiſſe præcipuum, *quia totum comburebatur in honorem Dei, & nihil ex eo comedebatur*.

D. Quibuſnam potiſſimum diebus Hebræi offerebant Sacrificia?

M. Diebus precipue Feſtis Hebrei offerebant ſacrificia. Apud autem Hebræos plura Feſta erant. Primo *Sabbatum*, ita a quiete dictum, quod ſeptima cujuslibet hebdomadæ die ſanctificabatur. Hinc annus ſeptimus, ob indictam terræ quietem, *Sabbatum terræ, & annus ſabbaticus* eſt appellatus, & annus *Jubilæus* dictus eſt *Sabbatum Sabbatorum*, quia ſervis plenam a laboribus quietem afferebat. Alterum Feſtum, quod Hebræi ſingulis menſibus celebrabant, erat *Feſtum Neomeniæ*, quod *ideo*, inquit S. Thomas, *celebratur in novitate Lunæ, non autem in ejus plenitudine, ad evitandum Idololatrarum cultum, qui in tali tempore Lunæ ſacrificabant*. Quatuor inſuper apud Hebræos erant Feſta, quæ celebrabantur menſe ſeptimo anni, ſeu menſe *Tiſri*, qui correſpondet menſi noſtro Septembri, & erant: *Feſtum clangoris Tubarum: Feſtum Expiationis: Feſtum Scenopegiæ*, ſeu *Tabernaculorum: Feſtum Cœtus*, ſeu *Collectæ*. In Neomenia menſis *Tiſri* Feſtum *clangoris Tubarum* præſcripſit Deus celebrandum in memoriam liberati *Iſacci*, & ſubſtituti in ejus locum Arietis, cornibus dumeto hærentis, ut volunt periti Rabbini, quibus ſuffragatur S. Thomas. *Feſtum Expiationis* decima die ejuſdem menſis *Tiſri* celebrandum inſtituit Deus, in memoriam Dei, Populo Iſraelitico, adoratione aurei Vituli pollnto, ad *Moyſis* preces, propitii. Quapropter, in hoc Feſto indictum erat jejunium, & afflictio animarum, atque expiatio generalis peccatorum Iſraelitarum. Solemne illud Feſtum Expiationis Hircis duobus peragebatur, de quibus ſorte decernere debuit Pontifex, uter Deo ſacrum piaculare fieri, uter in ſolitudinem populi peccatis, & maledictis onuſtus, eaque de cauſa dictus *Hircus Emiſſarius*, ablegari deberet? ſicut legitur Lib. Levitici cap. 16. *Feſtum Tabernaculorum*, ſeu *Scenopegiæ* die decima quinta menſis *Tiſri*, & ſex diebus ſequentibus celebrandum Iſraelitis inſtituit Deus in memoriam peregrinationis Iſraelitarum in Deſerto, & habitationis in tentoriis, & hac de cauſa olim Judæi in Tabernaculis e frondibus, & ramis arborum contextis ſub dio, per ſeptem dies habitabant. *Feſtum Cœtus*, ſeu *Collectæ*, celebrandum Deus indixit octava die Feſti Scenopegiæ, ſeu Tabernaculorum, & erat illius prioris Feſti quaſi complementum. Sed duo ſolemniora erant apud Judæos Feſta, videlicet *Azymorum*, ſeu *Paſchatis*, & *Pentecoſtes*. Feſtum Azymorum ſeu Paſchatis, incipiebat a ſecundis Veſperis diei 14. menſis *Niſan* in Æquinoctio verno, & in his ſecundis Veſperis ejuſdem menſis comedebatur Agnus Paſchalis in memoriam liberationis a ſervitute Ægyptiaca. *Feſtum Pentecoſtes* die quinquageſimo poſt Paſcha celebrabatur ad offerendas primitias frugum. Eadem die quinquageſima poſt Paſcha, *Moyſes* Legem recepit a Deo in monte Sinai. Hiſce ſeptem temporalibus Feſtis Judæorum addunt nonnulli aliam Feſtivitatem, quam dicunt in Veteri Lege eontinuam fuiſſe, *Oblationem* videlicet *jugis ſacrificii*. Singulis quippe diebus (ſicut præceptum eſt lib. Num. cap. 28. v. 3.) immolari debebant in holocauſtum ſempiternum duo Agni immaculati; unus offerri debebat mane, & alter ad veſperam. Sacrificium matutinum fiebat, cum ſol colluſtraret orientalem plagam. Sacrificium vero veſpertinum offerebatur ubi primum umbra porrigebatur. At, oblationem iſtam *jugis ſacrificii* inter Feſta Hebræorum locum

non

non habuiſſe probabilius cenſent periti Scripturæ Sacræ Interpretes.

D. Video multas fuiſſe apud Iſraelitas ſolemnitates, in quibus potiſſimum varia Deo offerebantur ſacrificia. Sed nihil adhuc dixiſti de Sacramentis, quæ extabant in Veteri Lege.

M. Sacramenta, quæ extabant in Veteri Lege, ſunt iſthęc: primo, *Circumciſio*, quæ a Deo inſtituta eſt cap. 17. libri Geneſis, ejuſque præceptum Patriarchæ *Abrahamo* datum, ab eoque, ſive in ſeipſo, ſive in *Iſmaele*, filio ſuo, & in ſervis omnibus, executioni mandatum, ſicut oſtendimus in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam ſecundæ Mundi Ætatis. Alterum Veteris Legis Sacramentum erat *Conſecratio Sacerdotum*, cujus ritus pręſcribitur a Deo cap. 29. lib. Exodi. Tertium Veteris Legis Sacramentum erat *manducatio Agni Paſchalis*, cujus convivium erat figura Sacro-Sanctæ Euchariſtiæ. Quarto, *Oblatio Victimarum*, *Eſus Panum Propoſitionum*, *ſeu aliorum Panum*, *Carniumve conſecratarum*, ad Saeramenta Veteris Legis pertinebant. Denique, *Purificationes*, & *Luſtrationes*. Sacramenta erant in Veteri Lege ad removenda divini cultus impedimenta, ſeu ad legales immunditias abſtergendas, a Deo inſtituta: Immunditiæ autem legales octo præcipue in Lege recenſentur. Prima immunditics, erat puerperæ, ſeu mulieris, quæ pepererat, cap. 12. libri Levitici. Altera immunditiæ ſpecies, erat immunditia fœminæ menſtruatæ, ſeu quæ, menſe redeunte, ſanguinis fluxum patiebatur, ſicut legitur cap. 15. lib. Levitici. Tertia immunditię ſpecies, erat immunditia hominis continuo pene ſeminis fluxu laborantis, uti legitur eodem in capite libri Levitici. Quarta immunditiæ ſpecies, erat immunditics concubitus conjugalis. Quinta immunditiæ ſpecies, erat immunditics ſomni, ſeu nocturna pollutio. Sexta immunditiæ ſpecies, erat lepra. Septima immunditiæ ſpecies, erat immunditics funeris, ab iis contracta, qui mortuorum corpora, ſepulcra, vel oſſa tetigiſſent, aut eorum tentoria vel domos ingreſſi fuiſſent, vel exequias proſecuti, ſicut habetur cap. 29. lib. Numerorum. Octava immunditiæ ſpecies, erat immunditics contactus, quam contrahebat quicumque, qui perſonam, vel rem immundam, nolens licet ac fortuito, tetigiſſet, ut videre eſt in mox laudato capite libri Numerorum. De his octo immunditiarum legalium ſpeciebus, & de variis ritibus, quibus ſecundum Legem, mundari debebant, legeſis S. *Thomam* 1. 2. Quæſt. CII. Art. 5. ad 4. & 5. ubi Angelicus ille Doctor perdocte juxta ac copioſe de his diſſerit.

D. Ut Divinę Legis, Populo Iſraelitico per manus *Moyſis* traditæ, abſolutam poſſim habere notitiam, ſupereſt, ut, poſt præceptorum Decalogi, quæ ſunt naturalia, ſeu moralia. & præceptorum cæremonialium brevem, ſed dilucidam, quam hactenus dediſti, explanationem, nunc ſub finem noſtri Colloquii pauca dicamus de præceptis ejuſdem Legis, quæ dicuntur *Judicialia*, ſeu Forenſia, quæque Iſraelitas ordinabant ad invicem, & ad conſervandam Hebræorum Rempublicam erant neceſſaria.

M. Cum pręcepta judicialia, ſeu forenſia, eo potiſſimum fine fuerint data a Deo, ut ordinarent Populum Iſraeliticum adinvicem, ideo *S. Thomas* 1. 2. Quæſt. CIV. Art. IV. docet, præcepta judicialia Veteris Legis diſtingui debere juxta quadruplicem ordinem, qui in aliquo Populo inveniri poteſt. Primus ordo, inquit Angelicus ille Præceptor, eſt Principum populi ad ſubditos; Secundus, ſubditorum adinvicem. Tertius, ad extraneos; Quartus, ad domeſticos, ſicut patris ad filium, uxoris ad virum, & Domini ad ſervum. Secundum igitur quadruplicem illum ordinem diſtinguuntur præcepta judicialia Veteris Legis. Dantur enim in ea quædam pręcepta de inſtitutione Principum, de officio eorum, & de reverentia eis exhibenda: & hæc eſt prima pars judicialium pręceptorum. Dantur quędam pręcepta ſpectantia populares, & concives ad invicem comparatos; & hęc eſt ſecunda pars Judicialium pręcepto-

cepto-

ceptorum. Dantur etiam quædam præcepta pertinentia ad extraneos, ut de gerendis bellis contra hoſtes, & de ſuſceptione peregrinorum & advenarum: & hæc eſt tertia pars judicialium præceptorum. Dantur denique in Lege præcepta quædam attinentia ad converſationem domeſticam, nempe de uxoribus, filiis, & ſervis: & hæc eſt poſtrema pars, ſeu claſſis præceptorum judicialium Veteris Legis. Hanc præceptorum judicialium Veteris Legis diſtributionem hic indicaſſe ſufficiat, nam ſi ejuſmodi præcepta vellem in pręſentia ſingillatim explicare, dies me deficeret, & ad multam noctem noſtrum protraheretur Colloquium.

D. Cum non poſſis omnia Veteris Legis præcepta judicialia percenſere, eaque ſigillatim explanare, obſecro te, ut illa ſaltem in genere perſtringas, quo facile poſſim inde agnoſcere, Rempublicam Hebræorum fuiſſe a Deo inſtitutam, tanquam perfectiſſimum Reipublicæ ordinatiſſimæ exemplar.

M. Præcepta judicialia, ſeu forenſia, quibus conſtabat Reſpublica Hebræorum, ad hæc revocari poſſunt, quæ ſummatim hic delibabo. In primis, apud Hebræos, ad dirimendas cauſas & lites, quæ in eorum Republica emergere poterant, Tribunalia erant ordinaria Triumvirorum, & viginti Triumvirorum, quæ per urbes & oppida erant diſpoſita, præter Magnum Synedrium LXXII. Judicum, quod ſupremum Tribunal erat, Hieroſolymis conſtitutum. De quibus Hebræorum Tribunalibus lege librum, quem edidit *Seldenus*, *de Synedriis Hebræorum*. Judicibus diſtricte a Lege prohibetur, ne munera recipiant, aut his excæcati proferant judicium. Uni teſti fidem adhibere haud poterant Judices, ſed tribus, vel minimum duobus, qui eſſent probatæ & inculpatæ vitæ. Nec mulierem propter levitatem, nec ſervum, propter animos degeneres teſtem eſſe licebat. Ad coercendam cupiditatem bonorum temporalium, cautum erat Lege, quæ dicebatur *Agraria*, ut poſt quinquaginta annos, ſive in anno Jubilęo, agri venditi redirent ad veteres Dominos, & hoc pacto fręnabatur cupido impotens augendorum agrorum. Ad amovendam omnem cauſam bellorum, & ſeditionum, cohibendamque omnem avaritiam, quę certis terminis vix ac ne vix quidem circumſcribi poteſt, terminos terrę movere fas non erat. Adverſus furtum Leges ſeveræ latæ erant. Argentum furatus duplo mulctabatur, pecudem quadruplo, bovem quintuplo. Mutuum dare ad uſuram nemini Hebręorum licebat. Veſtimentum, quod oppigneraverat pauper, ante Solis occaſum huic reddendum erat, ſicut mola, qua cibus paratur. Vitę civium conſultum erat. Nam gravi Talionis ſupplicio percuſſores puniebantur, & acerbiſſimis pænis animadvertebatur in eos, qui rei homicidii erant. Magus, & qui eum conſulebat, lapidabatur. Itemque blaſphemus, idololatra, venefici, parentum percuſſores: qui illicite concubuiſſet, qui pręgnantis fætui nocuerat, qui carnem cum ſanguine comederant, morti itidem addicebantur. Involuntariæ cędis reus exulabat uſque ad obitum Pontificis. Taurus cornupeta, cæſo homine, lapidabatur. Ille, cujus beſtia alteri nocuiſſet, tenebatur damnum ſarcire. Qui non erat par reſtituendo, aut ſolvendo, venibat. Lex lata erat adverſus ſpadones, qui ſe data opera Eunuchos reddebant, ſicque magnum Reipublicæ nocumentum inferebant. Virginem, quam quis conſtupraſſet, aut violaſſet, debebat uxorem ducere; ſed ſi virgo deſponſata, talis non fuiſſet reperta, ultricibus flammis addicebatur. Mulier de adulterio ſuſpecta, aquas, quas *Zelotypiæ* appellat Scriptura Sacra, bibere cogebatur, quas cum potaſſet, ſi revera eſſed adultera, in Templo marcebat: ſed eędem *Zelotypiæ* aquę mulieribus de adulterio falſo accuſatis minime nocebant. Licebat Hebręis plures habere uxores, & quas vellent, repudiare, dando illis libellum repudii, quod Hebręis ad duritiem cordis erat indultum, ne, ſicut ſępius fieri aſſolet, ab odio & ira inflammati in uxores, quarum mores & contubernium ferre minime poterant, ferro & veneno ſe ab illis divellere tentarent.

Digitized by Google

rent. Ne deficerent familiæ, & ut poſſeſſiones apud cognatos ſartæ tectæ permanerent, mulierem, cujus maritus, necdum ſuſceptis liberis, mortuus erat, tenebatur frater mariti defuncti in uxorem ducere. Si quis ſervum proprium, ſervamve percuſſiſſet, & ex eo ictu obiiſſet, reus in judicio fiebat. Si quis ſervo oculum aut dentem excuſſiſſet, ſervus in libertatem vindicabatur. Si quis defoſſum lacum non cooperuiſſet, pecuſque in lacum cecidiſſet, pretium pecudis domino dare debebat. Si depoſitum periiſſet, is, penes quem depoſitum fuerat, jurare adſtringebatur, nihil ſe dolo egiſſe. Si quis ſe pecudi miſcuiſſet, morti tradebatur. Præcipiebat inſuper Lex, viduam & orphanos non eſſe premendos, pauperem debitorem non perurgendum, Principem populi non increpandum; primogenita omnia Deo offerenda; carnem, a fera captam, non edendam; inimici pecus ad dominum reducendum; advenam benigne excipiendum; fructus ſeptimi anni non metendos, ſed egenis & pauperibus relinquendos. Sontes pro meritis cædebantur, videlicet diverſis ſuppliciorum generibus, quæ erant verberatio, venditio hominis rei, exilium, vivicomburium, crucifixio, ſeu ſuſpenſio in patibulo, potio aquarum, quæ *Zelotypiæ* dicebantur; decollatio, ſeu abſciſſio capitis, cujus unicum in *ſancto Joanne Baptiſta* extat exemplum. His ſuppliciorum generibus addunt Rabbini ſtrangulationem; ſed de hoc ſupplicii genere nullum extat in Lege Statutum. Præter hæc, quæ hactenus percenſui, Legis præcepta, alia data erant populo Hebræo, quæ ad allegoriam quamdam ſpectare videntur, ſic ſunt præcepta de non coquendo Hædo in lacte matris, Exodi c. 23. v. 19. de non arando in Bove & Aſino, de non induenda veſte, quæ lino & lana texeretur, Deuteronomii cap. 22. v. 10. & 11. de non ſerendis in eodem agro diverſis ſeminibus, Levitici cap. 19. v. 19. de non alligando ore Bovis triturantis, Deuteronomii cap. 25. verſ. 24. de rejiciendo vaſe, cui non erat operculum lib. Numerorum c. 19. v. 16. de abſtinendo a contactu cadaveris, Levitici cap. 18. v. 39. & alia id genus præcepta, quorum rationes, & allegorias cum hic explicare nimis longum eſſet, conſultius eſt, ut domi tuæ legas Doctorem noſtrum Angelicum, qui 1. 2. Quæſt. CII. Art. VI. in his reconditis & allegoricis præceptorum rationibus explanandis nullum parem, ac ſecundum habet, nec unquam habiturus eſt. Hoc unum dumtaxat ex tot præceptis contentis in Lege a Deo per *Moyſem* data Populo Hebræo quæ hactenus curſim expendimus, velim intelligas, quam ſancta, & immaculata eſſet illa Lex; quam bene diſpoſita, & ordinata Reſpublica Judæorum, & quam puri, piique eſſent Iſraelitarum mores, qui vitam ſuam ad normam illorum præceptorum exigebant atque componebant. Qua de re ſi plura deſideres, auctor tibi ſum, ut legas Angelicum Doctorem loco mox citato.

D. Ad ædes meas feſtinus redeo, ut me ad proximum, quod perindie habituri ſumus, Colloquium præparare, & in hac præfrigida, anni tempeſtate apricatione, aut igni caleſcere poſſim.

COLLOQUIUM II.

In quo quædam dubia, ſive ad Legem Moſaicam, ſive ad Hiſtoriam quartæ Mundi Ætatis attinentia, quæ a Theologis vel Scripturæ Sacræ Interpretibus proponi ſolent, diſcutiuntur, ac diluuntur.

MAG. Dubia, quæ tam Theologi, quam Scripturæ Sacræ Interpretes proponere ſolent, ſpectant vel Legem Moſaicam in ſe conſideratam, vel præcepta, quæ continet, ſeu præcepta Decalogi, quæ ſunt præcepta Legis naturæ, & moralia dicuntur, vel pertinent ad præcepta ejuſdem Legis cæremonialia, aut judicialia, ſeu forenſia: vel denique attinent ad quædam facta hiſtorica, quæ in quarta Mundi Ætate contigerunt. Ut igitur dubia cum Theologorum, tum Scripturæ Sacræ Interpretum, quæ ad quatuor iſthæc capita revocantur continenti ordine dirimere poſſim, propone in primis ea dubia, quæ ſpectant Legem Moſaicam in ſe conſideratam.

D. Non proponam hic duo dubia, quæ circa Legem Moſaicam movet S. *Thomas* 1. 2. Quæſt. 98. Art. 1. & 2. quorum primum iſtud eſt, *Utrum Lex Vetus ſeu Moſaica, fuerit bona?* Alterum, *an Lex Moſaica fuerit inſtituta a Deo?* Hæc, inquam, duo dubia non proponam, quia in ſuperioribus noſtris Colloquiis, juxta doctrinam Angelici Præceptoris, jam oſtendiſti primo, Legem Veterem, ſeu Moſaicam eſſe bonam, quia prohibebat omnia peccata, quæ adverſantur rationi, quamvis hæc Lex comparate ad Legem Evangelicam imperfecta dicatur, quia vi ſua gratiam ſanctificantem non conferebat, ſed ſolum per Fidem in Chriſtum Mediatorem, quem eadem Lex ſuis Cæremoniis, Ritibus, Sacrificiis, aliiſque id genus Documentis venturum declarabat. Secundo, oſtendiſti, Legem Veterem, ſeu Moſaicam, eſſe a Deo inſtitutam, quia tota quanta eſt, collimat in Chriſtum, & de eo pluribus in locis perhibet teſtimonium. Quo fit, ut Chriſtus Dominus cap. ultimo *Lucæ*, dicat, *Oportet impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege, & in Pſalmis, & in Prophetiis de me.* Et cap. 5. Joannis: *Si crederitis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit.* Porrò, impoſſibile eſt ut Diabolus hanc condiderit Legem quæ homines adducebat ad Chriſtum verum Deum, & Redemptorem omnium hominum, per quem Diabolus expellendus erat, juxta illud *Matth.* cap. 12. *Si Satanas Satanam ejicit, diviſum eſt Regnum ejus.* Nullus itaque dubito, quin Lex Vetus, ſeu Moſaica, fuerit bona & condita a Deo, ac ſubinde hiſce duobus proponendis dubiis, quibus in præcedentibus noſtris Colloquiis abunde feciſti ſatis, lubenti animo hic ſuperſedebo. Tria igitur alia circa Veterem Legem proponam dubia, quæ breviter ſolvas velim. Primum eſt, cur Deus Veterem Legem dederit tempore *Moyſis*, & non alio tempore? Alterum eſt: utrum Lex Vetus ſoli Populo Hebraico dari debuerit? Tertium eſt: an omnibus hominibus incubuerit neceſſitas obſervandi Legem Veterem?

M. Hæc tria, quæ propoſuiſti, dubia non meis, ſed Angelici Præceptoris noſtri verbis diluam, & ad primum reſpondeo, *conveniens fuiſſe tempore Moyſis legem Veterem dari, ad ſuperbiam hominum convincendam. De duobus enim homo ſuperbiebat, ſcilicet de ſcientia & potentia, quaſi ratio naturalis ei poſſet ſufficere ad ſalutem. Et ideo, ut de hoc ejus ſuperbia convinceretur, permiſſus eſt homo regimini ſuæ rationis abſque adminiculo Legis ſcriptæ & experimento dicere potuit, quod patiebantur rationis defectum per hoc, quod homines uſque ad Idololatriam, & turpiſſima vitia circa tempora Abrahæ ſunt prolapſi, & ideo poſt hæc tempora, fuit neceſſarium Legem ſcriptam dare in remedium humanæ ignorantiæ, quia per Legem eſt, cognitio peccati, ut dicitur Epiſtola ab Rom. cap.* 5. *Sed, poſtquam homo eſt inſtructus per Legem, convicta eſt ejus ſuperbia de infirmitate, dum implere non poterat quod cognoſcebat, & ideo ſicut Apoſtolus concludit cap.* 8. *Epiſt. ad Rom. Quod impoſſibile erat Legi, in qua infirmabatur per carnem, miſit Deus Filium ſuum, ut juſtificatio Legis impleretur in nobis.* Sic perdocte diſcurrit Doctor Angelicus 1. 2. Quæſt. 98. Art. 6. ubi aliam aſſignat rationem, quam memini, me alibi inſinuaſſe, videlicet, neceſſarium fuiſſe Veterem Legem dari tempore *Moyſis, quando Lex naturalis obſcurari incipiebat propter exuberantiam peccatorum*: unde infert ſanctus ille Doctor, *quod ſtatim poſt peccatum primi hominis non competebat Legem Veterem dari, tum quia homo non recognoſcebat ſe ea* (ſeu Lege) *indigere de ſua ratione confiſus: tum quia adhuc dictamen Legis naturæ nondum erat obtenebratum per conſuetudinem peccandi.* Ad alterum dubium, utrum Lex Vetus ſoli Populo Hebræo dari debuerit? non minus dilucide reſpondet S. *Thomas* 1. 2. Quæſt. 98. Art. 4. ubi hæc habet: *Deus igitur & Legem, & alia beneficia ſpecialia illi Populo* (ſeu Hebræo) *exhibuit propter promiſſionem eorum Patribus factam, ut ex eis Chriſtus naſceretur. Decebat enim ut ille Populus, ex quo Chriſtus naſciturus erat, quadam ſpeciali ſanctitate polleret, ſecundum illud, quod dicitur cap. 10. Lib. Levitici: Sancti eritis, quia ego Sanctus ſum.*

Nec

Nec etiam fuit propter meritum ipſius Abrahæ, ut talis ei promiſſio fieret, ut ſcilicet Chriſtus ex ejus ſemine naſceretur, ſed ex gratuita Dei electione & vocatione .... Si autem quæratur, cur hunc Populum (ſeu Hebræum) *elegerit, ut ex eo Chriſtus naſceretur, & non alium? convenienter reſpondet S. Auguſtinus Tractatu 26. in Joannem: Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle dijudicare, ſi non vis errare.* Deus ergo ex ſpeciali dilectione Legem Veterem dedit Populo Hebræo, & non alteri. Hinc Apoſtolus *Paulus* cap. 3. Epiſt. ad Romanos: *Quid ergo amplius Judæo? multum quidem per omnem modum, primum quidem, quia credita ſunt eis eloquia Dei.* Et Pſalm. 14. dicitur: *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Ad ultimum, quod propoſuiſti Dubium, utrum omnes homines tenerentur Legem Veterem obſervare? Sic *S. Thomas* Quæſtionis mox citatæ Art. V. reſpondet: *Dicendum, quod Lex Vetus manifeſtabat præcepta Legis naturæ, & ſuperaddebat quædam propria præcepta. Quantum igitur ad illa præcepta, quæ Lex Vetus continebat de Lege naturæ, omnes tenebantur ad obſervantiam Veteris Legis, non quia erant de Veteri Lege, ſed quia erant de Lege naturæ: ſed quantum ad illa, quæ Lex Vetus ſuperaddebat, non tenebantur aliqui ad obſervantiam Veteris Legis, niſi ſolus populus Judæorum: cujus ratio eſt, quia Lex Vetus data eſt populo Judæorum, ut quamdam prærogativam ſanctitatis obtineret propter reverentiam Chriſti, qui ex illo populo naſciturus erat. Quæcumque autem ſtatuuntur ad ſpecialem aliquorum ſanctificationem, non obligant niſi illos. Sicut ad quædam obligantur Clerici, qui mancipantur divino miniſterio, ad quæ Laici non obligantur. Similiter & Religioſi ad quædam perfectionis obligantur opera ex ſua profeſſione, ad quæ Sæculares non obligantur, & ſimiliter, ad quædam ſpecialia obligabatur populus ille, ad quæ alii populi non obligabantur.* Habes nunc ex doctrina *S. Thomæ*, qua nullam aliam ſolidiorem deſiderare potes, clare ſoluta tria illa, quæ propoſuiſti Dubia.

D. Ambabus manibus amplector & exoſculor doctrinam *S. Thomæ*, qua nihil in vita mihi carius & antiquius unquam erit. Sed dicas mihi, ſodes, cur Lex Vetus, ſeu Moſaica, quæ, ut paulò ante dixiſti, tanta ſolemnitate fuit a Deo inſtituta, tot miraculis ac prodigiis confirmata, tanta religione a viris, Spiritu Santo afflatis, cuſtodita, quæque tot ſæculorum tractu floruit, fuerit tandem a Jeſu Chriſto, Servatore noſtro, reſciſſa, eliminata, & antiquata? Neque enim intelligere poſſum, quo pacto hæc Lex, quam bonam eſſe, & a Deo inſtitutam profitentur omnes Chriſtiani, reſcindi aliquando debuerit, Deo ipſomet volente atque jubente, quaſi is inſtabilium, ac levium hominum more, conſilia mutet.

M. Legem Veterem, ſeu Moſaicam, adoriente Jeſu Chriſto, vero Meſſia, a Prophetis prædicto, obliterandam eſſe, & in Novam Legem, ſeu Evangelicam, commutari debere docent ſacri Vates. Adverte enim, ſi placet, Veterem Legem, ſeu Moſaicam, in monte Sina ſancitam a Deo, & unico Judaico populo datam eſſe, ſicut in ſuperiori Colloquio oſtendimus. Porro, Legem alteram Meſſiæ temporibus orituram vaticinatus eſt *Iſaias*, Gentibus quoque communem, e Jeroſolymis & e monte Sion prodeuntem. Quibus Notis quid, niſi Legem Evangelicam intelligamus, a Chriſto, Salvatore noſtro, Jeroſolymis datam, a Spiritu Sancto in montem Sion illapſo in Diſcipulos confirmatam, ut univerſis Gentibus nunciaretur? *De Sion exibit Lex*, inquit *Iſaias* cap. 2. v. 3. & *Verbum Domini de Jeruſalem, & judicabit Gentes, & arguet Populos multos.* Hæc, inquam, Lex, quæ poſt adventum Chriſti Domini e Jeroſolymis, & è monte Sion proditura erat, alia prorſus eſſe debebat, planeque diſtincta a Lege Veteri, ſeu Moſaica, propter multiplicem rationem. Primo, quia Lex Vetus, ſeu Moſaica data eſt, ut mox dicimus, in mote Sina: Altera Lex, ſeu Evangelica, data eſt Jeroſolymis, & in monte Sion. Secundo, quia Lex Vetus unico Judaico Populo data eſt, nec ad ejus obſervantiam obligabantur cæteræ Gentes. At, exteræ Gentes toto orbe diffuſæ ad obſervantiam

Legis, quæ, adventante Chriſto, Jeroſolymis promulgari debebat, adſtringuntur, quia Chriſtus ſacris Prophetarum oraculis, quæ hic inſerere nimis longum eſſet pronuntiatus, non Judæos tantum, verum etiam omnes Gentes toto orbe diffuſas, & Judaico nomini inimicas, vocaturus erat, & in Fidei, Religioniſque ſocietatem adducturus. Tertio, repugnat Legem Veterem potuiſſe ab omnibus Gentibus obſervari, tum quod multa tradit præcepta, quæ extra Terram promiſſam, ſeu extra Terram Chanaan, obſervari non poterant. Quis autem credat, univerſas Nationes per totum, qua late patet, Orbem diſperſas potuiſſe unicam Chananæam Terram, lacte & melle fluentem, inhabitare, quod religioſis Legis ſuæ obſervatoribus promittebat Moyſes? Tum quod etiam in Veteri Lege præceptorum aliqua data ſunt ad Judaicum Populum a cæteris Gentibus diſtinguendum; cujuſmodi eſt præceptum de Circumſione, quæ ad Judæos à cæteris Gentibus diſtinguendos fuit primitus inſtituta, quæque proinde Judæis & Gentibus ex æquo communis eſſe haud poterat: Tum denique, quia fieri minime poterat, ut univerſi Orbis populi in unum Jeroſolymorum Templum ſtatis temporibus convenirent ad Legis Moſaicæ Sacra peragenda, Sacrificiaque offerenda, quæ alio in loco ſine ſacrilegio celebrari non poterant. Cum igitur, juxta Prophetarum Oracula, Lex, adventante Chriſto, Jeroſolymis promulgari debebat, non quæ Judæis peculiaris eſſet, ſed quæ ſervari ab omnibus Gentibus poſſet, neceſſario dicendum eſt, hanc Legem Novam, ſeu Evangelicam, plane diſcrepare a Lege Veteri, id eſt, Moſaica, quæ Judæis peculiaris erat, & ab univerſis toto Orbe Gentibus nullo pacto obſervari poterat. Sed, inquis: *Si Lex Moyſis bona fuit, ut in confeſſo eſt apud omnes Chriſtianos, cur igitur tandem abrogata & reſciſſa eſt?* Bona eſt, fateor, Lex Vetus, ſeu Moſaica, ſed juſto tempore, donec Nova Lex, ſeu Evangelica ſuccederet. Bona, ſed inſtar pedagogiæ ad rudes animos informandos; atque ita accedente plenitudine temporum perficienda. Bona, ſed inſtar figuræ, atque ita revelata, jamque affulgente veritate, abolenda, atque eliminanda. Bona, ſed inſtar ſymboli, Chriſtum præfigurantis, atque ita veniente Chriſto implenda & conſummanda. Adveniente itaque Chriſto Domino, & promulgata Evangelica Lege, ceſſit Lex Vetus, ſeu Moſaica, non ſecus ac prodita luce cedunt umbræ & evaneſcunt; nec inde tamen Lex Vetus magis læſa eſt, quam ſi pictæ imagini Regis, Rex ipſe vivus ſuccedens, omnium in ſe oculos deflectat, aut ſi puer imbecillus progreſſu temporis grandeſcat in virum adultum, aut ſi frondibus & foliis ſuccedat fructus maturus, aut ſi Lunam & Stellas Sol exoriens obſcuret. Habuit Lex Moſaica tempus ſuum, quod illa typis adumbravit, clariſſime Chriſtus toti Orbi repræſentavit, quod illa promiſit, ipſe exhibuit; quod prædixit, ipſe geſſit, perfecit, adimplevit. Nec idcirco Deus, quo volente, Lex Vetus, ſeu Moſaica, ceſſit Legi Novæ, id eſt, Evangelicæ; conſilia mutaſſe putandus eſt, quia Deus Legem Veterem ea mente, eoque conſilio condiderat primum, ut juſto dumtaxat tempore perduraret, & conſummata demum Meſſiæ tempore exoleſceret. Quo factum eſt, ut Vetus Lex, ſeu Moſaica, non fuerit immutata, ſed potius Dei voluntate adimplenda.

D. Cum lex Moſaica, ſicut in ſuperiori Colloquio commonſtraſti, non tantum complectatur decem præcepta Legis naturæ, ſeu moralia quæ continentur in Decalogo; verum etiam præcepta cæremonialia & judicialia, Quæro nunc a te, an Lex Vetus, ſeu Moſaica, fuerit tempore Meſſiæ, id eſt, Jeſu Chriſti, omnino abrogata & antiquata?

M. Lex Moſaica, quantum ad præcepta Legis naturæ, ſeu moralia, quæ continentur in Decalogo, non fuit abolita, neque ceſſavit adveniente Chriſto, immo potius perdurat adhuc quantum ad obſervantiam illorum præceptorum, & eo in ſenſu aliquando ſacræ Litteræ Legem Moſaicam fore æternam dicunt, quamvis quoad præcepta cæremonialia fuerit dumtaxat

tem-

temporalis, hoc eſt, duraverit tantum uſque ad ortum Meſſiæ, qui cæremonias Veteris Legis non ſolvit quidem, ſed abſolvit & adimplevit; & adimplendo allata veritate conſummavit, atque figurata ejuſdem Legis præcepta ad exitum perduxit, ſicque nos jugo præceptorum cæremonialium & judicialium Veteris Legis liberavit. Hinc inferas, Ritus, Sacrificia, Circumciſionem, Sacerdotium Leviticum, & alia id genus præcepta cæremonialia Veteris Legis penitus deſiiſſe tempore Meſſiæ.

D. Non video, pace tua dixerim, cur Circumciſio, & Sacerdotium Leviticum ceſſare debuerint tempore Meſſiæ. Nam primo, Circumciſionem perpetuo duraturam promiſit Deus cap. 17. v. 12. Libri Geneſis, ubi Circumciſionis Ritum Abrahamo præcipiens, ita loquitur: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris, tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum.* Quibus verbis aperte promittit Deus æternam fore ac perpetuo duraturam Circumciſionem. Secundo, Sacerdotium itidem Aaronicum, ſeu Leviticum, in Veteri Lege a Deo inſtitutum, æternum fore, & nunquam abolendum, luculenter *Hieremias* cap. 33. teſtatur his verbis: *Hæc dicit Dominus: Non interibit de David vir, qui ſedeat ſuper thronum Dei Iſrael. Et de Sacerdotibus & Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocautomata, & incendat Sacrificium, & cædat victimas omnibus diebus.* Quæ Prophetæ verba manifeſto indicant perpetuitatem Sacrificii & Sacerdotii Aaronici, ſeu Levitici. Non video igitur, cur Circumciſio, Sacrificium, & Sacerdotium Aaronicum, ſeu Leviticum, adveniente Jeſu Chriſto, vero Meſſia, deſinere ac ceſſare debuerint.

M. Ex eo laudato Scripturæ Sacræ Geneſis cap. 17. v. 12. teſtimonio colligere non debes, Deum promiſiſſe *Abrahamo*, Circumciſionem perpetuo duraturam. Nam, præterquam quod iſtud vocabulum, *æternum*, in ſacris Litteris non ſemper ſignificat durationem omni fine carentem, ſeu ſtricti nominis æternitatem, ſed longum quandoque tempus, ſeu ſolam diuturnitatem ſonat, ut patet ex eodem cap. 17. v. 8. libri Geneſis, ubi Deus de Terra Chananæa dixit Abrahamo: *Dabo tibi & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem Terram Chanaan in poſſeſſionem æternam*, quæ tamen Terra Chananæa jam pridem a Judæis non obtinetur; quamvis, inquam, ex hoc Scripturæ Sacræ teſtimonio, & ex multis aliis, quibus referendis, brevitatis ergo, ſuperſedeo, conſtet, vocabulum iſtud *æternum*, non ſemper ſignificare perpetuam durationem; certum etiam eſt, Deum, per hæc verba: *Eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum*, non promiſiſſe carnalem, ſeu Judaicam Circumciſionem fore perpetuo duraturam, ſed duntaxat promiſiſſe fœdus iſtud, quod cum Abrahamo per Circumciſionem, quæ erat iſtius fœderis ſignum, inibat, fore æternum in ſemine fideli, quod fidem *Abrahami* ſectaretur. Quod ſi quæras, ubi extet illud ſemen fidele *Abrahami*, in quo, juxta promiſſionem Dei, perpetuo durare debebat fœdus illud, quod Deus per ſignum Circumciſioni pepigerat cum *Abrahamo*? reſpondebo ipſe, iſtud ſemen *Abrahami* fidele non extare amplius apud Judæos, qui a divino illo fœdere ſua culpa & iniquitate deciderunt (ſicut dicitur Pſal. 77. v. 55. *Averterunt ſe, & non ſervaverunt pactum, quemadmodum patres eorum converſi ſunt in arcum pravum*) ſed ſemen illud fidele *Abrahami* reperiri apud Chriſtianos, qui non carne, ſed ſpiritu, ſemen ſunt *Abrahami* ex fide; non ex ſæmore, ſemen circumciſum mente, non corpore: *Non enim*, ut ait Apoſtolus *Paulus* cap. 2. v. 28. Epiſt. ad Roman. *qui in manifeſto Judæus eſt, neque quæ in manifeſto eſt Circumciſio, ſed qui in abſcondito Judæus eſt; & circumciſio cordis in ſpiritu, non in littera, cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.*

Quod ſpectat perennitatem Sacrificii & Sacerdotii Aaronici, ſeu Levitici, non certe promittit *Hieremias* nomine Dei iſtud Sacrificium & Sacerdotium Leviticum habiturum perennitatem abſolu-

ſolutam, ſed duntaxat certis terminis præfinitam, donec videlicet veniret promiſſus Meſſias, ſeu Jeſus Chriſtus, qui Sacrificium & Sacerdotium, Aaronico, ſeu Levitico, longe perfectius, excellentius, & ſanctius inſtituere debebat. Quod quidem quadruplici momento breviter demonſtro. Primo, quia Vates Regius Pſalmo 109. quem integrum venturo Meſſiæ accommodant Hebræorum doctiſſimi Rabbini, clariſſime pronunciat, Meſſiæ Sacerdotium non futurum ſecundum ordinem *Aaronis*, in mactatione pecudum conſtitutum, ſed ſecundum ordinem *Melchiſedech*, qui, ſicut legitur cap. 14. lib. Geneſis, panem & vinum in Sacrificium obtulit Domino: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Præterea, Sacerdotium Aaronicum, ſeu Leviticum, advenrante Meſſia, ſeu Chriſto Domino, abolitum iri, ejuſque loco aliud inſtituendum eſſe Sacerdotium, atque Sacrificium, quod non in aliquo peculiari loco, ſeu in Templo Hieroſolymitano, Deo eſſet offerendum (ſicut Sacrificium Leviticum in hoc Templo neceſſario offerri debebat, & non alibi) ſed ubivis gentium & in univerſo Orbe, prædixerunt Prophetæ *Iſaias* cap. 19. & *Malachias* cap. 5. Prior ſic habet: *in die illa erit Altare Domino in medio terræ Ægypti... Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis ſalvatorem & propugnatorem, qui liberet eos, & cognoſcetur Dominus ab Ægypto, & cognoſcent Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in hoſtiis, in muneribus, & vota vovebunt Domino, & ſolvent*. Alter vero Propheta ſic inducit Deum loquentem cum Judæis: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra: Ab ortu enim Solis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum*. Ex quo vaticinio clare colligitur, tempore Meſſiæ inſtitutum iri Sacrificium, Deo per totum Orbem offerendum, ſubindeque deſiturum Aaronicum, ſeu Leviticum Veteris Legis Sacrificium, quod in ſolo Templo Salomonico, ſeu Hieroſolymitano, & non alibi poterat offerri. Tertio, multi Prophetæ, quos inter cenſentur *Iſaias* cap. 1. v. 13. *Hieremias* cap. 6. v. 20. *Amos* cap. 5. v. 22. & *Michæas* cap. 6. v. 7. comminantur Judæis nomine Dei, Sacrificia Levitica, quæ Sacerdotes Veteris Legis offerebant in mactatione victimarum, Boum, ſcilicet, Agnorum, Arietum, aliorumque id genus animantium, quæ in Libris Moſaicis deſignantur, tandem aliquando fore a Deo rejicienda: *Ne offeratis ultra Sacrificium fruſtra; incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam, Sabbathum, & Feſtivitates alias non feram*, inquit Deus Judæis per *Iſaiam*, Prophetam. *Holocautomata veſtra non ſunt accepta, & victimæ veſtræ non placuerunt mihi*, ait itidem Deus Judæis per *Hieremiam*, Prophetam. *Quod ſi obtuleritis mihi holocautomata, & munera veſtra non ſuſcipiam & vota pinguium veſtrorum non reſpiciam;* ita alloquitur Deus Judæos per Prophetam *Amoſum*. Idem inculcat Judæis Propheta *Michæas*, dicens: *Numquid placari poteſt Dominus in multis millibus Arietum, & in multis millibus Hircorum pinguium?* Quæ Prophetarum vaticinia aperte innuunt, Sacerdotium, & Sacrificium Veteris Legis Leviticum fore duntaxat temporarium, & adveniente Meſſia repudiatum iri. Poſtremo, tam Sacerdotium, quam Sacrificium Leviticum omnino ceſſaſſe, poſtquam Templum Hieroſolymitanum a *Veſpaſiano* & *Tito*, Imperatoribus, ſolo æquatum eſt, & incendio conſumptum abhinc mille ſexcentis & amplius annis, inficias ire haud poſſunt Judæi. Deſtructo ſiquidem Templo Hieroſolymitano (in quo ſolo Judæi poterant Sacrificia Levitica offerre) nullus amplius illis ſuppetit locus, in quo Sacrificia offerre valeant. Immo, nec Sacerdotes habent, nec deinceps habere poſſunt, quia poſt ipſorum diſperſionem, ſuas Tribus uſque adeo permixtas & confuſas habent, ut Tribum Leviticam, e qua ſola Sacerdotes eligi debebant, nullo pacto diſcernere poſſint. Patet itaque ex his momentis a me adductis, tam Sacerdo-

dotium, quam Sacrificium Leviticum fuiſſe tantummodo temporarium, nec perpetuum eſſe debuiſſe, cum utrumque apud Judæos poſt adventum Jeſu Chriſti veri Meſſiæ, abhinc mille, & ſeptingentis ferme annis finem plane habuerit, & nullum in Judæorum Synagogis, Sacerdotii, & Sacrificii Levitici, vel minimum relictum ſit veſtigium. Sed præſtat audire *S. Chryſoſtomum*, qui *Oratione IV. adverſus Judæos* de ceſſatione Sacerdotii, & Sacrificii Levitici ſic eleganter diſſerit: *Tribus Levi, ſola honorata Sacerdotio, a negotiis ad victum pertinentibus liberata erat, neque præterea quidquam hujus generis exercebant, ſed ſoli Sacerdotio vacabant, ac Decimas accipiebant a toto populo, tum frumenti, tum hordei. Ex his enim rebus illis portionem dabant omnes, & hic erat illis proventus. Nec fas erat ex ulla alia Tribu Sacerdotem unquam fieri. Ex hac enim Tribu factus eſt Aaron, nimirum de Tribu Levi, ac per ſucceſſionem illius poſteri Sacerdotium accipiebant, neque quiſquam unquam ex alia Tribu creatus eſt. Hi itaque Levitæ Decimas ab illis accipiebant, & ſic alebantur. Sed ante Jacob, ſub Iſaac, ſub Abraham, cum nondum eſſet Moyſes, nondum ſcripta Lex, nondum Leviticum Sacerdotium eſſet proditum, non Tabernaculum, non Templum eſſet, non Tribus diſcretæ, non Jeruſalem extaret, cum nullus omnino in Judæos rerum principatum occupaſſet, fuit quidam Melchiſedech, Rex idem, & Sacerdos, typus enim futurus erat Chriſti, cujus & Scriptura meminit. Quum enim Abraham, irruptione facta in Perſas, ac fratris filio Loth ex illorum manibus erepto, omnibus ſpoliis direptis rediret, hoſtibus virtute devictis, obvium habuit Melchiſedechum, qui, ut inquit Scriptura Sacra, obtulit panem & vinum, (erat enim Sacerdos Dei altiſſimi) & benedixit Abrahæ, &c. Si quis igitur Prophetarum exiſtit, qui dicat, quod poſt Abrahamum, poſtque Sacerdotium illud Leviticum, & hæc Sacrificia & oblationes exoriturus eſſet Sacerdos alius, non ex illa Tribu*, ſeu Levitica, *ſed ex alia, ex qua nunquam creatus eſt Sacerdos, manifeſtum eſt; quod Vetus Sacerdotium, ſeu Leviticum, ceſſavit. Aliud autem novum in ejus locum inductum eſt. Nam ſi futurum erat, ut Vetus illud*, ſeu Sacerdotium Leviticum, *obtineret non ſecundum ordinem Melchiſedech, ſed ſecundum ordinem Aaron, oportuit hoc explicare. Quis igitur hoc dicit? hic ipſe* (ſeu Vates Regius Pſalm. 129.) *qui de Chriſto diſſerens, ait: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Ex hoc enim liquet, quod Sacrificium Aaronicum, ſeu Leviticum, finem acceperit, & aliud in ejus locum inductum ſit multo melius ac ſublimius. Hoc autem evicto, ſimul & aliud in confeſſo eſt, quod alius etiam vitæ ſtatus Sacerdotio congruens, ſimul inducendus eſſet, neque non Legiſlatio melior, nimirum noſtra. Quod ſane Paulus demonſtrans dicebat*: Tranſlato enim Sacerdotio, neceſſario fit & Legis tranſlatio, Epiſt. ad Hebræos cap. 7. v. 12.

D. Templum Hieroſolymitanum jampridem ab Imperatoribus *Veſpaſiano*, & *Tito* fuiſſe deſtructum, plane ſciebam, ſed utrum Deus præceperit Judæis, ut in ſolo Templo Hieroſolymitano Sacrificia offerrent? Et utrum etiam Templum Hieroſolymitanum, quod deſtructum eſt, denuo inſtaurandum ſit, necne? obſecro te, ut paulo uberiori explicatione oſtendere haud graveris.

M. Deum præcepiſſe Judæis, ut in ſolo Templo Hieroſolymitano Sacrificia offerrent, tribus momentis breviter evinco. Primo *Moyſes* cap. 16. v. 4. & 5. Lib. Deuteronomii Populum Iſraeliticum ſic alloquitur: *Non poteris immolare Phaſe*, ſeu Paſcha, *in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus eſt tibi; ſed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi*. Locum autem illum, quem ad oblationem victimarum, & ad celebrandas ſolemnitates ſelegit Deus, fuiſſe Templum Hieroſolymitanum negare haud poſſunt Judæi. Præterea, Deus in Lege Moſaica præcepit Iſraelitis, ut ter in anno omne maſculinum appareret in conſpectu Domini, in loco, quem elegit, ſcilicet in Templo Hieroſolymitano, & c. 15. libri Levitici præcepit etiam Deus, ut qui profluvio ſeminis laboraret, qui lepra contaminatus eſſet, quæ menſtruo flu-

Digitized by Google

xu teneretur, vel quæ peperiſſet, offerret in Templo Sacrificia. Vides Legem a loco vim habere, ac ſubinde perſpicuum eſſe, ne Sacerdotium quidem & Sacrificium Leviticum eſſe poſſe, cum non amplius extet Templum Hieroſolymitanum, in quo ſolo Sacrificia poterant offerri. *Quemadmodum enim fieri non poteſt*, ut ait S. Joannes Chryſoſtomus Oratione IV. adverſus Judæos, *ut Imperator ſit, ſi non ſit exercitus, aut diadema, non purpura, non alia, quæ Regnum commendant, comprobantque; ita neque ſacrificus eſſe poteſt ſublata hoſtia, vetita oblatione, ſanctis conculcatis, toto rerum ſtatu abolito. Nam his rebus conſtabat Sacerdotium*, ſeu Leviticum. Denique, ipſimet Judæi, ut refert idem ſanctus Doctor Oratione 3. adverſus Judæos, faſſi ſunt ſub *Juliano*, Imperatore Apoſtata, ſe non poſſe extra Civitatem Hieruſalem, Templumque Hieroſolymitanum, offerre Sacrificia. At enim, cum Imperator ille *Julianus*, qui Imperatores omnes ſuperavit impietate, vocaret Judæos ad ſacrificandum Idolis, & ad ſuam impietatem pertrahere conaretur, profeſſi ſunt illi, fas ſibi non eſſe extra Civitatem Hieruſalem immolare victimas, totamque Religionem Judaicam ab his violari, qui ſacrificant in terra aliena. Quapropter, impio *Juliano* dixerunt Judæi: *Si vis nos videre ſacrificantes, redde nobis Civitatem, reſtitue Templum, exhibe nobis Sancta Sanctorum, colloca aram, & ſacrificabimus nunc, quemadmodum olim.* His verbis Judæi, ad omnia obcæcati, obſecrabant ac ſupplicabant, ut nequiſſimus Imperator *Julianus* una cum ipſis ſuſciperet, & aggrederetur inſtaurationem Templi. At, ille ſceleſtus Imperator & pecunias impendit, & Præfectis dedit negotium, viros, Primates, & artifices undique accerſivit, nihil non fecit, nihil non tentavit, ſperans fore ut Chriſti ſententia fruſtaretur, quæ non patitur Templum illud inſtaurari. Sed ad nihilum recidit flagitioſi illius Imperatoris conſilium. Nam, ſimul atque tentaſſent ſacrilegi illius Miniſtri hunc impium conatum, multamque terram exhauſiſſent, & jam jactis fundamentis, reſtaret ut ſtructuram aggrederentur, protinus ignis exiliens e fundamentis excuſſit multos, & intempeſtivam pertinaciam interrupit. Hæc ubi reſcivit perditiſſimus Imperator, quamquam tanta veſania deditus eſſet huic negotio, veritus tamen ne ultra progreſſus, in ſuum ipſius caput ignem accerſeret, deſtitit. Huic tamen inſigni prodigio S. *Joannes Chryſoſtomus*, loco mox a me citato, luculentiſſimum iſtud perhibet teſtimonium: *Hujus rei nos omnes teſtes ſumus, noſtra enim ætate hæc non ita pridem acciderunt*. Hoc autem ſtupendo prodigio Deus palam oſtendere voluit, quod, quemadmodum ea, quæ decrevit, voluitque manere, nullus homo poteſt demoliri, ita quæcumque deſtruxit, vultque manere dirupta, nullus unquam hominum poterit inſtaurare. Deus autem per ſuos Prophetas omnem ſpem reædificandæ Civitatis Hieroſolymæ, & Templi Hieroſolymitani inſtaurandi penitus ademit. Sic enim *Iſaias* cap. 25. v. 2. Deus affatur: *Poſuit Civitatem*, ideſt, Jeruſalem, *in cumulum, & urbem fortem in ruinam, domum alienorum, ut non ſit civitas, & in ſempiternum non ædificetur*. Hieremias c. 19. verſ. 11. *Hæc dicit Dominus exercituum: Sic conteram populum iſtum, & civitatem iſtam, ſicut conteritur vas figuli, quod non poteſt ultra inſtaurari*. Propheta *Amos* cap. 5. v. 1. ait: *Audite verbum iſtud, quod levo ſuper vos planctum: Domus Iſrael cecidit, & non adjiciet, ut reſurgat: Virgo Iſrael projecta eſt in terram, & non eſt qui ſuſcitet eam*. Denique Propheta *Daniel* cap. 9. v. 26. hæc habet: *Et Civitatem, & Sanctuarium diſſipabit populus, cum Duce venturo, & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in medio hebdomadis deficiet Hoſtia, & Sacrificium. Et erit in Templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio*. Omnem igitur ſpem Deus miſeris Judæis ademit deſtructæ Civitatis Hieruſalem reædificandæ, & inſtaurandi Templum Hieroſolymitanum, quod *in ſempiternum non ædificandum* prædicit Iſaias: *Non ultra inſtaurandum*

Hie-

Hieremias: *Non erigendum, ne ſuſcitandum* Amoſus: *perpetua demum atque ad finem uſque duratura deſolutione diſſipandum* vaticinatus eſt *Daniel*.

D. Sed, numquid iſti Rabbini, qui nunc præſunt Synagogis Judæorum, Sacrorum curam habent, & Populum ad preces ac conciones vocant, vere & proprie dici & appellari poſſunt Legis Moſaicæ Sacerdotes?

M. Iſti Rabbini nullo pacto ſunt, nec appellari poſſunt Legis Moſaicæ Sacerdotes, idque S. *Joannes Chryſoſtomus* ex Ritibus, quibus olim Sacerdotes Legis Moſaicæ conſecrabantur, eleganter oſtendit in Oratione tertia adverſus Judæos, ubi Judæum ſic alloquitur. „ Dic mihi qualis eſt apud vos Sacerdos, cum non ſit „ vetus illud oleum, neque quidquam „ omnino veteris ſanctimoniæ? Dic, inquam, mihi, qualis Sacrificus, cum non ſit Sacrificium, neque Altare, neque Cultura? Vis tibi recitem Leges de Sacerdotio, quomodo ſolent olim conſecrari, ut intelligas, quod qui apud vos dicuntur Patriarchæ, non ſint Sacerdotes, ſed per ſimulationem Sacerdotum agant perſonam, nec aliter ludanr, quam hiſtriones in ſcæna, immo, ut verius dicam, nec ſuſtinere poſſint Sacerdotum perſonam? non dico juxta veritatem, verum ne juxta ſimulationem quidem Sacerdotii. Excute igitur, recordare quomodo tum Aaron factus ſit Sacerdos, quot hoſtias pro illo immolarit Moyſes, quot pecudes proſtraverit, quomodo illum laverit, quomodo illum unxerit extremum auriculæ, manum dexteram, in Sancta Sanctorum introduxerit. Poſt hæc, juſſit præſcripto ſeptem dierum numero manere intus. Quin potius operæ pretium eſt audire verba illorum: *Hæc*, inquit, *unctio Aaron, & unctio filiorum ejus, & dixit Dominus ad Moyſem, dicens: Aſſume Aaron & filios ejus; & ſtolas, & unctionis oleum, & vitulum pro peccato, & arietem, & convoca Synagogam ad oſtium Tabernaculi Teſtimonii. Et dixit Moſes univerſæ multitudini congregatæ ſermonem, quem mandaret Dominus, & poſtquam applicuiſſet eos* (dicendum eſt enim compendio, pergit S. *Joannes Chryſoſtomus*) lavit eos *Moſes* aqua, induit tunica, cinxit zona, induxit ependyten, impoſuit humerale, præcinxit illum, ſeu Aaronem ſubſtrinxit, impoſuit rationale, impoſuit declarationem & veritatem, & mitram impoſuit capiti illius, & ſuper mitram laminam auream; deinde, ſumpto oleo conſperſit Altare, & ſanctificavit illud, & vaſa, & baſim ſanctificavit ex eodem, & effudit ex eo in caput *Aaron*, & filias illius ſimiliter fecit, & adduxit vitulum. Cum autem occidiſſet eum, poſtquam Aaron, ſuiſque filii impoſuiſſent manus, ſumpſit de ſanguine, & impoſuit cornibus Altaris, & purificavit Altare, & ſanguinem effudit in baſim, & ſanctificavit illud, ut propitiaret ſuper illud. Deinde, poſteaquam quædam ex his mactaſſet, alia foris, alia intus, adduxit rurſus alium arietem, & ipſum immolavit in holocauſtum, & iterum induxit arietem conſummationis, & rurſus, Aarone cum filiis imponente manus, occidit, rurſuſque ſumens de ſanguine ejus, ſuper extremum auriculæ Aaronis dextræ, & extremum manus dextræ, & ſuper extremum pedis dextri, ſimili modo fecit & filiis illius. Deinde, ſumens hoſtias impoſuit manibus *Aaronis* & filiorum ejus, ac ſic obtulit. Et ſumpto ſanguine, rurſus ex oleo conſperſit ſuper *Aaronem*, & ſtolas illius, & ſuper filios ejus, & ſuper ſtolas eorum, & ſanctificavit eos, & juſſit coqui carnes in atrio Tabernaculi Teſtimonii, illicque eis veſci, & ab oſtio Tabernaculi Teſtimonii, ne egrediamini, inquit, dies ſeptem, donec impleatur dies ordinationis veſtræ. Septem enim diebus conſummabit manus veſtras, ut propitietur pro vobis. Cum igitur his Ritibus (concludit S. *Joannes Chryſoſtomus*) legitime initiatus ſit Aaron, his purificatus, his ſanctificatus, per hæc placaverit Deum, nihil autem eorum nunc apud Judæos fiat, neque victima, neque holocauſtum, neque ſanguinis aſperſio, neque olei inunctio, nec adſit Tabernaculum Teſtimonii, neque ad præfinitum dierum numerum ſedeatur intus, profecto palam eſt, quod Sacerdos nunc apud iſtos (ſeu Judæos) impurus ſit ac nefaſtus, illegitimus ac pro-

ptophanus. Denique, quod non propitiet, ſed provocet. Etenim, ſi non poterat aliter Sacerdos conſecrari, niſi his Ritibus, omnino neceſſe eſt, totum Sacerdotium illorum non conſiſtere. Si ad hunc modum olim Sacerdotes creabantur, nunc luſus meri ſunt, riſuſque, quæ fiunt apud Judæos omnia, pudor, cauponatio, plenaque immenſæ impietatis. Hæc & alia ſimilia habet *S. Joannes Chryſoſtomus* Oratione 3. *adverſus Judæos*, ex quibus liquet, Sacerdotium & Sacrificium Leviticum, nec non Cæremonias Legales, adveniente Jeſu Chriſto, deſiiſſe, nullumque amplius apud Judæos extare Sacerdotem.

D. Legem Moſaicam ad coruſcantem Evangelii lucem evanuiſſe, & in ejus locum Legem novam, ſeu Evangelicam, ſuffectam eſſe probe nunc intelligo. Sed rem mihi gratiſſimam facies, ſi velis hic præcipua illa indicare capita, in quibus Lex Vetus, ſeu Moſaica, in Præceptis moralibus comparate ad Legem Novam, ſeu Evangelicam, vulgo dici ſolet imperfecta.

M. Præcipua capita, in quibus Lex Moſaica in Præceptis moralibus comparate ad Legem Evangelicam dicitur imperfecta, refert Evangeliſta *Matthæus* cap. v. ubi deſcribit Sermonem a Chriſto Domino in monte habitum, qui complectitur ſummam perfectionis Chriſtianæ, ſeu potiſſima capita Chriſtianæ Ethices, Judaica multo præſtantioris. Hæc autem capita breviter hic indicare ſufficiet, ut inde nullo negotio intelligas, quantum Lex Evangelica, a Chriſto Domino inſtituta, perfectione antecellat Moſaicæ Legi etiam in Præceptis moralibus, quę continentur in Decalogo. In primis, Chriſtus Dominus in laudato Sermone volens Diſcipulos ſuos ad perfectam pietatem informare, ſic eos alloquitur. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra, pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum*. Quaſi Chriſtus diceret Diſcipulis ſuis: *ut autem intelligatis, quantum interſit Judæum inter & Chriſtianum, illud affirmo vobis, ſi præſliteritis quidquid præſcribit Lex Moſaica, quidquid præſtant Phariſæi, qui nunc habentur, ac ſibi videntur abſolutæ cujuſdam juſtitiæ, & ſi nihil adjeceritis perfectius, adeo non eritis magni in hac profeſſione, ut ne aditus quidem dandus ſit ad Regnum Cælorum*. Quibus verbis Chriſtus Dominus non ſolum redarguit aliquos carnales Judæos, qui cultu duntaxat externo, & abſque ſincera pietate Deum colentes, in ſola obſervatione Cæremoniarum Legalium juſtitiam, ſpem ac fiduciam ſuam reponebant, ſed etiam damnat ſuperbiam Phariſæorum, Scribarum, ac Legis peritorum, qui, propter Legis obſervationem, vana oſtentatione glorіantes, ſibi vindicabaut opinionem eximiæ cujuſdam ſanctimoniæ apud homines, cum tamen Deo, qui non faciem intuetur, ſed cor, diſplicerent: quia cor habebant inani gloria vitiatum, dumque hic captabant inane præmium, fruſtabantur eo, quod ſolum erat expetendum. Ab hac peſte, quæ per cuniculos quoſdam irrepens, clanculum inſidiatur etiam iis, qui in virtutis ſtudio aliquo uſque progreſſi videntur, monet Chriſtus Diſcipulos ſuos ut ſedulo caveant, eoſque etiam atque etiam adhortatur ad internum Dei cultum, ad veram juſtitiam & perfectionem, quam ſola Lex Evangelica dare poteſt. Secundo, Chriſtus dicit Diſcipulis ſuis: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis; non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio*. Quibus verbis innuit Chriſtus Dominus, Judæum quidem Legi Moſaicæ feciſſe ſatis, ſi neminem occidat; at, Chriſtianum non ſolum peccare contra Legem Evangelicam ſi aliquem occidat; ſed ſi fratri ſuo iraſcatur. Quod ſi autem, ut eſt humanæ naturæ imbecillitas, inciderit offenſæ nonnihil inter fratres, jubet Chriſtus, ut rebus omnibus omiſſis, etiam relicto munere quod ille, qui fratri ſuo intulit injuriam, jam Altari vicinus, Deo adornaret offerre, abjecta omni cunctatione, is, qui offendit fratrem ſuum, domum illius properet, detque operam, ut ante omnia ſarciat cum fratre ſuo amicitiam, eoque confecto, redeat ad Altare, peracturus Sacrificium ſuum. Tertio, Chriſtus Dominus in eodem capite quin-

Digitized by Google

quinto *Matthæi* prohibet libellum repudii, per quem Lex Moſaica permittebat ut maritus offenſus aliquo conjugis vitio, eam arbitratu ſuo dimitteret, ne quid committeretur ſceleratius, puta ne veneficium, aut homicidium perpetraretur. Vult autem Chriſtus, ut matrimonium ſit indiſſolubile, nec unquam fas ſit marito, vivente legitima conjuge, alteri nubere. Quarto, Lex Moſaica vetabat quidem perjurium, ſed non juramentum: Chriſtus autem præcipit Diſcipulis ſuis ut eorum ſermo ſit: *Eſt*, *eſt: non*, *non: quod autem his abundantius eſt*, *a malo eſt*. Quinto, Chriſtus abolet pœnam talionis, quam Lex Moſaica indulgebat, ne longius æquo procederet ultio: *Audiſtis*, *quia dictum eſt antiquis: oculum pro oculo*, *dentem pro dente:* docetque Diſcipulos ſuos, nullam pro quamlibet atrocibus injuriis omnino vindictam eſſe repoſcendam, nec ullum maledictum maledicto, nec damnum damno, nec injuriam injuria retaliandam; adeo ut, ſi quis alapam impegerit in maxillam, quæ quidem contumelia vulgo videtur intolerabilis, tantum abſit ut illi regeras alapam, ut alteram potius maxillam illi cædendam prębeas, maliſque duplicatam perpeti injuriam, quam referre talionem. Denique, ut prætermittam alia ſanctiſſima præcepta, quæ in hoc capite quinto *Matthæi* tradit Chriſtus Dominus, & quibus Legem Moſaicam in pręceptis moralibus perficit; hoc unum duntaxat proferam, quo Diſcipulis ſuis præcipit dilectionem inimicorum: *Audiſtis*, inquit Chriſtus Diſcipulis ſuis, *quia dictum eſt: Diliges proximum tuum*, *& odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros*, *benefacite his*, *qui oderunt vos*, *& orate pro perſequentibus & calumniantibus vos*. Hæc ſunt ſanctiſſima præcepta, quibus Chriſtus Dominus præceptis moralibus Legis Veteris, ſeu Moſaicæ, maximam addidit perfectionem, & in eo ſenſu intelligendus eſt Chriſtus, dum in eodem capite *Matthæi* ait: *Nolite putare*, *quoniam veni ſolvere Legem aut Prophetas*, *non veni ſolvere*, *ſed adimplere*. Quaſi diceret Chriſtus: nequaquam in hoc veni, quo vel Legem Veterem reddam dilutiorem, vel abrogem novis præceptis. Quin potius, ideo veni, ut Legem abſolvam ac perficiam. Nihil enim illa præcipit quod hactenus a me obſervatum queri poſſint Judæi. Quod ſi, luce prodita, cedunt umbræ, ſi jam factis adimpletum eſt, quod Prophetæ futurum prædixerunt, nihil Legi derogatur, ſed potius accedit perfectio. Quod illa promiſit, nunc exhibetur, quod prædixit, geritur, quod adumbravit, omnium oculis exponitur, & gratia, ac ſalus æterna, quam ex ſe dare non potuit, nunc ad plenum prę́ſtatur.

D. Sanctiſſima iſthæc præcepta, quibus Chriſtus Dominus præceptis moralibus Legis Moſaicę novum decus conciliavit, majoremque addidit perfectionem, prono capite veneror & adoro, nec poſſum, quin imprecer quibuſdam modernis Caſuiſtis, qui caſtiſſimam moralem Jeſu Chriſti doctrinam mille diſtinctiunculis, & innumeris corruptelis, ad excuſandas excuſationes in peccatis, depravare pro viribus tentarunt. Aſt, ut candide dicam, nullo pacto ferre poſſum, nonnullos laxioris moralis doctrinę Theologos, quos non pudet aſſerere, Chriſtianos in Lege Evangelica non obſtringi ad præceptum de dilectione Dei, eoſque ſalutem æternam conſequi poſſe, etiamſi nullum ſive in principio, ſive in decurſu, ſive in fine vitæ mortalis actum dilectionis Dei exercuerint. Ex quo errore ſequitur, Legem Novam, ſeu Evangelicam eſſe imperfectiorem Lege Veteri, ſeu Moſaica, in qua, ut antea obſervaſti, Deus Judæis iſtud præceptum lib. Deuteronomii cap. 6. ver. 4. & 5. obſervandum impoſuit dicens: *Audi Iſrael: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, *& ex tota anima tua*, *& ex tota fortitudine tua*. Quamvis autem hunc laxiorum Caſuiſtarum errorem hic retuliſſe, abunde confutaſſe ſit, maximam tamen apud me inibis gratiam, ſi illius præcepti de dilectione Dei in Lege Evangelica neceſſitatem ad ſalutem æternam aſſequendam, non te pigeat breviter hic adſtruere.

M. Hanc quæſtionem de neceſſitate præ-

Digitized by Google

præcepti de dilectione Dei in Lege Evangelica ad conſequendam vitam æternam non aliter decidere volo, quam ex diſertis verbis ipſiuſmet Chriſti Domini: *Ecce quidam Legiſperitus* (ait S. *Lucas* cap. 10. v. 25. & ſeq.) *ſurrexit tentans illum*, ſeu Chriſtum, *& dicens: Magiſter, quid faciendo, vitam æternam poſſidebo?* Adverte, ſi placet, hunc Legiſperitum non quæſiviſſe a Chriſto, quid utile eſſet, ſed quid neceſſarium eſſet ad vitam æternam conſequendam? Quid igitur ad hæc Chriſtus? *In Lege quid ſcriptum eſt*, inquit, *quomodo legis? Ille reſpondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & omni mente tua; & proximum tuum tanquam te ipſum*. Hanc iſtius Legiſperiti reſponſionem confeſtim Chriſtus approbavit his verbis: *Recte reſpondiſti, hoc fac & vives*. Rurſus, *Lucæ* cap. 7. v. 47. Chriſtus concedens, *Mariæ Magdalenæ*, veniam peccatorum, ait *Simoni*, Phariſæo, qui eum convivio exceperat: *Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit*. Audiſti Chriſtum Dominum commendantem præceptum de dilectione Dei tanquam neceſſarium ad habendam remiſſionem peccatorum, audi nunc Apoſtolum *Paulum*, *dicentem Anathema ei, qui non amat Dominum Jeſum Chriſtum*: Audi denique S. *Joannis*, quem Chriſtus amabat plurimum, gravem in non amantes comminationem: *Qui non diligit*, inquit, *manet in morte*. Sed hæc ſufficere debent ad refellendos illos, qui his remiſſionem peccatorum, & vitam æternam promittunt, qui nunquam fecerint quod Chriſtus ejuſque Diſcipuli ad veniam delictorum, & ad conſequendam vitam æternam neceſſarium docent. Quod ſi præterea ſcire velis modum, quo Deus a nobis diligendus eſt, diſce illum ex duobus Eccleſiæ Doctoribus, omni exceptione majoribus, *Auguſtino*, & *Thoma*, quorum prior lib. 1. *De Doctrina Chriſtiana* cap. 22. hæc habet. *Hæc enim regula dilectionis divinitus conſtituta eſt: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum: Deum vero ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in eum conferas, a quo habes ea ipſa, quæ confers. Cum autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ noſtræ rationem relinquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, ut alia re velit frui: ſed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit*. Alter Eccleſiæ Doctor, ſeu *S. Thom.* modum, quo Deum diligere debemus, in hoc conſtituit, quod omnes actiones noſtras in Deum virtualiter referamus. Sic enim Angelicus ille Præceptor Opuſc. 18. loquitur: *Hujus divinæ dilectionis perfectio datur homini in præcepto. Primo quidem ut omnia in Deum referat, ſicut in finem, ſicut Apoſtolus* dicit 1. ad Corinth. c. 10. *ſive manducatis, vel bibitis, vel quid aliud facitis, omnia in Dei gloriam facite: quod quidem impletur, cum aliquis vitam ſuam ad Dei ſervitium ordinat, & per conſequens omnia, quæ per ſe ipſum agit, virtualiter ordinantur in Deum*. Idem ſæpius docet Angelicus ille Præceptor, ſed præſertim in Quæſtionibus diſputatis, Quæſtione *de Claritate*, Artic. II. in Reſponſione ad 3. ſibi propoſitum Argumentum, ubi hæc habet: *Ad tertium dicendum, quod aliud eſt referre habitualiter in Deum, & aliud virtualiter. Habitualiter enim refertur in Deum, & qui nihil agit, nec qui actualiter aliquid intendit, ut dormiens, ſed virtualiter aliquid referre in Deum, eſt agentis propter finem ordinantis in Deum. Unde habitualiter referre in Deum non cadit ſub præcepto charitatis, cum hoc nihil aliud ſit, quam habere Deum ultimum finem*. Hunc igitur Deum diligendi modum, quem præſcribunt duo illi ſancti Patres, quorum doctrina non deficiet in æternum, ultro & ſecure amplectere, & quam longiſſime recede a nefariis corruptelis, a Sede Apoſtolica damnatis, quibus non ita pridem molliores quidam Theologi maximum de dilectione Dei præceptum, & ad ſalutem adipiſcendam omnino neceſſarium, penitus abolere, vel ejus neceſſitatem elevare, reſtringere, atque infirmare moliti ſunt. Sed, apage ejuſmodi

modi Scriptores, perfectioni Legis Evangelicæ, & caſtiſſimæ doctrinæ Morali Jeſu Chriſti tam aperte adverſantes.

D: Superius oſtendiſti, cæremonias Veteris Legis ceſſaſſe in adventu Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ. Sed ſi id ita ſit, eccur, quæſo, Chriſtus Dominus tanta cum ſedulitate cæremonias Veteris Legis obſervavit? Fuit quippe circumciſus, purificatus eſt, obſervavit Sabbata. Agnum Paſchalem comedit, Templum frequentavit, jejunavit, baptizatus eſt, verbo dicam, Chriſtus Dominus, quamdiu vixit, omnes Veteris Legis cæremonias ad ſummos juris apices obſervavit. Non igitur in adventu Chriſti ceſſarunt cæremoniæ Veteris Legis.

M. Non præciſe in adventu Chriſti, ſed in ejus Paſſione ac morte ceſſarunt, finemque habuerunt cæremoniæ Legales Veteris Legis, quo factum eſt, ut Chriſtus Dominus toto durante vitæ ſuæ tempore, eas ad amuſſim obſervarit, quia illas adimplere debebat, ſicut ipſemet teſtatur c. 5. *Matthæi*, dicens: *Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cœlum & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit a Lege donec omnia fiant*. Hanc etiam rationem affert Angelicus Doctor 1. 2. Quæſt. CIII. Art. 3. in Reſp. ad 2. Argumentum. Ideo enim, juxta ſanctum illum Doctorem, Chriſtus omnes Veteris Legis cæremonias obſervavit, quia, *eo prædicante, & miracula faciente, currebant ſimul Lex & Evangelium*, jamque Myſterium Chriſti erat incohatum, ſed nondum conſummatum. At, Myſterium Redemptionis generis humani completum fuit in Paſſione Chriſti: unde tunc Dominus dixit: *Conſummatum eſt*, ut habetur c. 19. *Joan.* & ideo tunc totaliter debuerunt ceſſare Legalia, quaſi jam veritate eorum conſummata, in cujus ſignum, in Paſſione Chriſti velum Templi legitur eſſe ſciſſum, *Matthæi* cap. 27.

D. Sæpius a te audivi, Ritus, Sacrificia, Sacramenta, Feſta, & Veteris Legis cæremonias adumbraſſe ac præfiguraſſe Chriſtum venturum, necdum expoſuiſti mihi, quo pacto illum præfigurarint?

M. Quamvis certum ſit, Deum hæc omnia in Veteri Lege inſtituiſſe ad abolendam Idololatriam, ad conſervandam divinorum beneficiorum memoriam, ad excellentiæ divinæ ſenſum animis hominum altius infigendum, ad deſignandam diſpoſitionem mentis, Dei cultoribus neceſſariam, ad ſuperbum populum jugo difficillimo ſubigendum, eumque rudem ac laſcivientem ſeveri veluti Pedagogi diſciplinæ ſubjiciendum: recte tamen docet S. *Thomas* 1. 2. Quæſt. CII. Art. II. præter has cauſas, ſeu rationes, quæ ſunt litterales, alias rationes myſticas aſſignari poſſe, cur Deus tot Ritus, Sacrificia, Sacramenta, Feſta, & Cæremonias in Veteri Lege inſtituerit, videlicet ad Chriſtum, & ad ejus ſacra Myſteria delineanda & figuranda, ad Populi Chriſtiani mores inſtituendos, & ad ſtatum futuræ gloriæ deſignandum. Longior profecto eſſem, ſi hic percenſere vellem omnes cauſas, ſeu rationes litterales, quas perdocte expendit S. *Thomas*, inſtitutionis a Deo factæ Sacrificiorum, Sacramentorum, Feſtorum, Rituum, & Cæremoniarum Veteris Legis. Ne igitur in immenſum diffundar, horum omnium inſtitutionis cauſas dumtaxat proferam myſticas, ob quas collimabant in Chriſtum venturum, eumque præfigurarunt, ut inde facilius intelligas, hæc omnia, tametſi a Deo in Veteri Lege inſtituta, deſinere, finemque habere debuiſſe, quando, conſummata illorum veritate, in Cruce mortuus eſt Chriſtus Dominus, totumque Redemptionis generis humani adimpletum eſt Myſterium. In primis S. *Thomas* 1. 2. Quæſt. CII. Art. II. ibi inquirit, *utrum poſſit aſſignari conveniens ratio cæremoniarum, quæ ad Sacrificia pertinent?* docet, *rationes præceptorum Veteris Legis dupliciter accipi poſſe: uno modo ex ratione cultus divini, qui erat tempore illo obſervandus: & rationes illæ ſunt litterales, ſive pertineant ad vitandum Idololatriæ cultum, ſive ad rememoranda aliqua Dei beneficia, ſive ad inſinuandam excellentiam divinam, vel etiam ad deſignandam diſpoſitionem mentis, quæ tunc requirebatur colentibus Deum. Alio modo poſſunt eorum rationes aſſignari, ſecundum quod ordinantur ad figurandum Chriſtum, & ſic habent rationes figurales & myſticas, ſive accipiantur ex ipſo Chriſto & Eccleſia, quod pertinet ad allegoriam: ſive ad mores Populi Chriſtiani, quod pertinet ad*

mor-

mortalitatem: *ſive ad ſtatum futuræ gloriæ, prout in eam introducimur per Chriſtum, quod pertinet ad anagogiam*. Id poſtquam præmiſit *S. Thomas*, aſſignat in Articulis ſequentibus tam rationes litterales, quam myſticas cæremoniarum, quæ pertinent vel ad Sacrificia, vel ad Sacramenta, vel ad delectum ciborum, & uſum aliarum Obſervantiarum cæremonialium Veteris Legis. Cauſam, ſeu rationem myſticam, cur voluerit Deus in Veteri Lege inſtituere Sacrificia, eorumque cæremonias, tradit Angelicus Doctor Art. 3. jam citatæ Quæſtionis, his verbis: „ Inter omnia dona, quæ Deus „ humano generi, jam per peccatum „ lapſo; dedit, præcipuum eſt, quod „ dedit Filium ſuum: unde dicitur Joan„ nis cap. 3. Sic Deus dilexit mundum, „ ut Filium ſuum unigenitum daret, ut „ omnis qui credit in eum, non pereat, „ ſed habeat vitam æternam: & ideo „ potiſſimum Sacrificium eſt, quo ipſe „ Chriſtus ſe ipſum obtulit Deo in odo„ rem ſuavitatis, ut dicitur cap. 5. Epi„ ſtolæ ad Epheſios. Et propter hoc, om„ nia alia Sacrificia offerebantur in Ve„ teri Lege, ut hoc unum ſingulare & „ præcipuum Sacrificium figuraretur, „ tanquam perfectum per imperfecta. „ Unde Apoſtolus dicit cap. 10. Epiſt. ad „ Hebræos, quod Sacerdos Veteris Legis „ eaſdem ſæpe offerebat hoſtias, quæ „ nunquam poſſunt auferre peccata: Chri„ ſtus autem pro peccatis obtulit unam „ in ſempiternum. Et quia ex figurato „ ſumitur ratio figuræ; ideo rationes Sa„ crificiorum figuralium Veteris Legis „ ſunt ſumendæ ex vero Sacrificio Chriſti. Hactenus S. *Thomas*, qui in eodem Articulo, ſeu in Reſponſione ad ſecundam ſibi propoſitam objectionem, hæc habet: *Dicendum, quod Deus non volebat*, ſeu in Veteri Lege, *hujuſmodi ſacrificia ſibi offerri propter ipſas res, quæ offerebantur, quaſi eis indigeret: unde dicitur Iſaiæ cap. 1. Holocauſta Arietum, & adipem Pinguium, & ſanguinem Vitulorum, & Hircorum, & Agnorum nolui; ſed volebat ea ſibi offerri ad ſignificandum Myſterium Redemptionis humanæ per Chriſtum*. Præterea, idem ſanctus Doctor, ibidem in Reſponſione ad ſecundam objectionem, cauſam, ſeu rationem myſticam, cur Deus materiam Sacrificiorum Veteris Legis determinaverit ad tria genera animalium quadrupedum, ſcilicet de genere Boum, Ovium, & Caprarum, & communiter ad aves, ſeu ad Turturem, & Columbam, hanc indicat. *Conveniens fuit*, inquit, *hæc animalia offerri in figuram Chriſti, quia Chriſtus in Vitulo offertur, propter virtutem Chriſti; in Agno, propter innocentiam, in Ariete, propter principatum; in Hirco propter ſimilitudinem carnis peccati; in Turture, & Columba, duarum naturarum conjunctio monſtrabatur; vel in Turture caſtitas, in Columba charitas ſignificabatur*. Cur autem animalia in Sacrificiis Veteris Legis occiderentur? Duas rationes typicas in Reſponſione ad 5. objectionem, ſibi in eodem Articulo propoſitam, dat *S. Thomas*. Sic enim habet: *Per occiſionem animalium ſignificatur deſtructio peccatorum, quia homines erant digni occiſione pro peccatis ſuis, ac ſi illa animalia loco eorum occiderentur, ad ſignificandam expiationem peccatorum. Per occiſionem etiam hujuſmodi animalium ſignificabatur occiſio Chriſti*. Habes nunc ex S. *Thoma* rationes typicas, propter quas Deus in Veteri Lege inſtituit Sacrificia. Non referam hic cauſas, ſeu rationes myſticas propter quas Deus, ſicut perdocte oſtendit S. *Thom*. Art. IV. jam citatæ Quæſtionis, juſſit *Moyſi* ut extrueret Tabernaculum, & res, quæ apud Judæos ſacræ eſſe debebant, reponeret ſive in ſtructura Tabernaculi, ſive in ipſomet Tabernaculo; has, inquam, rationes myſticas, quæ ad Chriſtum Dominum ordinantur, hic non attingam, quia, ut bene memini, ejuſmodi rationes miſticæ in ſuperiori Colloquio, dum de Tabernaculo & de rebus ſacris, quas tam intus continebat, quam exterius repræſentabat, ſermonem habuimus, fuerunt ſat ſuperque a nobis prælibatæ. De Sacramentorum Veteris Legis rationibus myſticis copioſe differit S. *Thomas* Articulo V. Quæſtionis citatæ, & poſtquam oſtendit, Sacerdotum Conſecrationem, & Circumciſionem præfiguraſſe Chriſtum Dominum, explicat rationem myſticam, ſeu figuralem, cur in Lege Veteri fieret Immolatio Agni Paſchalis? „ Ei-

„ Figuralis, inquit, ratio patet, quia „ per immolationem Agni Paſchalis ſignificabatur immolatio Chriſti, ſecundum „ illud 1. ad Corinth. capit. 5. Paſcha „ noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Sanguis vero Agni liberans ab exterminatore, linitis ſuperliminaribus domorum, ſignificat fidem Paſſionis Chriſti in corde & ore fidelium, per „ quam liberamur a peccato & a morte, ſecundum illud 1. Epiſt. Petri „ cap. 1. Redempti eſtis pretioſo ſanguine Agni immaculati. Comedebantur autem carnes illæ ad ſignificandum „ eſum corporis Chriſti in Sacramento. „ Erant autem aſſæ igni, ad ſignificandam Paſſionem vel charitatem Chriſti. Comedebantur autem cum azymis „ panibus ad ſignificandum puram converſationem Fidelium ſumentium Corpus Chriſti, ſecundum illud 1. ad Corinth. cap. 5. Epulemur in azymis ſinceritatis & veritatis. Lactucæ autem „ agreſtes addebantur in ſignum pœnitentiæ peccatorum, quæ neceſſaria eſt „ ſumentibus Corpus Chriſti. Renes autem accingendi ſunt cingulo caſtitatis, „ calceamenta pedum ſunt exempla mortuorum Patrum: Baculi, habendi in „ manibus, ſignificant paſtoralem cuſtodiam. Præcipitur autem, quod in una „ domo Agnus Paſchalis comedatur, id „ eſt, in Eccleſia Catholicorum, non in „ conventiculis Hæreticorum. Docet præterea S. *Thomas* in Reſponſione ad tertiam ſibi in eodem Articulo propoſitam objectionem, quædam Sacramenta Novæ Legis habuiſſe in Veteri Lege Sacramenta figuralia ſibi correſpondentia. „ Nam circumciſioni, inquit correſpondet Baptiſmus, qui eſt fidei Sacramentum, unde dicitur Epiſt. ad Coloſſ. c. 2. Circumciſi eſtis circumciſione Domini noſtri Jeſu Chriſti, conſepulti ei in Baptiſmo. Convivio vero Agni Paſchalis correſpondet in nova Lege Sacramentum Euchariſtiæ. „ Omnibus autem purificationibus Veteris Legis reſpondet in Nova Lege Sacramentum Pœnitentiæ. Conſecrationi „ autem Pontificis & Sacerdotum reſpondet Sacramentum Ordinis. Sacramento autem Confirmationis, quod eſt „ Sacramentum plenitudinis gratiæ, non „ poteſt reſpondere in Veteri Lege aliquod Sacramentum, quia nondum advenerat tempus plenitudinis, eo quod „ neminem ad perfectum adduxit Lex. „ Similiter autem, & Sacramento Extremæ Unctionis, quod eſt quædam immediata præparatio ad introitum gloriæ, cujus aditus nondum patebat in „ Veteri Lege, pretio nondum ſoluto. „ Matrimonium autem fuit quidem in „ Veteri Lege, prout erat in officium „ naturæ, non autem prout eſt Sacramentum conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ, quæ nondum erat facta, unde & „ in Veteri Lege dabatur libellus repudii, „ quod eſt contra Sacramenti rationem. Quod ſpectat Feſta Judæorum quæ in Veteri Lege erant præſcripta, oſtendit etiam S. *Thomas* citatæ Quæſt. Art. IV. in reſponſione ad X. ejuſmodi Judæorum Feſta præfiguraſſe Jeſum Chriſtum, vel res ad Populum Chriſtianum attinentes. Sic enim ſcribit S. Doctor: „ Figuralis autem ratio horum Feſtorum eſt, quia „ per juge Sacrificium Agni figuratur „ perpetuitas Chriſti, qui eſt Agnus Dei, „ ſecundum illud Epiſt. ad Hebræos cap. „ ultimo, Jeſus Chriſtus heri & hodie, „ ipſe & in ſæcula. Per Sabbatum autem deſignatur ſpiritualis requies nobis „ data per Chriſtum, ut habetur cap. „ 4. Epiſt. ad Hebræos. Per Neomeniam „ autem, quæ eſt intenſio novæ Lunæ, „ ſignificatur illuminatio priminivæ Eccleſiæ per Chriſtum, eo prædicante, „ & miracula faciente. Per Feſtum autem Pentecoſtes ſignificatur deſcenſus „ Spiritus Sancti in Apoſtolos. Per „ Feſtum Expiationis ſignificatur emundatio a peccatis Populi Chriſtiani. Per feſtum autem Tabernaculorum, ſignificatur peregrinatio „ eorum in hoc mundo, in quo ambulant in virtutibus proficiendo. Per „ Feſtum autem Cœtus atque Collectæ, ſignificatur Congregatio Fidelium in Regno Cœlorum, & ideo „ iſtud Feſtum dicebatur ſanctiſſimum. „ Et tria Feſta erant continua ad invicem, quia oportet, expiatos a

„ vitiis

Digitized by Google

„ vitiis proficere in virtute, quouſque per-
„ veniant ad Dei viſionem, ut dicitur in
Pſalmo 83. Denique *S. Thomas* Articulo VI. jam citatæ Quæſtionis, cauſam aſſignans inſtitutionis quarumdam Obſervantiarum cæremonialium Veteris Legis, videlicet cur Deus præceperit Judæis ut abſtinerent a ſanguine, a ſuffocatis animalibus, & ab eſu quorumdam ciborum, tanquam immundorum? hæc habet: *Cultus Legis Moſaicæ figurabat Myſterium Chriſti, unde omnia eorum*, ſeu Judæorum, *geſta figurabant ea, quæ ad Chriſtum pertinent, ſecundum illud 1. ad Corinth. cap. 10. omnia in figuris contingebant illis, & ideo rationes harum Obſervantiarum dupliciter aſſignari poſſunt. Uno modo ſecundum congruentiam ad divinum cultum. Alio modo ſecundum quod figurant aliquid circa Chriſtianorum vita.* Ex his ergo myſticis ac typicis rationibus, quas aſſignat S. *Thomas*, manifeſto patet, omnia, quæ Deus inſtituit in Veteri Lege, ſive Sacrificia, Sacra & Sacramenta, ſive Feſta & Obſervantias cæremoniales, præfiguraſſe Chriſtum venturum, ac ſubinde debuiſſe in morte Chriſti, completa eorum veritate, ceſſare. Quam in rem S. *Cyrillus Alexandrinus* lib. IX. contra Apoſtatam Imperatorem *Julianum* appoſite ait: Deus conſtituit quidem per
„ ſapientiſſimum Moyſem ritus umbrati-
„ les ac typicos, gnarus typos informan-
„ dis eorum mentibus, qui tum erudie-
„ bantur, idoneos eſſe; non ita tamen
„ ut in rebus adeo craſſis perpetuo hæ-
„ rentes, ſpirituali & intellectuali cultu
„ exciderent: Sed accepta in multis re-
„ rum verarum prædictione, Dei obſe-
„ crandi modum cum primis agnoſce-
„ rent, ad recte vivendi ſemitam ſcite
„ & artificioſe pergentes. Quemadmo-
„ dum enim periti Fabri ærarii formas
„ imaginum, quas facturi ſunt, in cera
„ liquefacta prius exhibent, non ut ea-
„ tenus tantum illorum ars progredia-
„ tur, ſed ut in ipſis eorum, quæ mox
„ facienda ſunt, decus prius eluceat:
„ poſtquam tamen ad exitum perdu-
„ ctum opus erit, non jam artificem
„ jure incuſabimus, quod typos negli-
„ gant. Simili, opinor, modo, poſtea
„ quam Chriſtus illuxit, qui eſt veritas,
„ & Chriſtianus cultus introductus eſt,
„ vanos eſſe typos jure ſtatuemus, ſpiri-
„ tualium quippe imagines erant.

D. Poteſtne ex vaticiniis Prophetarum evinici, Legem Veterem, quantum ad Sacrificia, Sacra, Sacramenta, Feſta, & Obſervantias cærimoniales ceſſaſſe in morte Chriſti, populumque Judaicum deſiiſſe eſſe populum Dei?

M. Id eleganter oſtendit *Lactantius* lib. IV. *Inſtitutionum Divinarum* cap. xx. ubi hæc habet: Moyſes & ipſi Pro-
„ phetæ, Legem, quæ Judæis data erat,
„ teſtamentum vocant, quia niſi teſta-
„ tor mortuus fuerit, nec confirmari
„ teſtamentum poteſt, nec ſciri quid in
„ eo ſcriptum ſit, quia clauſum & ob-
„ ſignatum eſt. Itaque niſi Chriſtus
„ mortem ſuſcepiſſet, aperiri teſtamen-
„ tum Dei non potuiſſet. Verum, Scri-
„ ptura omnis in duo Teſtamenta divi-
„ ſa eſt. Illud quod adventum Domini
„ Paſſionemque anteceſſit, id eſt, Lex
„ & Prophetæ, Vetus dicitur. Ea ve-
„ ro, quæ poſt Reſurrectionem Chriſti
„ ſcripta ſunt, Novum Teſtamentum
„ nominatur. Judæi Veteri utuntur,
„ nos Novo: ſed tamen diverſa non
„ ſunt, quia Novum Veteris adimpletio
„ eſt, & in utroque idem teſtator eſt
„ Chriſtus, qui pro nobis morte ſuſce-
„ pta, nos hæredes Regni æterni fecit,
„ abdicato & exhæredato populo Judæo-
„ rum, ſicut Hieremias Propheta teſtatur,
„ cum loquitur talia: Ecce dies veniet,
„ dicit Dominus, & conſummabo do-
„ mui Iſrael, & domui Juda teſtamen-
„ tum novum, non ſecundum teſtamen-
„ tum quod diſpoſui patribus eorum in
„ die, qua apprehendi manum eorum,
„ ut educerem illos de Terra Ægypti,
„ quia ipſi non perſeveraverunt in teſta-
„ mento meo, & ego neglexi eos, dixit
„ Dominus. Item alio loco ſimiliter
„ ait; Dereliqui domum meam, dimiſi
„ hæreditatem meam in manu inimi-
„ corum ejus . . . . . Facta eſt mihi,
„ inquit Chriſtus, hæreditas mea ſicut
„ Leo, ideſt, præda & devoratio fa-
„ ctus ſum hæredibus meis, qui me
„ immolaverunt ſicut pecus. Dedit ſu-

per

Digitized by Google

„ per me vocem ſuam, ideſt, Sententiam adverſus me mortis, crucifque „ dixerunt. Nam quod ſuperius ait, conſummaturum ſe domui Juda teſtamentum novum, oſtendit (ſeu Chriſtus) „ Vetus illud Teſtamentum, quod per „ Moyſem eſt datum, non fuiſſe perfectum, id autem, quod per Chriſtum „ dari deberet, conſummatum fore. Domus autem Juda & Iſrael non utique „ Judæos ſignificat, quos abdicavit, ſed „ nos, qui ab eo convocati ex gentibus, in illorum locum adoptione ſucceſſimus.... Cum igitur nos, antea „ tanquam cæci, & tanquam carcere „ ſtultitiæ incluſi, ſederemus in tenebris „ ignorantes Deum & veritatem, illuminati ab eo ſumus, qui nos Teſtamento ſuo adoptavit, & liberatos malis vinculis, atque in lucem ſapientiæ „ productos, in hæreditatem Regni Cœleſtis adſcivit. Ex quibus *Lactantii* verbis manifeſtum eſt, Deum voluiſſe, ut omnia, quæ inſtituerat in Veteri Lege præfigurantia Chriſtum, in morte ejuſdem Chriſti finem haberent, & ut Nova, ſeu Evangelica Lex, in locum Veteris, ſeu Moſaicæ, Legis ſubrogaretur, & tandem, exhæredato contumaci Populo Judaico, novum populum, ſeu Chriſtianos, Lege ſua adoptaret, & in hæreditatem Regni Cœleſtis adſciſceret. Ea de cauſa, Deus, qui Religionem Judaicam in Veteri Lege redegerat ad victimas, victimas ad certum modum, modum ad tempus, tempus ad locum, & locum ad unam Civitatem, ſeu Hieroſolymam, & ad unum Templum, ſeu Hieroſolymitanum, contraxerat, permiſit, ut, non multo poſt mortem Jeſu Chriſti, eadem Civitas, Templumque Hieroſolymitanum ab exercitu Romanorum funditus everterentur, & ut omnes Judæi per totum orbem diſpergerentur, ubi fas non erat ſacrificare, Hieroſolymam vero illis adire non liceret, in qua ſola licebat immolare. Hæc, inquam, permiſit Deus, ut omnes intelligerent, Religionem Judaicam, ſitam potiſſimum in Sacrificiis, Ritibus, Feſtis, Cæremoniis, aliiſque id genus, quæ ad divinum cultum ſpectabant, quæque Judæi in ſolo Templo Hieroſolymitano exercere ac celebrare poterant, deſtructo ſemel Templo Hieroſolymitano, extincta fuiſſe, & omnia quæ in Veteri Lege ad præfigurandum Myſterium Redemptionis generis humani erant inſtituta, deſiiſſe in integrum in morte Jeſu Chriſti, qui omnes figuras, quibus in Veteri Lege fuerat adumbratus, perfectiſſime, juxta Prophetarum Oracula, adimplevit. *Quemadmodum enim*, verba ſunt *S. Joannis Chryſoſtomi* Oratione I. adverſus Judæos, *Faber, jactis fundamentis, erectis parietibus, concamerata teſtudine, ipſaque concameratione in unum lapidem in medio poſitum connexa, ſi eum tollat, totam ædificii compagem ſolverit: Similiter Deus, quum eam Civitatem, ſeu Hieroſolymam, feciſſet, quaſi nodum totius Religionis Judaicæ, ac mox hanc Civitatem ſubverterit, nonne pariter univerſum ejus Civitatis ſtatum ſubvertit?* Jam vero, lubens rogaverim Judæos, qua de cauſa, cum tantum temporis in Ægypto verſati receperint ſtatum ſuæ Civitatis, ac rurſus reducti in Babylonem, redierint Hieroſolymam; ac denique ſub *Antiocho*, Rege Syriæ, tam multa paſſi mala, ad priſtinum reverſi ſint ſtatum, & denuo Sacrificia, Altare, Sancta Sanctorum, breviter, omnia cum priſtina receperint dignitate, nunc nihil ſimile factum fuerit, cum tamen a devaſtatione Templi Hieroſolymitani ad hæc uſque tempora affluxerint mille & ſeptigenti circiter anni? Nam ſemel & iterum, ac tertio ſub Imperatoribus *Adriano*, *Conſtantino*, & *Juliano*, conati ſunt deſtructum Templum Hieroſolymitanum inſtaurare, ſed conatus illorum ſemper interruptus eſt, primum quidem a militibus, rurſus ab igne promicante e fundamentis, & illorum importunam pervicaciam coercente. Qua de cauſa, inquam, Judæi extra Hieroſolymam agunt tanto tempore? Quorſum dirutum Templum manet adhuc ſolitudinis calamitas, & ſæpe conantibus Judæis inſtaurationem, conatus in vacuum ceſſerint? Non aliam tot malorum certe invenio ipſe cauſam, præter iſtam, quam ipſa rerum veritas loquitur: Poſteaquam Judæi per ſummam inſaniam debacchati ſunt in Chriſtum, poſtea-

Digitized by Google

quam in illum injecerunt manus, ejuſque pretioſum ſanguinem effuderunt, propterea, perfidi Judæi a Deo rejecti & repulſi ſunt, nec ulla his relicta ſpes reædificandi Hieroſolymam, Templum inſtaurandi, Legem obſervandi, Feſta peragendi, Agnum Paſchalem mactandi & comedendi, Sacerdotium, & Sacrificium unquam amplius habendi, atque ſuis ſedibus, patrioque Solo dejecti, per univerſum orbem diſſipantur, omnibus nationibus exoſi, innumeris malis obnoxii, & miſeram ſervientes ſervitutem. Hæc eſt vera cauſa, cur in morte Chriſti Domini, omnia, quæ Deus in Veteri Lege ad præſignrandum Chriſtum venturum inſtituerat, finem acceperint, & Populus Judaicus deſierit eſſe Populus Dei.

D. Deplorandam ſane video cæcitatem Judæorum, qui, oſtenſa licet in morte Chriſti figurarum Legis veritate, adhuc tenent mordicus Sabbathiſmos, Circumciſionem, delectum ciborum, victimas, lotiones, & alias hoc genus Legis figuras, quas Chriſtus Dominus, per illas deſignatus, per mortem ſuam fecit ſupervacaneas. Adhuc pendent miſeri Judæi a Prophetarum promiſſis, cum is exhibitus ſit, quem illi promiſerunt, verum Meſſiam abnegant, & alium quemdam plane imaginarium expectant, cum non ſit alius præter Jeſum Chriſtum, ad cujus nomen aperiunt caput, inclinant cervices, flectunt genua ſummi orbis Monarchæ, reviviſcunt mortui, contremiſcunt dæmones, torquentur & fugiunt noxii ſpiritus. O pluſquam adamantinam pervicaciam Judæorum, qui in Chriſtum, ſibi a Prophetis, & a Lege promiſſum, credere noluerunt. Sed o felicem ſortem Gentium quæ licet Prophetarum ac Legis promiſſa comperta non haberent, Evangelio tamen credentes, pronis auribus, demiſſiſque animis auſcultarunt doctrinam Chriſti, & in Cruce illius gloriantes, abſque Legis Moſaicæ onere, juſtitiam ac ſanctimoniam ſunt aſſecutæ! At dicas mihi, obſecro te, an Veteris Legis cæremoniæ ita in morte Chriſti deſierint, ut ſi Chriſtiani eas poſt paſſionem Chriſti obſervare voluiſſent, lethaliter peccaſſent?

M. Hoc dubium, quod proponis, dilucide poſt *S. Auguſtinum* explicat *S. Thomas* 1. 2. Quæſt. CIII. Art. 4. in Reſponſione ad primam objectionem ſibi propoſitam, ubi hæc habet: „ Convenientius Auguſtinus diſtinxit tria tempora. Unum quidem ante Chriſti Paſſionem, in quo Legalia neque erant mortifera, neque mortua. Aliud autem poſt tempus Evangelii divulgati, in quo Legalia ſunt mortua & mortifera. Tertium autem eſt tempus medium, ſcilicet a Paſſione Chriſti uſque ad divulgationem Evangelii, in quo Legalia quidem fuerunt mortua, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea obſervare tenebatur, non tamen fuerunt mortifera, quia illi, qui ex Judæis converſi erant ad Chriſtum, poterant illa Legalia licite obſervare, dummodo non ſic ponerent ſpem in eis, quod ea reputarent ſibi neceſſaria ad ſalutem, quaſi ſine Legalibus fides Chriſti juſtificare non poſſet. His autem qui convertebantur ex Gentilitate ad Chriſtum, non erat cauſa, ut ea obſervarent, & ideo Paulus circumcidit Timotheum, qui ex Matre Judæa genitus erat. Titum autem qui ex Gentilibus natus erat, circumcidere noluit. Ideo autem noluit Spiritus Sanctus, ut ſtatim inhiberetur his, qui ex Judæis convertabantur, obſervatio Legalium, ſicut his, qui ex Gentilibus convertebantur, inhibebatur Gentilitatis Ritus, ut quædam differentia inter hos Ritus oſtenderetur. Nam Gentilitatis Ritus repudiabatur tanquam omnino illicitus, & a Deo ſemper prohibitus. Ritus autem Legis ceſſabat, tanquam impletus per Chriſti Paſſionem, ut pote a Deo in figuram Chriſti inſtitutus. Ex qua *S. Thomæ* doctrina manifeſtum eſt, Veteris Legis cæremonias medio illo tempore, quod fluxit a Paſſione Chriſti uſque ad ſufficientem Legis promulgationem, mortuas quidem fuiſſe, ſed necdum mortiferas, adeoque illas ſub hoc Evangelicæ Legis crepuſculo potuiſſe abſque crimine religioſe obſervari, ut Synagoga cum honore ſepeliretur. At poſt promulgationem Legis Evangelicæ docet Angelicus Doctor eodem in Articulo, Veteris Legis cæremonias mortife-

ras evaſiſſe, adeo ut, ſi quis Chriſtianus eas nunc obſervare vellet, mortaliter peccaret. „ Quamvis enim, inquit *S.* „ *Thomas*, ſit eadem fides, quam ha„ bemus de Chriſto, & quam antiqui „ Patres habuerunt, tamen quia ipſi „ præceſſerunt Chriſtum, nos autem ſe„ quimur; eadem fides diverſis verbis „ ſignificatur a nobis, & ab eis: Ab „ eis dicebatur: Ecce Virgo concipiet & „ pariet filium, quæ verba ſunt futuri „ temporis; Nos autem idem repræſen„ tamus per verba præteriti temporis, „ dicentes, quod concepit & peperit. „ Et ſimiliter cæremoniæ Veteris Legis „ ſignificabant Chriſtum, ut naſciturum „ & paſſurum. Noſtra autem Sacramen„ ta ſignificant ipſum ut natum & paſ„ ſum. Sicut igitur peccaret mortaliter, „ qui nunc ſuam fidem proteſtando, di„ ceret, Chriſtum naſciturum, quod an„ tiqui pie & veraciter dicebant: Ita „ etiam peccaret mortaliter, ſi quis nunc „ cæremonias obſervaret, quas antiqui „ pie & fideliter obſervabant. Et hoc „ eſt, quod Auguſtinus dicit contra Fau„ ſtum (*Hæreticum Manichæum*) jam „ non promittitur naſciturus, paſſurus, „ & reſurrecturus, quod illa Sacramen„ ta quadammodo perſonabant, ſed an„ nunciatur, quod natus ſit, paſſus ſit, „ reſurrexit, quod hæc Sacramenta, quæ „ a Chriſtianis aguntur, jam perſonant. Hanc doctrinam hauſit Angelicus Præceptor ex *S. Auguſtino*, qui Epiſtola 19. ait, Veteris Legis cæremonias, poſt promulgationem Legis Evangelicæ ita mortiferas evaſiſſe, ut ſi quis eas nunc obſervaret, Hæreſeos jure optimo inſimularetur, & violator haberetur ſepulcri, quo multis abhinc ſæculis condita eſt Synagoga: *Proinde*, verba ſunt S. Auguſtini, *nunc quiſquis Chriſtianorum, quamvis ſit ex Judæis, ſimiliter ea, ſeu Legalia, celebrare voluerit, ſopitos cineres eruens, non erit pius deductor, vel bajulus corporis, ſed impius ſepulturæ violator*. Advertere tamen debes, Eccleſiam Græcam, Gallicanam, & Germanicam obſervaſſe per plura ſæcula præceptum, quod Apoſtoli, in Concilio Hieroſolymitano congregati, condiderunt: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, a quibus cuſtodientes vos, bene agetis*. Act. Apoſt. cap. xv. v. 28. & 29. Hoc, inquam, præceptum, quod in naſcentis Eccleſiæ crepundiis ad pacem & concordiam Judæos inter & Gentiles, ad Chriſtianam Religionem converſos, conciliandam ſanxerunt Apoſtoli, quodque ſubinde temporaneum dumtaxat eſſe debebat, quædam Eccleſiæ, ſeu Græca, Gallicana, & Germanica per plura ſæcula obſervarunt. Græci ſiquidem in Synodo Trullana celebrata anno 692. Can. 66. prohibent, ne quis animalium ſanguinem quovis modo comedere aggrediatur, & ſi ſit Clericus, deponatur; ſin autem Laicus, ſegregetur. Concilium etiam Aurelianenſe, habitum in Galliis ann. 553. Can 20. indicit abſtinentiam a ſuffocatis. Idem in Eccleſia Germanica conſtitutum eſt in Concilio Vvormatienſi Can. 64. Verum, iſtæ Eccleſiæ laudatis Canonibus indixerunt abſtinentiam a ſanguine & ſuffocato, non quod hanc Legem, ab Apoſtolis conditam, adhuc obligare autumarent, ſed quod judicarent, conveniens eſſe, ut hanc diſciplinam, ſeu conſuetudinem, a Majoribus acceptam, maxima Religione ſervarent, quamvis aliunde eſum ſanguinis & ſuffocati abſolute illicitum eſſe non exiſtimarent, nec damnarent alias Eccleſias, in quibus contraria vigebat conſuetudo, ſicut recte explicat *Humbertus*, Cardinalis, & Sylvæ candidæ Epiſcopus, in *Dialogo contra calumnias Græcorum*.

D. Eo præcepto, quod Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano condiderunt, abſtinentiam a ſanguine animalium, a ſuffocato, & ab immolatis ſimulacrorum perinde indicitur & decernitur ac abſtinentia a fornicatione. Præcepti autem de abſtinentia a fornicatione incumbit omnibus Chriſtianis indiſpenſabilis, & perpetua obſervandi obligatio, quidni igitur præceptum de abſtinentia a ſanguine animalium, a ſuffocato, & ab immolatis ſimulacrorum perpetuo obſervare obſtringentur Chriſtiani?

Digitized by Google

M. Hoc Apoſtolorum præcepto abſtinentia a ſanguine animalium, a ſuffocato, & ab immolatis ſimulacrorum perinde indicitur ac abſtinentia a fornicatione, ſed non eodem tenore. Nam abſtinentia a fornicatione indicitur ac præcipitur, quia fornicatio per ſe mala eſt, & quia Gentiles non reputabant eam eſſe peccatum: unde non mirum, quod ad præceptum de abſtinentia a fornicatione jugiter obſervandum adſtringantur Chriſtiani. Sed abſtinentiam a ſanguine animalium, a ſuffocato, & a cibis, qui Idolis erant immolati, imperarunt Apoſtoli, non quod putarent eſum ſanguinis animalium &c. eſſe per ſe malum & illicitum, aut quod judicarent, hanc ab eſu ſanguinis animalium abſtinentiam eſſe præſcribendam ad obſervandas cæremonias legales, ſed eo duntaxat fiue ejuſmodi abſtinentiam ad tempus præceperunt, ut ſemota diſſenſionis materia, pax & concordia Judæos inter & Gentiles, ad Religionem Chriſtianam converſos, ſarta tecta conſervari poſſet: *Judæis enim* (inquit S. Thomas 1. 2. Quæſt. CIII. Art. IV. in reſponſione ad tertiam objectionem) *propter antiquam conſuetudinem ſanguis, & ſuffocatum erant abominabilia. Comeſtio autem immolatorum ſimulacris poterat in Judæis generare circa Gentiles ſuſpicionem reditus ad Idololatriam, & ideo iſta fuerunt prohibita pro tempore illo, in quo de novo oportebat convenire in unum Gentiles & Judæos. Procedente autem tempore, ceſſante cauſa, ceſſat effectus, manifeſta Evangelicæ Doctrinæ veritate, in qua Dominus docet, quod nihil, quod per os intrat, coinquinat hominem, ut dicitur Matthæi cap. 15. Et quod nihil eſt rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, ut dicitur cap. 4. Epiſt. 1. ad Timotheum. Fornicatio autem prohibetur ſpecialiter, quia Gentiles non reputabant eam eſſe peccatum.*

D. Quid ſibi vult Chriſtus Dominus, dum *Matthæi* cap. 15. v. 11. ait: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem?* Quod vero *Paulus*, dum cap. 4. v. 4. Epiſt. 1. ad Timotheum, dicit: *Nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur?*

M. His verbis: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*, Chriſtus Dominus redarguit Phariſæos, qui non ſolum abſtinebant a quibuſdam cibis, quaſi fuiſſent natura ſua immundi, verum etiam ut viderentur Legum non Interpretes modo, ſed etiam conditores, frivolis quibuſdam obſervatiunculis ſimplicem plebem onerabant multis præceptiunculis, quod genus ſunt iſta: *Ne quis cibum capiat manibus impuris*. Manus autem appellabant impuras, quando erant illotæ, quaſi manus cibum aut hominem contaminaret, aut quaſi liquor aquæ ſordes abſtergeret animi. Item, *ne quis a foro reverſus, & in promiſcua turba verſatus, cibum capiat, niſi prius abluto corpore*: perinde quaſi contactus hominum inquinaret hominem; aut quaſi purus ſit, qui lotus ſit. Rurſus, *ut lavarentur urcei, pocula, æramenta, ſellæ, reliquaque ſupellex, cujus erat uſus quotidianus*. Has itaque obſervatiunculas ſimplici plebi venditantes Phariſæi, adierunt Chriſtum, eique dixerunt: *Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? non enim lavant manus ſuas cum panem manducant*. Quibus ipſe reſpondit: *Hipocrytæ, bene prophetavit de vobis Iſaias, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me. Sine autem cauſa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum*. His dictis, Chriſtus velut averſus a Phariſæis, juſſit turbas propius accedere, dicens: *Audite & intelligite: Non quod intrat in os, coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*. Quaſi diceret Chriſtus: *Lex Evangelica, cujus conditor ſum, non in cæremoniis legalibus, non in abſtinentia a quibuſdam cibis, quaſi immundi eſſent, non in iſtis, quas Phariſæi invexerunt, obſervatiunculis ſita eſt, ſed in affectibus animi. Hanc igitur Legem cæleſtem poſtea quam cæpiſtis profiteri, nihil vobis ſit rei cum fucatis Phariſæis, qui abſtinet a quibuſdam cibis, tanquam immundis, quique præpoſtero judicio ſummam pietatis collocant in externis cæremoniis & præceptiunculis, & ea quæ ſunt animi negligunt. Cyathos horrent illotos, & animos impuros habent, manus & cutem ſubinde lavant, animum*

vero

Digitized by Google

vero patiuntur omnibus vitiis inquinari : Hoc in ſenſu intelligenda ſunt hæc Chriſti verba : *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*. Liberavit nos quippe Chriſtus Dominus per mortem ſuam ab obſervatione cæremoniarum Veteris Legis, & conſtitutiuncularum, quas Legi adjiciebant Phariſæi, & quibus onerabant Populum Judaicum plus ſatis gravatum Legis Moſaicæ onere. Ab obſervatione cæremoniarum Veteris Legis, & ab abſtinentia judaica quorumdam ciborum, quaſi impuri ac immundi eſſent, nos per mortem Chriſti fuiſſe liberatos, docet Apoſtolus *Paulus* cap. 4. v. 1. & ſeq. Epiſt. 1. ad *Timotheum*, ubi hæc habet: *Spiritus autem manifeſte dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum : in hypocriſi loquentium mendatium .... prohibentium abſtinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui cognoverunt veritatem ; quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*. Quibus verbis Apoſtolus *Paulus* aperte declarat, Fideles, redemptos ſanguine Chriſti, revocare non debere Judaicum ciborum delectum, quaſi cibus ipſe quidquam habeat impuritatis, cum omne ciborum genus Deus in hoc paraverit, ut his ad corporis neceſſitatem, vireſque farciendas moderate utamur, pro ſua benignitate gratias illi agentes, quicumque pro Moſaica Lege Evangelicam Fidem ſumus amplexi, quique, diſcuſſis Judaicarum cæremoniarum nebulis, ad lucem veritatis adducti, cognovimus, quidquid ab optimo Deo conditum eſt, id natura ſua bonum eſſe, ſi quis, ut oportet, & ad quod conditum eſt, utatur ; nec ullum eſſe cibi genus abominandum, aut rejiciendum, quod velut a benigno Deo datum percipitur cum gratiarum actione. Nihil enim in rebus a Deo conditis impurum eſt, aut immundum, ſi purus ac mundus ſit utentis animus. Eamdem doctrinam Fidelibus inculcat idem Apoſtolus cap. 2. Epiſtolæ ad Coloſſenſes, dicens : *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut Sabbathorum, quæ ſunt umbra futurorum, Corpus autem Chriſti*. Ab hac ergo Judaicarum cæremoniarum obſervatione ideo Chriſtianos Apoſtolus *Paulus* liberos eſſe pronunciat, quia hæ fuerunt umbræ, quæ portendebant olim ac delineabant ea, quæ poſtea eſſent vere exhibenda a Chriſto. Cum igitur Chriſtiani corpus ipſum teneant, palamque ipſis illuxerit veritas, non debent amplius conſectari umbras, ſed oportet, ut Chriſto capiti, in Cœlis agenti, charitatis vinculo adhærentes, non curent niſi cæleſtia, recteque tendant ad præmium immortalitatis.

D. Si, juxta Chriſti oraculum : *Non quod intrat in os, coinquinat hominem* ; ſi juxta Apoſtolum Paulum : *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur* ; ſi denique Chriſtus Dominus, ut mox dixiſti, per mortem ſuam liberavit nos ab obſervatione cæremoniarum Veteris Legis, quas inter erat delectus ciborum, ſeu abſtinentia a quibuſdam cibis, tanquam immundis, ut quid, quæſo, Eccleſia certis anni temporibus, & potiſſimum in Quadrageſima, Judaicum iſtum revocat ciborum delectum, eſuque carnium interdicit Fidelibus, quos tamen Chriſtus per mortem ſuam omnibus cibis indiſcriminatim utendi plena libertate donavit?

M. Eccleſia præcipit quidem certis anni diebus, ut Fideles, dum jejunant, abſtineant a carnibus, & ab aliis quibuſdam edulíis, non quod cenſeat carnes eſſe ex natura ſua malas & immundas, aut quod velit antiquatum per mortem Chriſti Judaicum ciborum delectum revocare, abſit : ſed quod judicet Eccleſia, id genus abſtinentiæ multum prodeſſe ſaluti Fidelium, qui hoc pacto domant paſſiones ſuas, frænum perduelli cupiditati injiciunt, & carnem ſuam caſtigant. Ceterum, Eccleſia Catholica damnat Hæreticos *Marcionitas*, *Encratitas*, & *Manichæos*, qui quædam ciborum genera execrabantur, quod a Deo malo condita eſſe pertenderent. Improbat etiam Hæreticos *Montaniſtas*, qui jejunia, ſeu Quadrageſimas multiplicabant, quæ valetudinem ſummum in diſcrimen poterant

rant adducere; vultque Eccleſia, ut Fideles per abſtinentiam a carnibus, quam eis certis anni diebus indicit, corpus ſuum affligant, & macerent, ſed non atterant, & exhauriant; vult, ut carnem ſuam in ordinem redigant, non immodice excrucient, cupiditatem cohibeant, valetudinem autem non evertant. Denique, Eccleſia, dum ſtatis anni diebus præcipit abſtinentiam a carnibus, & a quibuſdam aliis eduliis, non revocat Judaicum ciborum delectum, ſed potius illos peccat ireos eſſe declarat, qui Judaico more, a quibuſdam cibis abſtinerent, quod putarent illos eſſe immundos. Judæorum enim iſta vox eſt, non Chriſtianorum, *hoc cibo, aut potu immundo, ne veſcitor, hoc corpus, propter immunditiem, ne contingito, hac veſte, quæ immunda eſt, ne utitor, hac die ne illud, aut illud agito*. Quamvis igitur cibus aut potus, aut eorum ſumptio, ſuapte natura bona non ſint aut mala, nec pios reddant, nec impios (quo in ſenſu Chriſtus Dominus, dicit: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*) abſtinentia tamen ab illis, ad virtutes comparandas ex præcepto Eccleſiæ, aut juxta conditionem perſonarum ex voto aut devotione voluntarie aſſumpta, laudabilis eſt & meritoria, ac pietati deſervit, ad illam præparans, & magnum illi afferens incrementum: alioqui non toties abſtinentiam & ſobrietatem commendaret Scriptura Sacra, nec Deum alloquens concineret Eccleſia: *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia*. Addo etiam, ciborum delectum inductum fuiſſe ab ipſiſmet Apoſtolis, quippe qui, ut mox dicebamus, abſtinentiam a ſuffocato & ſanguine præceperunt; ac ſubinde ſummæ temeritatis eſſe negare, Eccleſiam ad utilitatem Fidelium ſuper hujuſmodi rebus Leges conſtituere poſſe, cum jure naturali indictum ſit, ut inferiores ſuperiorum Legibus dirigantur, & Chriſtus diſtricte præcipiat, ut obediamus Eccleſiæ: *Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, Matthæi cap. 18. Hac præmiſſa expoſitione, ſtatim pateſcit mens Apoſtoli *Pauli*. Nam primo, dum cap. 4. v. 1. Epiſt. 1. ad *Timoth.* ait: *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*; id Apoſtolus ſcribit contra nonnullos, quorum errorem poſtea ſecuti ſunt Hæretici Encratitæ, Marcionitæ, & Manichæi, qui abhorrebant a quibuſdam cibis, quod dictitarent, illos a malo Deo conditos eſſe. Hanc eſſe germanam mentem Apoſtoli *Pauli* aſſerunt ſancti Patres, *Hieronymus* cap. 2. lib. 2. adverſus *Jovinianum*, *S. Chryſoſtomus* Homil. 12. in Epiſt. 1. ad Timoth. *Theodoretus* in cap. 4. Epiſt. 1. ad Timoth. & *S. Auguſtinus* lib. 30. contra *Fauſtum* cap. 5. Prætèrea, quando Apoſtolus *Paulus* cap. 2. Epiſt. ad Coloſſenſes, ait: *Nemo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei Feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbathorum, quæ ſunt umbra futurorum &c.* hæc ſcribit Apoſtolus contra quoſdam pſeudo-Apoſtolos, qui abrogatas per mortem Chriſti Legis Veteris cæremonias, revocare totis viribus ſatagebant, & Fideles inducebant, ut eas, velut ad ſalutem neceſſarias, obſervarent, eademque opera abſtinerent a quibuſdam cibis, tanquam immundis. Denique, cum in exordio Eccleſiæ nullo Fideles obſtringerentur præcepto abſtinendi a cibis, qui erant immolati Idolis; ideo Apoſtolus cap. 10. Epiſt. 1. ad Corinth. v. 25. & ſeq. ait: „ Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam ..... Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire; omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Id eſt, nihil interrogantes, an immolatitium ſit, an ſecus? Idque propter conſcientiam. Vitandum enim eſt offendiculum, ſi incidat, non accerſendum. Hinc immediate ſubdit Apoſtolus: „ Si quis autem dixerit: Hoc immolatum eſt Idolis: nolite manducare, propter illum, qui indicavit, & propter conſcientiam. Et Epiſt. ad Romanos capit. 14. v. 21. ait itidem Apoſtolus: „ Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. Si ergo Apoſtolus *Paulus* vetat Fidelibus, ne carnes

nes

nes immolatitias edant, vel vinum bibant, quando poteſt inde oriri ſcandalum; quanto magis nunc Fideles ſervare debent abſtinentiam a carnibus, aliiſque eduliis, quam certis anni temporibus ad eorum utilitatem præſcribit Eccleſia, quæ habet a Deo auctoritatem condendi ejuſmodi Leges, quibns obedire debemus, quaſque citra ſcandalum, & ejuſdem Eccleſiæ auctoritatis contemptum violare non poſſumus? *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis*, inquit idem Apoſtolus cap. 13. v. 17. Epiſt. ad Hebræos. Quicumque igitur aſſerunt, nnllum certum cibi genus Chriſtianis eſſe præſcribendum, ſed unicuique integrum & liberum eſſe debere, ut his veſcatur cibis, quos exiſtimat conducere ſuæ valetudini, hi, inquam, non ſolum diſciplinam Eccleſiaſticam enervant, & adverſantur doctrinæ Apoſtoli, *Pauli*, jubentis, ut inferiores præſtent ſuperioribus debitam obedientiam, verum etiam, Eccleſiæ Catholicæ, quæ hujuſmodi eſcarum delectnm certis anni diebus a Fidelibus obſervandum religioſe & prudenter conſtituit, contumeliam irrogant, & Hæreticorum *Aerii*, *Joviniani*, *Vvaldenſium*, *Vviclefi*, *Lutheri*, *Calvini*, aliorumque ejuſdem furfuris heterodoxorum damnatæ doctrinæ conſentiunt.

D. Hoc unnm circa obſervantiam cæremoniarum Veteris Legis poſt Paſſionem Chriſti Domini ſupereſt tibi proponendum dubium. Dixiſti quippe ſuperius, cæremonias Veteris Legis ſtatim poſt Paſſionem Chriſti fuiſſe quidem *mortuas*, id eſt, abrogatas, ſed necdum *mortiferas*, quia hi, qui ex Judæis ad Religionem Chriſtianam erant converſi, licite, & inculpata conſcientia ejuſmodi cæremonias obſervarunt nſqne ad ſufficientem Legis Evangelicæ promnlgationem. At, contrarium ſentire mihi videtnr Apoſtolus *Paulus*, cujns Epiſtolam ad *Galatas* nuperrime legebam. Ait namque *Paulus* cap. 2. v. 11. & ſeq. hujus Epiſt. ſe in faciem reſtitiſſe *Petro*, quod cæremonias Veteris Legis obſervaret: *Cum autem*, inquit, *veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat, cum autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex circumciſione erant*. Porro, obſervantiam cæremoniarum Veteris Legis Apoſtolus *Paulus* vitio vertere haud potuiſſet S. *Petro*, Principi Apoſtolorum, ſi tum temporis adhuc licita fuiſſet, & permiſſa arbitrio illorum, qui, relicto Jndaiſmo, nomen dabant Chriſtianæ Religioni.

M. Non reprehendit Apoſtolus *Paulus* S. *Petrum*, qnod obſervaret cæremonias Legis, cum ipſemet *Paulus* eas obſervaret; circumcidit enim Diſcipulum ſuum *Timotheum*, ſicut refertur cap. 16. v. 3. Act. Apoſt. Et, ſecundum Legem Moſaicam, *purificatus*, *intravit in Templum*, *annuntians expletionem dierum purificationis*, ut legitur cap. 21. v. 26. ejuſdem libri Act. Apoſtolorum. Non, inquam, Apoſtolus *Paulus*, reprehendit *S. Petrum*, quod Veteris Legis cæremonias obſervaret, ſed quod S. *Petrus*, data opera, ſe a gentibus ſegregando, &, nt placeret Judæis, circa Legalium obſervantiam adhibendo diligentiam nimiam, intempeſtivo ſuo exemplo non ſolum dabat gentibus, ad Religionem Chriſtianam converſis, ſcandalnm, ſed etiam eis occaſionem præbebat exiſtimandi, obſervantiam cæremoniarum Veteris Legis eſſe neceſſariam ad ſalntem æternam conſequendam. Quæ de cauſa *Paulus* dixit **Cephæ** *coram omnibus: Si tu, cum Judæus ſis, gentiliter vivis, & non judaice, quomodo Gentes cogis judaizare?* In hoc peccaſſe S. *Petrum* docet S. *Thomas* 1. 2. Quæſt. 103. Art. 4. in reſponſione ad ſecnndam ſibi propoſitam objectionem. Quamvis autem error S. *Petri*, non fuerit error doctrinæ, ſed tantum converſationis, vere tamen fuit reprehenſus a S. *Paulo*, ſicut poſt S. *Auguſtinum* aſſerit ibidem Angelicus Doctor, non vero tantum reprehenſus ſimulatorie, ſicut olim viſum eſt S. *Hieronymo*, qui ſuper hac re litterariam cum S. *Auguſtino* habnit concertationem; ſed poſtea argumentis illius Aquilini Doctoris victus, in ejus deſcendit ſententiam. Obſervantia itaque cæremoniarum Veteris Legis a tempore Paſſionis Chriſti uſque ad ſufficien-

Digitized by Google

tem Legis Evangelicæ promulgationem, licita fuit, ea tamen Lege, ut omnes firmiter crederent, ejuſmodi obſervantiam non eſſe neceſſariam ad ſalutem æternam adipiſcendam, & in his cæremoniis legalibus ſalutis ſpem non eſſe reponendam. *Advenientibus enim rebus, quarum erant umbra illæ obſervationes, id actum eſt, ut oſtenderetur in ipſis umbris non eſſe ſpem reponendam, ſed in ipſis rebus, quas illæ umbræ ſignificabant eſſe venturas, id eſt, Chriſtum & Eccleſiam. Et propterea, illa jam omnia inania erant. Nec tamen ea, tanquam noxia, removenda, ſed, tanquam ſuperflua, contemnenda Apoſtolus præcepit: ut ſi quis Judæus Chriſto credidiſſet, propter offenſionem ſuorum non prohiberetur in ipſis ſuperfluis remanere, nec tamen in eis ſalutem ſuam conſtitutam putaret. Non enim ſigna illa; ſed ea, quæ his ſignificantur, in ſalutem introducunt*. Verba ſunt S. *Auguſtini* cap. 4. lib. 14. contra *Fauſtum*, Manichæum.

D. Præcepta judicialia, ſeu forenſia, Veteris Legis, fueruntne in morte Chriſti abrogata perinde ac præcepta cæremonialia ejuſdem Legis, ita ut peccarent nunc mortaliter Principes, qui juberent, ut ejuſmodi præcepta judicialia in ſuis Ditionibus obſervarentur?

M. Fuerunt quidem præcepta judicialia, ſeu forenſia Veteris Legis in morte Chriſti abrogata, ſicut præcepta cæremonialia ejuſdem Legis, cum hoc tamen diſcrimine, quod præcepta cæremonialia Veteris Legis, non ſolum in Paſſione Chriſti Domini mortua fuerint, ſeu vim obligandi non amplius habuerint, verum etiam poſt Legis Evangelicæ promulgationem mortifera evaſerint, ac lethaliter peccarent nunc qui ea obſervare vellent. At, præcepta judicialia Veteris Legis ſunt quidem nunc mortua, ideſt, non habent vim obligandi, ſed non ſunt mortifera, „ quia (inquit „ *S. Thomas* 1. 2. Quæſt. 105. art. 3.) „ ſi quis Princeps ordinaret in Regno „ ſuo, illa præcepta judicialia obſer„ vari, non peccaret niſi forte hoc „ modo obſervarentur, vel obſervari „ mandarentur, tanquam habentia vim „ obligandi ex Veteris Legis inſtitutio„ ne, talis enim intentio obſervandi eſ„ ſet mortifera. Rationem hujus diſcri„ minis perdocte S. *Thomas* ibidem aſ„ ſignat, quia, inquit, præcepta cære„ monialia principaliter in Veteri Le„ ge inſtituta ſunt ad figurandum Chri„ ſti myſteria, ut futura; & ideo ipſa „ eorum obſervatio præjudicat Fidei ve„ ritati, ſecundum quam confitemur il„ la myſteria jam eſſe completa. Præ„ cepta autem judicialia non ſunt inſti„ tuta ad figurandum, ſed ad diſponen„ dum ſtatum illius populi (ſeu Judai„ ci) qui ordinabatur ad Chriſtum: & „ ideo, mutato ſtatu illius populi, Chri„ ſto jam veniente, præcepta illa judicia„ lia vim obligandi amiſerunt. Lex enim „ fuit pædagogus ducens ad Chriſtum, „ ſicut ait Apoſtolus cap. 3. Epiſt. ad „ Galatas. Quia tamen hujuſmodi præ„ cepta judicialia non ordinantur ad fi„ gurandum, ſed ad aliquid fiendum, „ ipſa eorum obſervatio abſolute non „ præjudicat Fidei veritati, ſed intentio „ obſervandi tanquam ex obligatione „ Legis præjudicat veritati Fidei, quia „ per hoc haberetur, quod ſtatus prio„ ris populi (ſeu Judaici) adhuc dura„ ret, & quod Chriſtus nondum ve„ niſſet.

D. Hactenus de Lege Moſaica tam ſecundum ſe ſpectata, quam ſecundum ea, quæ complectitur videlicet præcepta moralia, cæremonialia, & judicialia; Sacra, Sacrificia, Sacramenta, Ritus, Feſta, & alia id genus, copioſe ſatis diſſeruimus. Nunc, ſi placet, veniam ad quædam Facta hiſtorica, quorum accurata notitia haud parum lucis afferre poterit ſacræ Hiſtoriæ, quam in Pentateucho deſcripſit *Moyſes*. In primis, memini, te in ſuperiori noſtro Colloquio probaſſe contra *Joannem Spencerum*, Tabernaculum, quod Deus, ad ſpecialem ſui cultum, *Moyſi* extruendum juſſit, factum non eſſe ad formam Tabernaculi Idoli *Moloch*. Sed quinamus eſſet iſte *Moloch*, & quem cultum ei exhiberent Gentes, Idololatriæ tenebris immerſæ? rogo te, ut in præſentia breviter exponas.

M. Sæpius in noſtris Colloquiis de cultu, qui Deo debetur, diſſerendo, monui

te,

Digitized by Google

te, ſummam ab exordio Mundi, tam apud Patriarchas ante Diluvium, quam apud Patriarchas poſt Diluvium fuiſſe Sacrificiorum dignitatem atque auctoritatem; eo præſertim nomine, quod a Deo eorum uſus eſſet præceptus, non tantum ut homines inde teſtarentur, ſe Cœli ac Terræ conditorem pro vero Deo agnoſcere, eumque colere; ſed ut eſſet etiam publica profeſſio grati affectus Deo debiti pro beneficiis acceptis, atque denique, ut eſſent typi Sacrificii Chriſti, cujus merito & efficacia vere & reapſe expianda erant peccata noſtra, ſedanda ira Dei, ſubindeque impetranda peccatorum remiſſio. At, quemadmodum nihil tam ſanctum eſt, tamque religioſum, quod ad nefandos, & prophanos uſus interdum a male feriatis hominibus non trahatur; ita idem in cultu & in Sacrificiis etiam obtigiſſe narrat Hiſtoria ſacra. Atque ut ceteros taceam abuſus, ſufficiet nunc ex multis unum adduxiſſe Sacrificium, quod Populi Ammonitæ, & quidam Iſraelitæ, in Idololatriam prolapſi, Idolo *Moloch* offerebant, liberos ſuos ſcythica pluſquam crudelitate comburendo. Porro, quis fuerit iſte *Moloch?* non convenit inter Scriptores. Alii putant fuiſſe *Mercurium*, alii *Priapum*, alii *Jovem*, alii *Saturnum*. De forma etiam Idoli *Moloch* non conſentiunt itidem Auctores. *Joannes Lorinus* putat, Idolum *Moloch* fuiſſe hominis inſtar extenſis manibus cupreum & concavum, in cujus concavitate accendebatur ignis, quoſque eſſet quaſi ignitum. Alii Idolum *Moloch* fuiſſe æneum exiſtimant, capite vitulino, reliquo corpore hominis forma, Regiis inſignibus, ac regio throno inſidens, manus protendens, quibus pueros ſibi oblatos exciperet, pyra intus accenſa. Hoc autem nefandum Idolum colebant Ammonitæ, offerendo illi in Sacrificium pueros ſuos, eoſque cremando. Sed, ne, inter immolandum, puerorum, qui comburebantur, ejulatus commoverent parentum viſcera, atque ut oblatio dæmoni gratior eſſet, impii Sacerdotes, aliique hujus Idoli Miniſtri, quamdiu Sacrificium durabat, rauco tubarum clangore, & indefeſſo tympanorum ſtrepitu undique aera replebant. Denique, poſt abſolutum abominabile ſacrificium, cultores hujus Idoli ſub arborum opacitate ſcortabantur. *Molochi* ſiquidem Templum luco cingebatur. Hoc execrandum Sacrificium, quod Idolo *Moloch* offerebant gentes, totumque illum infamem cultum populo Iſraelitico diſtricte inhibuit Deus c. 18. v. 21. libri Levitici, dicens: *De ſemine tuo non dabis, ut conſecretur Idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui*. Et cap. 20. v. 2. ejuſdem libri: *Hoc loquere filiis Iſrael, & de advenis, qui habitant in Iſrael, ſi quis dederit de ſemine ſuo Idolo Moloch, morte moriatur, populus terræ lapidabit eum*. Quam turpia, omniumque execratione digna eſſent ejuſmodi Sacrificia, quibus Gentes Diis ſuis humanas hoſtias immolabant, eleganter *Lactantius* cap. 22. lib. 1. *Divin. Inſtitut.* deſcribit his verbis: *Nam de infantibus, qui Saturno immolabantur propter odium, quid dicam, non invenio. Tam barbaros, tam immanes fuiſſe homines, ut parricidium ſuum, id eſt, tetrum atque execrabile humano generi facinus, ſacrificium vocarent: cum teneras atque innocentes animas, quæ maxima eſt ætas parentibus dulcior, ſine ullo reſpectu pietatis extinguerent, immanitatemque omnium beſtiarum, quæ tamen fœtus ſuos amant, feritate ſuperarent. O dementiam inſanabilem! Quid illis iſti Dii amplius facere poſſent, ſi eſſent iratiſſimi, quam faciunt propitii? Cum ſuos cultores parricidiis inquinant, orbitatibus mactant, humanis ſenſibus ſpoliant? Quid poteſt eſſe his hominibus ſancti? aut quid in prophanis locis facient, qui inter aras Deorum ſumma ſcelera committunt? Peſcennius Feſtus in libris Hiſtoriarum per Satyram refert, Chartagienſes Saturno humanas hoſtias ſolitos immolare, & cum victi eſſent ab Agathocle, Rege Siculorum, iratum ſibi Deum putaviſſe; itaque, ut diligentius piaculum ſolverent, ducentos nobilium filios immolaſſe.*

D. Ex hoc turpiſſimo, & omni dedecore infami cultu, quem Idolo *Moloch* olim Gentes exhibebant, facile intelligo, quam inſulſe *Joannes Spencerus* dixerit, Deum, ut in Populo Hebræo cultum ſib ſpeciatim conſecratum ſtabili-

Digitized by Google

bilires, atque propagaret, juſſiſſe *Moyſi*, ut Tabernaculum fabricaret, juxta formam Tabernaculi *Moloch*. Quid autem ſtultius dici aut excogitari poſſit, certe non video. *Quæ enim* [ut ait Apoſtolus *Paulus*. Epiſt. 2. ad Corinthios cap. 6. v. 14. & ſeq.] *participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Dei ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli? Qui autem conſenſus Templo Dei cum Idolis?* Faceſſat itaque *Spencerus*, qui vana commenta, & a ſæculis inaudita paradoxa in libris, quos edidit *De Ritualibus Judæorum Legibus*, effutire non erubuit. Hunc temerarium Scriptorem odi & execror. Sed ecce aliud tibi proponendum occurrit Dubium circa fabricam Tabernaculi, in quo Deus a Populo Hebræo coli voluit. Legeram quippe paucis abhinc diebus in lib. Exod. cap. 38. v. 8. *Moyſem* feciſſe *labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio Tabernaculi*, cumque non ſatis intelligerem, ut quid iſtæ mulieres excubarent in oſtio Tabernaculi, & quo officio ibi fungerentur? Conſului eximium quemdam Doctorem, qui hunc mihi exemit ſcrupulum, dicens, illas mulieres, quas Scriptura dicit excubaſſe in oſtio Tabernaculi, fuiſſe Deo dicatas, virginitatis voto obſtrictas, & in Cellis, juxta Tabernaculum extructis, habitantes, ut in eodem Tabernaculo miniſtrarent. Utrum autem placeat tibi hæc Doctoris iſtius explanatio, velim ut libere dicas.

M. Quominus hanc Doctoris iſtius explicationem meo approbem calculo, duo præſertim obſtant momenta, quæ breviter attingam. Et primo quidem, hæc Doctoris iſtius explicatio ſupponit in Veteri Lege fuiſſe fœminas, quæ, voto virginitatis nuncupato, erant Deo ſpecialiter conſecratæ, quod tamen adverſatur doctrinæ ſanctorum Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum, præſertim *Origenis* in caput 13. *Matthæi*, *S. Ambroſii* lib. de *Inſtitut. Virginis cap.* 5. *S. Hieronymi* Epiſt. 22. veteris Editionis, quæ eſt ad *Euſtochium* capit. 7. S. *Auguſtini* Tractatu 10. in Joannem, & S. *Bernardi* Homil. 3. ſuper *Miſſus eſt*. Hi, inquam, ſancti Patres primitias virginitatis adſcribunt *Mariæ*, Matri Chriſti Domini. Non quod putent ſancti illi Doctores, nullas fuiſſe in Veteri Teſtamento fœminas, quæ ante *Mariam*, Deiparam, virginitatem coluerint, cum potius certum ſit, plures in Veteri Teſtamento extitiſſe fœminas, quæ, ſtudio temperantiæ, virginitatem ſervaverint; ſed quod velint ſancti illi Patres, nullum hominem, nullamve fœminam in Veteri Teſtamento ante *Mariam*, Genetricem Dei, virginitatem, voti Deo nuncupati Religione, coluiſſe, hancque prærogativam ſoli *Mariæ* Virgini eximiam fuiſſe. Qua de re legeſis Eminentiſſimum noſtrum Cardinalem *Raymundum Capiſuchi*, qui in ſuis Controverſiis, Romæ typis excuſis, perdocte in Controverſia decima, parag. 2. probat ex *S. Thoma*, & ex communi Theologorum ſententia, neminem in Veteri Lege ſeu Moſaica, virginitatem ſervandi voto fuiſſe obſtrictum, & in Nova dumtaxat, ſeu Evangelica Lege, nuncupationem voti Deo factam de ſervanda virginitate originem habuiſſe. Adduci itaque haud poſſum ut credam, mulieres illas, quas Scriptura Sacra ait, in oſtio Tabernaculi excubaſſe, fuiſſe Deo, per religionem voti de perpetuo ſervanda virginitate conſecratas ac dedicatas. Præterea, Doctor ille, quem conſuluiſti, ſupponit, mulieres illas, quas Scriptura dicit, in oſtio Tabernaculi excubaſſe, continuam illic fixiſſe ſedem, perpetuam manſionem habuiſſe, atque tanquam cuſtodes continuas illic excubias ac vigilias egiſſe. Id autem negant perdocti Catholici Scriptores, aſſerentes mulieres illas non perpetuo manſiſſe in oſtio Tabernaculi, ſed illuc dumtaxat ad orandum acceſſiſſe, & in fundenda oratione attentas ac vigiles fuiſſe, non ſecus ac de *Anna*, Prophetiſſa, filia *Phanuelis*, dicitur apud S. *Lucam* cap. 2. v. 37. *Non diſcedebat de Templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens die ac nocte*, quia *Anna* Templum frequentabat, & in eo precibus & orationibus vacans, perdurabat, non quod in Templo habitaret. Ita interpretantur *Toletus*, *Maldonatus*, & *Cornelius a Lapide*. Sic non diſpari ratione

ne Scriptura Sacra ait, mulieres in oſtio Tabernaculi excubaſſe, quod quotidianam illarum mulierum in Tabernaculo frequentando aſſiduitatem commendare velit, non quod iſtæ mulieres continuam in oſtio Tabernaculi manſionem facerent. Huic interpretationi favet Chaldaica Paraphraſis in hnnc locum jam citatum libri Exodi: *Fecit*, inquit, *labrum ex ære, & baſim ejus ex ære de ſpeculis mulierum, quæ veniebant ut orarent in oſtio Tabernaculi fœderis*. Doctiſſimus etiam Scripturæ Sacræ Interpres *Jacobus Bonfrerius* idem obſervat in caput 38. libri Exodi: *Nota*, inqnit, *mulieres excubantes ad oſtium Tabernaculi, dici mulieres devotas, quæ frequenter veniebant ad Tabernaculum, Deum adoratura, & exoratura*.

D. Deum, poſt erectionem Tabernaculi, ad promovendum cultum, quem in eo peragendum inſtituerat, juſſiſſe *Moyſi*, ut *Aaronem*, in Summum Pontificem conſecraret, ejuſque filios in Sacerdotes ordinaret, jam probe ſcio, ſed quænam eſſent veſtes Summo Sacerdoti ſeu Pontifici propriæ, quænam vero veſtes Sacerdotibus omnibus communes, ſcire vehementer deſidero.

M. Ornatum veſtium in Summo Pontifice apud Hebręos, & in Sacerdotibus, eorumque ſpecialem conſecrationem ideo præcepit Deus, ut majorem populi reverentiam cultus ſui Miniſtris conciliaret, ſicut optime obſervat *S. Thomas* 1. 2. Quæſt. CII. Art. V. Octo autem ornamenta habebat Summus Pontifex, quæ ibidem Angelicus Doctor iſto ordine percenſet. *Primo enim*, inquit, *habebat veſtem lineam*, quam Byſſinam *Joſephus* Hebræus appellat. *Secundo, habebat tunicam hyacinthinam, in cujus extremitate verſus pedes ponebantur per circuitum tintinnabula quædam, & mala punica, facta ex hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto. Tertio, habebat ſuperhumerale*, Hebręis *Ephod* dictum, *quod tegebat humeros, & ad interiorem partem uſque ad cingulum, quod erat ex auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta; & ſuper humeros habebat duos onychinos, in quibus erant ſculpta nomina filiorum Iſrael. Quartum erat Rationale, ex eadem materia factum, quod erat quadratum, & ponebatur in pectore, & conjungebatur ſuperhumerali. Et in hoc Rationali erant duodecim lapides pretioſi, diſtincti per quatuor ordines, in quibus etiam ſculpta erant nomina filiorum Iſrael, quaſi ad deſignandum, quod ferret onus totius populi per hoc, quod habebat nomina eorum in humeris, & quod jugiter debebat de eorum ſalute cogitare per hoc, quod portabat eos in pectore, quaſi in corde habens. In quo etiam Rationali mandavit Dominus poni* DOCTRINAM, & VERITATEM (juxta Editionem Vulgatam) ſeu URIM & THUMMIM (ſicut habet Textus Hębreus) *quia quædam pertinentia ad veritatem juſtitiæ, & doctrinæ ſcribebantur in illo Rationali. Judæi tamen fabulantur, quod in Rationali erat lapis, qui ſecundum diverſos colores mutabatur, ſecundum diverſa, quæ debebant accidere filiis Iſrael, & hoc vocant* VERITATEM, & DOCTRINAM, Hebraice, URIM, & THUMMIM. *Quintum erat Baltheus, ideſt, cingulus quidam, factus ex prædictis quatuor coloribus. Sextum erat Thiara, ideſt, Mitra quædam de biſſo. Septimum autem erat lamina aurea pendens in fronte ejus, in qua erat ſcriptum nomen Domini. Octavum autem, erant femoralia linea, ut operirent carnem turpitudinis ſuæ, quando accederent ad Sanctuarium, vel ad Altare.* Hę erant veſtes, quibus ornabatur Summus Sacerdos, ſeu Pontifex, ex quibus, ut ibidem advertit Doctor Angelicus, minores Sacerdotes habebant quatuor, ſcilicet tunicam lineam, femoralia, baltheum, & thiaram. Honori Sacerdotum conſuluit itidem Deus pręcipiendo primo, ut non ſparſim ex quolibet genere ad Dei miniſterium applicarentur, ſed ex certa proſapia, ſeu Tribu Levitica, ſecundum generis ſucceſſionem eſſent oriundi, ut ex hoc clariores & nobiliores haberentur. Secundo, jubendo ad removendum contemptum Miniſtrorum, ut non haberent maculam, vel defectum corporalem, quia hujuſmodi homines his vitiis contaminati, ſolent apud homines in contemptu haberi. *Maculæ autem, vel defectus corporales, a quibus Sacerdotes debebant eſſe immunes, ſignificant diverſa vitia & peccata, quibus debent carere*

rere

Digitized by Google

vere, inquit *S. Thomas* 1. 2. Quæſt. CII. Art. V. in Reſp. ad quartam ſibi propoſitam objectionem. Prohibetur enim cap. 21. v. 16. & ſeq. lib. Levitici, ne ad Sacerdotium promoveatur cæcus, id eſt, ut in ſenſu figurato explicat ſanctus ille Doctor, *ne ſit ignorans: ne ſit claudus, ideſt inſtabilis, & ad diverſa ſe inclinans: ne ſit parvo, vel grandi, vel torto naſo, ideſt, ne per defectum diſcretionis, vel in plus, vel in minus excedat, aut etiam aliqua prava exerceat. Per naſum enim diſcretio deſignatur, quia eſt diſcretivus odoris. Ne ſit tracto pede, vel manu, ne amittat virtutem bene operandi, vel procedendi in virtute. Repudiabatur etiam, ſi habebat gibbum vel ante, vel retro, per quem ſignificatur ſuperfluus amor terrenorum. Si eſt lippus, ideſt, ſi per carnalem affectum ejus ingenium obſcuratur, contingit enim lippitudo ex fluxu humoris. Repudiabatur etiam, ſi habebat jugem ſcabiem, ideſt, petulantiam carnis; & ſi habuerit impetiginem, quæ ſine dolore corpus occupat, & membrorum decorem fœdat, per quam avaritia deſignatur. Et etiam ſi ſit hernioſus, vel ponderoſus, qui ſcilicet geſtat pondus turpitudinis in corde, licet non exerceat in opere.* Hæ ſunt maculæ, & defectus corporales, a quibus Sacerdotes Veteris Legis immunes eſſe debebant, & quibus ſignificabantur vitia & peccata, a quibus pariter eos omnino alienos eſſe oportebat. Jam vero, quid veſtes, & ornamenta ſacerdotalia myſtice ſignificarent, pulchre in eodem loco explicat S. *Thomas*: „ Per „ ornamenta, inquit, deſignantur virtu- „ tes Miniſtrorum Dei. Sunt autem qua- „ tuor, quæ ſunt neceſſariæ omnibus mi- „ niſtris, ſcilicet caſtitas, quæ ſignifica- „ tur per femoralia. Puritas vero vitæ, „ quæ ſignificatur per lineam tunicam, „ Moderatio diſcretionis, quæ ſignifica- „ tur per cingulum. Et rectitudo inten- „ tionis, quæ ſignificatur per tiaram „ protegentem caput. Sed præ his Sa- „ cerdotes debent quatuor habere. Pri- „ mo quidem, jugem Dei memoriam „ in contemplatione, & hoc ſignifi- „ cat lamina aurea, habens nomen „ Dei in fronte. Secundo, quod ſup- „ portent infirmitates populi, quod ſi- „ gnificat ſuperhumerale. Tertio, quod „ habeant populum in cotde & viſceri- „ bus per ſolicitudinem charitatis, quod „ ſignificatur per Rationale. Quarto, „ quod habeant cœleſtem converſatio- „ nem per opera perfectionis, quod ſi- „ gnificatur per tunicam hyacinthinam: „ unde tunicæ hyacinthinæ adjunguntur „ in extremitate tintinnabula aurea, „ per quæ ſignificatur doctrina divino- „ rum, quæ debet conjungi cœleſti con- „ verſationi Pontificis. Adjunguntur „ etiam mala punica, per quæ ſignifica- „ tur unitas fidei, & concordia in bo- „ nis moribus, quia ſic conjuncta debet „ eſſet ejus doctrina, ut per eam fidei & „ pacis unitas non rumpatur. Hactenus „ *S. Thomas*, qui veſtes Sacerdotales accurate recenſet, earumque myſticam ſignificationem ita dilucide exponit, ut aliquid ejus verbis addidiſſe, decerpſiſſe ſit.

D. Expone, quæſo, uberius, cur Deus voluerit, ut Summus Sacerdos, ſeu Pontifex, apud Hebræos, geſtaret in pectore ſuo id genus indumenti, quod *Rationale* appellabatur, & in quo Deus juſſit, ut hæc duo verba inſcriberentur, *Doctrina, & Veritas.*

M. Multis de cauſis voluit Deus, ut Summus Sacerdos, ſeu Pontifex, geſtaret in pectore ſuo id genus indumenti, quod Rationale dicebatur, & in quo hæc duo verba erant inſcripta, *Doctrina & Veritas*, ſeu Hebraice *Urim & Thummim*. Primo, quia Deus per *Urim & Thummim*, ſeu per has duas voces, *Doctrinam* & *veritatem*, inſcriptas *Rationali*, quo indutus erat Summus Sacerdos, perſonis publicis, de Eccleſiæ, vel Regni gravioribus negotiis, ipſum, velut Deum, ac Regem Iſraelis, conſulentibus, ac interrogantibus, Majeſtatis ſuæ Placita declarabat, Oracula ſua fundebat, & de futuris eventis, publicum bonum ſpectantibus, per Summum Sacerdotem certiores faciebat. Non quod iſtæ duæ voces *Urim* & *Thummim*, ſeu *Doctrina*, & *Veritas*, quæ erant *Rationali* inſcriptę, eſſent divinum Oraculum, ſed indices Oraculi: non inſtrumentum, ſed cauſa duntaxat moralis, & conditio ſine qua non fiebat hoc genus divinæ revelationis. Secundo, Deus per *Urim* & *Thummim* ſua

ſua fundendo Oracula, voluit cultui ſuo magis adſtringere Iſraelitas, qui ad Oracula, Arioloſque Gentium, in vicinia habitantium, futura cognoſcendi libidine excitati confugiſſent, ſubindeque ad eorum Ritus & Idola defeciſſent, ſi ſua eis defuiſſent Oracula. Denique Deus hoc pacto voluit Summo Sacerdoti conciliare reverentiam, qui Oraculorum divinorum Nuncius eſſet, ac Interpres. Soli quippe Summo Sacerdoti, ſeu Pontifici, *Urim* & *Thummim*, Rationali indita, circumferre licebat, ſicut ex multis Hebræorum Magiſtris probat *Buxtorfius* in *Hiſtoria Urim*, & *Thummim*. Ferenda porro non eſt temeritas *Joannis Spenceri*, qui auſus eſt aſſerere, *Urim* nihil aliud fuiſſe, quam ſimulacrum parvulum ad humanam ſimilitudinem formatum, nec multum diſcrepans ab illis ſimulacris fatidicis, quæ olim Gentes *Theraphim* appellabant. Hinc concludit audaciſſimus ille Scriptor, quod ſicut mos iſte ſimulacra illa fatidica, *Teraphim* dicta, in dubiis conſulendi, longe lateque per Gentes invaluiſſet, Deum, hunc veterem Ritum a *Theraphim* petendi Oracula, in Pectorali *Urim* pene invariatum, Iſraelitis ex indulgentia conceſſiſſe, ne in Gentium ſemitas, moris illarum antiqui effræni deſiderio præcipites agerentur. *Urim* igitur (juxta illum temerarium Scriptorem lib. 3. *De Legibus Ritualibus Hebræorum*, cap. 3. Diſſertatione 7.) nihil aliud erat, quam parvum ſimulacrum ejuſdem cum Gentium *Theraphim* muneris, & pene ejuſdem figuræ, quod reconditum geſtabat Summus Sacerdos intra concavas *Rationalis* plicaturas, quoque mediante, Deus, aut Angelus, vocem Dei & nomen gerens ad Summi Sacerdotis Interrogata reſpondebat, eique quid agendum, quid non agendum, quod præſens, quidve futurum eſſet, voce formata revelabat. At, hic in confutanda iſta *Joannis Spenceri* nova opinione, futilibuſque nixa conjecturis, diutius non immorabor, cum jam a viris eruditis, & Scripturæ Sacræ Interpretibus fuerit jure optimo rejecta atque exploſa. Obiter duntaxat dicam tantum abeſſe, ut Deus in ſuo cultu approbaverit ſimulacra illa fatidica, dicta *Theraphim*, quæ in dubiis conſulebant olim Gentes, quæque arte diabolica eis Reſponſa, ſeu falſa Oracula, dabant; ut potius ejuſmodi fatidica Gentium ſimulacra, dicta *Teraphim*, diſtricte prohibuerint, utpote quæ eſſent mera Idololatriæ diabolicæ & ſuperſtitioſæ divinationis inſtrumenta, ſeu imagines quædam, factæ ad cognoſcendum ex iis, per artem magicam, & invocationem Diaboli, ea, quæ erant futura. Quomodo igitur credibile eſt, Deum, cujus conſilium ſemper fuit Iſraelitas ab Idololatria & ſuperſtitionibus longe avocare, ita ſimulacra fatidica Gentium, dicta *Theraphim*, adoptare voluiſſe in ſacratiorem & auguſtiorem ſui cultus partem? Iſraelitæ ſiquidem, ad Idololatriam & ad quodvis aliud ſuperſtitionis genus maxime proclives, ad *Theraphim* Gentium prophanarum conſulenda, occaſione data, facile admodum defeciſſent, præſertim, ſicut pertendit *Spencerus*, ſi tanta inter illa Gentium *Teraphim* & ſacrum *Urim* extitiſſet affinitas, & inſuper, ſacrum *Urim* eſſet perinde ac Gentium *Theraphim* ejuſdem muneris ac figuræ, ſub diverſi nominis larva ſimulacrum. Sed mittamus, ſi placet, iſtas delirantis animi præſtigias.

D. De veſtibus Summi Sacerdotis, ſeu Pontificis, aliorumque inferiorum Sacerdotum Veteris Legis plura ſcire non deſidero, ſed optarem duntaxat, ut hic breviter exponeres Ritum, qui in illorum conſecratione ſolebat obſervari.

M. Cum nullus, mea quidem ſententia, majori claritate cum brevitate conjuncta, expoſuerit Ritum, quo olim Summus Sacerdos, atque inferiores Veteris Legis Sacerdotes conſecrabantur, quam *S. Thomas*, verba illius, quæ leguntur 1. 2. Quæſt. CII. Art. V. in Reſponſione ad octavam & nonam objectiones ſibi propoſitas, hic exſcribere non pigebit. „ Id totum (inquit Angelicus ille Doctor) quod „ circa eos, *ſeu Sacerdotes*, fiebat in „ eorum conſecratione, vel inſtitutione, ad hoc pertinebat, ut oſtenderetur, eos habere quamdam prærogativam puritatis, veritatis, & „ digni-

„ dignitatis. Et ideo in inſtitutione Mi-
„ niſtrorum tria fiebant. Primo enim
„ purificabantur. Secundo, ordinaban-
„ tur. Tertio, applicabantur ad uſum
„ miniſterii. Purificabantur quidem com-
„ muniter omnes per ablutionem aquæ,
„ & per quædam Sacrificia, ſpecialiter
„ autem Levitæ radebant omnes pilos
„ carnis ſuæ, ut habetur Levitici cap.
„ 8. Conſecratio vero circa Pontifices &
„ Sacerdotes hoc ordine fiebat. Primo
„ enim, poſtquam abluti erant, indue-
„ bantur quibuſdam veſtimentis ſpecia-
„ libus, pertinentibus ad deſignandam
„ dignitatem ipſorum. Specialiter au-
„ tem Pontifex oleo unctionis in capi-
„ te ungebatur, ut deſignaretur, quod
„ ab ipſo diffundebatur poteſtas conſe-
„ crandi ad alios, ſicut oleum a capite
„ derivatur ad inferiora, ut habetur in
„ Pſalmo 132. Sicut unguentum in ca-
„ pite, quod deſcendit in barbam,
„ barbam Aaron. Levitæ vero non ha-
„ bebant aliam conſecrationem, niſi
„ quod offerebantur Domino a filiis I-
„ ſrael per manus Pontificis, qui ora-
„ bat pro eis. Minorum vero Sacerdo-
„ tum ſolæ manus conſecrabantur, quæ
„ erant applicandæ ad Sacrificia. Et
„ de ſanguine animalis immolatitii tin-
„ gebantur extremum auriculæ dextræ
„ ipſorum, & pollices pedis, aut ma-
„ nus dextræ, ut ſcilicet eſſent obedien-
„ tes Legi Dei in oblatione Sacrificio-
„ rum, quod ſignificabatur in intinctio-
„ ne auris dextræ, & quod eſſent ſolli-
„ citi & prompti in executione Sacri-
„ ficiorum, quod ſignificabatur in intin-
„ ctione pedis, & manus dextræ. A-
„ ſpergebantur etiam ipſi, & veſtimen-
„ ta eorum ſanguine animalis immo-
„ lati in memoriam ſanguinis Agni,
„ per quem fuerunt liberati in Ægy-
„ pto. Offerebantur autem in eorum
„ conſecratione hujuſmodi Sacrificia.
„ Vitulus pro peccato, in memoriam
„ remiſſionis peccati Aaron circa con-
„ flationem Vituli. Aries in holocau-
„ ſtum, in memoriam oblationis Abra-
„ hæ, cujus obedientiam Pontifex imi-
„ tari debebat; Aries etiam conſecra-
„ tionis, qui erat quaſi hoſtia pacifica,
„ in memoriam liberationis de Ægy-
„ pto per ſanguinem Agni. Caniſtrum
„ autem panum, in memoriam mannæ
„ præſtiti populo. Pertinebat autem ad
„ applicationem miniſterii, quod impo-
„ nebantur ſuper manus eorum adeps
„ arietis, & torta panis unius, & ar-
„ musdexter, ut oſtenderetur, quod ac-
„ cipiebant poteſtatem hujuſmodi offeren-
„ di Domino. Levitæ vero applicabantur
„ ad miniſterium per hoc, quod intro-
„ mittebantur in Tabernaculum fœde-
„ ris, quaſi ad miniſtrandum circa vaſa
„ Sanctuarii. Figuralis vero horum ra-
„ tio erat, quia illi, qui ſunt conſe-
„ crandi ad ſpirituale miniſterium Chri-
„ ſti, debent primo purificari per aquam
„ Baptiſmi, & lacrymarum in fide
„ Paſſionis Chriſti, quod eſt expiativum
„ & purgativum Sacrificium. Et debent
„ radere omnes pilos carnis, id eſt,
„ omnes pravas cogitationes, debent
„ etiam ornari virtutibus, & conſecrari
„ oleo Spiritus Sancti, & aſperſione San-
„ guinis Chriſti, & ſic debent eſſe in-
„ tenti ad exequenda ſpiritualia miniſte-
„ ria. Hactenus *S. Thomas*, quo nullus
inter Theologos doctius & accuratius de
Veteri Lege ſcripſit.

D. In conſecratione Sacerdotum fuiſ-
ſe in Sacrificium Deo oblatum *Vitulum
pro peccato in memoriam remiſſionis pec-
cati Aaron, circa conflationem Vituli*,
docet S. *Thomas*, loco mox a te lau-
dato. Sed nunc a te ſcire velim, cur
peccaverit *Aaron*, dum obſecutus Populi
Iſraelitici deſideriis, Vitulum aureum
conflavit, & publice colendum propo-
ſuit? Eccur vero non peccaverit *Moy-
ſes*, qui, ad medendum morſibus Ser-
pentum ignitorum, palam erexit Ser-
pentem æneum, quem, dum Iſraelitæ,
horum Serpentum morſibus percuſſi, ad-
ſpiciebant, ſanabantur?

M. Ideo peccavit *Aaron*, quia ad
Ægyptiacæ ſuperſtitionis imitationem
Vitulum aureum conflavit, Judæoſ-
que ad hoc Idolum Ægyptiaco Ritu
colendum induxit. Certum namque
eſt primo, Brutorum, & quidem Bo-
um, cultum apud Ægyptios antiquiſ-
ſimum eſſe, & ante egreſſionem Iſrae-
litarum ex Ægypto invaluiſſe. Præ-
terea, certum etiam eſt, Judæos ple-
roſ-

roſque tempore ſervitutis Ægyptiacæ, ſuperſtitionem Ægyptiorum imbibiſſe, & eorum Diis ſerviiſſe, ſubindeque illos tumultuantes in Deſerto poſtulaſſe ab *Aarone*, ut ad Ægyptiacæ ſuperſtitionis imitationem conflaret Vitulum aureum, quem ipſi Ægyptiaco Ritu colere poſſent. Hoc fuiſſe Judæorum propoſitum, luculenter teſtatur S. *Stephanus* Act. Apoſt. cap. 8. v. 39. & ſeq. dicens de Judæis. *Averſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptum, dicentes ad Aaron: Fac nobis Deos, qui præcedant nos.... Et Vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtiam ſimulacro, & lætabantur in operibus manuum ſuarum*. Hujus etiam Vituli aurei, ab *Aarone* conflati, cultum ex ſuperſtitione Ægyptiaca arceſſunt *Philo*, Judæus, lib. 3. *de Vita Moyſis*, & *Lactantius* lib. 4. *Inſtitut. Divin.* cap. 18. *Ad prophanos*, inquit, *Ægyptiorum Ritus animos tranſtulerunt* (Judæi) *cum enim Moyſes, Dux eorum, aſcendiſſet in montem, atque ibi quadraginta diebus moraretur, aureum caput Bovis, quem vocant Apim, quod eos ſigno præcederet, figurarunt*. Idem conſtanter docent omnes ſancti Patres, cum Græci, tum Latini, & Scripturæ Sacræ interpretes. Quo fit, ut *Aaron* nullo pacto excuſari poſſit. Sciebat enim *Aaron* Deum, Exodi c. 20. v. 4. & ſeq. omne ſculptile, omne Idolum, omnemque ſimilitudinem creaturarum ad cultum fieri vetuiſſe. Et tamen inſanienti Populo Iſraelitico, quem ab Idololatria totis viribus avertere, etiam cum vitæ ſuæ periculo & diſpendio, tenebatur, non ſolum non reſtitit, ſed per ſummam ignaviam morem geſſit, cum Deos, qui ipſum præcederent, poſtulanti, ex inauribus mulierum aureis fecit Vitulum conflatilem. Duo autem mala in hujus Vituli aurei fuſione fecit *Aaron*. Primo, ut Iſraelitæ, ad Idololatriam proclives, nefandum ſcelus, quod animo tantum conceperant, re ipſa perpetrarent, ſeque Idololatriæ ſordibus conſpurcarent. Secundo, ut quod privato errore facturi videbantur Iſraelitæ, publica auctoritate exequeretur. Hinc *Moyſes* Exodi cap. 32. v. 21. & ſeq. increpuit fratrem ſuum *Aaronem*, dixitque ei: *Quid tibi fecit hic Populus, ut induceres ſuper eum peccatum maximum?* Nec ſolum *Moyſes* fratrem ſuum *Aaronem* incuſavit, ſed etiam ei Deus vehementer iratus eſt, ob conflatum Vitulum aureum, eumque Dominus perdidiſſet, ni ſupplex *Moyſes* pro illo rogaſſet, & veniam ei a Deo impetraſſet, ut teſtatur ipſemet ſanctus Legiſlator Deuteronomii cap. 9. v. 20. *Adverſus Aaron quoque vehementer iratus* (Deus) *voluit eum conterere, & pro illo ſimiliter deprecatus ſum*. Hoc peſſimum Aaronis exemplum, ut obiter dicam, imitantur illi Sacerdotes, qui Dei cauſam produnt, ejuſque honorem & gloriam quieti ſuæ, fortunæ, aut vitæ poſtponunt, effrænatis hominum cupiditatibus laxam docendo moralem doctrinam, turpiter obſequuntur, ab occaſionibus peccati illos non abſtrahunt, malas conſuetudines & ſcandala, tanquam canes muti non valentes latrare, patiuntur: pravis populi ſtudiis ignave conſentiunt; indulgent, favent, eaque vel exemplo ſuo, vel aſſentatione juvant, quemadmodum *Aaron*, qui ſummo Sacerdotio fungebatur, Iſraelitici Populi ſacrilegis deſideriis annuit, conflando Vitulum aureum, cui divinos honores exhiberet, aram erigendo, ſolemnitatem indicendo. Sed, inquis, ſi peccavit *Aaron* conflando Vitulum aureum, cur *Moyſem*, ejus frater, non peccavit, dum ſerpentem æneum erexit? Hujus diſcriminis *Moyſem* inter & *Aaronem* multiplex afferri poteſt ratio. Primo, quia *Moyſes*, jubente Deo, ſerpentem æneum erexit, & Iſraelitis propoſuit, ut hi, qui a ſerpentibus adurentibus icti fuerant, in eum adſpicientes ſanarentur: *Fac*, inquit Deus Moyſi, *ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno, qui percuſſus eſpexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur*. Secundo, quia Deus voluit, ut ſerpens ille æneus, a Moyſe erectus, ſignum eſſet, ſeu typus Jeſu Chriſti crucifixi, homines oculis fidei ipſum Cruci affixum aſpicientes, a lethiferis ſerpentis antiqui, ſeu Diaboli, morſibus ſanantis. Hinc Chriſtus Dominus, qui, ſicut ſuperius commonſtravimus, omnes Ve-

Digitized by Google

Veteris Legis figuras adimplevit, æneo ſerpenti, ad ſanandos ignitorum ſerpentum morſum propoſito a Moyſe in ſolitudine, ſe confert, cap. 3. v. 14. *Joannis*, dicens: *Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in Deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Denique, ſancti Patres, *Chryſoſtomus* Homilia 26. in *Joannem*, *S. Auguſtinus* lib. 1. *De Peccatorum Meritis & Remiſſione*, cap. 8. *S. Cyrillus Alexandrinus* lib. 1. Commentariorum in Evangelium, *Theodoretus* Quæſtione 38. in Numeros, & alii docent, ſerpentem æneum, quem *Moyſes* erexit in deſerto, fuiſſe a Deo inſtitutum tanquam ſignum & typum Jeſu Chriſti, ejuſque Paſſionis. Non itaque peccavit *Moyſes*, dum jubente Deo, ſerpentem æneum erexit, ut hi, qui ignitorum ſerpentum morſibus icti erant, eum aſpicientes, ſanarentur. Non me latet, *Joannem Marſhamum* in ſuo *Canone Chronico* auſum eſſe aſſerere, ſerpentem æneum, ad inſtar Ægyptiacarum præſtigiarum, a *Moyſe* fuſum ac formatum eſſe, & perticæ impoſitum in deſerto publice erectum, velut Amuletum quoddam, & Taliſmanum, ut hoc pacto, ſeu per incantationem quamdam, vel vim magicam, venenum extingueret, & morſus ſerpentum arte levaret. Verum, facile confutatur hic *Marſhami* error, primo, quia Deus, ut jam diximus, juſſit *Moyſi* ut ſerpentem æneum erigeret. Quis autem credat, Deum, qui incantationis magicæ, & præſtigiarum omne genus diſtricte prohibet & damnat, præcepiſſe *Moyſi*, ut ſerpentem æneum erigeret, perticæque impoſitum proponeret Iſraelitis, tanquam Amuletum, & Taliſmanum, quo illi, qui ſerpentum adurentium morſibus icti erant, ad aſpectum illius ſerpentis ænei per incantationem quamdam vel vim magicam ſanarentur? Præterea, fatentur omnes viri periti, figuras illas, a Chaldæis, Perſis & Ægyptiis celebratas, quæ arabice dicuntur *Taliſmanes*, id eſt, imagines, ſeu ſigna, aut ſigilla, quibus ære, vel quovis metallo inciſis, aut inſculptis, & aliquod aſtrum, aut conſtellationem, vel aves, vel ſerpentes, immo quorumdam Imperatorum imagines a natura pictas referentibus, miros quidem, ſed falſos & plane ridiculos effectus tribuunt, cujuſmodi ſunt *Morborum depulſio*, *immunitas a vulneribus* &c. Fatentur, inquam, omnes viri periti, ejuſmodi figuras inanes prorſus eſſe, omnique ſanandi morbos virtute carere. Quapropter, vis illa ſanandi, quam ſerpens æneus, a *Moyſe* erectus, habuit, ut legitur cap. 21. v. 9. lib. *Numerorum*, ſpeciali Dei beneficio ei indita fuit, non ſecus ac *muribus* & *anis aureis* Deus ſingularem vim conceſſit ſanandi plagas, quas Arca fœderis Philiſtæis intulerat, ſicut legitur lib. 1. Regum cap. 6. v. 5. Sed hæc, & ſimilia, quæ miraculoſa ſunt, in conſequentiam trahi non debent, nec occaſionem præbere quibuſdam, qui Amuletis, variiſque Taliſmanum ſpeciebus ineſſe virtutem morbos ſanandi ſibi falſo perſuadentes, ſuperſtitioſa credulitate deluduntur. His plura non addam, & præſenti Colloquio noſtro finem imponam egregio typo, quem *Aaron*, frater *Moyſis*, geſſit Chriſti Domini. At enim, quemadmodum *Aaron* fuit Veteris Legis Pontifex, ita Chriſtus Novæ Legis Pontifex eſt, ſicut lato ſermone oſtendit Apoſtolus *Paulus* in Epiſtola ad Hebræos. *Aaron* unctus eſt oleo ex baccis arborum expreſſo; Jeſus Chriſtus oleo lætitiæ. Dixit Dominus ad *Moyſem* cap. 7. v. 1. libri Exodi: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron, fratrer tuus, erit Propheta tuus*: De Chriſto Jeſu dixit *Moyſes* cap. 18. v. 15. lib. Deuteronomii: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies*. Semel in anno Sancta Sanctorum *Aaron* introibat ſolus, *non ſine ſanguine, quem offerebat pro ſua & populi ignorantia*, ſicut ait Apoſtolus *Paulus* cap. 9. v. 7. Epiſtolæ ad Hebræos: Chriſtus Jeſus *per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta, æterna redemptione inventa*, ut ait idem Apoſtolus cap. 9. v. 12. ejuſdem Epiſtolæ. De *Aarone* ſic Deus Exodi capit. 28. v. 38. alloquitur Moyſem: *Portabitque*

Aa-

Digitized by Google

Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt, & ſanctificaverunt filii Iſrael: De Chriſto Jeſu ſic *Iſaias* cap. 53. v. 4. & ſeq. prędixit: *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, & nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum a Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus*. Deum inter & homines ſequeſter fuit Aaron: *Unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus*, ſicut ait Apoſtolus 1. ad Timoth. c. 2. v. 5. Deum *Aaron* reſperſo ſanguine Teſtamenti Veteris, quod mandaverat ad Iſraelitas Deus, facinoroſis hominibus reddebat propitium, ſicut ait Apoſtolus Epiſt. ad Hebræos cap. 9. v. 20. Jeſus Chriſtus *Novi Teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis*, ſicut ait idem Apoſtolus cap. 9. v. 15. Epiſt. ad Hebræos. In ſeditione *Core*, *Dathanis*, & *Abironis*, cum graſſaretur incendium, & noxios ſacer ignis corriperet, Aaron, *ſtans inter mortuos & viventes, pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſavit*, ſicut legitur capit. 16. v. 48. lib. Numerorum: Sæviente peccatorum lue, & depaſcente genus humanum, in tutum ſubduxit nos Chriſtus Dominus, & periculo incurrendæ mortis æternæ exemit. Hinc Apoſtolus *Paulus* cap. 7. v. 25. Epiſt. ad Hebræos ait, Chriſtum Dominum non tantum ad vivos ac victuros, ſed etiam ad defunctos voluiſſe mortis ſuæ beneficium pertinere, eumque Veteris Teſtamenti promiſſiones beneficiis Novi Teſtamenti cumulatiſſime perſolviſſe. Sed nolo te diutius detinere. Agnoſco enim ex frequentibus oſcitationibus tuis imminere jam horam prandii, ſubindeque Colloquio noſtro finem eſſe imponendum.

COLLOQUIUM III.

In quo Geſta Joſue, *in regimine Reipublicæ Hebræorum Succeſſoris* Moyſis, *necnon Judicum & Regum, qui Hebræis præfuerunt uſque ad quartum annum Regni* Salomonis, *quo jacta ſunt Templi Hieroſolymitani ſundamenta, deſcribuntur, ibidemque accurata traditur ſeries annorum, qui in quarta Mundi Ætate, hoc eſt, ab exitu Populi Iſraelitici ex Ægypto uſque ad quartum Regni* Salomonis *annum effluxerunt*.

DISCIP. RES, quas *Joſue*, ex Tribu Ephraim, in regimine Reipublicæ Hebræorum ſucceſſor *Moyſis*, præclare geſſit, quaſque a *Sulpicio Severo* lib. 1. *Hiſtorię Sacræ* cap. 22. (juxta editionem Joannis *Vorſtii*) eleganter deſcriptas, nuperime legi, primum hic referam. Dein, nonnullas circa quædam *Joſue* Geſta proponam difficultates, quas dilucidandi onus tibi incumbet. „Moyſe „mortuo (inquit *Sulpicius Severus*) ſumma rerum pene Jeſum, *ſeu* Joſue, Nave „filium, erat. Etenim illum Moyſes „ſucceſſorem conſtituerat, virum virtutibus ſuis ſimillimum. Principio autem „ſuſcepti Imperii, dimiſſis per caſtra „nunciis populum certiorem facit, frumentum uti pararet, triduoque proximo iter pronunciat. Sed Jordanis, flumen validiſſimum, tranſitum prohibebat, quia neque navium copia pro tempore erat, neque vadari fluvius poterat, „qui tum pleno alveo ferebatur. Igitur „Arcam præferri a Sacerdotibus, eoſdemque adverſo flumine conſiſtere jubet. „Quo facto, inciſus Jordanis traditur: „ita per ſiccum copiæ traductæ. Erat „in his locis oppidum nomine *Hiericho*, muris validiſſimis munitum, neque expugnationi, neque obſidioni facile. Sed Jeſus (*ſeu Joſue*) Domino „fretus, non armis, aut viribus urbem „aggreſſus, ferri Arcam Dei circa muros jubet, ſacerdoteſque præire Arcam, & tuba canere. Sed cum Arca „ſepties circumlata eſſet, muri ac turris conciderunt, direptum oppidum „atque incenſum. Inde adverſus *Hac* „du-

„ ductus exercitus, locatiſque a tergo
„ urbis inſidiis, Jeſus (*ſeu* J*oſue*), me
„ tum ſimulans terga hoſti dedit. Quo
„ viſo, qui in oppido erant, patentibus
„ portis inſtare. Ita hi, qui in inſidiis
„ fuerant, vacuam urbem cepere; cæſi-
„ que omnes, abſque ullius effugio,
„ Rex captus ſummoque ſupplicio affe-
„ ctus. Quod ubi vicinarum Gentium
„ Regibus compertum eſt, in bellum
„ conſpirant Hebræos armis depellere.
„ Verum, Gabaonitæ, gens valida, ex
„ urbe opulenta, ultro ſe Hebræis de-
„ derunt, juſſa facturos pollicentes, re-
„ ceptique in fidem, ut ligna & aquam
„ conveherent, imperatum. Sed Regi-
„ bus proximarum urbium deditio eorum
„ iras conciverat. Itaque admotis copiis,
„ oppidum eorum, Gabaon nomine,
„ obſidione circumſiſtunt. Igitur Oppi-
„ dani, arctis rebus ſuis, nuncios ad
„ Jeſum (*ſeu* J*oſue*) mittunt, obſeſſis
„ uti ſuccurrat. Ita ille, maturato iti-
„ nere, inopinantibus ſupervenit cæſa-
„ que multa hoſtium millia. Cum dies
„ cædentes deficeret, noxque victis fu-
„ tura præſidio videretur, merito Fidei
„ Dux Hebræus noctem avertit, dies
„ perſeveravit. Ita nullum hoſtibus ef-
„ fugium fuit. Quinque Reges capti in-
„ terfecti ſunt. Eodem impetu vicinæ
„ quoque urbes imperio adjectæ, Regeſ-
„ que perempti. Verum, quia omnia
„ hæc in ordinem proſequi non fuit con-
„ ſilium, dum brevitati ſtudemus, id mo-
„ do annotandum curavimus. Viginti
„ & novem Regna Imperio Hebræorum
„ ſubjecta, quorum terra per undecim
„ Tribus viritim diſtributa eſt. Levitis
„ enim in Sacerdotium aſſumptis, nulla
„ portio data, quo liberius ſervirent
„ Deo... Igitur, diviſo per Tribus ca-
„ ptivo Solo, pace ſumma Hebræi per-
„ fruebantur, finitimis bello territis, tot
„ victoriis nobiles nemine audente ten-
„ tare. Eodem tractu Jeſu (*ſeu* J*oſue*)
„ mortuus eſt anno ætatis decimo & cen-
„ teſimo. In hac compendioſa *Sulpicii Severi* de Geſtis J*oſue* hiſtorica narratione primum, quod ſeſe offert, diſcutiendum Dubium iſtud eſt: cur J*oſue*, poſtquam in Terram promiſſam fuiſſet ingreſſus, *Gabaonitis*, qui erant incolæ civitatum Chananæorum, ultro ſe dedentibus, percuſſerit, fœdus cum illis iniverit, eiſque ſecuritatem juraverit, contra Præceptum Domini, qui, ſicut legitur cap. 20. lib. Deuteronomii, diſtricte Iſraelitis præceperat, ut incolas omnes civitatum Chananæorum delerent, occiderent, ac penitus extirparent, pacemque dumtaxat alienigenis concederent, ſub conditione deditionis & tributi? Hoc itaque primum, quæſo te Dubium diſſolve.

M. Clementiam, qua *Joſue*, Dux Populi Iſraelitici, erga Gabaonitas, Chananitidis incolas, uſus eſt, omni culpa vacare, manifeſto evincitur ex Hiſtoria ſacra deſcripta cap. 9. lib. J*oſue*. Cum enim Terræ promiſſæ Reges univerſi, Genteſque Hethæi, Amorrhæi, Chananæi, Pherezæi, Hevæi, & Jebuſæi, contra *Joſue*, & Iſraelitas uno animo, eademque ſententia arma ad patriæ libertatis, avitæque ſuperſtitionis defenſionem ſumpſiſſent, Gabaonitæ, abjecto belli conſilio, ut pote qui repellendis Iſraelitarum viribus impares ſe judicabant, de deditione ſtatim cogitarunt. Sed, ut fœdus cum Iſraelitis facilius percutere poſſent, & ſalvam vitam reciperent, data opera finxerunt, ſe non eſſe Chananitidis incolas, ſed exteros, & e regione longinqua veniſſe. Hanc Gabaonitarum fraudem nec *Joſue*, nec Primores Iſraelitarum ſubodorati, cum ipſis, inconſulto Domino, fœdus inierunt, illiſque ſecuritatem juraverunt. Aſt, paulo poſt animadverſa fraude, ſalvos quidem Gabaonitas eſſe juſſerunt propter religionem juramenti, illos tamen perpetuo famulitio in pœnam fraudis addixerunt. Poterant quidem, fateor, J*oſue*, & Iſraelitarum Principes juratam Gabaonitis ſecuritatem non præſtare, quia jusjurandum fraude elicitum, ut fatentur omnes Theologi, non obligat; nihiloſecius J*oſue*, & Iſraelitarum Principes juratam Gabaonitis ſecuritatem pie & laudabiliter præſtiterunt, clementiaque erga illos utendum merito cenſuerunt, primo, quia ſibi integrum non exiſtimarunt, fœdus juramento firmatum violare, quamvis dolo elicitum eſſet. Hinc, cum Iſraelitæ, ſicut legitur cap. 9. v. 17. & 18.

& 18. lib. *Joſue* murmurarent contra Principes, reſponderunt eis Principes: *Juravimus illis*, id eſt Gabaonitis, *in nomine Domini Dei Iſrael, & idcirco non poſſumus eos contingere; ſed hoc faciemus eis: reſerventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, ſi pejeraverimus: ſed ſic vivant, ut in uſus univerſæ multitudinis ligna cædant, aquaſque comportent*. Secundo, aliquam clementiam Gabaonitæ merebantur, ut pote qui, dum omnes Reges & Populi Chananææ regionis armata manu, & conglomerato agmine contra Iſraelitas vexillum erigerent, noluerint contra ipſos pugnare, ſed potius, ut inquit *S. Ambroſius* cap. 10. lib. 3. *De officiis: Cum exiiſſet fama per populos, ſiccatum eſſe mare in Hebræorum tranſitu, fluxiſſe aquam de petra, de Cælo diurnam miniſtrari alimoniam tot populi millibus abundantem, corruiſſe muros Hierico, ſacro tubarum ſono ictos, & ululatu plebis arietatos, Gethæorum quoque Regem victum & ſuſpenſum in ligno uſque ad veſperam:* Hæc, inquam, ſtupenda prodigia, quæ Deus in Iſraelitis operatus eſt, poſtquam increbreſcente eorum ubique fama, audiviſſent Gabaonitæ, venerunt ſupplices ad Iſraelitas, quorum validam manum metuebant, & faces eis ſubmittentes, ultronea deditione, ſe illorum arbitrio permiſerunt, ac tandem pacem, juramento firmatam, cum Joſue, ceteriſque Iſraelitarum Principibus pepigerunt. Id autem factum eſt abſque ulla tranſgreſſione hujus Mandati, quod Deus Iſraelitis dederat de Chananæis omnibus ad internecionem cædendis. Hoc ſiquidem Dei Mandatum æquitate quadam Joſue, & alii Iſraelitarum Principes interpretati ſunt, videlicet de his Chananæis, qui Civitates ſuas ab Iſraelitis expugnari ſinerent, & belli impetum contra eos ſuſtinerent, non vero de illis Chananæis, qui pacem rogarent, qui Iſraelitarum clementiam implorarent, qui ſpontanea deditione, imo, & Judaicæ Religionis amplexu, aut certe Idololatriæ abdicatione, & unius veri Dei cultu, ſecundum Noachidarum Ritus ac Leges, obſidionem ſuarum urbium, & impendentem Iſraelitarum impetum prudenter anteverterent. Qua de re, ne plura dicam, conſule, ſi tibi per otium liceat, doctiſſimum *Andream Maſium* in caput 9. lib. *Joſue*.

D. Sed dicas, quæſo, quid ſibi velit *Sulpicius Severus*, dum ait, *Joſue*, Ducem Hebræum, in expugnandis Gabaonitarum hoſtibus, *merito Fidei noctem avertiſſe, & diem perſeveraſſe?* Vultne ille Scriptor, Solem & Lunam in prælio, quod *Joſue*, cum Gabaonitarum hoſtibus commiſit, reipſa ſtetiſſe? aut potius, Solem retardaſſe duntaxat curſum ſuum? aut novum corpus, vicarium Solis, Deum ſupra horizontem creaſſe, quod, poſt illius occaſum, orbem illuſtraret? aut denique, loquiturne *Sulpicius Severus* more poetico, ita ut innuere velit, *Joſue*, eo in prælio, quod cum Gabaonitarum hoſtibus conſeruit, tot res, & præcipue maximam hoſtium ſtragem, tanta celeritate confeciſſe, ut ad diem facta videretur acceſſio? Quid de hoc Facto Hiſtorico ſentire ipſe debeam, obſecro te, ut breviter oſtendas.

M. Circa iſtud Factum Hiſtoricum *Joſue* idem plane ſentit *Sulpicius Severus*, quod ſancti Patres communi calculo, & conſenſione tradiderunt, videlicet *S. Juſtinus*, Martyr, in *Dialogo* cum *Tryphone*, Judæo, *Tertullianus* lib. *De Jejuniis* cap. 10. S. *Joannes Chryſoſtomus* Homilia 27. in Epiſtolam ad Hebræos, *S. Hieronymus* lib. 2. contra Jovinianum, *S. Auguſtinus* lib. 21. De Civit. Dei cap. 8. & *Theodoretus* Quæſt. 14. in *Joſue*. Hi autem ſancti Patres diſerte docent, quod cum *Joſue* laturus ſuppetias Gabaonitis, exercitu propere ducto, veniſſet, & multa hoſtium millia occidiſſet; prævidens tamen noctem præſidio victis fore, fuſa ad Deum precibus, & incredibili fiducia animatus, Soli, jam ad occaſum vergenti, imperavit ut ſtaret, ejuſque imperiali verbo, Deo volente, Sol obediens, in medio Cœli ſtetit immotus unius diei ſpatio. Hujus Facti Hiſtorici veritatem hauſerunt ſancti Patres ex Scriptura Sacra, quæ cap. 10. lib. *Joſue* verſ. 12. 13. & 14. hæc habet. „ Tunc locutus eſt Joſue Domino in „ die, qua tradidit Amorrhæum in „ conſpectu filiorum Iſrael, dixitque

L 2 co-

Digitized by Google

„ coram eis: Sol contra Gabaon ne mo-
„ vearis, & Luna contra Vallem Aja-
„ lon. Steteruntque Sol & Luna, donec
„ ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.
„ Nonne ſcriptum eſt hoc in libro Ju-
„ ſtorum? Stetit itaque Sol in medio
„ Cœli, & non feſtinavit occumbere
„ ſpatio unius diei. Non fuit antea nec
„ poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael. Quibus verbis maniſeſtum eſt, Solem ad vocem *Joſue* reipſa inaudito miraculo ſtetiſſe. Quod confirmant Propheta *Habacuc* cap. 3. dicens; *Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo*; & *Jeſus Sirach*, anctor Libri Sacri *Eccleſiaſtici* cap. 46. v. 5. ubi ait: *An non in iracundia ejus impeditus eſt Sol, & una dies facta eſt quaſi duo?* Hoc miraculum de ſtatione Solis *majus eſt*, inquit S. Joannes *Chryſoſtomus* Homil. 27. in Epiſtolam ad Hebræos, *quam quæ facta ſunt a Moyſe. Non ſunt enim paria, imperare Mari, & iis quæ ſunt in Cœlo, Nam illud quoque eſt magnum, & valde magnum, ſed non par.* Illa igitur ſtatio Solis proprie accipienda eſt, & miraculo tribuenda.

D. Liber ille, qui inſcribitur nomine *Joſue*, & in quo deſcribitur Hiſtoria de ſtatione Solis, eſtne germanus *Joſue* fœtus, aut potius nomine *Joſue* ideo inſignitus, quod de illius imperio, & de rebus ab eo præclare geſtis agat?

M. Sunt quidam Critici, qui pertendunt, librum, qui nomine *Joſue* inſcribitur, aſſeri ac vindicari non debere *Joſue* tanquam vero ac legitimo parenti; idque quatuor potiſſimum momentis probare nituntur. Primo, quia cap. 10. hujus libri *Joſue* citatur *Liber Juſtorum*, cujus auctorem recentiorem eſſe dicunt ipſo *Joſue*, aut ſaltem ei coævum, cum in eo meminerit pugnæ Gabaonitarum, & ſtationis Solis. Secundo, ajunt, ſæpius in hoc libro *Joſue* occurrere hanc temporis notationem: *Hoc, & illud ad præſentem uſque diem durat*; quod ſane a *Joſue* dictum eſſe non potuit, cum in diebus *Joſue* hæc Facta & monumenta hiſtorica, quæ in eo libro referuntur, contigerint; ſed potius dictum eſſe videtur ab aliquo Scriptore, *Joſue* recentiore, qui in his, quæ poſt obitum *Joſue* jam vetuſtate obliterata exoleverant, fidem ſibi conciliare volebat ex his monumentis, quæ ſua ætate adhuc reſidua erant. Tertio, cap. 19. libri *Joſue* fit mentio terræ *Chabul*, cui hoc nomen impoſitum eſt ab *Hiramo*, Rege Tyri, qui a Rege *Salomone* ea donatus fuerat. Quod palam evincit, inquiunt illi Critici, hunc librum ſcriptum fuiſſe ab aliquo Auctore, recentiore *Joſue*. Denique, capite ultimo libri, qui præfert nomen *Joſue*, deſcribitur mors *Joſue*, & res, poſt ejus obitum geſtæ, narrantur, quæ certe a *Joſue* litteris mandari haud potuerunt. Verum, quatuor hæc momenta tanti non ſunt, ut nos a communi ſententia de Auctore libri *Joſue* deſciſcere cogant. Ad duo quippe priora diluenda ſufficit obſervare, *Joſuem* in ſumma ſenectute hunc librum exaraſſe, ſubindeque mirum non eſſe, ſi mentionem faciat *Libri Juſtorum*, qui nihil aliud erat, quam Carmen Epinicium, quod ſtatim poſt reportatam de hoſtibus Gabaonitarum inſignem victoriam editum eſt, & inter Hebræos divulgatum. Eadem de cauſa, *Joſue* uti potuit hac notatione temporis: *uſque ad præſentem diem*, cum hunc librum in ætate jam provecta ſcripſerit; perinde ac S. Evangeliſta *Matthæus* eadem temporis notatione utitur, cap. 27. dicens: *Propter hoc vocatus eſt ager Haceldama, hoc eſt, ager ſanguinis, uſque in hodiernum diem*. Ad tertium momentum dico cum Illuſtriſſimo *Daniele Huetio*, Abrincenſi Epiſcopo, non eamdem eſſe utramque terram *Chabul*. Altera ſiquidem eſt terra *Chabul*, quæ eſt Regiuncula, viginti conſtans oppidis, quam *Salomon* (ſicut legitur lib. 3. Regum cap. 8. v. 12.) dedit *Hiramo*, Regi Tyri, & illius urbis *Chabul* mentionem non fecit *Joſue*. Altera eſt terra *Chabul*, ceu vicus, ita dictus in confiniis Ptolomaidis, utraque in Tribu *Aſer*; & hæc eſt illa terra *Chabul*, cujus procul omni dubio a *Joſue* fit mentio. Ad ultimum momentum reſpondeo, *Eſdram*, qui, poſt laxatam captivitatem Babylonicam, ſacros libros hinc inde ſumma cura collegit, purgavit, caſtigavit, inſeruiſſe hujuſce libri capiti poſtremo, quod eſt vigeſimum

quar-

Digitized by Google

quartum, mortem *Joſue*, qui victoriis & meritis conſpicuus obiit. Cenſeo etiam cum jam laudato Abrincenſi Epiſcopo in ſua *Demonſtratione Evangelica*, ab eodem *Eſdra* adjectam iisdem fuiſſe capiti decimo nono libri *Joſue* narrationem. Expeditionis Danitarum contra civitatem *Leſem*, quæ poſt *Joſue* exceſſum contigit, eo videlicet tempore, quo Iſraelitarum Rempublicam nemo gubernabat. Probabilius itaque eſt a *Joſue*, in regimine Populi Iſraelitici ſucceſſore *Moyſis*, eſſe ſcriptum hunc librum, qui ejus nomine inſignitur, idque non obſcure innuere videtur Scriptura Sacra his verbis, quæ leguntur capite ultimo hujus libri. *Scripſit Joſue omnia verba hæc in volumine Legis Domini*. Omnia autem, quæ in hoc libro ſcripſit *Joſue*, ad ſequentia capita revocantur. Primo, refert miſſionem Exploratorum ad urbem *Jericho*, tranſitum Jordanis, per quem miraculoſe ſiccatum, Iſraelitæ, Duce *Joſue*, & præeunte Arca fœderis tranſierunt. Secundo, deſcribit *Joſue* varios in Terræ promiſſæ acquiſitione conflictus, videlicet in oppugnatione urbis *Hiericho*, in expugnatione urbis *Hai*, in debellatione quinque & deinde multorum Regum, qui citra & ultra Jordanem a *Joſue* percuſſi ac devicti numerantur triginta & unus, ita ut *Joſue* univerſas fere totius Chanaanitidis civitates uno quaſi impetu expugnaverit, & omnes hujus Terræ incolas ſuo ſubjugaverit Imperio. Tertio, narrat *Joſue* Terræ promiſſæ acquiſitæ diviſionem per Tribus, aſſignando videlicet ſingulis Tribubus partes determinatas, ſeparando civitates pro fugitivis, & quadraginta octo civitates atque ſuburbana Levitis concedendo. Denique, *Joſue*, cum jam ſenex eſſet, ſeque vitæ glorioſe curſum compleviſſe cognoſceret, Iſraelitas in Sichen convocatos adhortatus eſt, ut conſtanter perſeverarent in obſervatione præceptorum Dei, ut caverent ſocietatem cum Gentibus. Eis ob oculos poſuit innumera beneficia, quæ Deus eis exhibuerat: fœdus Populi Iſraelitici cum Domino renovavit, hiſque geſtis, viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, cujus magnificum elogium texit ſacer Scriptor Libri Eccleſiaſtici cap. 46. Ipſe vero tria duntaxat obſervatione digna hic referam, quibus *Joſue* virtus haud parum commendari poteſt. Primo, *Joſue* in Terræ Chanaanææ occupatione urbem *Hiericho* non ſolum expugnavit, ſed jubente Deo, internecione delevit, ſola fœmina *Rahab* cum ſuis ſervata, eo nomine, quod Exploratores Hebræos, quos ad urbem *Hiericho* præmiſerat *Joſue*, benigne, & officioſe ſuſcepiſſet. Ceterum, omnia illius urbis *Hiericho* ædificia, cum incolis, & univerſa ſupellectili in cineres redigi juſſit *Joſue*, exceptis auro, argento, vaſis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini intulit. Quam *Joſue*, in Terræ Chananææ occupatione, bellicam agendi rationem abſit ut quiſquam immanitatis inſimulet, cum in iſtis cædibus, atque incendiis patrandis, *Joſue* Dei voluntati morem geſſerit, ejuſque juſtitiæ adminiſter fuerit. Deum vero nemo, præter Hæreticos Marcionitas, Manichæos, aliaſque id genus peſtes, injuſtitiæ in his inferendis ſuppliciis arguere poteſt, cum Chananæi ſuis ſceleribus graviores ſibi accerſiviſſent pœnas. Quin imo (ſicut memini, me in noſtris ſuperioribus Colloquiis jam obſervaſſe) Dei patientia in puniendis Chananæis maxime eluxit, quippe qui jam ſupra quadringentos annos fruſtra diſtulerat hæc Chananæorum ſupplicia melioris vitæ expectatione, cum tamen illi interea, voci Dei, ad pænitentiam, melioremque frugem eos invitantis, plane obſurdeſcentes, contra Dei miſericordiam ac ſanitatem, obfirmitis in malitia animis, decertarent. Quo in ſenſu intelligenda ſunt hæc verba, quæ Dominus c. 15. v. 16. lib. Geneſis *Abrahamo* de ejus poſteris dixit: *Generatione autem quarta revertentur huc: needum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum uſque ad præſens tempus*. Secundo, *Joſue* in obſidione urbis *Hai*, cum vidiſſet, Iſraelitas, quos ad hanc urbem expugnandam miſerat, infelici marte pugnaſſe, eoſque ab hoſtibus fuſos, atque in fugam compulſos, conſuluit Dominum, quo reſpondente, intellexit, Deum ob unius gregarii militis crimen, iram ſuam in totum Populum Iſrae-

Digitized by Google

Iſraeliticum effudiſſe. *Achan* ſiquidem filius *Charmi*, de Tribu Juda, pallium coccineum, ducentos argenti ſiclos, regulamque, ſeu laminam auream quinquaginta ſiclorum, de præda urbis Hierichuntinæ, Deo conſecrata, clam ſubduxerat; eoque furto iram Dei in totum populum provocaverat. Quocirca, *Joſue*, jubente Deo, *Achan*, ſacrilegi furti reum, ad vallem *Achor* eductum, lapidibus a populo obrui imperavit, & cum ſacrorum ſpoliorum parte, ſupellectili prorſus omni, liberis ejus, ac pecudibus, ipſoque tentorio ultricibus flammis addici, ut hoc ſupplicio ſanciretur diſciplina; populus Iſraeliticus cum Deo reconciliaretur, & omnis deinceps militibus ad ſacrilega furta aditus præcluderetur. Denique, typus, quem *Joſue* geſſit, Chriſti Domini, ejus dignitatem & excellentiam maxime commendat: *Joſue* (inquit *S. Hieronymus* in Epiſtola ad Paulinum) *typum Domini non ſolum geſſit, verum etiam nomine præſert. Tranſit Jordanem, hoſtium regna ſubvertit, dividit terram victori populo, & per ſingulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes, atque confinia, Eccleſiæ, cœleſtiſque Hieruſalem ſpiritualia Regna deſcribit*. Joſue, defuncto *Moyſe*, populum Iſraeliticum introduxit in Terram promiſſam. Jeſus Chriſtus, finita Lege Moſaica, apparens, populo pio Regnum Cœlorum aperuit, & quam per Legem Moyſis obtinere homo non poterat, beneficio Jeſu Chriſti promiſſam Terram, cæleſtem nempe patriam, aſſequitur. Chanaanitidis Terræ, Jordane trajecto compotes Hebræos fecit *Joſue*: in Patriam cæleſtem ablutos nos Baptiſmi aquis inducit Jeſus Chriſtus. Duodecim lapides de Jordanis alveo ſublatos ad poſteritatis memoriam in caſtris ſtatui juſſit *Joſue*; atque alios item duodecim in ipſo Jordanis alveo: Jeſus Chriſtus duodecim elegit Apoſtolos, quorum Principi, ſeu *Petro*, nomen a Petra derivatum impoſuit. *Joſue* impiarum Gentium debellator fuit: Jeſus Chriſtus triumphator Dæmonum. *Joſue* ſecundæ circumciſionis Hebræis, antequam ingrederentur in Terram promiſſam, adminiſter fuit: in Jeſu Chriſto (ſicut ait Apoſtolus ad Coloſs. c. 2. & ad Romanos c. 2.) circumciſi ſumus *circumciſione non manufacta, in expoliatione corporis carnis, ſed circumciſione cordis, in ſpiritu, non littera*. Ex quo patet, *Joſuem*, rebus a ſe præclare geſtis maximi in Republica Hebræorum Principis nomen jure optimo obtinuiſſe, & Jeſu Chriſti, qui totum orbem a tyrannide Diaboli liberaturus erat, typum geſſiſſe.

D. Quis poſt obitum *Joſue* præfuit Reipublicæ Hebræorum.

M. Poſt mortem *Joſue* præfuerunt Reipublicæ Hebræorum *Calebus*, & ſeniores Juda per decem annos, non vero per quinquaginta annos, ſicut perperam viſum eſt Abbati *Paulo Pezrono*, Ord. Ciſterㄧcienſis, in libro, quem gallice anno MDCLXXXVIII. Pariſiis edidit, cuique hunc titulum indidit: *L'Antiquitè des temps reptablie & defendue contre les Juifs & les noveaux Chronologiſtes*; ſeu: *Antiquitas temporum reſtituta, & contra Judæos, nuperoſque Chronographos defenſa*. Tempore iſtius decennalis Præfecturæ *Calebi*, & aliorum Optimatum, ſeu ſeniorum, qui poſt obitum *Joſue* Reipublicæ Hebræorum negotia adminiſtrarunt, fuerunt a Judæis profligati Chananæi ac Pherezæi, cæſa in Bezec duodecim hominum millia; Rex Hieroſolymorum *Adonibezec*, plurium antehac gentium victor, captus, ſummitatibus manuum ac pedum reſectis, quod alieno ſupplicio excogitaverat, expertus eſt ſuo; *dixitque Adonibezec; ſeptuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus*, libri *Judicum* cap. 1. v. 7. Expugnata etiam eſt urbs Hieruſalem, vaſtata & igne conſumpta. Civitas quoque *Dabir*, quæ *Cariat Sepher* olim vocabatur, ab *Othoniele*, fratre *Calebi* minore, occupata eſt, qui & *Axam*, filiam *Calebi*, in victoriæ præmium, uxorem obtinuit. Verum, poſt obitum *Calebi*, & ſeniorum Juda, virorum ſcilicet pietate & auctoritate illuſtrium, qui *Moyſi* & *Joſue* ſemper adhæſerant, quique poſt mortem *Joſue*, Rempublicam Hebræorum per decem annos

ſa-

ſapientiſſime gubernarunt; contigit ut Judæi ex ea, quam cum Chananæis, Jebuſæis, ac Phariſæis conſuetudinem habebant, depravatos illorum mores imitari cœperint, amicitiam cum illis ſacrilegis infidelibus junxerint, connubia miſcuerint, & tandem defecerint ad Idololatriam; cultumque *Baal* & *Aſtaroth*. Corruptiſſimis hiſce temporibus fuit in Republica Hebræorum Anarchia, ſeu Interregnum ſex annorum, non vero circiter triginta quinque annorum, ſicut falſo pertendit ſupra laudatus Abbas *Pezronus*. Per illud Interregni ſex annorum ſpatium contigere ea, quæ poſtremis quinque capitibus libri Judicum narrantur de *Michæ*, Ephraimitæ, & Danitarum Idololatria; nec non de flebili illa hiſtoria cujuſdam junioris Levitæ, cujus uxorem rapuerunt, conſtuprarunt, & impotenti libidine tota nocte illuſam, extinxerunt Gabaonitæ, qui erant e Tribu *Beniamin*, quique eumdem Levitam nefaria & præpoſtera libidine violare conati fuerant, ſicut refertur cap. 19. libri Judicum. Ad hoc tam nefandum ſcelus vindicandum arma ſumpſerunt, bellumque contra Tribum *Beniamin* moverunt, reliquæ Iſraelitarum Tribus, eoque bello Tribus *Beniamin* pene deleta eſt, exceptis ſexcentis circiter viris, qui in ſolitudinem fugerunt, ſicut legitur capite 20. libri Judicum. Hæc, inquam, Facta hiſtorica, quæ in quinque poſtremis capitibus libri Judicum narrantur, contigiſſe eo tempore, quo, poſt obitum *Calebi*, & ſeniorum Juda, fuit Anarchia, ſeu Interregnum per ſex annos in Republica Hebræorum, facile colligitur ex capite 21. v. 24. ejuſdem ſacri libri Judicum, ubi hæc leguntur: *In diebus illis non erat Rex in Iſrael, ſed unuſquiſque quod rectum videbatur, hoc faciebat*. Finita illa ſex annorum Anarchia, quæ, ut mox dixi, poſt obitum *Calebi*, & ſeniorum Juda, fuit in Republica Hebræorum, cum Iſraelitæ, mixtis cum Chananæis, Hethæis, Amorrhæis, Pherezæis, Hevæis, Jebuſæiſque conjugiis, ad Idololatriam, relicto Deo, defeciſſent, & Idola *Baal*, & *Aſtaroth* colerent, Deus ipſos hoſtibus plectendos tradidit, & dura ſervitute opprimendos. Variæ autem Iſraelitarum ſervitutes, ſeu oppreſſiones ſub diverſis Gentium Regibus, referuntur in ſacro Judicum libro, a quibus Deus, ſemper ad miſericordiam propenſus, eos liberavit, ſuſcitando *Judices* quos Judæorum Reipublicæ identidem præficiebat.

D. Quinam erant illi *Judices*, quos Deus interdum ſuſcitabat, ut Iſraelitas a ſervitute & oppreſſione liberaret? & quænam officia, ſeu munia, potiſſimum obire debebant?

M. Illi *Judices*, quos aliquando ſuſcitabat Deus, ut populum ſuum a ſervitute & oppreſſione in libertatem aſſereret, erant Duces, ſeu Magiſtratus a Deo inſtituti, & ejus nomine Rempublicam Hebræorum gubernantes, quique afflatu immediato Spiritus Sancti, moribuſque heroicis agebantur. Munia, quæ illis Judicibus obeunda incumbebant, in his præcipue ſita erant. Primo, Populum Iſraeliticum a ſervitute & oppreſſione liberabant. Secundo, bella gerebant. Tertio, jus populo dicebant, & enatas lites, decretorium judicium pronunciando, dirimebant, novas tamen Leges non condebant, nec vectigalia, ſeu Tributa, imponebant, nec Regiis Inſignibus utebantur, nec Reipublicæ erant Domini, ſed conſervatores tantum & cuſtodes; nec ſacram poteſtatem habebant, quæ penes Summos Sacerdotes erat; ſed habebant civilem & politicam poteſtatem, quæ erat quaſi Monarchica, ut pote pene unum *Judicem*, Ariſtocratia tamen temperata, qualis eſt apud Venetos Ducum auctoritas.

D. Agedum, percenſe nunc ſervitutes & oppreſſiones Iſraelitarum, juxta eum ordinem, quo in ſacro Judicum libro deſcribuntur, eademque opera produc in medium res præclare geſtas a *Judicibus*, qui Iſraelitas ab his ſervitutibus & oppreſſionibus in libertatem vindicarunt.

M. Prima Iſraelitarum ſervitus, ſeu oppreſſio, contigit ſub *Chuzane Raſathaim*, Rege Meſopotamiæ, ſeu Syriæ, indeque hæc ſervitus dicitur *Aſſyriaca*. duravitque octo annis, ſicut legitur c. 3. v. 8. lib. Judicum. Ab hac Aſſyriaca ſervitute *Othoniel* (qui in ſerie *Judicum* primus

Digitized by Google

mus occurrit, quique erat filius *Cenez*, frater *Calebi* minor, idemque gener) liberavit Iſraelitas, *Cuzanem*, Regem Meſopotamiæ, debellavit, & per quadraginta annos populum judicavit. Abbas *Paulus Pezronus* aſſerit, poſt mortem *Othonielis* fuiſſe Anarchiam, ſeu Interregnum, quod duravit annis circiter triginta tribus. Verum, fictitia plane eſt illa Anarchia, cum de ea nullam prorſus mentionem Scriptura Sacra, ſancti Patres, & Scripturæ Sacræ Interpretes faciant. Hoc unum ex Scriptura Sacra, videlicet cap. 3. v. 14. lib. Judicum, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, poſt mortem *Othonielis* accidiſſe alteram Iſraelitarum ſervitutem ſub *Eglone*, Rege Moabitarum, quæ ideo appellatur *Moabitica*, quæque duravit octodecim annis. Ab hac Servitute Moabitica Iſraelitas liberavit *Aod*, filius *Geræ*, e Tribu Beniamin, qui poſt *Othonielem* Iſraelitici Populi Judex fuit. Hic *Eglonem*, Moabitarum Regem, in Cænaculo interemit. Dein, Iſraelitarum copiis in monte Ephraim collectis, decem millia fortiſſimorum Moabitarum internecione delevit, ſicut legitur c. 3. lib. Judicum. *Aod* judicavit populum annis octoginta. Tertia Iſraelitarum ſervitus contigit ſub *Jabin*, Rege Chanaan, qui regnavit in Aſor, & idcirco hæc Iſraelitarum ſervitus vocatur *Chananæa*, & duravit annis viginti, ſicut narratur cap. 4. lib. *Judicum*. Hic autem velim obiter obſerves, ſæpe citatum Abbatem *Paulum Pezronum* perſuadere velle, alteram Anarchiam, ſeu aliud, poſt obitum *Aod*, fuiſſe in Republica Hebræorum Interregnum, quod, inquit, duravit annis circiter triginta ſeptem. Sed hæc Anarchia, de qua omnino ſilent Scriptura, ſancti Patres, & Sacræ Scripturæ Interpretes, tanquam commentitia explodi debet, maxime cum ſacer Auctor lib. Judicum cap. 3. v. 31. diſerte dicat, poſt obitum *Aod*, judiciariam apud Iſraelitas Præfecturam geſſiſſe *Samgarem*. Sic enim habet: *Poſt hunc*, ſeu Aod, *fuit Samgar, filius Anath, qui percuſſit de Philiſtiim ſexcentos viros vomere, & ipſe quoque defendit Iſrael*. Si igitur *Samgar* immediate poſt obitum *Aod* judiciariam apud Iſraelitas Præfecturam geſſit, nulla ratione dici poteſt fuiſſe Anarchiam, ſeu Interregnum poſt mortem *Aod*. Verum quidem eſt, *Samgarem* paucis menſibus judiciariam Præfecturam geſſiſſe, ideoque Scripturam Sacram, loco mox a me laudato, tempus Magiſtratus illius non notaſſe. At, inde perperam infertur, poſt mortem *Aod* fuiſſe Anarchiam, quia Scriptura Sacra capite quarto v. 1. lib. Judicum aperte dicit, Iſraelitas poſt mortem *Aod* [non computato brevi admodum tempore, quo *Samgar* judiciariam exercuit poteſtatem] abductos eſſe in ſervitutem Chananæam a *Jabin*, Rege Chanaan: *Addideruntque filii Iſrael facere malum in conſpectu Domini poſt mortem Aod, & tradidit illos Dominus in manus Jabin, Regis Chanaan, qui regnavit in Aſor &c.* Quibus verbis Scriptura Sacra omnem præcludit locum huic Anarchiæ, quam *Paulus Pezronus* ait duraſſe, poſt obitum *Aod*, annis circiter triginta ſeptem. Sed ad ſervitutes Iſraelitarum redeamus, quarum tertia, ut diximus, vocatur *Chananæa*, quod contigit ſub *Jabin*, Rege Chanaan. Ab hac ſervitute Chananæa, quæ perſtitit per viginti annos, Iſraelitas liberarunt *Debbora*, Propheteſſa, & *Barac*, filius *Ablnoemi*, de Tribu *Nephtali*, qui decem millibus lectiſſimorum militum ex Tribubus *Nephtali* & *Zabulon* collectis, contra *Siſaram*, Principem Exercitus *Jabin*, Regis Chanaan, *Debbora* comite, recta perrexit, cum Exercitu, juxta aquas *Mageddo* penitus profligavit *Siſaram*, fuga elapſum, *Jahel*, uxor *Haberis*, Cinæi, callide in ſuum tentorium allexit, potuque lactis ſopitum, adacto in tempore trabali clavo interemit, eoque mortuo *Debbora* epinicio carmine victoriam celebravit, ſicut legitur cap. 4. & 5. lib. *Judicum*.

D. Non mihi veriſimile videtur, *Debboram* in numero *Judicum*, ſeu eorum, qui apud Iſraelitas judiciariam poteſtatem exercuerunt, eſſe collocandam. Nam, ut ſuperius dixiſti, proprium, & præcipuum *Judicis* munus erat Populum Iſraeliticum defendere, & in bello Ducem agere. Huic autem

ob-

Digitized by Google

obeundo muneri impar erat *Debbora*, utpote fœmina, cui potius convenit colum, quam arma tractare, ant exercitui imperare.

M. *Debboram* vere, & proprie Hebreorum Judicem fuiſſe, ſeu jndiciariam exercuiſſe poteſtatem, dnm Iſraelitæ Judicum regerentur arbitrio, teſtantur Scriptura Sacra, & ſancti Patres. Sic enim legitur cap. 4. v. 4. libri Judicum: *Erat autem Debbora Prophetis uxor Lapidoth, quæ judicabat p pulum in illo tempore... Aſcendebantque ad eam filii Iſrael in omne judicium*. Quibus verbis aperte innuit Scriptura Sacra *Debboram*, aliorum inſtar Judicum, populum judicaſſe, & Iſraelitas univerſos canſas ſuas ad ejus Tribnnal detuliſſe. *Debboram* quoque belli, paciſque temporibus Rempublicam Hebræorum rexiſſe, eique tamquam judicem præfuiſſe, non minus diſerte aſſerunt Sancti Patres, *Clemens Alexandrinus* lib. 1. Stromatum, S. *Ambroſius* lib. de Viduis, S. *Hieronymus* Epiſt. x. ad *Furiam*, De Viduitate ſervanda, S. *Auguſtinus* lib. 18. de Civitate Dei cap. 15. quibus addo *Severum Sulpitium* lib. 1. Hiſtoriç Sacræ, *Theodoretum* Quæſt. 12. in librum Jndicum, & *Alcinum Avitum* in Conſolatoria de Laude Virginitatis ad *Fuſcinam*, ſororem. Sed, inquis, *Bello gerendo impar erat Debbora*. Sit ita ſane. At ſaltem potuit *Debbora* conſiliis ſnis *Barach*, qui cum illa itidem jndex populi erat, adeſſe, ſnadere ei bellum, illi imperinm exercitns relinqnere, ſeque ei ſociam adjungere, ut, Deo authore Rempublicam Hebræorum erigeret, Populnmqne a graviſſima Chananæorum ſervitnte vindicaret. Prçterquam quod, *Debbora* non fuit vulgaris fœmina, quam colum, non arma tractare decet, ſed fuit heroina fœmina, quam Dens Prophetiç lnmine illuſtravit, prudentia, & fortitudine exornavit, ut populum regere & hoſtium impetum intrepida retundere poſſet. Hinc S. *Ambroſius* in libro *De Viduis*, mox a me laudato, hæc habet: *Et ideo lectum iſtius* (ſeu Debboræ) *puto eſſe judicium, & geſta ejus arbitror eſſe deſcripta, ne mulieres a virtutis officio muliebris ſexus infirmitate revocentur. Vidua populos regit, Vidua ducit Exercitus, Vidua Duces eligit, Vidua bella diſponit, mandat triumphos*. Quæ S. *Ambroſii* ſententia eſt omnino Scripturæ Sacræ conſentanea. Legimus quippe c. 4. lib. Judicum v. 6. *Barachum*, qui cum *Debbora* Populi Iſraelitici Judex erat, noluiſſe ad bellum nllo pacto proficiſci, niſi *Debbora* ſeſe ei exercitum ducenti ſociam præberet. *Dixitque ad eam* (ſeu Debboram) *Barac: Si venis mecum, vadam; ſi nolueris venire mecum, non pergam*. Tanta erat in Republica Hebræorum anctoritas *Debboræ*, ut ob amorem, & jngem ſolicitudinem, quam gerebat boni publici, vulgo andiret *Mater in Iſrael*, non ſecus ac Imperatores, & Reges plerique *Patres Patriæ* vocati ſunt, quo titulo, magis quam Imperatorio, gloriabantur. Sat igitur contra *Toſtatum*, *Genebrardum*, *Cajetanum*, *Serarium*, *Cornelium a Lapide*, & alios recentiores, probatnm maneat, *Debboram* vere, & proprie Judicem Hebræorum fuiſſe, eamque inter ſanctos Iſraelis Judices eſſe numerandam.

D. Quot annos *Barac*, & *Debbora* judiciariam poteſtatem apud Iſraelitas exercuerunt, & qno loco, poſt illorum obitum, res Iſraelitarum fuerunt?

M. *Barac*, & *Debbora* judicarunt populum, & Reipublicæ Hebræorum præfuerunt per quadraginta annos. At, poſt illorum jndiciariam præfecturam, Iſraelitæ, qui in ſecundis rebus immemores cœleſtium beneficiorum in multa ſcelera ruebant, & Idola colebant: in adverſis vero, afflictique malo ſervitutis divinum auxilium ſupplices implorabant; juſte, ob peccata, quæ perpetrabant, traditi ſunt Madianitis, duroque imperio habiti. Abbas *Paulus Pezronus* poſt judiciariam prçfecturam, *Baraci*, & *Debboræ* obtrudit Anarchiam in Republica Hebrçorum, ſeu Interregnum, quod annis circiter octodecim perduraſſe affirmat. Sed ejuſmodi Anarchia, cujus tam in Scriptura Sacra, quam in ſanctis Patribus, & Scripturç Sacrç Interptetibus, cum nullum, vel minimum extet veſtiginm, nullatenus admitti debet, utpote quç conſulto excogitata ab illo Scriptore,

re, qui, in Hiſtoria cum Sacra, tum Prophana ceteroquin verſatiſſimus, novam producit Chronologiam, quæ a Codicum Hebræorum, Græcorum, Samaritanorum, & Latinorum calculo maxime diſcrepat. Rejecta itaque prædicta Anarchia, certum eſt, Iſraelitas, poſt judiciariam *Baraci*, & *Debboræ* Præfecturam, abductos eſſe a Madianitis in ſervitutem, quæ duravit ſeptem annis. Cum igitur ſub dura illa Madianitarum ſervitute oppreſſi gemerent, converſi ad Dominum (inquit *Sulpicius Severus* lib. 1. Hiſtoriæ Sacræ) miſericordiam ſolitam flagitantes, impetraverunt. Erat in Hebræis *Gedeon* quidam nomine, filius *Joas*, e Tribu Manaſſes, vir juſtus, & charus Domino, acceptuſque. Huic Angelus e campo meſſis domum reverenti adſtitit. *Dominus*, inquit, *tecum*. At, ille voce flebili, non eſſe in ſe Dominum ingemiſcebat, quod populum captivitas premeret, virtutumque Domini, qui eos de Terra Ægypti eduxerat, lugens recordabatur. Tum Angelus: *Vade*, inquit, *in hoc ſpiritu, quo locutus es, & populum de captivitate eripe*. Ille vero abnuere, ſe, infractis ſuorum viribus, cum ipſe minimus eſſet, tantum onus ſuſcipere. Perſtare contra Angelus, ne dubitaret poſſe fieri, quæ Dominus loquebatur. Perfecto igitur Sacrificio, dirutaque Ara, quam *Baalis* idolo Madianitæ ſacraverant, ad ſuos profectus *Gedeon*, caſtra caſtris hoſtium contulit. Sed Madianitis, in conficiendo contra Iſraelitas bello, etiam Amalecitæ ſe conjunxerant. *Gedeon* vero non amplius quam ad triginta & duo millia Exercitum paraverat. Priuſquam tamen confligeret, ſignificavit ei Deus, nimiam hanc eſſe multitudinem, quam in prælium vellet educere, itaque daret volentibus diſcedendi poteſtatem, quod ubi populo innotuit, viginti duo milla e caſtris receſſerunt. Sed ex decem millibus, quæ reſederant, non plures quam trecentos viros tenuit, reliquos ab armis dimiſit. Tum media vigilia caſtra hoſtium ingreſſus, trecentos illos viros, quos tubis, lagenis vacuis, ac lampadibus in medio lagenarum accenſis inſtruxerat, in tres ordines diſtribuit, qui cum buccinarum clangore, ſimul & colliſarum lagenarum fragore, fulgoreque lampadum, atque ſæpius ingeminatis clamoribus: *Gladius Domini, & Gedeonis*, tantum hoſtibus timorem injecerunt, ut eorum exercitum novo ſane bellandi genere fuderint, atque diſſiparint. Fugientes Reges perſecutus eſt *Gedeon* ultra Jordanem, comprehenſoſque neci dedit. In ea pugna centum & viginti millia ex hoſtibus cæſa ſunt. Tunc conſenſu omnium *Gedeoni*, ut Princeps populi eſſet, delatum, quod ille generoſo animo aſpernatus, communi jure cum civibus vivere, quam præeſſe ſuis, maluit. Depulſa igitur Iſraelitarum ſervitute Madianitica, quæ ſeptem annos populum continuerat, pax per quadraginta annos fuit ſub *Gedeone*, qui mortuus eſt in ſenectute bona, & in tumulo *Joas*, patris ſui, in *Ephra* ſepultus, ſicut legitur c. 8. lib. *Judicum*.

D. Quis, mortuo *Gedeone*, præfuit Reipublicæ Hebræorum, & judiciariam exercuit Præfecturam?

M. Defuncto *Gedeone*, filius ejus *Abimelechus*, ex concubina ortus, Sichimorum Principibus operam ei navantibus, judiciariam obtinuit Præfecturam, & per tres annos in Republica Hebræorum imperium tenuit, ſeu potius tyrannidem exercuit. Eo crudelitatis prorupit, ut ſeptuaginta fratres ſuos ſuper unum lapidem interfecerit, excepto *Johatane*, filiorum *Gedeonis* natu minimo, qui ſolus ſceleſti illius tyranni manus evaſerat. At, Deus hanc *Abimelechi* crudelitatem & tyrannidem non diu inultam reliquit. Nam, cum iſte ſæviſſimus tyrannus, poſt dirutam, & ſale ſeminatam urbem *Sichem*, poſt interfectos illius urbis incolas, qui in eum conjuraverant, & poſt igne ſuccenſum Fanum Dei ipſorum *Berith*, ad expugnandum oppidum *Thebes* progreſſus eſſet, ſaxo a muliere ictus, ſentienſque irati ſupremi Numinis vindictam, Armigero ſuo juſſit, ut illum ferro confoderet: *Ne forte dicatur*, inquit, *quod a fœmina interfectus ſim*. Ab ipſo itaque Armigero mucrone confixus animam expuit. Poſt

Abi-

Abimelechi mortem Judex conſtitutus eſt *Thola*, filius *Phua*, qui poſtquam populum judicaſſet annis viginti tribus, obiit, ſicut legitur cap. 18. v. 1. & 2. libri *Judicum*. Hunc, ſeu *Tholam*, in Judiciaria Populi Iſraelitici Præfectura excepit *Jair*, qui per viginti duos annos cum præfuiſſet Reipublicæ Hebræorum, exceſſit e vivis (lib. Judicum cap. x. v. 3. & 4.) Putat *Paulus Pezronus*, poſt mortem *Jair* contigiſſe Anarchiam, ſeu Interregnum, quod duravit, inquit, annis circiter triginta. Sed de iſta Anarchia, quam de ſuo cerebro finxit *Paulus Pezronus*, ſilet omnino Scriptura Sacra, quę notat duntaxat ſervitutem octodecim annorum, cui Iſraelitæ, poſt obitum *Jair*, fuerunt addicti ſub imperio Ammonitarum. Ab hac ſervitute Ammonitarum Iſraelitas liberavit *Jephte*, qui in Populo Iſraelitico judiciariam poteſtatem, poſt *Jair*, obtinuit. Exercitum ad debellandos Ammonitas duxit *Jephte*, ſed dum acies hinc inde eſſent inſtructæ, priuſquam ſignum pugnæ daretur, votum Deo nuncupavit *Jephte*, ſi proſpere pugnaſſet, ſe illud in holocauſtum ei oblaturum, quod ſibi e parta victoria reverteuti primum occurreret. Sic victis hoſtibus, cum domum rediret, filia unica, quam habebat, ei obviam fit, quæ læta patrem exceptura victorem, cum tympanis & choris gratulabunda proceſſerat. Tum *Jephte* conſternatus dolore, conſciſſis veſtibus, indicat filiæ ſuæ voti neceſſitatem, cui illa paruit, ac mori non recuſavit. Quadraginta duo millia Ephraimitarum, qui in Galaatidem armati irruperant, *Jephte* cæcidit, multique ex his Ephraimitis, ſermone proditi, in Jordanis tranſitu perierunt, cum vocem *Schibboleth*, quæ *Spicam* ſignificat, pronunciare non poſſent, ſed vice illius, *Sibboleth* efferrent. Per ſex annos Principatum tenuit Jephte; obiitque in civitate ſua *Galaad*, ubi etiam ſepultus eſt, ſicut legere eſt in libro *Judicum* cap. 12. v. 8. & 9.

D. Ecquid, quæſo, mihi narras votum J*ephte*, quod ei in perpetuum dedecus ceſſit, ſicut docet *S. Thomas*, Angelicus meus Præceptor, 2. 2. Quæſt. 88. Art. 2. in Reſponſ. ad ſecundam objectionem, ubi hæc habet: „ Quædam „ vero ſunt quidem in ſe conſiderata bo„ na (& ſecundum hoc poſſunt cadere „ ſub voto) poſſunt tamen habere ma„ lum eventum, in quo non ſunt ob„ ſervanda. Sicut accidit in voto Je„ phte, qui, ut dicitur cap. x. libri Ju„ dicum: Votum vovit Domino, dicens: „ Si tradideris filios Ammon in manus „ meas, quicumque primus egreſſus fue„ rit de foribus domus meæ, mihique „ occurrerit revertenti in pace, eum of„ feram holocauſtum Domino. Hoc au„ tem poterat malum eventum habere, „ ſi occurreret ei aliquod animal non „ immolandum, ſicut aſinus, vel homo: „ Quod etiam accidit, unde Hieronymus „ dicit: In vovendo fuit ſtultus, quia diſcretionem non habuit, & in reddendo impius. Cenſet itaque S. *Thomas*, votum Jephte fuiſſe illicitum, temerarium, & impium. At, hinc naſcitur haud levis difficultas, quam mihi eximas velim. Si enim *Jephte* in voto nuncupando fuit imprudens, & in reddendo crudelis, quorſum igitur cap. XI. ṽ. 29. libri Judicum dicitur, Spiritum Sanctum irruiſſe ſuper *Jephte*? *Factus eſt ergo ſuper Jephte Spiritus Domini*. Quorſum etiam Apoſtolus *Paulus* cap. XI. v. 32. & 33. Epiſtolæ ad Hebræos inter Veteris Teſtamenti Sanctos recenſet *Jephte*? *Deficiet enim me*, inquit ille Apoſtolus, *tempus enarrantem de Gedeon*, *Barac*, *Samſon*, Jephte, *David*, *Samuel &c.* Cur, inquam, Scriptura Sacra his encomiis celebrat J*ephte*, ſi ejus votum fuit illicitum, crudele, & impium, ſicut ſentit *S. Thomas?*

M. Non ſolum cenſet *S. Thomas*, votum J*ephte* fuiſſe illicitum, temerarium, & impium, ſed etiam in hac ſententia præiverunt Doctori Angelico multi ſancti Patres, præſertim *Ambroſius* lib. 3. *de Officiis* cap. 12. *S. Hieronymus* lib. 1. contra *Jovinianum*, & Comment. in caput 7. Jeremiæ, *S. Auguſtinus* Quæſt. 49. in Judices, *S. Chryſoſtomus* Homilia XIV. ad Populum Antiochenum, & *Theodoretus* Quæſtione 20. in Judices, cujus titulus eſt: *Quamobrem permiſit Dominus Deus mactari filiam Je-*

Digitized by Google

Jephte? Hi, inquam, ſancti Patres clariſſime docent, votum Jephte fuiſſe illicitum, temerarium, & impium, quia revera Jephte vovit, ſe oblaturum in holocauſtum, quod ipſi primum occurriſſet, ideſt mactaturum, & in Dei honorem totum igne conſumpturum, illudque votum Jephte in filia ſua unigenita crudeliter impleviſſe mactatione cruenta, quod tamen Deus diſtricte inhibuit lib. Deuteronomii cap. 12. v. 31. Ex qua doctrina ſanctorum Patrum falſi convincitur opinio quorumdam, qui dictitant, Jepthe non impleviſſe votum ſuum in filia ſua mactatione cruenta, ſed duntaxat immolatione ſpirituali, hoc eſt, conſecratione perpetuæ virginitatis. Hæc, inquam, opinio adverſatur doctrinæ ſanctorum Patrum, quos mox laudavi. Et ſane, ſi ſpiritualiter duntaxat immolanda fuiſſet puella, ut quid Jephte ſtatim ac vidit filiam ſuam, prorupit in miſerabiles ejulatus, ſciditque præ dolore veſtimenta ſua? ut quid etiam filia Jephte bimeſtre tempus, ut ait Scriptura Sacra, a patre ſuo poſtulavit ad plangendam cum ſodalibus virginitatem ſuam, quam toto vitæ ſuæ decurſu plangere potuiſſet? ut quid tandem filiæ Iſrael quotannis conveniſſent ad planctum ſolemnem ſuper filia Jepthe quatuor dierum ſpatio, ſicut teſtantur Sacræ Litteræ, niſi filia Jephte revera fuiſſet cruenta mactatione a patre ſuo immolata? *Sed, ſi ſit*, inquis, *cur igitur Scriptura Sacra ait de* Jephte: *Factus eſt ſuper Jephte Spiritus Domini? Cur etiam Apoſtolus Paulus Catalogo Sanctorum Veteris Teſtamenti accenſet* Jephte? Huic tuæ difficultati ſic reſpondet *S. Thomas* 2. 2. Quæſtione 88. Art. 2. ad ſecundam objectionem: *Præmittitur tamen*, inquit Angelicus ille Doctor, *quod factus eſt ſuper eum ſpiritus Domini: quia fides & devotio ipſius, ex qua motus eſt ad vovendum, fuit a Spiritu Sancto. Propter quod ponitur in Catalogo Sanctorum, & propter victoriam, quam obtinuit, & quia probabile eſt, eum pœnituiſſe de facto iniquo, quod tamen aliquod bonum figurabat*. Et commentario in Epiſtolam ad Hebræos, idem *S. Thomas* ait: *In facto Jephte fuit aliquid a Spiritu Sancto ſcilicet motus ad vovendum in generali, quod ſcilicet immolaret quidquid occurreret ſibi immolabile: Aliquid autem ex proprio ſuo ſpiritu, ſcilicet quod immolavit quod non debuit, & in hoc peccavit, ſed poſt pœnituit*. Falluntur ergo illi Scriptores, qui dicunt, votum Jephte fuiſſe pium & ſanctum; vel qui excuſant Jephte, quia hoc votum per ignorantiam, & religionis zelo Deo nuncupavit, & implevit bona fide, putans ſe hoc voto obſtringi, ad filiam, quæ ſibi primo occurrerat, immolandam. Verum nulla ignorantia, ut prætenſus religionis zelus excuſare poteſt votum Jephte, quia per illud filiam ſuam unigenitam Deo mactavit, quod certe jure naturali, divino, & humano, vetitum eſt.

D. Quis in judiciaria Populi Iſraelitici Præfectura ſucceſſit Jephte?

M. In locum defuncti Jephte ſuffectus eſt *Abeſan*, Bethleemita, ex Tribu Juda, qui Iſraelem per ſeptem annos tranquillis temporibus judicavit. Mortuo *Abeſan*, & Betheleemi ſepulto, ſucceſſit *Helon*, ſeu *Ajalon*, qui per decem annos Populum Iſraeliticum judicavit. *Ajaloni* autem mortuo ſucceſſit *Abdon*, qui per octo annos Iſraelem pacifice rexit: Sed iſti tres Judices, qui continua ſerie Jephte ſucceſſerunt, nihil memoria dignum, quod Sacra prodat Hiſtoria, ediderunt. Hic obiter advertere debes, *Paulum Pezronum* admittere, poſt mortem Judicis *Abdon* in Republica Hebræorum Anarchiam, ſeu Interregnum, quod, ut ait, duravit annis circiter quinquaginta. Sed hanc Anarchiam fictitiam plane eſſe probat altum ſilentium Scripturæ Sacræ, quæ illius poſt mortem *Abdonis*, nullam prorſus in libro Judicum mentionem facit, atque duntaxat, Iſraelitas, poſt mortem *Abdonis*, ad Idola converſos & ideo divino deſtitutos præſidio, ſubjectos fuiſſe Philiſtæis, & per quadraginta ſervitutis annos pœnas perfidiæ pependiſſe.

D. Quem Ducem ſuſcitavit Deus ad vindicandos a tam longa Philiſtæorum ſervitute Iſraelitas?

M. Deus, ad liberandum populum Iſraeliticum e diuturna Philiſtæorum ſervitute, uſus eſt opera *Samſonis*, cujus ortum Angelus ſterili matri nuncupavit.

Ab

Ab infantia Deo conſecratus *Samſon*, comam aluit, a vino, & ſicera, Nazaræorum inſtar, abſtinuit. Philiſtææ mulieris amore captus, eam duxit uxorem, quæ poſtea ipſum prodidit. Ad miraculum fortis fuit *Samſon*, Judex Hebræorum a Deo conſtitutus, majoraque vere præſtitit, quam fabulæ *Herculi* ſuis commentis affinxerunt. At enim primo, *Samſon* obvium habens Leonem, in fruſta nudis manibus eum diſcerpſit, & poſt aliquot dies reverſus, examen Apum, favumque mellis in ejus ore invenit. Secundo, *Samſon*, poſtquam compertum habuiſſet, uxorem ſuam Philiſtæam, ipſo abſente, fuiſſe alteri viro matrimonio copulatam, excanduit, & ut abreptæ uxoris ſuæ injuriam ulciſceretur, perniciem toti Philiſtæorum genti hoc pacto molitus eſt. Trecentis vulpibus (quas per ſe, & per amicos capere potuit) ardentes lampades earum illigavit caudis, atque agris Philiſtæorum immiſit, indeque magnum excitavit incendium, quod in maturas jam Philiſtęorum meſſes, fruges, vineas, oliveta, & in villas ipſas ſparſum, ac longe, lateque graſſatum eſt. Hoc, grandi licet Philiſtæorum exitio, parum ſe vindicatum ratus *Samſon*, urgere omnibus incommodis prophanam gentem, eique magnas clades inferre non deſinebat. Quo factum eſt, ut Judæi, compulſi a Philiſtæis, *Samſonem* vinctum eis tradiderint. Sed traditus, ruptis vinculis, arreptaque aſini mandibula, quam caſus telum dederat, mille ex hoſtibus proſtravit. Ingraveſcente autem æſtu, cum, poſt victoriam, ardenti ſiti cruciaretur, invocato Domino, e dente molari aſini, cujus maxillam abjecerat, ſcaturivit fons, cujus aquis ſitim ſedavit. Tertio, *Samſon*, urbem Gazam ingreſſus, portis omnibus diligenter obſeratis, ad vincula & necem a Philiſtæis deſtinatus, concubia nocte ſurgens, ſtructas ſibi a Philiſtæis inſidias maximo robore, & audacia declinavit, portas urbis cum poſtibus vi avulſas humeris ſuis impoſuit, & in cacumen montis, qui adjacebat viæ, Hebronem ducenti, nemine ei reſiſtere auſo, detulit. At paulo poſt *Samſon*, vir tantus, & tot palmarum Dux, a vili meretrice, *Dalila*, victus ac ſubjugatus eſt: Ea quippe ſcelerata, & callida meretrix *Samſonem* interrogavit, in quo ſita eſſet tanta, qua pollebat fortitudo, cumque *Samſon* bis eam, ac tertio deluſiſſet, ſuccubuit tandem illius ſcortuli importunis precibus, & intempeſtivis blanditiis, eique per ſummam inſaniam indicavit, ſe, quamdiu capillatus eſſet, ſemper fortem & invictum fore, reſciſſo crine, inermem, & aliis hominibus parem futurum. Mox dormienti *Samſoni* inſidiata meretrix *Dalila*, ejus capillitium abraſit, eumque Philiſtæis tradidit. Tum illi effoſſis oculis, vinctum *Samſonem* in carcerem conjecerunt. Sed poſtmodum creſcentibus capillis, viribuſque recuperatis in locum, in quem Philiſtæorum Primores omnes, & maxima populi turba convenerant, in pompam productus, ut ei, poſt epulas illuderent, duas columnas, quas utraque manu apprehendit, tam valido impetu concuſſit ac dejecit, ut tria Philiſtæorum millia ædificii collabentis ruina oppreſſerit, ſuo ipſe ſepultus triumpho. Sic extinctus eſt *Samſon* poſtquam viginti annis præfuiſſet Hebræis. Vir ſane nunquam laudandus ſatis, niſi ſeſe libidini vincendum permiſiſſet.

D. Cum nemini liceat ſibi conſciſcere necem, juſta mihi ſuppetit ratio dubitandi de æterna ſalute *Samſonis*, qui mortem ſibi intulit, nec ullum edidit pœnitentiæ ſignum.

M. Dum *Samſon* columnas domus concuſſit, domumque evertit, qua ſe oppreſſum iri certo prævidebat, omni culpa vacavit, tum quia primo id non fecit *Samſon* ex intentione ſeipſum occidendi, ſed ut Dei, & Populi Iſraelitici hoſtes opprimeret, ex quo ſecuta eſt mors ipſius, cum alioqui optaſſet eos perdere, ſe ſalvo: Tum quia etiam id non præſtitit *Samſon* humani furoris, aut deſperationis impetu, ſed impellente Spiritu Sancto, ſicut docet *S. Auguſtinus* lib. 1. *De Civitate Dei* cap. 21. his verbis: *Nec Samſon aliter excuſatur, quod ſe ipſum cum hoſtibus ruina, domus oppreſſerit: niſi quia Spiritus latenter hoc juſſerat, qui per illum miracula faciebat.* Præterea Apoſtolus *Paulus* Epiſt. ad Hebræos cap. xi. verſ. 32. *Samſonem* enume-

merat inter Sanctos Veteris Teſtamenti, dicens : *Deficiet me tempus enarrantem de Gedeone, Barac, Samſon &c.* Porro, ſi *Samſon*, ruina domus ſeipſum occidendo peccaſſet, & in peccato nulla pœnitentia diluto, ex hac vita exceſſiſſet, non deberet inter Sanctos habere locum, ſed potius inter reprobos enumerandus eſſet. Non peccavit itaque *Samſon*, dum, impellente Spiritu Sancto, adita forti animo ſpontanea morte, Philiſtæos, Dei hoſtes, & Populi Iſraelitici oppreſſores, communi ſecum ruina implicuit, *multoque plures interfecit moriens, quam vivus occiderat*, ſicut ait ſacer Auctor libri udicum cap. 29. verſ. 30.

D. Quis, mortuo *Samſone*, rexit Populum Iſraeliticum, & judiciariam obtinuit Præfecturam?

M. Putat *Sulpicius Severus* cap. 29. lib. 1. *Hiſtoriæ Sacræ*, aut ſaltem dubitat, num demortuo *Samſoni* ſucceſſerit *Semigar*, ſeu *Samgar*. Sic enim habet. *Huic*, ſeu Samſoni, *Semigar ſucceſſit, de quo nihil amplius Scriptura prodidit. Nam neque finem Imperii ejus reperi, & fuiſſe populum ſine Duce invenio; Ideo cum adverſus Beniamin Tribum civile bellum fuit*, *Judas temporarius Dux belli aſſumptus eſt. Sed plerique, qui de temporibus ſcripſerunt, annum unum Imperio ejus annotaverunt. Plerique ita eum præterierunt, ut poſt Samſon, Eli, Sacerdotem, ſubjunxerint. Nos eam rem, ut parum compertam, in medio relinquemus.* Et capite ſequenti, ſeu xxx. ejus libri, conceptis verbis *Sulpicius Severus*, aſſerit, *Semigarem*, ſeu *Samgarem*, ſucceſſiſſe *Samſoni* : *Nam*, inquit, *cum poſt Samſon Judicem Semigar fuerit &c.* Sed mirari vehementer ſubit, cur *Sulpicius Severus* dicat ſucceſſorem *Samſonis* fuiſſe *Samgarem*, cum Sacræ Litteræ in libro Judicum memorent quidem Judicum aliquem nomine *Samgarem*, ſed eum non *Samſoni*, ſed *Aod* ſucceſſiſſe diſerte teſtentur. Mirum etiam eſt, quod *Sulpicius Severus* c. 29. l. 1. *Hiſtoriæ Sacræ* ſcripſerit bellum Beniaminiticum, ideſt, contra Tribum Beniamin, a Tribubus reliquis confectum, ob violatam, & impotenti libidine extinctam juvenis Levitæ uxorem contigiſſe poſt Præfecturam *Samſonis*, cum tamen; ſicut antea diximus, flebilis illa Hiſtoria uxoris Levitæ, bellum Beniaminiticum, *Michæ*, & Tanitarum Idololatria, acciderint antequam Populus Iſraeliticus haberet Judices, hoc eſt, tempore Anarchiæ, ſeu Interregni ſex annorum, quod fuit poſt obitum *Calebi*, & ſeniorum Juda, qui in regimine Reipublicæ Hebræorum ſucceſſerunt *Joſue*. Fateor quidem, tam bellum Beniaminiticum, quam alia Facta hiſtorica narrari in quinque poſtremis libri Judicum capitibus poſt mortem, *Samſonis*; id, inquam, ultro fateor, ſed inconſulto a ſacro libri Judicum Auctore factum eſſe cenſeo, quippe qui, ne Judicum Geſta, quæ imprimis ſcribenda ſibi ſumpſerat, interrumperet, bellum Beniaminiticum, & quædam alia Facta hiſtorica in quinque poſterioribus ejuſdem libri capitibus, poſt obitum *Samſonis*, deſcripſit, quæ tamen ante *Samſonis* obitum revera contigerunt. Sed redeamus ad ſeriem illorum Judicum, qui poſt obitum *Samſonis*, Populum Iſraeliticum rexerunt. Defuncto *Samſone*, Judex Populi Iſraelitici, conſtitutus eſt *Heli*, Summus Pontifex, non ex *Eleazaro*, primogenito *Aaronis*, ſed ex *Ithamare* genus ducens. Eo gubernatore, calamitoſiſſimus fuit Reipublicæ Iſraeliticæ ſtatus, jamque periclitari videbatur, niſi Deus *Samuelem*, patre *Elcana* de Tribu Levi genitum, & *Annæ* matris ſterilis ardentibus votis ac precibus conceſſiſſet. A pueritia Deo conſecratus eſt *Samuel*, & diſciplinæ *Heli*, Sacerdotis, traditus, qui, poſtquam adoleviſſet, noctu quater a Deo vocatus, juſſus eſt ut ſententiam in *Heli*, domumque ejus latam, ob crimina filiorum ejus, nimiamque patris erga eos indulgentiam, illi ſuo nomine denunciaret. Deo morem actutum geſſit *Samuel*, adiit *Heli*, eique divinam increpationem, minas, & proximam totius ipſius familiæ cladem, ut audierat a Domino, indicat, totque malorum cauſam aperit, improbitatem videlicet filiorum

eius,

ejus, *Ophni*, & *Phinees*, qui patris auctoritate abutentes, ejuſque Sacerdotium in turpem quæſtum vertentes, & munera a ſacrificantibus exigentes, avertebant religioſos homines a Templo, rebuſque ſacris, & pietatem, quam in primis fovere debebant, extinguebant. Erant inſuper *Ophni*, & *Phinees*, viri libidinoſi, ſuo ſuorumque ſacrilegio infames, qui depoſito omni pudore, effræni libidine, promiſcuis adulteriis cum matronis ad oſtium Tabernaculi excubantibus, ſeſe conſpurcabant. Erant denique contumaces in patrem ſuum *Heli*, qui eos identidem verbis increpabat, ſed lenius quam eorum culpa, & Summi Judicis, atque Pontificis auctoritas exigebant. Terribilis illus Oraculi, quod *Samuel* nomine Dei ſignificavit *Heli*, veritatem probavit eventus. Iſraelitæ quippe duplici prælio ad triginta quatuor millia virorum cæſi ſunt. Arca, quæ e Tabernaculo in caſtra fuerat delata, ab hoſtibus capta eſt; *Ophni*, & *Phinees*, Sacerdotes, & filii *Heli*, occiſi ſunt, tamque terribili nuntio perculſus *Heli*, de ſede retrorſum lapſus, fracta cervice, occubuit anno ætatis ſuæ nonageſimo octavo, judiciariæ vero ſuæ Præfecturæ anno quadrageſimo. Denique, Nurus *Heli*, uxor *Phinees*, filium *Ichabodem* immaturo partu enixa, e vivis confeſtim rapta eſt, ſicque tota *Heli* familia luctu, necibuſque fuit completa. Philiſtæi, parta victoria, Arcam Dei, quæ in eorum poteſtatem venerat, oppido Azoto in Templum *Dagon*, juxta Idolum, intulerunt, velut ſpolium falſo Numini ſacrum. „ Sed (verbis utor *Sulpicii Severi* cap. 31. lib. 1. *Hiſtoriæ Sacræ*) ſimulacrum, Dœmoni dicatum, ubi Arca illata eſt, corruit, cumque Idolum loco reſtituiſſent, nocte inſecuta diſcerptum eſt. Inde mures per omnem regionem exorti, noxii morſibus multa hominum millia letho dabant. Quo malo compulſi Azotii, Arcam Dei ad Gethæos tranſtulerunt. Qui cum ſimili clade afficerentur, in oppidum Aſcalonenſium tranſvexerunt. His vero, advocatis gentis ejus primoribus, conſilium fuit, Arcam Domini Hebræis reddere. Ita ex ſententia Principum, Auguſrumque & Sacerdotum, impoſita vehiculo, multis cum muneribus remittitur. Illud memorabile, quod cum oneri boves fæminas ſubjeciſſent, vituloſque earum domi retinuiſſent, iter, nullo duce in Judæam pecudes direxerunt, non revocante affectu fœtus relicti: cujus rei miraculo Reguli Allophylorum uſque in fines Hebræorum Arcam ſecuti religioſum officium præſtiterunt. Judæi autem, ubi Arcam referri viderunt, certatim ex oppido Bethſamis cum gaudio obviam ruere, feſtinare, exultare, grates Domino referre. Ad urbem *Bethſamen*, quæ erat urbs Levitica, ſemel appulſa Arca Domini, incredibile illud gaudium, quo illius urbis incolæ, ſeu Bethſamitæ, eam venientem exceperant, mox in luctum converſum eſt. Cum enim Bethſamitæ audacius illam introſpicerent, & fortaſſis parum ſancte manibus contrectare præſumerent (quod Deus non ſolum plebeiis, ſed & Levitis diſtricte cap. 4. v. 20. libri Numerorum ſub pœna mortis vetuerat) ſtatim ſeptuaginta viri ex Primoribus, quinquaginta vero millia ex plebeiis, vindice Deo perierunt, ſicut legitur cap. 6. v. 19. l. 1. Regum. Ea ſubitanea, & inopinata clade vehementer territi Bethſamitæ, Arcam in oppidum *Cariathiarum* miſerunt, ubi poſita eſt in domo *Abinadab* in Gabaa, ibique per annos viginti fuit. Dum *Samuel* ſumma vigilantia judiciis adminiſtrandis, & regendæ Reipublicæ totus poſt obitum *Heli* incumberet, atque in profligandis Iſraelitarum hoſtibus omnem operam, & induſtriam poneret, Populus Iſraeliticus, ab eo, quem jam ſenuiſſe videbant, poſtularunt Regem, qui aliarum Gentium inſtar, ipſum belli, paciſque temporibus regeret. Nihil intentatum reliquit *Samuel*, ut Iſraelitas a tam pravo conſilio abduceret, Deique juſſu eis dominationem regiam, & ſuperba imperia expoſuit, libertatem extulit, ſervitutem deteſtatus eſt; poſtremo, divinam eis iram denunciavit, ſi Deum Regem habentes, vellent non ſine exemplo amentiæ libertatem ſervitio mutare, ſibique ex hominibus flagitare Regem, qui poteſtatem in licentiam quidvis pro arbi-

arbitrio ſuo agendi, & dominium in tyrannidem verteret. Sed ſurdis cecinit *Samuel*, nec dictis ſuis potuit Iſraelitas ab inſana petitione Regem habendi deterrere. Quapropter, in ſententia perſeverantibus Iſraelitis, eorum reſponſum referenti *Samueli* juſſit Deus, ut eorum deſiderio annueret, Regemque illis crearet. Dei juſſis ſtatim obtemperavit *Samuel*, primumque Iſraelitarum Regem creavit & unxit *Saulem*, filium *Cis*, de Tribu *Beniamin*, tuncque ceſſavit apud Iſraelitas judiciaria Præfectura, & Reipublicæ Hebræorum ſtatus, qui ſub *Moyſe*, *Joſue*, & *Judicibus*, fuerat Ariſtocraticus, mutatus eſt in Monarchicum. Sed antequam *Saulis*, primi Iſraelitarum Regis, Geſta hic deſcribam, neceſſe eſt, ut paucis referam hiſtoriam *Ruth*, quæ (ut legitur in ſacro libro *Ruth* cap. 1. v. 1.) incidit in tempora Judicum, quamvis ſub quo Judice contigerit, ſit omnino incertum. Sic autem ſe habet Hiſtoria *Ruth*. Orta fame in terra Iſraelis, *Elimelech*, Betleemita de Tribu Juda, una cum uxore *Noemi*, ac duobus filiis *Mahalone*, & *Chelione*, in Moabitidem profectus eſt, cumque ibi extremum diem obiiſſet, filii ejus uxores Moabitidas duxerunt, quarum uni nomen erat *Orpha*, altera appellabatur *Ruth*: utroque abſque liberis extincto, *Noemi* rediit in patriam cum *Rutha*, Nuru ſua, vidua *Mahalonis*, quæ cultum veri Dei amplexa eſt, *Orpha* vero ad Idolorum cultum reverſa. *Booz*, filius *Salmonis ex Rahab*, meretrice Jericunthina, vidit *Rutham* in agris ſuis ſpicas colligentem, eique non ſolum liberum permiſit ſpicilegium, ſed multis eam beneficiis cumulavit, cumque eſſet *Elimelechi* conſanguineus, & aliunde vir dives ac potens, cognita virtute & probitate *Ruthæ*, eam jure propinquitatis, alio propinquiore recuſante, ſervatis Legis, & avitæ conſuetudinis ritibus, uxorem duxit, & ex ea genuit *Obed*, ex quo natus eſt *Iſai*, ſive *Jeſſe*, pater *Davidis*, Regis Juda. Habes ſummatim perſtrictam hiſtoriam *Ruthæ*, quæ ut jam diximus, contigit ſub uno Judicum, quæque in ſacro libro *Ruth* narratur quatuor capitibus comprehenſa.

D. Geſtio nunc audire ea, quæ in ſuo regimine geſſit *Saul*, quem *Samuel* creavit & inauguravit primum Iſraelitarum Regem.

M. *Saulem*, virum præſtanti forma & Imperio digna præditum, modeſtum, juxta ac bellicoſum, a *Samuele* Regem declaratum, Populus Iſraeliticus pronis animis veneratus eſt, & una voce proclamavit: *Vivat Rex*. Præclara fuerunt Regni *Saulis* exordia. At enim, poſt menſem a ſua inauguratione, urbem *Jabes* in Galaad, quam *Naas*, Rex Ammonitarum, obſidebat, ducto Iſraelitarum exercitu liberavit, & Ammonitas profligavit. Præterea, *Saul* Amalecitas & Philiſtæos, Ammonitas, & Idumæos, Hebræorum hoſtes infenſiſſimos, magnis cladibus attrivit. Diſciplinæ militaris adeo rigidus cultor fuit *Saul*, ut parum abfuerit, quin *Jonathanem*, filium ſuum, morti addixerit. Præceperat quippe *Saul*, ne quis, niſi confectis ac internecione deletis hoſtibus, cibum caperet. At, *Jonathas*, filius *Saulis*, qui adverſus Philiſtæos ſtrenue pugnaverat, inſcius Regii Edicti, paululum mellis, favo in nemore reperto, tincto ſpiculo, deguſtavit, indeque mortis diſcrimen ſubiit. Sed populus egregium hunc Principem, quem in oculis ferebat, liberavit, & ab imminenti exitio vindicavit. Fortunata iſta Regni ſui initia haud parum deturpavit *Saul*, ſuitque, ob duplicem præſertim cauſam, a Deo reprobatus, ejuſque familia e Regni ſucceſſione excluſa. Primo, quod *Saul*, contra Dei hoſtes prælium conſerturus, Sacrificium contra ipſius Dei Mandata intempeſtive obtuliſſet, inconſulto & inexpectato *Samuele*, cujus nutu & conſilio illum dirigi Deus volebat. Secundo, quia Rex *Saul*, a Domino per *Samuelem* juſſus, ut Amalecitas omnes ad unum internecione deleret, addito interdicto, ne quid ex ſpoliis devictorum, & ex eorum gregibus & bonis concupiſceret, necdum retineret, *Saul* tamen, divini præcepti immemor, *Agag*, capto Amalecitarum Regi, pepercit, optimoſque greges ſervari, & in prædam ferri imperavit. A Deo itaque reprobato *Saule*, Rege, e paſcuis vocatus *David*, filius *Iſai*, de Tribu Juda, inunctus eſt a *Samuele* in Regem, inſcio *Saule*. Bello a Philiſtæis impe-

impetitam Rempublicam Hebræorum egregie ſuſtentavit, fulcivitque *David* adhuc adoleſcens. Cum *Goliatho*, Viro inter Philiſtæos miræ magnitudinis & roboris, virga tantum, & lapidibus ſumptis, in prælium proceſſit; primoque ictu miſſo funda lapide gigantem illum percuſſit, proſtravit, ejus caput & ſpolia ovans abſtulit, illiuſque gladium in Templo appendit, ut eſſet memorabilis iſtius facinoris monimentum. Urbem etiam *Ceilam* ab obſidione Philiſtinorum liberavit *David*. Quibus militiæ rudimentis & ſuaviſſimis moribus ita Regis *Saulis* benevolentiam ſibi conciliavit, ut *Micholem*, filiam *Saulis*, in matrimonium acceperit. Sed mox *Saul* amorem ſuum in odium, invidiamque vertit, tantoque livoris æſtu in *Davidem*, generum ſuum, percitus eſt, ut eum ad necem ſæpius quæſierit; ipſe vero *David*, ut periclitanti vitæ ſuæ conſuleret, cogeretur per deſerta loca, & per abrupta montium ac ſpeluncas, inſtar feræ, captare latebras, ut ſoceri ſui, hoſtiliter illum inſequentis conatus, ſedulitatemque eluderet. Actum profecto, ac penitus de vita *Davidis* conclamatum fuiſſet, niſi *Micholis*, ipſius uxoris, induſtrius amor; *Jonathæ*, Principis, filii *Saulis*, fidelis & conſtans amicitia; *Achimelechi*, Sacerdotis, qui *Davidem*, fame laborantem, panibus propoſitionis refecit charitas; *Davidis* ipſius coram *Achis*, Gethæorum Rege, inſaniam ſimulantis ſumma prudentia; *Abigailis*, uxoris *Nabal*, beneficienta, ſalutem illius maximo in diſcrimine poſitam, Deo ita providente, collocaſſent in tuto. Sed his *Davidis* calamitatibus finem tandem impoſuit Deus morte Regis *Saulis*, acerrimi illius inſectatoris. Videns enim *Saul* inſeparata formidoloſa Philiſtinorum caſtra, jamque inſtare prælium, conſuluit timore perculſus Dominum, qui tamen ei non reſpondit ſive per ſomnia, ſive per Sacerdotes, ſive per Prophetas. Qua repulſa irritatus *Saul*, & ad deſperationem adactus, vocavit, & conſuluit Pythoniſſam, ſeu mulierem, quæ Pythonem, ſeu Dæmonem, familiarem habebat. Petiit ergo *Saul* ab hac muliere, ut ſuſcitaret ſibi *Samuelem*, a quo ſciſcitari poſſet, quid ſibi, ad has extremas redacto anguſtias, facto opus eſſet? Dicto audiens hæc mulier ſuſcitat *Samuelem*, qui *Sauli* prædixit, illum poſtero die cum filio ſuo *Jonathane* a Philiſtæis victum, in prælio occiſum iri, ejuſque Regnum *Davidi* datum iri. Quod ita evenit, nam Philiſtæi, caſtris in hoſtili ſolo poſitis, poſtero die aciem inſtruunt, conſertoque prælio, Hebræi in fugam verſi, non imperia exequi, non ordines obſervare, omne præſidium in pedibus habere. Filii Regis *Saulis* ceciderunt in prælio, *Saul* vero, equo delapſus, ne vivus in poteſtatem hoſtium veniret, gladio ſuo incumbens, mortem ſibi intulit. De annis adminiſtrati a *Saule* Regni, Commentatores & Chronologi variant linguis & ſententiis. Annos quadraginta *Sauli* tribuit S. *Paulus* Actorum c. 13. Communis tamen & probabilior opinio eſt, illis quadraginta annis contineri etiam *Samuelis* annos ante *Saulis* Principatum, in quam ſententiam lubens ipſe deſcendo, ut conſtabit ex ea, quam mox texam, ſerie annorum, qui a profectione Iſraelitarum ex Ægypto uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum, hoc eſt, uſque ad conſtructionem Templi Hieroſolymitani, interfluxerunt.

D. Fuitne *David*, mortuo *Saule*, Rex ab omnibus Iſraelitarum Tribubus ſalutatus?

M. Statim ac *David*, qui erat in Terra Philiſtinorum, compertum habuiſſet, Regem *Saulem*, ejuſque filium *Joanathanem* e vivis exceſſiſſe, eorum necem, miro pietatis exemplo, lacrymis & luctu proſecutus eſt. Dein, conſcendit Hebronem, ubi ſolemni ritu, & frequentibus comitiis, iterum Rex inunctus eſt. Aſt, dum *David* in Hebrone inaugurabatur Rex, *Isboſethum*, filium *Saulis*, in urbe *Manahim* trans Jordanem apud Galaaditas Regem conſecrandum curavit *Abner*, qui magiſter militiæ *Saulis* Regis antehac fuerat. Sed *Iſboſethus* octavo Regni ſui anno inſidiis appetitus, & domi ſuæ per ſummum ſcelus a ſicariis oppreſſus, ſolidam *Davidi* totius Regni poſſeſſionem reliquit. Tunc enim duodecim Tribus, & Seniores Iſrael ad *Davidem*, qui erat in Hebrone, venerunt, & facta ipſi deditione, tertio unctum, ſuper totum Iſrael Regem conſtituerunt. Univerſo itaque Iſrae-

Iſaelitico Imperio potitus *David*, in ejus adminiſtratione præclare ſe geſſit. Nam primo, relicto Hebrone, Hieroſolymam armata manu contendit, arcem *Sionis*, quam occupabant Jebuſæi, invaſit, &, profligatis Jeſubæis, in Hieroſolymorum urbe, quam, multis auctam ædificiis, *Civitatem David* appellavit, Regni ſui ſedem collocavit. Poſthac, variis contra hoſtes Dei bellis implicitus *David*, inſignes de illis victorias reportavit, & Regni Iſraelitarum fines ad Euphratem uſque propagavit. Philiſtæos domuit, Idumæos, & Amalecitas ſubjugavit, Moabitas, & Ammonitas expugnavit, Syriam ſubegit, ei ſtipendium impoſuit, immenſamque auri, & æris copiam ex præda retulit. Hæc & alia id genus fuerunt *Davidis* Regis bellicæ virtutis nulla unquam delenda oblivione monumenta; quibus tamen longe præponenda eſſe duco ea, quæ *David* Rex dedit eximiæ pietatis ſpecimina, inter quæ Scriptura Sacra potiſſimum narrat translationem Arcæ Domini, quæ in oppido Cariathiarim, ut ſupra obſervavimus, erat, Arcam, inquam, Domini in Arcem Sion ſolemni ac religioſo ritu tranſtulit *David*, & in novo Tabernaculo, quod ei paraverat, depoſuit. Hanc Arcæ translationem Deus ſtupendo prodigio commendavit. Cum enim boves, trahentes plauſtrum, cui impoſita erat Arca, calcitrantes vidiſſet *Oza*, filius *Abinadab*, ac ſubinde Arcam vacillantem, manum admovit, ut eam ſublevaret, ſubita morte extinctus eſt, non quod Levita non eſſet, ſicut perperam quidam aſſerunt, ſed quia, ut cenſet *Theodoretus* Quæſtione XIX. in librum II. Regum, *Oza*, qui Arcam humeris ſuis ex præcepto Legis portare debuiſſet, eam, Philiſtæos, Alienigenas, qui Legem non noverant, imitatus, plauſtro vehendam impoſuit. Cum Templum Domino ædificare *David* in animo haberet, ſuumque *Nathani*, Prophetæ, conſilium aperuiſſet, hoc divinum accepit reſponſum, non ab ipſo, gerendis bellis jam pridem aſſueto, multique ſanguinis effuſore, ſed a filio pacifico *Salomone*, ei naſcituro, ſacrum illud opus perfectum iri. At, *David*, ſicut admiranda invictæ ſuæ in bello fortitudinis, & eximiæ in Religione pietatis in Deum ſupra omnes Reges ſpecimina exhibuit, ita deploranda infirmitatis humanę reliquit exempla. Dum enim Hieroſolymis otio frueretur, vidit *Uriæ*, Hethæi, conjugem, inſignis pulcritudinis fœminam, cui nomen *Betſabee*, ſeſe in balneo lavantem, ejuſque impudico amore ſubito correptus, accerſitam adulterio polluit. Porro, *Davidis* adulterium aliquę circumſtantię peculiariter exaggerant. Primo, quod Rex ille domi haberet uxorum greges & concubinarum, & tamen non ex inopia, ſed ex laſcivia concupivit alienam, ut raptor potius, quam ſtupro delectari viſus ſit. Neque enim par crimen eſt ejus, qui coactus egeſtate ſuffuratur aliquid diviti: & ejus, qui domi opulentus, tenuem & miſerum veſte unica, quam habet, ſpoliat. Hanc criminis atrocitatem *Davidi* impegit *Nathan*, Propheta, ad illum miſſus a Deo, ſub parabola divitis raptoris, & pauperis ſpoliati. Secundo, *David* adjunxit adulterio homicidium *Uriæ*, mariti *Betſabeæ*, quod quidem homicidium eo immanius fuit, quod non caſu, aut ſubita animi commotione, ſed deſtinato conſilio, data opera, & capta opportunitate a *Davide*, Rege, commiſſum eſt. Nihil commeruerat *Urias*, noverat Rex illum fidelem, & fortem bellatorem, & hac ipſa hominis ſinceritate abuſus eſt ad illius exitium. Tradidit *David* epiſtolam homicidam *Urię*, nihil ſuſpicanti, deferendam ad *Joabum*, Ducem militiæ, in qua Rex huic Duci præcipiebat, ut *Uriam*, iniquo pugnæ loco hoſtibus oppoſitum, Ammonitarum telis conficiendum curaret. Votis Regis obtemperavit *Joab*, ſed, ut lateret fraus, complures generoſi exercitus milites in diſcrimen mortis vocati ſunt, magna vis hominum jaculis hoſtium objecta eſt, ut unus innocens interimeretur, Regis libidini locum daturus. Viden, quantum in uno *Davidis* crimine inſit criminum? Tanti ſceleris atrocitatem, per Prophetam *Nathanem* adominitus *David*, ultro agnovit, dicens: *Peccavi Domino*, & lacrymis perfuſus, cordeque contrito, culpam delicti ſui obliteravit (dicente ei Propheta Nathane: *Tranſtulit Deus peccatum tuum*) ſed

ſed non evaſit pœnam temporaneam, quam Deus, juſtus ſcelerum vindex, ei inflicturus erat, quamque pœnitens *David* æqua ſibique ſemper conſtanti vitæ ratione, multiplicem tulit. Prima pœna fuit, ut puer, quem ex furtivo concubitu, ſeu ex adulterio cum *Bethſabæe* ſuſceperat *David*, recens natus, interiret, tametſi pueruli illius ſalutem, & vitam precibus, jejunio, lacrymis, cilicio, ardentiſſimis votis a Deo, vitæ & necis arbitro, flagitaſſet, ſed fruſtra. Alteram pœnam ſubiit *David*, præcedenti longe acerbiorem, quippe quæ familiam ejus lacrymis, cædibuſque permiſcuit. Habebat *David* filium primogenitum, dictum *Ammonem*, qui ſororem ſuam *Thamarem* puellam formoſiſſimam, impotenti libidine deperibat, cujus ut amplexibus frueretur, de induſtria ſimulavit, tanta ſibi ineſſe omnium ciborum nauſeam, ut nullis cibis uti poſſet, niſi ſororis ſuæ *Thamaris* manibus præparatis. Nihil fraudis ſuſpicatus *David*, pater ipſius, annuit ejus votis, permiſitque, ut *Thamar* inviſeret fratrem ſuum, eique cibos coqueret ac pararet. At, ſolam venientem *Thamarem*, eamque ab arbitris remotam nactus in cubiculo ſuo *Ammon* defloravit, ac conſtupravit. Quo turpi dedecore conſternata *Thamar*, feſtina, lacrymiſque perfuſa accurrit ad alium fratrem ſuum, dictum *Abſalonem*, eumque ad ultionem ſtimulavit. Per biennium quæſivit *Abſalon* opportunam vindictæ occaſionem; ac tandem invitavit *Ammonem* ad convivium, in quo, poſt quam convivæ omnes incaluiſſent mero, multis vulneribus confoſſus *Ammon* periit: ſuaque morte, & ſtupro, quod ſorori ſuæ *Thamari* intulerat, totam *Davidis* Regis, patris ſui familiam funeſtavit. Hanc domeſticam in familia *Davidis* Regis calamitatem alia luctuoſior excepit, quæ *Davidem* in extremum diſcrimen adduxit, eumque e ſolio tantum non deturbavit. Iſtius ſequentis in familia *Davidis* Regis domeſticæ calamitatis auctor fuit alter illius Regis filius, videlicet *Abſalon*, fratricida, & optimo parenti ſuo perduellis. Ille quippe, poſtquam populum arte & adulatione ſibi conciliaſſet, *Davidem*, patrem ſuum, Hieroſolymis & Regno expulit, Regiam occupavit, fœdiſſimo ſtupro & culeo digno, paternas concubinas polluit. Sed paulo poſt in prælio victus, dum, mulo inſidens, præcipitem arripit fugam, caput ſuum inter patulæ ac condenſæ quercus ramos inſeruit, iiſque cæſariem ſuam, ſeu magnos & fluentes capillos, quos ad decorem gerebat, ita implicuit, ut elabente mulo, quo vehebatur, ſuſpenſus hæſerit cœlum inter & terram medius. Hoc pacto hærentem *Abſalonem* triplici jaculo confodit *Joabus*, Dux Davidici exercitus, huncque degenerem filium, qui impia arma contra patrem ſuſtulerat, & per tot ſcelera rebellionis vexillum erexerat, trucidavit. Hanc tamen cruentam de filio ſuo *Abſalone* reportatam victoriam luxit impenſius *David*, Rex: tanta videlicet in eo erat paterna pietas, ut etiam parricidam filium e vivis ſublatum eſſe vehementer indoleret. Ad has domeſticas Davidicæ familiæ calamitates, novum acceſſit flagellum, quo Deus *Davidem* Regem caſtigavit. Cum enim *David*, ambitione incitatus, univerſi populi cenſum ad metiendas imperii vires inſtituiſſet, & a *Joabo*, militiæ Magiſtro, decies centena, & trecenta civium millia dinumerata eſſent, Deus per *Gadem*, Prophetam, triplicem *Davidi* denunciavit pœnam, ſcilicet famem, bellum, & peſtilentiam, deditque arbitrium unam ex his eligendi. Peſtem *David* Rex elegit, momentoque temporis ſeptuaginta millia virorum interierunt, multoque majorem ſtragem edidiſſet Angelus, niſi *David* veniam a Deo precatus, ſe vivum pro toto populo pœnæ objeciſſet, dicendo, ſe ſolum eſſe dignum exitio, quia peccaſſet: *Ego ſum*, inquit, *qui peccavi, ego inique egi: Illi, qui oves ſunt quid fecerunt? Vertatur, obſecro, manus tua contra me*. Hac ſupplicatione *David* iram Dei placavit, & eo in loco, ubi viderat Angelum in vagina gladium recondentem, aram Domino ſtatuit, eique in gratiarum actionem obtulit Sacrificium. Hæ ſunt in ſumma pœnæ & calamitates, quas Deus *Davidi* ob ejus adulterium & homicidium inflixit, ut locum, & tempus ei daret culpam admiſſam cognoſcendi, eamque diuturna, laborioſa, ac ſincera pœnitentia eluendi. In his porro congeminatis pœnis,

nis ac calamitatibus totum ſeſe Dei arbitrio permiſit *David*, ejuſque manum ac juſtitiam agnoſcens prono capite adoravit. Hinc *David*, dum adverſus illum rebellante *Abſalone*, filio ſuo, fugeret, & in *Semei*, virum maledicum, a quo per ſummam injuriam calumniis, maledictis, quin & lapidibus fuit impetitus, incidiſſet, non ſolum non reſpondit, ſed *Semei* convitia ad ſui caſtigationem, & exercitationem fuiſſe a Deo ordinata faſſus eſt, prohibuitque *Abiſai*, qui illius blateronis volebat jugulum, unde tot convitia in Regem eruperant, ſecare, ne vim ei inferret: *Dimitte eum*, inquit, *ut maledicat juxta præceptum Domini: ſi forte reſpiciat Dominus afflictionem meam: & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hodierna* (lib. 2. Regum c. 16.)

D. Compoſuitne *David* tempore, quo pœnitentium egit, centum & quinquaginta illos Pſalmos, quos in ſacro Pſalmorum Libro comprehenſos habemus?

M. Sancti Patres, *Hilarius* Prologo in Pſalmos, & *Hieronymus* in Epiſtola ad *Sophronium*, centum & quinquaginta illos Pſalmos non uni *Davidi* adſcribendos eſſe docent, quorum ſententiam, utpote probabiliorem, amplector: Tum quia *Davidem* non eſſe auctorem centum & quinquaginta Pſalmorum liquet ex ipſis Pſalmorum titulis, quibus eorum auctores indicantur, nimirum *Aſaph*, *Heman*, *Idithun*, *Core*, & filii ejus, quos Scriptura Sacra lib. 1. Paralipomenon c. 25. Prophetas appellat; Tum quia etiam ſunt quidam Pſalmi, qui ad tempora *Davidis*, Regis, nullo pacto referri poſſunt; Ex Gr. Pſal. 136. *Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus, cum recordaremur Sion*; hunc etenim Pſalmum tempore, quo Judæi in captivitatem Babylonicam abducti ſunt, ac ſubinde longe poſt *Davidis* obitum fuiſſe conſcriptum, unicuique pervium eſt. Similiter Pſal. 125. *In convertendo Dominus captivitatem Sion*, &c. editus eſt poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, adeoque ad *Davidem* pertinere haud poteſt. Ceterum, quamvis *David* non omnes centum & quinquaginta Pſalmos compoſuerit, ſacer tamen Pſalmorum liber nomine *Davidis* inſignitur, tum quia præcipuam lib. Pſalmorum partem condidit, tum quia etiam in delectu Hymnorum, in novorum adjectione, in muſicis Inſtrumentis, & in Cantorum diſpoſitione primas partes habuit *David*, Rex, & inſignis illius cura emicuit. Hinc ab ejus nomine tota Pſalmorum congeries nomenclaturam accepit. Obſervare tamen debes, in diſpoſitione centum & quinquaginta Pſalmorum, qui ſacro Pſalmorum Libro continentur, non ſervari ordinem temporum. Nam Pſalmus, qui nunc ordine tertius eſt, quique ſic incipit: *Domine quid multiplicati ſunt, qui tribulant me*, &c. ſcriptus fuit, quando *David* rebellem filium ſuum *Abſalonem* fugiebat. Pſalmus etiam, qui nunc eſt ordine quinquageſimus, quique incipit his verbis: *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam*, &c. multo ante fuit editus, quando videlicet *David* de adulterio & homicidio nomine Dei a Propheta *Nathane* increpitus, facti pœnitens, reſipuit, & ingemuit. Pſalmus quoque centeſimus quadrageſimus primus, qui his verbis auſpicatur; *Voce mea ad Dominum clamavi*, &c. præceſſit tempore utrumque mox laudatum Pſalmum. Fuit enim a *David* compoſitus, quando, ob *Saulis*, Regis, metum, in ſpelunca deliteſcebat. Pſalmus pariter centeſimus quadrageſimus tertius præceſſit tempore tres illos jam citatos Pſalmos. Scriptus, quippe eſt poſt reportatam a *Davide*, dum adhuc adoleſcens eſſet, celebrem de gigante *Goliath*, Philiſthæo, victoriam. Denique, Pſalmus ſeptuageſimus primus, qui incipit his verbis: *Deus Judicium tuum Regi da*, &c. revera ordine temporis eſt omnium Pſalmorum *Davidis* ultimus, utpote ab ipſo exaratus, in gratiam filii ſui *Salomonis*, jam regnare incipientis. Hinc ad calcem iſtius Pſalmi hæc adjiciuntur verba; *Defecerunt laudes David, filii Jeſſe*. In his autem Pſalmis, quos compoſuit *David*, Rex, manifeſto apparet, eum Prophetiæ munere fuiſſe inſignem, divinituſque afflatum. Multa quidem in his vaticinatus eſt, quæ diuturnum poſt tempus fuerunt adamuſſim completa, videlicet futurum Jeſu Chriſti Regnum, ejus generationem cum æternam, tum temporalem, illius Sacerdotium? Sacrificium, mortis ipſius circumſtantias, Reſurrectionem

& Aſ-

& Aſcenſionem. Uno verbo, Myſterium Incarnationis Jeſu Chriſti, totiuſque illius vitæ œconomiam prænunciavit Vates ille Regius, graphiceque deſcripſit. Vivis etiam coloribus, ſtyli ſublimitate, gratáque figurarum omnium varietate expreſſit futuram vocationem Gentium, rejectionem Judæorum, & Eccleſiæ Chriſti per totum, qua late patet, Orbem propagationem. Quæ omnia legenti Pſalmos paſſim obvia ſunt, palamque evincunt, librum Pſalmorum nihil aliud eſſe, quam formam quamdam, & apparatum Novi Teſtamenti, ſicut Sole clarius oſtendunt Meldenſium Epiſcopus *Jacobus Benignus Boſſuet*, & Abrincenſium Antiſtes *Daniel Huetius*, qui duo Auctores, omni exceptione majores, magna cum eruditionis laude, & majori cum Eccleſiæ utilitate in hoc argumento verſati ſunt. Diris ergo devoveri debet error Nicolaitarum, Gnoſticorum & Manichæorum, quos (ſicut ex *Philaſtrio* in libro *de Hæreſibus*, refert noſter *Sixtus Senenſis* lib. 8. Bibliothecæ) effutire non puduit, librum Pſalmorum abſque ullo Spiritus Sancti afflatu fuiſſe conſcriptum, & præter quaſdam humanas ſæcularium Poetarum cantilenas, nihil aliud continere. In hunc peſtilentem illorum Hæreticorum errorem impegiſſe *Paulum Samoſatenum*, *Theodorum Mopſveſtenum*, in quinta Synodo Generali anathemate perculſum, & Anabatiſtas, teſtatur noſter jam laudatus *Sixtus Senenſis*. Nec ſolum *David* in his, quos concinnavit, Pſalmis, Prophetiæ dono fuit illuſtratus, ſed etiam toto vitæ ſuæ curriculo rebus geſtis Chriſtum Jeſum prænunciavit, ejuſque expreſſum typum geſſit.

D. Oſtende, quæſo, quo pacto *David* typum geſſerit Jeſu Chriſti, Salvatoris noſtri?

M. Multis rebus geſtis *David* geſſit perſonam Jeſu Chriſti. In primis, *David* e Bethleemo oriundus eſt: Jeſus Chriſtus itidem Bethleemi natus eſt. *David* adverſus *Goliathum* ſingulari inito certamine, Populum Iſraeliticum jugo Philiſtæorum exemit: Perinde Jeſus Chriſtus, expugnato Diaboli Imperio, humanum genus in libertatem filiorum Dei reſtituit. Variis laboribus, anguſtiis, & perſecutionibus *Davidem* exercuit Deus, prinſquam illum ad dignitatem regiam eveheret: Jeſus Chriſtus, cui Pater cœleſtis deſtinarat Regnum Eccleſiæ, quemque unxerat oleo lætitiæ, dum ſtudet humanum genus a tyrannide Diaboli liberare, nullo non genere inſidiarum fuit impetitus. Primum, arte, dum tentatur in Deſerto, quod idem in *David* molitus eſt *Saul*. Dein, malitia Scribarum & Phariſæorum, qui in perniciem Chriſti conjurarunt. Præterea, ſpiritus malus identidem agitabat *Saulem*, cujus furorem, cithararam pulſans *David*, emollire ac delinire ſatagebat, ſed nihil proficiebat, immo ſemper in pejus creſcebat ira, quam *Saul* conceperat in *Davidem*; ita non diſpari ratione, ſpiritus malus invaſit Scribas, Phariſæos, Sacerdotes Synagogæ, & quamvis Jeſus Chriſtus nihil non egerit, ut furorem hunc ex animis Judæorum eximeret, aut certe mitigaret, nunc blandiſſime invitans ad ſalutem, nunc adhortans ad pœnitentiam, nunc promittens æternam felicitatem, nunc revincens illos teſtimoniis, nunc increpans ac minitans, ni reſipiſcerent, nihil tamen, propter illorum malitiam, profecit Chriſtus Dominus, qui Judæorum ira ſic crevit, ut uno ore adverſus Chriſtum clamarint omnes: *Tolle, tolle, crucifige eum*. Tertio, *Saul* objiciebat *Davidi*, quod eſſet hoſtis, quod affectaret Regnum: Phariſæi objecerunt Chriſto, quod abrogaret Legem, quod ſeduceret populum, quod loqueretur blaſphemias. Quarto, *David* Arcam fœderis, a Philiſtæis captam, e domo *Abinadab* reduxit Hieroſolymam: Jeſus Chriſtus Eccleſiam, fracta Diaboli poteſtate, certis ſedibus conſtituit. Quinto, *David*, poſt ſuſceptum Regnum filiorum ſuorum *Abſalonis*, & *Ammonis* perduellionem, & ſcelera expertus eſt: Adverſus Jeſum Chriſtum, Regem, & Patrem noſtrum, nos peccare non deſinimus, quos redemit ſanguine ſuo. Denique, pacem Deus per *Davidem* indulſit Populo Iſraelitico, & adverſas ipſi Gentes ſubjecit: Pacis & libertatis, a Deo nobis conceſſæ, aſſertor ac ſequeſter nobis eſt Jeſus Chriſtus, cui poteſtas omnis a Patre tradita eſt.

eſt. His rebus geſtis *David* geſſit perſonam Jeſu Chriſti, illiuſque typum expreſſit, & ea de cauſa ſæpius Prophetæ ipſum *Davidis* nomen attribuunt Chriſto Domino, quem venturum Meſſiam ſuis Vaticiniis prædixerunt.

D. Fuitne diuturnum *Davidis* Regnum?

M. Regnavit *David* quadraginta annis, videlicet ſeptem annis in Hebrone, & triginta tribus Hieroſolymis. Paulo antequam moreretur *David*, jamque eſſet ſeptuagenarius, & adeo effæto corpore, ut pannorum adjectione calefieri haud poſſet, delecta eſt ad eum fovendum puella, dicta *Abiſag*, Sunamites, quam tamen *David*, Rex caſtam & intactam reliquit. *Adonias*, arrepta ex Patris infirmitate occaſione, *Joabi*, & *Abiatharis* conſilio inſtigatus, Regnum occupat. Quod ubi primum *David* per *Nathanem* Prophetam & *Bethſabeem* reſciviſſet, incunctanter filium ſuum *Salomonem*, quem ex *Bethſabee* ſuſceperat, a *Sadoch*, Sacerdote, *Nathane*, Propheta, & *Banaja*, filio *Jojadæ*, Gihonem perductum, Regem inaugurari juſſit. Qua de re certior factus *Adonias*, ad Aram, facti pœnitens, ut vitæ ſuæ conſuleret, ſeſe recepit, promiſſoque obſequio, veniam a *Salomone* obtinuit. Migravit e vita Rex *David* anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo, ejuſque loco regnavit ipſius filius *Salomon*, cujus Imperium ſapientia ubique celebre, opibus abundans, ditione potens, & pacis munere fuit fortunatum.

D. Initia Regni *Salomonis* hic delibare ſufficiet. Cum enim, *Salomon* anno quarto Regni ſui jecerit fundamenta Templi Hieroſolymitani, eodemque anno finem habeat ſacra Hiſtoria quartæ Mundi Ætatis, neceſſe eſt, ut rerum, quas *Salomon* a quarto anno Regni ſui uſque ad obitum ſuum præclare geſſit, remittamus ad Colloquia, quæ, propitio Numine, habituri ſumus in Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis, quæ auſpicatur a quarto Regni *Salomonis* anno & protenditur uſque ad captivitatem Babylonicam.

M. Statim ac *Salomon*, mortuo *Davide*, Regni habenas moderari cœpit, *Adoniam* fratrem ſuum, qui in ipſum conjuraverat, de medio tolli juſſit; *Joabus*, militiæ *Davidis* ante hac Dux, qui *Adoniæ*, conjurationis reus erat, quique ſibi metuens ad Aram confugerat, juſſu ejuſdem Regis interfectus eſt a *Banaja*, filio *Jojadæ*, quem ideo ſui exercitus Ducem conſtituit; *Abiatharem*, Sacerdotem, *Adoniæ* conjurationis itidem conſcium, ſacerdotio exuit, & in ejus locum ſuffecit *Sadoc*. Morte etiam *Semei*, qui *Davidem* Regem, conviciis laceſſiverat, mulctavit Rex *Salomon*, ſicque, ſublato omni conjurationis veſtigio, tranquillum, & alta pace beatum obtinuit Imperium, & *Pharaonis*, Regis Ægypti, filiam, uxorem duxit. Dedit Deus *Salomoni* in ſomnis optionem petendi quæ vellet. Aſt, ipſe, caducas res parvi æſtimans, ſapientiam popoſcit, & obtinuit a Deo. Mox excitatus a ſomno *Salomon*, ſapientiæ, ſibi indultæ a Domino, egregium ſpecimen dedit in judicio duarum mulierum, quæ una in domo diverſantes, cum eodem tempore enixæ eſſent pueros, atque ex his unus poſt diem tertium nocte extinctus eſſet, mater defuncti filii, ſomno alterius inſidiata, mortuum filium ſuum ſuppoſuit, & vivum abſtulit. Hanc mulierum de puero altercationem ad ſe delatam, ut dirimeret Rex *Salomon*, divinæ ſapientiæ munere juſſit, ut infans vivus per medium gladio diſcinderetur, & utrique ambigenti mulieri pars tribueretur. Acquievit quidem huic judicio mulier una; ſed illa, quæ erat germana parens, maternis commotis viſceribus, necem pueri deprecata eſt, maluitque ut infans alteri daretur mulieri vivus, quam ſi diſcerperetur. Tunc *Salomon* ex affectu hujus fœminæ hanc vere eſſe matrem conjectans, puerum ei, cum maxima circumſtantium admiratione, adjudicavit. Hujus prudentiſſimi judicii fama longe lateque diffuſa magna Regi *Salomoni* auctoritatem ac reverentiam apud ſubditos conciliavit, excitavitque plures vicinarum Gentium Reges, ut cum illo amicitiam, fœduſque iniret, parati imperata facere. Interea, *Salomon*, florens opibus, omnium, qui unquam fuerant, Regum ditiſſimus, juſſis Dei, & patris ſui *Davidis* obtemperans, Templum Domino immenſi operis Hieroſolymis facere aggreſſus eſt, &

para-

Digitized by Google

paratis per triennium impendiis, anno quarto Regni ſui jecit fundamenta auguſtiſſimi, totoque Orbe celeberrimi Templi, quod non modo materiæ magnificentia, atque artis varietate, ſed ſtructuræ elegantiſſima forma, cetera omnia, quæ poſtea in Orbe Templa fuerunt ædificata, obſcuravit, nullumque unquam habuit ſecundum. Sed, quia de Templo Salomonico jam cæpimus habere ſermonem, non abs re erit paucis hic confutare duorum Scriptorum, ſcilicet *Joannis Marshami* in Canone Chronico, & *Joannis Spenceri* lib. 3. *De Legibus Hebræorum Ritualibus* Diſſertatione VI. novam & ſingularem opinionem. Aſſerunt quippe duo illi Scriptores, rerum novarum, ut ſæpius jam in noſtris Colloquiis obſervavimus, cupidiſſimi; Deum intuitu Prophanorum Templorum, quæ Iſraelitæ olim in Ægypto viderant, ſeſe ruditati Gentium, ſæculique moribus accommodaſſe, Judæis fabricam Templi Salomonici conceſſiſſe, indeque concludunt, Templi Salomonici originem nec ad Dei conſilium, afflatum, & auctoritatem, nec ad *Davidis* & *Salomonis* pietatem eſſe referendam, ſed illam arceſſendam ex Aegyptiaca ſuperſtitione, vel ex ruditate Gentium, quibus ſolemne erat Diis ſuis Templa conſecrare. Sed hoc vanum & inſulſum commentum multis momentis refelli poteſt. Primo, quia Scriptura Sacra diſerte aſſerit, *Salomonem*, jubente Deo, Templum Hieroſolymitanum excitaſſe. Sic enim *Salomon* in litteris quas ad *Hiramum*, Regem Tyri, ſcripſit, ut ab ipſo ligna, ad ſtructuram Templi neceſſaria, obtineret, eiſatur: *Quamobrem cogito ædificare Templum nominis Dei mei, ſicut locutus eſt Dominus David patri meo, dicens: Filius tuus, quem dabo pro te ſuper ſolium tuum, ipſe ædificabit Domum nomini meo*. lib. 3. Regum c. 5. Idem teſtatur Scriptura Sacra c. 22. l. 1. *Paralipomenon*. Cum igitur Scriptura Sacra conceptis verbis dicat, *Salomonem* Templi Hieroſolymitani fabricam ſecundum Dei imperium ſuſcepiſſe ac perfeciſſe; nemo citra temeritatem, ne quid gravius dicam, affirmare poteſt, ſacrum illud opus æmulatione Aegyptiacæ ſuperſtitionis, vel ruditatis Gentium prophanorumque ſæculi morum imitatione fuiſſe a *Salomone* cæptum atque abſolutum. Secundo, ſi *Salomon* in conſtructione Templi Hieroſolymitani aliquem ad Ægyptiacam ſuperſtitionem, ad ruditatem Gentium, & ad prophanos ſæculi mores reſpectum habuiſſet, omni procul dubio Deus, Optimus Maximus, qui ſuperſtitiones Gentilium, & prophanos ſæculi mores vehementer deteſtatur, hanc *Salomonis* voluntatem gratam minime habuiſſet, nec ei Templum illud a *Salomone*, ad imitationem prophanorum Templorum extructum, placere ullo pacto potuiſſet; atqui tamen Scriptura Sacra c. 8. lib. 2. Regum, ubi Templi Salomonici deſcribitur dedicatio, aperte innuit, Deum abſoluta ſemel Templi fabrica, cum ejus dedicatio ſolemni ritu, eaque pompa ac inſpectante univerſo populo, ea celebritate fieret, quæ reſponderet ædificio, duplici miraculo ſignificaſſe quam ſibi gratum acceptumque eſſet ſacrum illud opus. Nubes enim, Dei Majeſtatis index, totam implevit Domum, in qua Deus hoc viſibili ſigno ſe ſingulari quadam ratione præſentem eſſe teſtatus eſt, ut populi ſui ſacrificia preceſque ſuſciperet, ſuaque beneficia in Templo iſto orantibus conferret. Secundo, ignis, de Cęlo delapſus parata holocauſta, & victimas combuſſit, ut hoc itidem ſenſibili ſigno oſtenderet Deus, quam accepta haberet illa Sacrificia, quæ offerebantur in Templo. An, quæſo te, ab Ægyptiaca ſuperſtitione, & ruditate Gentium, & prophana ſæculi conſuetudine profectum opus ita Deus præſentia ſua cohoneſtaſſet, approbaſſet, & miraculis illuſtraſſet? Tertio, Prophanæ Gentes ideo Diis ſuis Templa conſecrabant, quod putarent, Deos ſuos ita Templis eſſe alligatos, ut alibi obturatas aures ad eorum vota haberent, ideoque illos, *ſi ſub axe nudo, & æthero tegmine invocati fuerint, nihil audire, & niſi de proximo his admoveantur preces, tamquam nihil dicatur, obſtructos atque immobiles ſtare*, ſicut ait ille Ethnicus, quem ſic loquentem *Arnobius* libro ſexto introducit. At, Rex *Salomon* Templum condidit, ut in illud Populus Iſraeliticus ad Deum colendum & orandum conveniret, non quaſi ejus potentia & gratia ſacro huic Templo eſſet

al-

alligata, & divina Majeſtas anguſtiis Sacræ iſtius Ædis incluſa. Ab hoc pariter errore prophanarum Gentium, quæ opinabantur, ſuorum Numinum potentiam & gratiam ſacris Aedibus, & ſtatuis eſſe obligatam, abhorrebant quam maxime Iſraelitæ, qui probe noverant, *Noachum*, *Abrahamum*, *Iſaacum*, *Jacobum*, *Moyſem*, & *Davidem*, Preces, Vota, Sacrificia Deo obtuliſſe, & alia Religionis officia in omni loco impleviſſe, Deumque nec Templo, nec Cœlo & Terra, nec toto Orbe capi & circumſcribi poſſe palam profitebantur: *Si enim Cœlum, & Cœli Cœlorum te capere non poſſunt, quanto magis Domus hæc, quam ædificavi*, dicebat Domino *Salomon* ſolemnem Templi conſecrationem peragens, ſicut legitur lib. 3. Regum c. 8. Qua fronte igitur duo jam citati Scriptores *Marshamus*, & *Spencerus* auſi ſunt religioſiſſimo *Salomoni*, & veris Iſraelitis, qui, repudiata omni Gentium ſuperſtitione, unius veri Dei majeſtatem ſummam, infinitam, immenſam, & omnipotentiſſimam colebant, craſſum illum & abſurdum affingere errorem Gentilium, qui tam perverſe, & indigne de Deo judicabant, ut illum Templi ſeptis circumſcriptum arbitrarentur, quem errorem deriſiſſe ipſe dicitur *Dæmonax*, Idololatriæ licet cultor, qui ſicut refert *Lucianus* in ejus vita cuidam ex amicis dicenti: *Abeamus o Dæmonax, in Æſculapii Templum, pro filii ſalute oraturi*, feſtive reſpondit: *vehementer ſurdum exiſtimas Æſculapium, ſi nec iſtic nos orantes exaudire poteſt*. Quarto veroſimile non eſt, Deum, qui Ethnicorum ſuperſtitiones adverſatur, & ab eis Populum Iſraeliticum multis conditis Legibus avertit, permiſiſſe, ut *Salomon*, Regum ſapientiſſimus, Templum juxta ſuperſtitiones Aegyptiacas, & prophanos ſæculi mores conderet, in quo divina ipſius Majeſtas ſpeciatim coleretur. Dicendum itaque eſt, *Salomonem* non humano conſilio, non arbitratu ſuo, non ex ruditate Gentium, ſed Dei afflatu, nutu, & auctoritate ſacri Templi Hieroſolymitani extruendi provinciam ſuſcepiſſe, in quo, ſicut divinam decet Majeſtatem, omnia ad pompam & ſplendorem magnificentiſſime erant compoſita, & in ſtructuræ elegantia materia cum opere, & natura cum arte certare videbantur. Quæ Templi magnificentia, rerumque omnium ſplendidiſſimus apparatus amplitudinem, pulchritudinem & gloriam Eccleſiæ Chriſti adumbrabant, ſicut docent *S. Auguſtinus* pluribus in locis præſertim lib. 18. *De Civitate Dei c.* 48. *Theodoretus* Quæſt. 1. in l. 1. *Paralipomenon*, & Venerabilis *Beda* l. 2. *De Tabernaculo* c. 1. Sed de Templo Hieroſolymitano a *Salomone* extructo, & de illius Regis rebus præclare geſtis, plura, ſi votis noſtris adſpiret Deus, dicturi ſumus in Colloquiis, quę habebimus in Hiſtoriam quintę mundi Aetatis.

D. Satis, opinor, expendimus hactenus ea, quæ ſpectant Hiſtoriam quartæ Mundi Aetatis: Nunc ſub finem Colloquii noſtri præſtat ut accuratam tradas ſeriem annorum, qui effluxerunt a profectione Iſraelitarum ex Aegypto, unde incipit quarta Mundi Aetas, uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum, quo jacta ſunt Templi Hieroſolymitani fundamenta & ubi deſinit quarta iſta Mundi Aetas.

M. De annis, qui ab exitu Populi Iſraelitici ex Aegypto uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum effluxerunt, non una eſt Chronologiæ peritorum ſententia. Alii numerant duntaxat annos quadringentos octoginta. Quem numerum probare videtur Scriptura Sacra, quæ c. 6. lib. 3. Regum hæc habet. *Factum eſt ergo*, inquit, *quadringenteſimo & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael de Terra Ægypti*; *in anno quarto, menſe Zio* (*ipſe eſt menſis ſecundus*) *Regni Salomonis ſuper Iſrael*; *ædificari cœpit domus Domino*. Eumdem annorum quadringentorum octoginta numerum ab exitu filiorum Iſrael ex Aegypto uſque ad fabricam Templi Salomonici exhibent omnes Codices ſacri Hebræi; Græci, Latini, Syriaci, Arabici. Sunt alii Chronologi, qui annos ſervitutis Iſraelitarum ſeorſim numerantes diſtinctos ab annis Prę fecturæ Judicum, exiſtimant, multo plures, quam quadringentos & octoginta annos elapſos fuiſſe ab exitu Iſraelitarum ex Ægypto uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum, quo cœpta eſt ſtructura Templi Hieroſolymitani. Sed, quia locus Scripturæ Sacræ mox a me citatus præfigit epocham quartę Mundi Ætatis ad annos quadringentos

tos & octoginta ab egreſſione Iſraelitarum ex Ægypto uſque ad quartum *Salomonis* annum, ideo iſti Chronologi, ut gordium iſtum nodum diſſolvant, ajunt, in caput ſextum libri tertii Regum, ubi quarta Mundi Epocha ad annos quadringentos octoginta reſtringitur, negligentia Librariorum irrepſiſſe mendum. Sic cenſent *Sulpicius Severus* lib. 1. Hiſtoriæ Sacræ, *Carolus Sigonius* in ſuo Commentario ad hunc *Sulpicii Severi* locum, *Melchior Canus* c. 5. lib. 11. *De locis Theologicis*, *Ludovicus Capellus* in ſua *Chronologia Sacra*, & *Gerardus Voſſius* c. 7. *Iſagoges Chronologiæ*. Sed hæc Scriptorum conjectura, ſeu vana & temeraria rejici debet, quia neminis fas eſt quidquam addere, vel demere Scripturæ Sacræ, eamque alicujus mendi, ſeu vitii inſimulare.

D. Cenſes igitur, a profectione Iſraelitarum ex Ægypto uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum, quo jacta ſunt Templi Hieroſolymitani fundamenta, effluxiſſe tantummodo quadringentos & octoginta annos, ſicut legitur c. 6. lib. 3. Regum?

M. Cenſeo, nullum negligentia Librariorum in caput ſextum libri 3. Regum irrepſiſſe mendum, quia Scriptura Sacra eo loci, prætermiſſis annis ſervitutum Iſraelitarum, percenſet duntaxat annos Præfecturæ *Judicum*, indeque juxta accuratum calculum, a profectione Iſraelitarum ex Ægypto uſque ad quartum Regis *Salomonis* annum colligit tantum quadringentorum octoginta annorum ſummam. At, ſi, præter annos Præfecturæ *Judicum*, numerentur ſeorſim ſervitutum & oppreſſionum Iſraelitarum anni, quos Scriptura Sacra in libro *Judicum* diſtinctim recenſet, plane comperietur, ex calculo annorum tam præfecturæ *Judicum*, quam ſervitutum & oppreſſionum Iſraelitarum exurgere ſummam annorum ſexcentorum & ſex annorum, qui interfluxerunt ab egreſſione Iſraelitarum ex Ægypto uſque ad quartum Regni Salomonici annum, hoc eſt, uſque ad fabricam Templi Hieroſolymitani. Non me latet quidem, plures eſſe ſacræ Chronologiæ peritos, qui pertendunt, annos ſervitutum, & oppreſſionum Iſraelitarum promiſcue confundi debere cum annis Præfecturæ *Judicum*, ſubindeque ab exodo, ſeu ab exitu filiorum Iſrael ex Ægypto, uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum putari tantum debere annos quadringentos octoginta. Verum, hanc ſententiam, quamvis probabilem, meo calculo probare haud poſſum: Primo, quia Scriptura Sacra accurate in libro *Judicum* diſtinguit annos ſervitutum, ſeu oppreſſionum Iſraelitarum, ab annis Præfecturæ *Judicum*, aitque tempore oppreſſionum, ſeu ſervitutum Iſraelitarum, nullam fuiſſe quietem, ſed potius res afflictas, turbatas, & ſus deque omnia confuſa; quando vero Deus ſuſcitabat *Judices*, qui Iſraelitas e ſervitute liberabant, toto durante Præfecturæ illorum *Judicum* tempore, pace & quiete Iſraelitas fruitos eſſe. Hi igitur Chronographi, qui annos ſervitutum Iſraelitarum confundunt cum annis Præfecturæ *Judicum*, vim Scripturæ Sacræ in aperta narratione aſſerunt manifeſtam, & turbidos atque inquietos annos cum tranquillis, & quietis *Judicum* annis perperam confundunt. Præterea licet Scriptura Sacra c. 6. lib. 3. Regum numeret duntaxat annos Præfecturæ *Judicum*, non computatis annis ſervitutum Iſraelitarum, inde tamen falſo infertur, annos ſervitutum Iſraelitarum confundi debere cum annis præfecturæ *Judicum*. Ratio in promptu eſt, quia Scriptura Sacra, ut norunt omnes, aliquando ſilet alicubi nonnulla, quæ tamen alibi diſerte commemorat, ſicut Ex. Gr. cap. XI. libri Geneſis, & cap. 1. libri Paralipomenon alto ſilentio Scriptura Sacra in Editione Vulgata prætermittit generationem *Cainanis*, Patriarchæ poſtdiluviani, quamvis tamen illius Patriarchæ generationis diſtinctam mentionem faciat cap. 3. Evangelii S. *Lucæ*, ubi deſcribitur Genealogia Jeſu Chriſti, Salvatoris noſtri. Similiter etiam S. *Matthæus* cap. 1. ſui Evangelii, texendo ſtemma ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, aliquot generationes Regum prætermiſit, quarum tamen Scriptura Sacra in libris Regum expreſſe meminit. Ita non diſpari ratione, Scriptura Sacra cap. 6. lib. 3. Regum numerat tantummodo annos Præfecturæ *Judicum*, & omittit annos ſervitutum Iſraelitarum, & juxta hunc calculum,

jure

jure optimo Scriptura Sacra eo loci deducit, ab exitu Iſraelitarum ex Ægypto uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum, ſummam annorum 480. At, Scriptura Sacra in libro Judicum accurate & ſeorſim annos ſervitutum Iſraelitarum diſtinguit ab annis Præfecturæ *Judicum*, atque ex eo, quem ibidem ponit, calculo coaleſcit ſumma ſexcentorum & ſex annorum, qui excurrerunt a profectione Iſraelitarum ex Ægypto uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum. Denique, non ſibi conſtant iſti Chronographi, qui annos ſervitutum Iſraelitarum indiſcriminatim confundunt cum annis Præfecturæ *Judicum*. Sunt enim inter illos nonnulli, qui aliquarum ſervitutum Iſraelitarum annos diſcernunt ab annis Præfecturæ *Judicum*, ceterarum vero ſervitutum Iſraelitarum confundunt cum annis *Judicum*. Quæro igitur ab his Chronographis, ut quid annos quarumdam ſervitutum Iſraelitarum tam accurate diſtingui velint ab annis Præfecturæ *Judicum*, ceterarum vero ſervitutum Iſraelitarum annos confundant cum annis Præfecturæ *Judicum*? Quod ſi cauſam reddere ne unam quidem idoneam poſſunt; ſane aut ſervitutum quarumdam filiorum Iſrael annos abjiciant, & ſumma erit minor, quam ex ſacro *Judicum* libro colligitur, aut omnium ſervitutum, quibus mancipati fuerunt Iſraelitæ, annos diſtinguant, ut par eſt, ab annis Præfecturæ *Judicum*, & ſic annorum ſumma major erit, quadrabitque optime cum ſacra Hiſtoria libri *Judicum*, ubi omnium ſervitutum Iſraelitarum anni percenſentur, ab annis Præfecturæ *Judicum* diſtincti. Obiter tamen advertere debes, doctiſſimum Abbatem *Paulam Pezronum* cap. 8. libri cui titulus eſt: *Antiquitas temporum reſtituta*, non ſolum ſervitutum Iſraelitarum annos diſtinguere ab annis Præfecturæ *Judicum*, verum etiam admittere Anarchias, ſeu quædam Interregna, quæ putat præceſſiſſe ſervitutes Iſraelitarum, & quorum durationis annos ſeorſim ab annis ſervitutum Iſraelitarum, & ab annis *Judicum* numerari debere pertendit. Quo fit, ut prædictus Auctor [reclamantibus licet omnibus ſacris Codicibus Hebræis & Græcis] numeret ab egreſſione Populi Iſraelitici ex Ægypto uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum, id eſt, uſque ad fabricam Templi Hieroſolymitani, ſummam annorum octingentorum ſeptuaginta trium. Sed ipſe, tametſi ultro fatear, poſt mortem *Calebi*, & *Seniorum* extitiſſe Anarchiam, ſeu Interregnum ſex annorum (in quo, ut ſuperius obſervavimus, contigit flebilis illa infelicis Levitæ hiſtoria, quæ cap. 19. libri *Judicum* narratur, nec non altera *Michæ*, & Danitarum hiſtoria, quæ refertur cap. 17. & 18. ejuſdem libri) exiſtimo, præter illam Anarchiam, ſeu Interregnum ſex annorum, nulla alia interregna præceſſiſſe ſervitutes Iſraelitarum, aut, ſi quæ præceſſerint, breviſſima fuiſſe, cumque tempus illorum Scriptura Sacra in libro *Judicum* non definiat, conſultius eſſe hujuſmodi Anarchias, ſeu Interregna eo temporis intervallo concludere, quod Terræ quieti ſeu Præfecturæ *Judicum* aſſignatur in libro *Judicum*. Idem dicendum puto de Judicatura *Samgari*, quem Scriptura Sacra in libro *Judicum* immediate recenſet poſt *Aod*, qui judicavit Iſraelem octoginta annis. Nam, cum Scriptura Sacra nullos Judicaturæ *Samgari* attribuat annos, veroſimilius eſt, breve *Samgari* Judicaturæ tempus comprehendi in annis præcedentibus octoginta Judicaturæ *Aod*, vel in annis ſervitutis, qua *Jabin* Rex Chananæorum, dicitur oppreſſiſſe, poſt mortem Judicis *Aod*, Iſraelitas annis viginti.

D. Ut accuratum poſſim habere computum annorum, qui effluxerunt a profectione Iſraelitarum ex Aegypto uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum, id eſt, uſque ad fabricam Templi Hieroſolymitani, obſecro te, ut hic inſeras Tabulam Chronologicam, quæ comprehendat ſummam annorum tam ſervitutum Iſraelitarum, quam præfecturæ *Judicum*, quos ſeorſim numerandos eſſe probabilius arbitraris.

M. Votis tuis faciam ſatis, & accuratam hic attexam Tabulam Chronologicam, quæ comprehendet ſummam annorum, qui ab egreſſione Iſraelitarum ex Aegypto uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum, ſeu uſque ad fabricam Hieroſolymitani Templi, decurrerunt, ſimulque annos ſervitutum Iſraelitarum, diſtinctos

Google

ab annis Præfecturæ *Judicum*, ſedulo annotabit, atque cum annis ab Orbe condito connectet.

TABULA CHRONOLOGICA

Sexcentorum & ſex annorum, qui in quarta Mundi Ætate, hoc eſt, ab exitu Iſraelitarum ex Ægypto uſque ad quartum Regni Salomonis *annum, ſeu uſque ad fabricam Templi Hieroſolymitani interfluxerunt.*

Moyſes, poſtquam per annos quadraginta Populo Iſraelitico præfuiſſet, mortuus eſt anno ætatis ſuæ centeſimo vigeſimo, anno Mundi bis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio. Poſt egreſſionem vero Iſraelitarum ex Aegypto, anno quadrageſimo.

Joſue poſt mortem *Moyſis*, præfuit ſexdecim annis Reipublicæ Hebræorum, & mortuus eſt anno Mundi bis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono.

Poſt mortem *Joſue*, Seniores cum *Calebo* præfuerunt Hebræorum Reipublicæ annis decem, eorumque Præfectura deſiit anno Mundi bis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono.

Poſt mortem Seniorum fuit Anarchia, ſeu Interregnum ſex annorum, quod finem habuit anno Mundi bis milleſimo quingenteſimo octogeſimo quinto.

Poſt illud ſex annorum Interregnum, Iſraelitæ ſervierunt ſub *Chuſane*, Rege Meſopotamiæ, annis octo, & hæc ſervitus finem habuit anno Mundi bis milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertio.

Othoniel, poſtquam *Chuſanem*, Regem Meſopotamiæ, deviciſſet, judicavit populum annis quadraginta; & vita functus eſt anno Mundi bis milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo tertio.

Poſt mortem *Othonielis*, Iſraelitæ ſervierunt annis decem & octo ſub *Eglone*, Moabitarum Rege, & hæc ſervitus finem habuit anno Mundi bis milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo primo.

Aod, poſt victoriam de Moabitis reportatam judicavit populum annis octoginta, & mortuus eſt anno Mundi bis milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo primo.

Poſt mortem *Aod*, per paucos menſes *Samgar* judicavit populum; ſed quia illius Judicaturę tempus Scriptura Sacra non aſſignat, veroſimilius eſt, *Samgari* Judicaturam comprehendi debere in annis pręcedentibus octoginta Judicaturę *Aod*.

Poſt mortem *Samgari* ſervierunt Iſraelitæ ſub *Jabine*, Chananęorum Rege annis viginti, & hęc ſervitus finem habuit anno Mundi bis milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo primo.

Barac & *Debora*, poſt devictum *Siſaram*, ſubactoſque Chananęos, judicarunt populum annis quadraginta, eorumque Judicatura deſiit anno Mundi bis milleſimo ſeptingenteſimo nonageſimo primo.

Poſt mortem *Barac*, & *Debora* ſervierunt Iſraelitę Regi Madianitarum annis ſeptem, & hęc ſervitus finem habuit anno Mundi bis milleſimo ſeptingenteſimo nonageſimo octavo.

Gedeon, debellatis Madianitis, judicavit Iſraelem annis quadraginta, & exceſſit e vivis anno Mundi bis milleſimo octingenteſimo trigeſimo octavo.

Abimelechus, Gedeonis ex concubina filius, judicavit Iſraelem, ſeu potius tyrannidem exercuit per tres annos, qui finem habuerunt anno Mundi bis milleſimo octingenteſimo quadrageſimo primo.

Thola, poſt *Abimelechum*, judicavit Iſraelem annis viginti tribus, qui finem habuerunt anno Mundi bis milleſimo octingenteſimo ſexageſimo quarto.

Jair judicavit Iſraelem annis viginti duobus, qui deſierunt anno Mundi bis milleſimo octingenteſimo octogeſimo ſexto.

Poſt mortem *Jair* ſervierunt Iſraelitę Ammonitis annis octodecim, & hęc ſervitus finem habuit anno Mundi bis milleſimo nongenteſimo quarto.

Jephte judicavit Iſraelem annis ſex, & obiit anno Mundi bis milleſimo nongenteſimo decimo.

Abeſan judicavit Iſraelem annis ſeptem, & mortuus eſt anno bis milleſimo nongenteſimo decimo ſeptimo.

Helon, ſeu *Aialon*, judicavit Iſraelem annis decem, & exceſſit e vivis anno bis milleſimo nongenteſimo vigeſimo ſeptimo.

Abdon judicavit Iſraelem annis octo, & mortuus eſt anno Mundi bis milleſi-

leſimo nongenteſimo trigeſimo quinto.

Poſt mortem *Abdonis* Iſraelitæ ſervierunt Philiſtæis annis quadraginta, & hæc ſervitus finem habuit anno Mundi bis milleſimo nongenteſimo ſeptuageſimo quinto.

Samſon judicavit Iſraelem annis viginti, & abiit e vivis anno bis milleſimo nongenteſimo nonageſimo quinto.

Heli, poſt mortem *Samſonis*, judicavit Iſraelem annis quadraginta, & migravit e vita anno Mundi ter milleſimo trigeſimo quinto.

Samuel, & *Saul*, primus Iſraelitarum Rex, præfuerunt Iſraelitis annis quadraginta, qui terminantur anno Mundi ter milleſimo ſeptuageſimo quinto.

David regnavit annis quadraginta, videlicet ſeptem annis in Hebrone, & triginta tribus Hieroſolymis, & extremum diem clauſit anno Mundi ter milleſimo centeſimo decimo quinto.

Salomon, anno Regni ſui quarto, qui incidit in annum Mundi ter milleſimum centeſimum decimum nonum, & in annum ab egreſſione Iſraelitarum ex Ægypto ſexcenteſimum ſextum, jecit fundamenta magnificentiſſimi poſt hominum memoriam Templi Hieroſolymitani, cujus fabrica per ſeptem annos continuata eſt, ac ſubinde abſoluta anno undecimo Regni *Salomonis*, & anno Mundi ter milleſimo centeſimo vigeſimo ſexto.

Habes nunc exactam Tabulam Chronologicam ſexcentorum & ſex annorum, qui ab exitu Populi Iſraelitici ex Ægypto uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum, quo jacta ſunt Templi Hieroſolymitani fundamenta elapſi ſunt. Quem calculum ſi conferas cum ſacro libro *Judicum*, in quo anni Præfecturæ *Judicum* numerantur omnino diſtincti ab annis ſervitutum Iſraelitarum, invenies eſſe accuratiſſimum, ultroque fateberis contractiorem eſſe illorum calculum, qui, annos ſervitutum Iſraelitarum cum annis Præfecturæ *Judicum* perperam confundentes, numerant duntaxat ab egreſſione Iſraelitarum ex Ægypto uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum, quo cœpta eſt Templi Hieroſolymitam ſtructura, annos quadringentos octoginta.

D. Multum ſane mihi arridet iſte quartæ Mundi Aetatis annorum calculus, tum quia ei ſuffragatur ſacer *Judicum* liber, in quo anni ſervitutum Iſraelitarum ſeorſim numerantur ab annis Præfecturæ *Judicum*; tum quia etiam prædictus ille, quem ſubduxiſti, calculus ſexcentorum & ſex annorum, qui effluxerunt ab exitu Iſraelitarum ex Aegypto uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum, optime conciliat apparentem illam in numeris antilogiam, quæ reperitur inter caput ſextum lib. 3. Regum, & ſacrum librum *Judicum*. Nam, eo in capite ſexto libri tertii Regum ideo ab exitu Iſraelitarum ex Aegypto uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum percenſentur duntaxat anni quadringenti octoginta, quia ibi Scriptura Sacra numerat tantum annos Præfecturæ *Judicum*, prętermiſſis annis ſervitutum Iſraelitarum. At, in libro Judicum Scriptura Sacra, præter annos *Judicum*, explicate ac diſtincte annos ſervitutum Iſraelitarum enumerat, ex quibus ſimul ſupputatis emergit ſumma annorum ſexcentorum & ſex annorum, qui a profectione Iſraelitarum ex Aegypto uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum pręterlapſi ſunt; unde planę conſequitur, nullam veram & realem in numeris extare contradictionem inter caput ſextum libri tertii Regum, & ſacrum *Judicum* librum. Sed tempus eſt ut Colloquio noſtro, & Hiſtorię quartę Mundi Aetatis finem imponamus, ea tamen Lege, ut, ſi Deus nos ſoſpites & incolumes ſervet, Colloquia in Hiſtoriam quintę Mundi Aetatis proxima hebdomada ſimus auſpicaturi.

FINIS TOMI SECUNDI.

Digitized by Google

HISTORIA
ECCLESIASTICA
VETERIS TESTAMENTI.
TOMUS TERTIUS
COMPLECTENS
QUINTAM, ET SEXTAM
MUNDI ÆTATEM

HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS TESTAMENTI,

SEU

QUINTÆ MUNDI ÆTATIS,

Quæ incipit a quarto Regni Salomonis *anno, quo jacta ſunt Templi Hieroſolymitani fundamenta, & producitur uſque ad Captivitatem Babylonicam.*

HISTORIA quintæ Mundi Ætatis, quæ ab anno quarto Regni *Salomonis*, quo ab eodem Rege jacta ſunt Templi Hieroſolymitani fundamenta, ducit exordium, & protenditur uſque ad Captivitatem Babylonicam, non ſolum complectitur ſeriem & Geſta Regum Judæ & Iſrael, nec non Acta Prophetarum, qui ſub illis Regibus Vaticinia fuderunt, verum etiam arctam habet agnationem & affinitatem cum Hiſtoria Prophana, ſeu Regum Ægyptiorum, & Chaldæorum, ſeu Babyloniorum. Quocirca, ut compendioſam quidem, ſed accuratam rerum omnium, quæ vel ad Hiſtoriam Sacram quintæ Mundi Ætatis attinent, vel ſpectant Hiſtoriam Prophanam, cum qua connexionem aliquam habet eadem Hiſto-

Digitized by Google

ria Sacra, notitiam aſſequi poſſis, tria, juxta nobis præfixam methodum, in deſcribenda Hiſtoria quintæ Mundi Aetatis, inſtituemus Colloquia; in quorum primo dabimus, juxta Hiſtoriam, cum Sacram, tum prophanam, ſeriem & Geſta Regum tam Judæ, quam Iſrael, & eorum regiminis exactum annorum calculum. In altero Colloquio aliquot Dubia, quæ Theologi, & Scripturæ Sacræ Interpretes circa Hiſtoriam quintæ Mundi Aetatis movere ſolent, maxime circa auctoritatem Librorum, cum Moralium, tum Hiſtoricorum, quos ſacri quintæ Mundi Ætatis Scriptores exararunt, diſcutiemus, breviterque diſſolvemus. In poſtremo Colloquio texemus Hiſtoriam Prophetarum, qui ſub Regibus Judæ & Iſrael ante captivitatem Babylonicam, tam in Regno Judæ, quam in Regno Iſrael, vixerunt, ibidemque oſtendemus, bene multa in his, quos, divino afflati ſpiritu, libris conſcripſerunt, extare Oracula, quæ ad Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam, totiuſque generis humani Redemptorem, ſemota omni caligine, referuntur.

COL-

Digitized by Google

COLLOQUIUM PRIMUM.

In quo, juxta Hiſtoriam, cum Sacram, tum Prophanam, Series & Geſta Regum Judæ, & Iſraelis deſcribuntur, eademque opera, eorum regiminis accuratus annorum traditur calculus.

DISCIP. JAM ſcio *Salomonem* anno quarto Regni ſui jeciſſe fundamenta Templi Hieroſolymitani (cujus formam delineaverat pater ipſius *David* , Rex) illudque miris impenſis & laboribus exornaſſe , ac tandem ſeptem annorum ſpatio in monte *Moria* ædificaſſe, eique ultimam admoviſſe manum . At , optarem nunc , ut hujus magnificentiſſimi Templi ſtructuram ac formam paucis verbis deſcriberes, quam tam ſapiente, tamque potente Architecto dignam fuiſſe nullus dubito.

M. Materia Templi Hieroſolymitani potiſſimum ſita erat in lignis cedrinis, abiegnis, olivarum, ære, argento , auro puriſſimo , & in lapidibus exquiſitiſſimis, ita fabrorum arte & induſtria , dolatis , politis , perfectis , apteque inter ſeſe conjunctis , ut tota inde aſſurgens ſtructura oculos intuentium in admiratinnem raperet , Hinc , Chriſto Domino , egredienti e Templo Hieroſolymitano , *ait unus ex diſcipulis ſuis: Magiſter , aſpice quales lapides , & quales ſtructuræ* , ſicut legitur cap. 13. v. 1. Evangelii *S. Marci* . Formam quod attinet Templi Hieroſolymitani , conatus eſt Rex *Salomon* in extruendo ex lapidibus Templo Hieroſolymitano exprimere , quantum potuit , formam antiqui Tabernaculi , a *Moyſe* juſſu Dei in Deſerto erecti , quod tamen , ſicut oſtendimus in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam quartæ Mundi Ætatis , portatile tantum erat , & ex pellibus compactum . Duplex autem erat forma Templi Hieroſolymitani, interior una, exterior altera . Duæ ejuſdem Templi Partes interiores erant , quarum una ſimpliciter dicebatur *Sancta* , & in ea erant Altare thymiamatis ; Menſæ decem aureæ Panum Propoſitionis, & decem Candelabra aurea. Hæc pars Templi quadraginta cubitos longitudine habebat , latitudine vero viginti . Pars altera appellabatur *Sanctum Sanctorum* , quæ muro & velo intermedio a priori parte , quæ *Sancta* vocabatur , erat ſeparata , atque in ea recondita erat Arca Fœderis, & Deus Reſponſa , ſeu Oracula , reddebat Summo Sacerdoti , ipſum per *Urim* & *Thummim* conſulenti . Pars exterior Templi Hieroſolymitani dicebatur *Atrium* , idque erat multiplex , videlicet primo erat Atrium Sacerdotum , quod continebat Altare Holocauſtorum , & Mare æneum, ſeu labrum aquæ ampliſſimum . Secundo , erat Atrium populi , quo viri & fœminæ Iſraelitæ ad orandum & Deo debitum cultum deferendum convenire ſolebant . Tertio , erat Atrium Gentilium, quo prophanæ Gentes adire poterant , & in eo ſtare ; ſed eis ultra progredi neſas omnino erat. Porro , Atria cum Sacerdotum , tum Iſraelitarum cingebantur porticibus, exedris , gazophylaciis , paſtophoriis , variis conclavibus , & cellis , ſive ad reponendum ſal , quo aſpergebantur membra victimarum ; oleum , quod infundebatur lucernis Candelabrorum ; vinum , quod effundebatur in Sacrificiis ; ſive etiam ad ſervandas veſtes Sacerdotum , Vaſa , Candelabra , Pateras , Phialas (quarum uſus erat ad excipiendum victimarum ſanguinem) Cantharos , Lances , Crateres , Acerras , & alia id genus inſtrumenta ſacra , numero & magnificentia pene incredibili ; ſive denique ut apta & commoda domicilia haberent Sacerdotes, Levitæ , & alii Templi Miniſtri , qui in ordine vicis ſuæ ,

ſeu toto eo tempore quo miniſteriis vacabant, hoc eſt, a Sabbato ad aliud Sabbatum, a Templo non diſcedebant. Ad veſtibulum Templi Hieroſolymitani duæ extabant columnæ æreæ æquales, quarum una erat a dextris, & vocabatur *Jachin*, altera a ſiniſtris, quæ nuncupabatur *Booz*, (utroque nomine *firmitatem* ſignificante.) Infinitus profecto eſſem, & præſcriptos brevitatis cancellos excederem, ſi in præſentia vellem Templi Hieroſolymitani, quod artificio, ſymetria, architectura humanam induſtriam longe ſuperavit, hic repræſentare formam, omneſque illius enumerare partes, in quibus ars cum materia certare videbatur. Hoc unum dumtaxat dicam, unde hujus Templi magnificentiam & gloriam poteris facile æſtimare, videlicet, pavimenta illius Templi, parietes, tectum, capitella, teſſelato opere, laminis aureis, tegulis æneis, cælaturis, & gemmis pretioſiſſimis fuiſſe tanto cum ſplendore adornata, ut, teſtibus *Villalpando* & *Saliano*, trigeſies centies millia aureorum, ſeu, juxta uſitatum noſtrum loquendi morem, tria millia millionum auri in ſtructura, ſumptuoſi Templi Hieroſolymitani impenderit Rex *Salomon*. Sed de forma Templi Salomonici, quæ deſcribitur lib. 3. Regum cap. 6. lib. 2. *Paralipomenon* cap. 3. & *Ezechielis* cap. 41. ſi plura ſcire aveas, legeſis *Joſephum*, Hebræum, lib. 8. Antiq. Jud. cap. 2. *Theodoretum* Quæſtione 24. in lib. 3. Regum, *Bedam* lib. de Templo, *Ariam Montanum* in Apparatu Regiorum Bibliorum, *Villalpandum* in Ezechielem, *Riberam* lib. 1. De *Templo*, quibus adde *Tornielum*, & *Salianum* in ſacris annalibus Veteris Teſtamenti, nec non recentiorem Scriptorem, perdoctum Congregationis Oratorii Presbyterum, *Bernardum l' Amy* in ſuo Apparatu Biblico, ubi Tabulam in æs inciſam inſeruit, quæ formam Templi Hieroſolymitani, ac ſingula quibus conſtabat, partes accurate exhibet.

D. Reliquitne *Salomon*, præter hanc fabricam Templi Hieroſolymitani, alia magnificentiæ ſuæ monumenta?

M. Abſoluta omni ex parte Templi Hieroſolymitani fabrica, Rex *Salomon* in Regiæ ſuæ domus ſtructura tredecim annis occupatus eſt. Dein, ut fines ac ditionem Regni ſui amplificaret, opes, vires, potentiamque augeret, claſſes inſtruxit in *Ophir*, & in *Tharſim* tranſmittendas, quæ magnam vim auri, argenti, gemmarum pretioſarum, lignorum thyniorum, eboris, &c. ſingulis annis advehebant. Quo factum eſt, ut illius mercaturæ beneficio *Salomon* opibus ceteros mortalium prætergreſſus, nominis ſui famam longe lateque propagaverit, & Regnum Iſraeliticum ad eam virtutem atque dignitatem ſublimaverit, quam antehac non habebat. Tantæ potentiæ & ſapientiæ *Salomonis* percrebeſcente ubique rumore excitata *Regina Saba*, Hieroſolymam venit, ibique Domus Regiæ elegantiam, Sacrificiorum magnificentiam, menſarum apparatum, ſervorum diſciplinam admirata, ac tantum non ſtupore correpta prorupit in hæc verba: *Major eſt ſapientia tua, & opera tua, quam rumor, quem audivi*. E Hieroſolymis diſcedens Regina Saba, poſtquam Regis *Salomonis* ſapientiam quibuſdam propoſitis ænigmatibus, hoc eſt, difficillimis Quæſtionibus, probaſſet, multis muneribus hunc Regem cumulavit, centum & viginti auri talentis, gemmarum pretioſiſſimarum copia, innumeris aromatibus, ſed præſertim, teſte *Joſepho*, Hebræo, Balſami planta, cujus feraciſſima eſt Palæſtina. Rex itidem *Salomon* mutuis muneribus gratum animum Reginæ Sabæ teſtatus eſt, ipſique præterea dedit *omnia quæ voluit, & petivit ab illa*, ſicut legitur lib. 3. *Regum cap. x. v. 13.* Fabularum tamen loco accenſeri jure merito debet, quod rerum Æthiopicarum Scriptores litteris conſignarunt, Reginam ſcilicet Saba ex *Salomone* concepiſſe filium. Id enim fabuloſum eſſe patet, primo ex ſilentio priſcorum Scriptorum, qui de *Salomone*, & Regina Saba tam multa tradiderunt, & ea de re ne ullum quidem verbulum fecerunt, non Scriptores ſacri, non Rabbini, non *Joſephus*, Antiquitatibus

Judai-

Digitized by Google

Judaicis verſatiſſimus. Deinde, veroſimile non eſt, *Salomonem*, Regem tum religioſiſſimum, & Deo probatiſſimum, voluiſſe Reginæ Sabæ, cujus ſapientia cum ſingulari pietate conjuncta prædicatur, quamque Chriſtus Dominus in ſupremo judicio contra Judæos ſurrecturam teſtatur, tentare ac violare pudicitiam, hancque Heroinam fœminam ſe *Salomoni* proſtituiſſe. Tam putidam ergo apage fabulam.

D. Frequentaruntne Iſraelitæ ante tempora Regis *Salomonis* mercaturam cum Gentibus & Nationibus prophanis?

M. Collocaverat Deus Hebræos in regione undique montibus circumdata, ne, propter illorum in Idololatriam propenſionem, ullum commercium, ſocietatemve haberent cum prophanis Nationibus, ſibique Deus in Populo Iſraelitico Regnum ſervavit, quod, ſicut in ſuperioribus noſtris Colloquiis jam obſervavimus, *Theocratiam* jure optimo appellant antiqui Patres. Hebræis tantummodo animum, curam, operamque ponentibus in colendo uno veroque Deo, & in cuſtodiendis cæremoniis ac Legibus, quas a Do acceperant, quæque ad conſervationem ſocietatis, & animi ſanctitatem dirigebantur; adeo ut a navigatione, & mercatura prorſus alieni, vitam cum virtute & citra moleſtiam degerent. Verum, Iſraelitico Regno ad *Salomonem*, filium *Davidis* Regis, devoluto, ſapientiſſimus ille Rex, ut Regni ſui fines & ditionem amplificaret, vires, potentiamque augeret, non ſolum aliquot urbes condidit, ſed etiam præcipuas curas atque cogitationes ſuas contulit, ut res difficillimas & ampliſſimas ſuſciperet, præſertim mercaturam cum aliis Nationibus exercendam. Eam ob rem, ad naves conſtruendas animum appulit Rex *Salomon*, inivitque ſocietatem cum *Hiramo*, Rege Tyriorum, qui terra marique mercabantur. Tunc Hebræi facti ſunt *Viri bellatores*, ut ait Scriptura Sacra capit. 9. verſ. 22. libr. 3. Regum, artemque navigationis & mercaturæ didicerunt, procurante *Hiramo*, Rege Tyriorum, qui miſit ſervos ſuos nauticos & gnaros maris ad dirigendam claſſem *Salomonis*, ſicut teſtatur Scriptura Sacra verſ. 26. & ſequent. ejuſdem capitis 9. libr. 3. Regum mox a me citati: *Claſſem quoque fecit Rex Salomon in Aſiongaber, quæ eſt juxta Ailath in littore maris rubri, in Terra Idumææ, miſitque Hiram* (Rex Tyriorum) *in claſſe illa ſervos ſuos, viros nauticos, & gnaros maris cum ſervis Salomonis; qui, cum veniſſent in Ophir, ſumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad Regem Salomonem*. Nec tantum in *Ophir*, ſed etiam in *Tharſim* claſſem ſuam tranſmittebat *Salomon*, & ex mercibus, quæ inde devehebantur, ingentem ſibi opum copiam comparavit, totumque Regnum locupletavit. At, de ſitu *Ophir*, & *Tharſis* extat inſignis controverſia inter duos egregios Scriptores, Illuſtriſſimum *Danielem Huetium*, Epiſcopum Abrincenſem, & *Samuelem Bochartum*, quorum prior exiſtimat, *Ophir* eſſe Africæ oram orientalem, & ſpeciatim *Sopholam*. Cenſet etiam *Tharſim* eſſe oram occidentalem Africæ & Hiſpaniæ, præcipue loca Bœtis oſtiis proxima. Denique, oſtendit idem Epiſcopus temporibus *Salomonis* ex Mari rubro ad fretum Gaditanum, & ex freto Gaditano ad Mare Rubrum navigari ſolitum eſſe, atque ex *Tapobobrane*, ex *Sophola*, oraque, ei vicina, aurum, gemmaſque pretioſas advehi & aſportari potuiſſe. *Samuel* vero *Bochartus* ivit in ſententiam *Salmaſii*, opinantis, *Ophir* fuiſſe *Tapobobranem*, quam *Seilam* vocant, ait inſuper, *Tharſim* eſſe Inſulam in Oceano proximam *Ophir*, vel *Tapobobrane*, in quas navigaret claſſis *Salomonis*. In dirimenda iſta controverſia judicium meum interponere nolo, ſed utramque opinionem, ſuis fultam conjecturis, in medio relinquo. Hæc autem obiter obſervaſſe ſufficiat circa Hebræorum, temporibus Regis *Salomonis*, mercaturam, de qua ſi plura ſcire deſideres, legeſis perdoctam Diſſertationem *De Antiquorum Mercaturis*, quam edidit Cl. & exoticarum callentiſſimus *Blaſius Caryophilus*, Neapolitanus, quæque e ſt

Digitized by Google

ordine prima in *Miſcellaneorum* libro, quem Romæ paucis abhinc annis. publica luce donavit.

D. Peſſima atque inſidioſiſſima res eſt opulentia, quippe quæ multos ſubvertit, iiſque ſæpenumero immedicabilium malorum extitit. cauſa. Fortuna etiam ſecundior eos, quibus affulget, inſolentes ut plurimum reddit, atque ab opibus in luxum & vitia præcipitare ſolet. Hinc, ſicut narrabat mihi nudiuſtertius vir eruditus, Rex *Salomon*, proſperis blandientis fortunæ eventibus elatus; & opum, quibus affluebat copia ſuperbiens, ſenſim ſine ſenſu a recto virtutis calle deſcivit, & tandem ſenectutem ſuam effræni, cui indulſit, libidine, & idolorum cultu turpiſſime fædavit.

M. Ita eſt. Rex *Salomon*, parta divinitus ſapientia, & opibus longe mortalibus omnibus antecellens, dum ad finem vitæ ſuæ vergeret, ſecundarum rerum magnitudinem non tulit, ſed fœminarum, quibuſcum inſana libidine adhæſit, factus eſt vile mancipium. At enim, præter filiam *Pharaonis*, Regis Ægyptiorum, quam ſibi matrimonio copulavit, multas alienigenas, contra præceptum Dei uxores duxit, Moabitidas, Ammonitidas, Idumæas Sidonias, & Hethæas, ita ut, inaudito hactenus exemplo, ſeptingentas uxores, Reginarum nomine inſignes, & trecentas concubinas haberet, quibus ut placeret, ante Idola, quæ colebant, luxurioſus ſenex procubuit, falſiſque Numinibus thus adolevit, victimas obtulit, poſuitque denique Templa, videlicet *Aſtarthæ*, id eſt, *Veneri*, Dei Sidoniorum, *Molocho*, Deo Ammonitarum, & *Chamoſo*, Deo Moabitarum. Doctiſſimus *Paulus Pezronus*, Ordinis Ciſtercienſis, in libro, quem edidit, *De Antiquitate temporum reſtituta ac propugnata*, cenſet, *Salomonem* regnaſſe per octoginta annos, hoc eſt, per quadraginta annos pie ſapienterque regnaſſe, & deinde per alios quadraginta Regni ſui annos illecebris mulierum captum, impotenti ſuæ libidini fræna laxaſſe, & Idola coluiſſe, ſicque in integrum regnaſſe annos octoginta. Qua in re *Paulus Pezronus* conſentientem habet *Joſephum*, Hebræum; ſed dubium non eſt, quin ambo illi Scriptores in putandis annis Regni *Salomonis* fallantur; cum Scriptura Sacra capit. 11. verſicul. 42. libr. 3. Regum aperte innuat, Salomonem regnaſſe duntaxat annos quadraginta. Sic enim habet: *Dies autem, quos regnavit Salomon in Jeruſalem ſuper omnem Iſrael, quadraginta anni ſunt*. Mortuus eſt igitur *Salomon*, cum annos quadraginta regnaſſet. De illius pœnitentia & ſalute nihil certi ex ſacris Litteris elici poteſt, nec adhuc convenit inter ſanctos Patres & eruditos Scriptores, ſicut opportunius oſtendemus in ſequenti Colloquio, ubi nonnulla Dubia, quæ circa Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis proponi ſolent, breviter diſſolvemus, ibidemque Libros ſacros, videlicet *Proverbia*, *Eccleſiaſten*, & *Canticum Canticorum* Salomoni, ceu legitimo parenti, vindicabimus. Sufficiat hic obſervare, *Claviculam*, & *Annulum Salomonis*, aliaque Opera Magica, quæ *Salomonis*, nomine impii quidam homines inſignire auſi ſunt, eſſe ſpurios fætus, & prorſus indignos, qui *Salomoni* adſcribantur.

D. Facile mihi perſuadeo, *Salomonem* ex ſeptingentis illis, quas duxit uxoribus, & trecentis, quas habuit, concubinis, numeroſam ſuſcepiſſe prolem.

M. *Salomon* unicum de tot thalamis filium ſuſcepit *Roboamum*, & duas filias, quarum una vocabatur *Taphet*, altera *Baſemath*, quarum meminit Hiſtoria Sacra libr. tertio Regum cap. 4. verſicul. 11. & 15. Defuncto *Salomone* ejus filius *Roboamus* patrium Regnum tenere cæpit, anno ætatis ſuæ quadrageſimo primo, ſicut legitur cap. 12. v. 13. libr. primo Paralipomenon: *Quadraginta & unius anni erat* (Roboamus) *cum regnare cæpiſſet*. Corrigendum eſt itaque mendum, quod irrepſit in librum primum *Hiſtoriæ Sacræ* Sulpicii Severi, ubi elegans ille Scriptor ait, *Roboamum* ſucceſ-

Digitized by Google

ceſſiſſe patri ſuo *Salomoni*, Regnique primordia iniiſſe anno ætatis ſuæ decimoſexto. Inauſpicatum fuit Regni *Roboami* exordium, ac peſſimum omnium malorum, quæ inde ſcaturierunt, augurium. Rogatus quippe *Roboamus* a Populo, ut duriſſimum Tributorum jugum, ſibi a *Salomone* impoſitum, minueret, idque ſeniores viri, qui *Salomoni* quondam a conſiliis fuerant, nomine Populi ei ſuadebant; ille, relicto ſeniorum conſilio, ex ſententia juniorum, quos ſtolide ſibi conſiliarios adhibuit, non ſolum preces ſupplicum ſuperbe repudiavit, nihilque de vectigalibus remittere voluit, ſed etiam ſic dure & minaciter eos affatus eſt: *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus*. Hæc novi Regis intempeſtiva & aſpera reſponſio ita plebem, paſſam in tam juſta petitione repulſam, efferavit, ut, nulla interpoſita mora, decem Tribus a Rege *Roboamo* defecerint, & *Jeroboamum*, filium *Nabati*, Ephraimitam, ſibi Regem præfecerint. Duæ tamen Tribus, videlicet *Judæ*, & *Beniamini*, penes *Roboamum*, Regem, ſteterunt, & in ejus fide conſtanter permanſerunt. Tunc in duo Regna ſciſſum eſt Judaicum nomen, quorum unum dictum eſt Regnum *Judæ*, & huic præfuit *Roboamus*; alterum appellatum eſt Regnum *Iſraelis*, cujus primus Rex a decem Tribubus conſtitutus eſt *Jeroboamus*. Quapropter, ne confundamus Reges *Judæ* cum Regibus *Iſraelis*, dabimus duntaxat hic ſeriem & geſta Regum *Judæ* uſque ad captivitatem Babylonicam, & ſub finem hujuſce noſtri Colloquii ſubnectemus Tabulam Chronologicam, quæ non ſolum exhibebit annos, per quos ſupremum dominium obtinuerunt Reges Judæ, verum etiam præfiget annos, per quos Reges Iſrael ſumma rerum potiti ſunt, eorumque geſta breviter indicabit.

D. Potuitne *Roboamus*, Rex Judæ, poſtquam ab ipſo decem Tribus defecerunt, reſiſtere Jeroboamo, ad quem, ut mox ajebas, decem Tribus Regnum Iſrael detulerunt?

M. *Roboamus*, ex duabus Tribubus Judæ, & Beniamini, quæ ab ipſo ſtabant, Exercitum centum octoginta millium militum paravit, bellumque adverſus decem Tribus, quas a ſe alienaverat, gerere decrevit. Sed hanc Expeditionem *Semejas*, Propheta, impedivit, monens *Roboamum*, dum jam acies promoverentur, & in procinctu certaminis eſſent, ne contra fratres pugnaret, neve reſiſteret Dei voluntati, cujus arbitrio hæc decem Tribuum defectio in pœnam peccatorum *Salomonis* contigerat. Ad hujus Prophetæ vocem a cœpto deſtitit *Roboamus*, tantuſque bellatorum defluxit Exercitus. Poſthæc, Judæi in Idololatriam prolapſi, & in omnem libidinem, ceterarum Gentium more, effuſi ſunt. Rex etiam *Roboamus*, contra Dei voluntatem, ſibi a *Semeja* Propheta denunciatam, perpetuum bellum adverſus *Jeroboamum* geſſit, ut majorem Regni partem, ſibi ab illo Rege Iſraelis ereptam, armis repeteret, ſibique vendicaret. Sed fruſtra. Deus quippe, ad exterminandas abominationes, quibus ſe fœdebant Judæi, & caſtigandam perfidiam Regis *Roboami*, immiſit in Judæam *Seſacum*, Regem Ægypti, qui potentiſſimo munitus Exercitu, ex Ægypto, Lybia, Troglodytide, & Æthyopia collecto, munitiſſimas Regni Judæ Civitates occupavit, & Hieroſolymam uſque perveniens, compulit *Roboamum*, ut ſuam, ſuique populi libertatem nefando ſacrilegio redimeret, theſauris videlicet & donariis Templi, quibus onuſtus *Seſacus*. Rex Ægypti, Hieroſolymis receſſit, *Roboamus* vero, Rex Judæ, poſtquam regnaſſet ſeptemdecim annos, abiit e vivis anno ætatis ſuæ quinquageſimo octavo.

D. Quis eſt iſte *Seſacus*, Rex Ægypti, quem Deus adverſus *Roboamum* cum ingentibus copiis evocavit in *Judæam*?

M. Iſte *Seſacus*, Ægyptiorum Rex, idem plane eſt ac *Seſoſtris*, Ægyptiorum Rex, ſicut teſtatur *Joſephus*, Hebræus, lib. 10. Antiquit. Jud. capite quarto. Id etiam non obſcure innuunt *Herodotus* lib. 2. Hiſtoriæ, & *Strabo* lib. 17. qui aſſerunt, extitiſſe etiam

ſuis

Digitized by Google

ſuis temporibus *in Syria Palæſtina* monumenta victoriæ, quam *Seſoſtris*, Ægypti Rex, ibidem reportavit. Quod ſane quadrat optime in eum Regem Ægypti, quem Scriptura Sacra *Seſacum* appellat. Ille etenim *Seſacus*, Regi *Roboamo* infeſtus, validiſſimo, ut jam diximus, inſtructus exercitu, irruit in Palæſtinam, ſeu Judæam, eamque vaſtavit ac diripuit. Iſte autem *Seſoſter*, Rex Ægypti, quem Scriptura appellat *Seſacum*, in Verſione Latina *Diodori Siculi* vocatur *Seſooſis*, & *Seſonchis*, apud vero lxx. Interpretes nuncupatur *Seſachis*. Ut ut ſit de diverſis illis nominibus, certo conſtare debet, illum Regem Ægyptiorum, qui contra *Roboamum*, Regem Juda, bellum geſſit, quemque Scriptura Sacra *Seſacum* vocat, eumdem eſſe ac *Seſoſtrim*, ſeu *Seſonchim*, Aegypti Regem, qui jam *Salomonis* temporibus regnabat, quemque in viginti duorum Regum Aegyptiorum Dynaſtia, quæ *Bubatiſtarum* eſt, primum collocant *Manetho*, Rerum Aegyptiacarum Scriptor, & *Julianus Africanus* apud *Georgium Syncellum* in ſua Chronographia. Hunc *Seſacum*, dictum apud Græcos *Seſoſtrim*, aut *Seſonchim*, regnaſſe in Aegypto annis quinquaginta novem ſcribit mox laudatus *Manetho*.

D. Quem in Regno Judæ ſucceſſorem habuit *Roboamus*?

M. Ex uxoribus decem & octo, & concubinis ſexaginta, quas duxerat Rex *Roboamus*, ſuſcepit viginti octo filios, & ſexaginta filias, ſuumque in Regno Judæ ſucceſſorem ex omnibus filiis, quos procreaverat, elegit *Abiam*, quem ex *Maacha*, uxore perdilecta, genuit, quemque ideo ceteris fratribus, etiam antiquioribus, præpoſuit. Impietate & flagitiis *Abias* patri ſuo ſimillimus fuit, ſed in bello ſtrenuum, & acerrimum ſeſe prodidit. Secundo marte contra *Jeroboamum*, Regem Iſraelis, qui octingenta millia militum in aciem eduxerat, pugnavit, & illum cum quadringentis hominum millibus aggreſſus, tanta clade affecit, ut ex ejus exercitu quingenta hominum millia ceciderint; partamque victoriam perſecutus, tres munitiſſimas Regni Iſraelitici civitates, nimirum *Bethleem*, *Jeſanam*, *Ephronem* cum ſuis pagis ei eripuerit, ſuamque in poteſtatem redegerit. Verum, *Abias* hunc felicem prælii exitum, non Deo, cujus tamen maximo in diſcrimine conſtitutus opem imploraverat, eamque præſentiſſimam fuerat expertus, retulit acceptum, nec ad meliorem frugem, uti debuerat, ſe ſe recepit, ſed vano intumuit faſtu, & in impietate callum obduxit. *Abiam* ſex annos regnaſſe ſcribit *Sulpicius Severus* lib. 1. *Hiſtoriæ Sacræ*, ſed perperam; cum diſerte libri 2. Paralipomenon capite 13. ſcriptum ſit, *Abiamum* tres tantum annos regnaſſe. *Tribus annis*, inquit Scriptura Sacra, *regnavit Abias in Hieruſalem*. Quatuordecim uxores habuit Rex *Abias*, ex quibus viginti duos filios, & ſexdecim filias ſuſcepit. Poſt ejus obitum, *Aſa*, illius filius, Regnum Judæ obtinuit.

D. Fuitne Rex *Aſa* melior patre ſuo *Abia*?

M. Regni *Aſæ* exordia laudatiſſima fuerunt, utpote ſtabiliendo divino cultui, & abolendis omnibus paternæ Idololatriæ veſtigiis conſecrata. Fecit *Aſa*, inquit Scriptura Sacra capite 14. libri 2. Paralipomenon, *quod bonum, & placitum erat in conſpectu Dei ſui, & ſubvertit Altaria peregrini cultus, & Excelſa & confregit ſtatuas, lucoſque ſuccidit. Et præcepit Judæ, ut quæreret Dominum patrum ſuorum, & faceret Legem, & univerſa Mandata, & abſtulit de cunctis urbibus Juda aras, & ſana, & regnavit in pace*. Eo regnante, *Zara*, Æthyopum Rex, qui, cum decies centenis millibus militum, & curribus trecentis in Judæam irruperat, piis Regis *Aſæ* precibus, obſecundante Deo, in valle *Sephata* prope *Mareſam*, oppidum, in fugam datus eſt, totuſque numeroſus illius Exercitus, Cœlo pro *Aſa*, Rege Judæ, pugnante, fuſus ac profligatus fuit. Nec in Deum de tam inſigni reportata victoria ingratus fuit Rex *Aſa*, ſed in ſpem ad futuræ ſibi deinceps protectionis divinæ erectus verbis Prophe-

tę

tæ *Azariæ*, qui ei victori occurrit, ardentiori ſtudio inſtaurandæ Religioni, divino cultui propagando, & radicitus extirpandis Idololatriæ reliquiis incubuit; ut his pietatis monumentis ſui erga Deum, qui victoriam in illius partes traxerat, grati animi ſignificationem exhiberet. Verum, cum nihil ſit ex omni parte beatum, nec aliquid tam pium, cui non ſint ſuæ additæ labes, contigit ut *Aſa*, Rex licet optimus, aliquid humani paſſus fuerit, & aliquas contraxerit maculas, quæ illum coram Deo culpabilem reddiderunt. At enim, ſummam proſperitatem, qua fruebatur *Aſa*, Rex Judæ, ægre admodum ferens *Baaſa*, Rex Iſrael, cum multis copiis, occupavit, ut Judæis noceret, *Ramam*, urbem tantum ſtadiis quadraginta Hieroſolymis diſtantem, eamque vallis ac muro communivit. Quorſum tenderet tam audax *Baaſa*, Regis Iſrael, conſilium, animadvertit quidem facile *Aſa*, Rex Juda, ſed conſilii inops, planeque immemor auxiliatricis Dei manus, quam toties expertus fuerat, confugit ad *Benadadum*, Syriæ Damaſcenæ Regem, eumque ad facilius retundendas æmuli ſui *Baaſæ*, Regis Iſrael, molitiones, ſacrilega nundinatione, hoc eſt, auro & argento, quod in Templi Ærario, Regiſque Theſauris aſſervabatur, ſibi conciliavit. Miſit confeſtim *Benadad*, Rex Syriæ, copias ſuas contra civitates Regni Iſraelis, quibus repellendis impar *Baaſa*, Rex Iſrael, captam urbem *Ramam* deſerere, ſuamque in ditionem maturata fuga redire compulſus eſt. At, diuturna non fuit de recuperanda libertate ſua *Aſa*, Regis Judæ, concepta lætitia. Ad eum quippe Deus Prophetam *Ananum* protinus miſit, ut ei ſacrilegam illam ſocietatem, quam cum *Benadado*, Syriæ Rege, inierat, exprobraret. Correptionem Prophetæ, non æquo & pœnitenti, ut par erat, animo, excepit *Aſa*, Rex Juda, ſed reprehenſionis impatiens, ad diffidentiam adjecit crudelitatem. Vatem enim dedit in vincula, & multos e populo, de hoc facto obloquentes, interemit. Ex eo tempore *Aſa*, Rex Judæ, pœnas ab illo exigente numine, continuis bellis laceſſitus eſt, & podagræ doloribus per triennium vehementer conflictatus, in qua tamen infirmitate non quæſivit Dominum, nec in eo ſpem ac fiduciam collocavit, ſed totus in Medicorum artem intentus, humanis præſidiis dolorem pedum, quo torquebatur, delinire ſtudit. Quod ei Scriptura Sacra vitio vertit, quia, ut appoſite obſervat *Theodoretus* Quæſtione XLVIII. in librum tertium Regum: *Qui vera pietate ſunt præditi, utuntur Medicis tanquam Dei miniſtris. Sciunt tamen quod nihil poteſt ars Medicorum Deo nolente, ſed tantum poteſt, quantum ipſe vult*. Obiit Rex *Aſa* anno Regni ſui quadrageſimo primo, eumque maculas illa, quas exiſtimationi ſuæ aſperſiſſe mox diximus, pœnitentia eluiſſe innuit Scriptura Sacra, quæ illum (capite 15. lib. 3. Regum) piis Principibus ac juſtis accenſet. *Aſæ*, Regi Judæ, ſucceſſit filius *Joſaphatus*, pietati ac zelo patri non modo non impar, ſed ſuperior.

D. Narra, ſi placet, res præclare geſtas *Joſaphati*, filii *Aſæ*, ejuſque in Regno Judæ ſucceſſoris; quas eo lubentiori animo auſcultabo, quod ille Princeps, Religionis virtutibus clarus, ſe ad imitationem *Davidis*, Regis, contulerit, præcepta Dei accurate ſervaverit, & inter Reges Juda fuerit eximius pietatis cultor.

M. Regnum Judæ ad ſummum decus extulit *Joſaphatus*, & in ipſo ſui regiminis exordio primam conſtituendæ Religionis, ſtabiliendi Dei cultus, & in tota ditione ſua profligandæ Idololatriæ curam habuit. Hinc ita potens & opulentus evaſit, ut in ejus gloriam ac divitias cœlum atque terra conſpirare viderentur, ſicut teſtatur Scriptura Sacra capite 17. verſ. 3. & ſeq. libri 2. Paralipomenon, his verbis: *Fuit Dominus cum Joſaphat, quia ambulavit in viis David patris ſui primis, & non ſperavit in Baalim, ſed in Deo patris ſui, & non juxta peccata Iſrael; confirmavitque Dominus Regnum in manu ejus; & dedit omnis Juda munera Joſaphat: factæque ſunt* ei

Digitized by Google

ei divitiæ multæ, & *multa gloria*, *cumque ſumpſiſſet cor ejus audaciam propter vias Domini*, *etiam excelſa*, & *lucos de Juda abſtulit*. Animadvertens autem Rex *Joſaphat*, Idololatriam apud Judæos ex ignorantia, vel ex Legis Dei neglectu profectam eſſe; miſit anno tertio Regni ſui Sacerdotes, Levitaſque in urbes univerſi Regni ſui, qui populum Legem Domini edocerent, ſicque omnes Idololatriæ fibras evellerent. Hunc *Joſaphati* zelum gratum habuit Deus, eumque reddidit ſuis apprime charum, & finitimis Gentibus ita formidabilem, ut Philiſtæi & Arabes vectigalia, ſeu tributa, ultro ac certatim ei penſitarent, haberetque ipſe in ſuo exercitu undecies centena & ſexaginta millia virorum bellatorum, non numeratis his militibus, quos in præſidiis conſtituerat, ſicut legitur lib. 2. Paralip. cap. 17. Verum, dum alta pace, ſummaque Regni felicitate gauderet *Joſaphatus*, ecce Moabitæ, Ammonitæ, Idumæi, & Syri, qui ejus potentiam ægris oculis videbant, conjunctis viribus & cum ingenti exercitu in Judæam irrumpunt, & imparatum Regem invadunt. In tanto tamen diſcrimine animum non deſpondit Rex *Joſaphatus*, ſed in Deo omne præſidium collocans, ardentiſſimas ad eum preces effudit, & e veſtigio turbati ac commiſſi inter ſe barbari certarunt. Ammonitæ, & Moabitæ in Idumæos, tum vero illi in ſemetipſos arma verterunt, ſeſeque mutua clade confecerunt. Quo factum eſt, ut Rex *oſaphatus* non tam armis, quam ſacris canticis Sacerdotum & Levitarum, quos ſecum deduxerat, hoſtes illos in ſe conjuratos debellaverit, & triumphantis ritu Hieroſolymam reverſus, Deo, victoriæ tam inſignis auctori, immortales in Templo gratias egerit, ſicut narrat ſacer Auctor lib. 2. Paralip. cap. 20. Præter hæc pietatis Regis *Joſaphati* monumenta, duo alia refert Scriptura Sacra (lib. 2. Paralip. cap. 19.) quæ ſilentio prætermittere non debemus. Conſtituit enim pius ille Rex in ſingulis totius Regni ſui oppidis ſubſellia Judicum, quos ſapientia & prudentia præditos ſelegit, huicque obeundo muneri præfecit, illos gravi iſta admonitione adhortans: *Sit timor Dei vobiſcum*, & *cum diligentia cuncta facite; Non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum*. Digna ſane religioſiſſimo Principe Sententia! Præterea, conſtituit Hieroſolymis Rex *Joſaphatus* Levitas, Sacerdotes & Principes familiarum, qui ſacris judiciis præeſſent, & dirimerent quæſtiones, quæ inter Judæos circa Legem, Mandata, Cæremonias, & juſtificationes emergere poterant, *præcepitque eis dicens: ſic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto..... Oſtendit eis, ut non peccent in Dominum; & ne veniat ira Dei ſuper vos, & ſuper fratres veſtros. Sic ergo agentes peccabitis*. Hæ ſunt in ſumma res, quas præclare geſſit *Joſaphatus*, Rex Judæ, quaſque laudat Scriptura Sacra. At, duo ſunt Regis *Joſaphati* facinora, quæ ei Scriptura Sacra crimini dat, quæque hic breviter indicabimus. Et primo quidem, Rex *Joſaphatus* inauſpicato celebravit nuptias filii ſui *Jorami* cum *Athalia*, peſſimi *Achabi*, Regis Iſraelis, & crudeliſſimæ *Zezabelis*, filia. Has illicitas nuptias, quas familiæ *Davidis*, Regis, funeſtiſſimas fuiſſe, mox fatalis eventus probabit, redarguit Deus per Prophetam *Jehu*, filium *Hanani*, & ad correptionem illius Prophetæ, culpam ſuam agnovit Rex, pœnitentiam egit, nec deſtitit veniam flagitare, donec Deus per eumdem Prophetam ei denunciaverit, ſe intuitu bonorum illius operum, pietatis præſertim ac zeli, cujus in evertendis Idolis ſpecimen præbuerat, hoc delictum, ſevera alioqui animadverſione dignum, ei condonare. Deinde, Scriptura Sacra non ſolum culpat Regem *Joſaphatum*, quod ſuum ſanguinem miſcuerit cum impii *Achabi*, Regis Iſraelis, ſanguine, verum etiam, quod claſſem inſtructurus, quæ *Ophiram*, inquirendi auri cauſa, proficiſceretur, ad hujus expeditionis ſocietatem admiſerit *Ochoziam*, filium *Achabi*, Regis Iſrael. Hoc fœdus, quod cum *Ochozia*, nequiſſimo Iſraelis Rege, pepigit *Joſapha-*

ſaphatus, Rex Judæ, improbavit Dominus, miſitque Prophetam *Eliezer*, qui *Joſaphato* ſignificaret, claſſem, quam paraverat, in ipſo portu *Aſiongaber*, antequam ſolveret, perituram. Quod reapſe, ſicut prædixerat Propheta, contigiſſe, legitur cap. 22. lib. 3. Regum, & cap. 20. lib. 2. Paralipomenon. Poſtremo, Rex *Joſaphatus* anno ætatis ſuæ ſexageſimo, Regni vigeſimo quinto diem ultimum clauſit, & Hieroſolymis cum patribus ſuis ſepultus eſt, ut narrat Scriptura.

D. Ut quid mox dixiſti, nuptias, quas *Joramus*, filius Regis *Joſaphati*, cum *Athalia*, Regis ſceleſtiſſimi *Achabi*, & truculentæ *Zezabelis* filia, contraxit, familiæ *Davidis*, Regis, totique Regno Judæ funeſtiſſimas fuiſſe?

M. Prædictas nuptias familiæ *Davidis*, Regis, totique Regno Judæ funeſtiſſimas fuiſſe, heu nimium! crudelis eventus comprobavit. Mortuo quippe *Joſaphato*, pio Regi ſucceſſit in Regno Judæ filius ejus, natu maximus, *Joramus*, qui, inſtigante *Athalia*, peſſima conjuge ſua, *Achabi*, Regis Iſraelis, & *Zezabelis*, filia, ſeſe non minus crudelem in homines, quam impium in Deum toto Regni ſui tempore prodidit. In primis, ut quietius regnaret, ſex e ſuis fratres ſuſtulit, & aliquot proceres, qui erga illos bene erant affecti, interemit. Dein, excuſſo Religionis jugo, Idololatriam in Regnum Judæ invexit, & Idolo *Baal* Templa conſecravit. Tam ſacrilegam impietatem non diu impunitam tulit flagitioſiſſimus ille Rex. A Deo ſiquidem propter graviſſima illius crimina derelictus, perdidit totam Idumæam, quæ a *David*, Rege, olim ſubacta, Judaico imperio hactenus paruerat, nec eam unquam recuperare potuit. Idumææ defectionem imitata itidem eſt *Lobna*, munitiſſima Judææ civitas. Philiſtæi, & Arabes in Judæam irruerunt, fæde devaſtarunt, Regiam diripuerunt, & in his depopulationibus non pepercerunt Regiæ Soboli, ſed interfecerunt omnes filios Regis *Jorami*, ſolo ſuperſtite relicto *Joachaz*, aliter dicto *Ochozia*, natu minimo; Tandem ad omnium malorum cumulum, inſanabili putreſcentium viſcerum dolore a Deo percuſſus eſt impius ille Rex, ac integro biennio diris tormentis vexatus, longa conſumptus tabe, & a ſuis omnino neglectus, miſerrime periit, cum viſcera ſua egeſſiſſet vivus. Annis octo regnavit Rex *Joram*, & licet Hieroſolymis ſepulturam habuerit, fuit tamen e tumulo Regum Majorum ſuorum excluſus, & Regio funere privatus, ſicut legitur cap. 21. lib. 2. Paralipomenon.

D. Utinam! omnes Reges hoc terribili in *Joramum*, iniquiſſimum Regem *Judæ*, divinæ vindictæ exemplo intelligerent, ſe ita Imperium gerere debere, ut actionum ſuarum rationem vel reddere, vel ſaltem a ſemetipſis exigere poſſint. Futurum eſt enim aliquando, ut Deus ab eis rationem exigat, apud quem nihil eis profuerit potentes fuiſſe in terris, niſi quod tanto rigidiorem habituri ſint judicem, quanto grandior poteſtas fuerit eis commiſſa. Sit unus licet ſupremus totius Orbis Monarcha, qui pro arbitrio imperat, Deum tamen exactorem, & præpotentem ſcelerum ultorem, nec effugere, nec fallere, nec terrere, nec corrumpere unquam poterit. Sed perge, quæſo te, ſeriem texere Regum, qui, poſt *Joramum*, Regnum Judæ obtinuerunt.

M. Sicut fructus naturam arborum ſequuntur, ita fere liberi parentum mores imitari, indolem quoque ſimillimam referre ſolent. Hujus parentum in filios transfuſæ morum ſimilitudinis funeſtum in *Ochozia*, qui patri ſuo *Joramo*, Regi Judæ, ſucceſſit, habemus exemplum. Hic quippe, viginti duos annos natus, paterni Regni, ſicut ejus impietatis hæres, atque improbæ matris ſuæ *Athaliæ* nefariis conſiliis auſcultans, Idololatriam promovit, ſeque cultus Idoli *Baal* fautorem præbuit. Expeditionem militarem una cum avunculo ſuo *Joramo*, Rege Iſraelis, contra *Hazaelem*, Regem Syriæ, ſuſcepit. Sed poſt infelicem certaminis exitum, a *Jehu*, infenſiſſimo familiæ *Acha-*

Achabi Regis Iſraelis, inimico, trucidatus fuit, cum uno duntaxat anno regnaſſet in Juda. Ejus cadaver Hieroſolymam delatum in ſepulchro Majorum conditum eſt. Hinc facile intelligere potes, me non immerito paulo ante obſervaſſe, familiæ *Davidis*, Regis, funeſtas fuiſſe illas, quas *Joſaphatus*, Rex Judæ, celebravit nuptias filii ſui *Jorami* cum *Athalia*, Regis Iſraelis *Achabi*, & *Zezabelis* filia.

D. Probe intelligo, ejuſmodi illicitas nuptias graviter diſplicuiſſe Deo, & in familia *Davidis*, Regis, iliadem malorum importaſſe. Sed multo acerbiori pœna Deum propter has illicitas nuptias, in familiam Regis *Salomonis* animadvertiſſe ajebat nuperrime Theologus, in ſacris litteris haud parum exercitatus, aſſerebatque ſtirpem Regis *Salomonis* defeciſſe in *Ochozia*, & *Joam*, qui in Regno Judæ ſucceſſit *Ochoziæ*, non e *Salomonis* proſapia oriundum eſſe, ſed de *Nathanis*, alterius filii *Davidis*, progenie fuiſſe. Id autem an verum ſit, & ſacris litteris conſentaneum? nunc a te ſcire vehementer cupio.

M. Cum bona venia illius Theologi, qui iſthæc tibi narravit, dixerim, oppido falſum eſſe, ſtirpem Regis *Salomonis* extinctam fuiſſe in *Ochozia*, *Joamque*, qui in Regno Judæ ſucceſſit *Ochoziæ*, non de *Salomonis*, Regis, ſed de *Nathanis* progenie extitiſſe. Hæc, inquam, falſa eſſe, e ſacris litteris facile pateſcit. Quarti enim libri *Regum* cap. 11. v. 1. & ſeq. ita legitur: *Athalia vero mater Ochoziæ, videns mortuum filium ſuum* (ſeu Ochoziam) *ſurrexit, & interfecit omne ſemen regium. Tollens autem* Joſaba, *filia Regis* Joram, *ſoror Ochoſiæ*, Joas, *filium Ochoziæ, furata eſt de medio filiorum Regis, qui interficiebantur, & abſcondit eum a facie Athaliæ, ut non interficeretur*. Et cap. 12. ejuſdem libri quarti *Regum: Tulit Joas, Rex Judæ, omnia quæ conſecraverant Joſaphat, Joram, & Ochozias, patres ejus &c.* Et cap. 13. *Anno vigeſimo tertio Regis* Joas, *filii Ochoziæ, Regis Judæ &c.* Capite etiam tertio lib. 1. *Paralipomenon* in poſteritate Regis *Salomonis* diſerte recenſetur *Joas*, filius *Ochoziæ*, idque Evangeliſta *Matthæus* explicate confirmat, inquiens: *Joſaphat genuit Joram, Joram autem genuit Oziam, Ozias autem genuit Joathan, Joathas autem genuit Achas, Achas autem genuit Ezechiam*. Generatione ergo omnes iſti Reges Judæ prodierunt ex ſtirpe Regis *Joſaphati*, ac proinde *Salomonis*, non vero *Nathanis*. Nemo itaque contra hæc apertiſſima Scripturæ Sacræ teſtimonia aſſeverare poteſt, ſtirpem Regis *Salomonis* in *Ochoſia* defeciſſe. Fateor tamen, hanc fabulam de ſtirpis *Salomonis* defectione narrari in libro, qui *De Temporibus* inſcribitur, quemque noſter *Joannes Annius*, Viterbienſis, vindicat *Philoni*, Judæo; at conſtat nunc apud omnes Critices Diſciplinæ peritos, hunc librum eſſe ſpurium *Philonis*, Judæi, fætum, tum quia *Euſebius* lib. 2. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 18. & S. *Hieronymus* in *Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum* Opera *Philonis*, Judæi, diligenti Criterio cenſuerunt, & tamen nullum memorant Opus, in quo *Philo* res geſtas Regni cujuſquam tempora notarit: tum quia etiam liber ille multa falſa, multa abſurda, nonnulla contra Scripturam Sacram profert, totque mendaciis, & anilibus fabulis a capite ad calcem refertus eſt, ut nemo, qui tantiſper eum lectitare voluerit, ſtatim non fateatur, hunc librum plane indignum eſſe, qui perito *Philoni*, Judæo, adſcribatur. Sed & aliud, quod hic prætermittere minime debeo, ſuppetit argumentum, quo evinci poteſt, ſtirpem Regis *Salomonis* in *Ochozia* non defeciſſe. Nam ſi ſtirps *Salomonis* exaruiſſet omnino in *Ochozia*, ſequeretur primo, jus regnandi devolutum eſſe non ad nepotes *Salomonis*, ſed ad poſteros *Nathanis*, alterius filii *Davidis*, Regis; quod ſane abhorret ab omni veri ſpecie, quia legimus c. 11. lib. 2. Paralipomenon, *Roboamum*, filium *Salomonis*, genuiſſe viginti octo filios; *Abiam*, filium *Roboami*, genuiſſe viginti duos cap. 13. *Joſaphatum* vero, filium Regis *Abiæ*, genuiſſe ſeptem liberos, cap. 21. Credibile autem non eſt, tam numeroſam ſtirpem ne-

nepotum *Salomonis*, qui a tempore *Roboami* uſque ab *Ochoziam*, filium *Jorami*, in plures familias ſuccreſcere potuerunt, ita poſt obitum Regis *Ochoziæ* fuiſſe extinctam, ut ne ullus quidem ex ſtirpe *Salomonis* ſuperſtes fuerit, qui jus habuerit ad regiam dignitatem, & ad eam poſteros *Nathanis* adſciſcere opus fuerit. Præterea, ſi ſtirps *Salomonis* plane defeciſſet in *Ochozia*, ſequeretur, poſt obitum *Ochoziæ* tranſiiſſe a Salomonidis ad Nathanitas, hoc eſt, a linea *Salomonis* ad lineam *Nathanis* promiſſionem a Deo factam de naſcituro Meſſia ex ſemine *Davidis*, adeo ut divina illa promiſſio impleta non fuerit in linea *Salomonis*, ſed in linea *Nathanis*. Quod ſane antiquorum Patrum, & Theologorum ſententiæ adverſatur, qui docent, promiſſionem divinam de prodituro Meſſia e ſemine *Davidis*, Regis, completam fuiſſe in linea *Salomonis*, & non in linea *Nathanis*. Sed de ſucceſſione *Salomonis* nunquam interrupta, & per veram & naturalem nepotum procreationem uſque ad ortum Chriſti Domini jugiter continuata, ſi plura ſcire aveas, legeſis Diſſertationem quartam Tractatus, quem ſecundis curis anno MDCCXXIV. Romæ edidi: *De Myſteriis & annis Jeſu Chriſti, Servatoris noſtri*, ubi conciliare ſtudui antilogiam, ſeu apparentem contradictionem, quæ videtur eſſe *Matthæum* inter & *Lucam*, Evangeliſtas, in ea, quam deſcribunt, genealogia Jeſu Chriſti, Salvatoris noſtri.

D. Ea, quæ adduxiſti, momenta invicte probant, ſtirpem *Salomonis* non fuiſſe in *Ochozia* extinctam, ſed *Joaſum*, qui in Regno Judæ ſucceſſit *Ochoziæ*, vera, naturali, & carnali generatione filium eſſe *Ochoziæ*, illumque ſubinde non e *Nathanis*, ſed e *Salomonis* progenie originem traxiſſe. Sed nunc, obſecro te, compendioſa narratione deſcribe quid poſt obitum Regis *Ochoziæ* contigerit, & res, quas ejus filius, & in Regno Judæ ſucceſſor *Joaſus*, memoria & commendatione dignas potiſſimum geſſit, ſummatim perſtringe.

M. Poſt Regis *Ochoziæ* obitum, *Athalia*, vidua Regis *Jorami*, & mater Regis *Ochoziæ*, mulier impotens & ambitioſa, atque Idoli *Baal* cultui addictiſſima, ſeſe tanquam inferni furiam, crudelitatis & impietatis monſtrum exhibuit. Regnum Judæ, morte filii ſui *Ochoziæ* vacuum, confeſtim occupavit. Immanem in populum per ſex annos integros crudelitatem exercuit, & ſicut mox obſervavimus, in ſuum ſanguinem ſæviit, ac nepotes ſuos, Regis *Ochoziæ* filios, impotenti regnandi libidine abrepta, occidi curavit. Unus duntaxat e Davidico ſemine truculentiſſimam illam cladem evaſit *Joas*, filius Regis *Ochoziæ*, anniculus puer, quem amita *Joſaba*, Regis *Ochoziæ* ſoror, & uxor *Jojadæ* Pontificis, ab imminenti morte eripuit, eumque cum nutrice in Templo per ſexennium occultavit, ipſa tantum, ejuſque marito *Jojada*, Pontifice, hujus rei conſciis, quibus ſubinde *Joaſus* vitam & ſceptrum accepta referre debuit. At, poſtquam Joaſus per ſex annos latitaſſet in Templo, viſum eſt tum populo, tum Jojadæ, Pontifici, opportunum tempus tyrannidem *Athaliæ* excutiendi, populum in libertatem vindicandi, & *Joaſo*, ceu legitimo hæredi, reddendi Regnum, quod ei *Athalia* crudelis illius Avia, ſpretis divinis & humanis Legibus, præripuerat. *Jojadas* itaque Pontifex, urgente populo, tyrannidis *Athaliæ* diutius ferendæ impatienti, *Joaſum*, tum temporis ſepteunem, ritu ſolemni Regem Judæ in Templo inauguravit, eumque, depulſa *Athalia*, in paternum ſolium, feſtivis omnium acclamationibus & gratulationibus reſtituit. Hæc ubi reſciviſſet *Athalia*, excanduit, & tantum non furore correpta ad Templum feſtina acceſſit popularem motum ſedatura, & conjurationem impeditura. Sed ad nihilum reciderunt impiæ illius mulieris conatus. Eam quippe abſque mora extra Templi ſepta educi, ac necari juſſit Pontifex *Jojadas*. E vivis ſublata illa furia, longe crudeliori digna ſupplicio, *Joaſus* tranquillum Regnum obtinuit, & quamdiu *Jojadam*, ſummum

mum

mum Pontificem, parentis loco, uti debebat, habuit & coluit, ſe ſe divini cultus obſervantiſſimum, & optimum Principem præbuit. Templum Idoli *Baalis* evertit, Aras deſtruxit, Idola confregit, *Mathanem*, Baalis Sacrificium, coram Altari hujus Idoli jugulari ac mactari juſſit. Sarta tecta Templi, ab *Athalia* neglecti & vaſtati inſtauravit, magniſque ſumptibus illud exornavit. Verbo dicam, quamdiu Rex *Joaſus* Præceptore & adminiſtro Principe *Jojada* uſus eſt, expreſſit in ſe imaginem Principis omnibus virtutum numeris abſoluti, omnibus proſpiciens, paternum in omnes gerens animum, religione nihil prius & antiquius habens, ſemper vigilans, quo ſuis ſubditis ſuppeteret tranquillitas, & illorum commodis conſuleret. At, poſtquam *Jojadas*, Pontifex, anno ætatis ſuæ trigeſimo ſupra centeſimum e vita migraſſet, *Joaſus*, ſui juris factus, & Aulicorum adulationibus (ut apud Principes fieri aſſolet) delinitus, eorumque pravis conſiliis corruptus, iram Dei meruit, & populi odium ſibi conflavit. Templi enim, quod nuper religioſe inſtauraverat, curam abjecit, veræ avitæque Religioni cultum Idoli *Baalis* antepoſuit, ad Lucos & Idola reſpexit, hiſque nefariis ſuperſtitionibus indigniſſimam addidit necem *Zachariæ*, Sacerdotis, & filii *Jojadæ*, illius Pontificis, cui vitam, Regnumque debebat, quod hic Propheta Spiritu Domini afflatus, Regis, populique impietatem argueret. Hujus, inquam, Prophetæ *Zachariæ* zelum non tulit Rex *Joaſus*, ſed ad iram concitatus, & ſummam impietatem cum ingratiſſimi animi vitio jungens, ſanctum illum virum *Zachariam* (qui alter eſt ab eo *Zacharia*, qui inter Minores Prophetas undecimus eſt) in Atrio Templi, proh ſcelus! lapidibus obrui juſſit. Hanc ſacrilegam mortem *Zachariæ*, inter ſaxorum grandinem vindictam expoſcentis, graviter Deus ultus eſt. Vix enim vertente anno poſt cædem hujus ſancti viri, Deus ſic animos Syrorum extulit, ut *Hazael*, Syriæ Rex, cum exercitu in Judæam irruperit, *Gethum* urbem ceperit, & hac inflatus victoria, poſt depopulatam ac vaſtatam Judæam, verſus Jeroſolymam, totius Regi Judæ caput, recta contenderit, eaque potitus fuiſſet, niſi Rex *Joas* theſaurum omnem, qui in ſacro Ærario aſſervabatur, ablatum victori in prædam tradidiſſet, & Templi auro turpiſſimam pacem redemiſſet. Sic *Hazael*, Cex Syriæ, quo, tanquam virga, ad flagellandum Regem *Joaſum* Deus uſus eſt, poſt numeratam ſacram, prophanamque pecuniam, poſt direptam victricibus armis Judæam, poſt primarios Regni viros internecione deletos, abſcendit, hiſque pœnis, Regi *Joaſo* illatis, contentus fuit Deus, qui graviores tamen exigere potuiſſet. At, non multo poſt *Hazaelis* Syriæ Regis, diſceſſum miſerrima ac diuturna ægritudine confectus *Joas*, Rex Judæ, a ſuis in lecto decumbens trucidatus eſt ineunte anno Regni ſui quadrageſimo, nec in ſepulturam Regum illatus eſt, ſicut legitur libr. quarto Regum cap. 12. & liar. 2. Paralipomenon cap. 24.

D. Cum peſſimum ſit adulationis genus, mirari profecto non ſubit, quod juvenis adhuc Regis *Joas* animum, ad pietatem inclinatum, peſtilenti adulatione corrupeaint viri Aulici, qui, ſicut funeſta ſæpius nos docet experientia, tantum abeſt, ut pravas vulgi opiniones ex animis Regum, quibus ſerviunt, revellant, ſi quæ inſident, & ſalutares bono Principe dignas inferant, ut potius ſuum agentes negotium, ſuiſque privatis commodis ſtudentes, rationem publicæ utilitatis negligant, & Regem, quorum favorem aucupari ambiunt, aſſentationibus, alloquiis, & obſequiis illiberalibus inficiunt, & ad ea ſollicitant, quæ ſunt parum digna Regibus, Sed mittamus has Regnorum & Rerum pubblicarum peſtes, & proſequamur Hiſtoriam Regum Judæ.

M. *Joaſo* in Regno Judæ ſucceſſit *Amaſias*, ejus filius, annos natus viginti quinque. Parentem ſuum *Joaſum* tam in primis, quam in ultimis Regni ſui annis æmulatus eſt, & ſicut illius

illius Regni principia laudatiſſima & paternis initiis ſimillima fuerunt, ita in ultimis Regni ſui annis in pravos mores degenerans, infelicem, perinde ac ipſius parens, nactus eſt exitum, ceteriſque impiis Regibus reliquit magnum divinæ vindictæ documentum. At enim, *Amaſias* in exordio Regni ſui ſuſtulit quidem e medio eos, qui in ipſius patrem *Joaſum* conjuraverant, eique necem intulerant; liberis tamen eorum, juxta Legem a Deo per *Myoſem* datam, pepercit, probe ſciens, Deum, qui ſummus eſt vitæ, ac mortis arbiter, id pœnæ genus ſibi ſoli reſervaſſe, ut parentum peccata uſque ad quartam generationem caſtiget, quo acerbitate, diuturnitate, & amplitudine pœnæ, improbi homines, qui non virtutis amore, ſed tantum formidine pœnæ poſſunt a crimine ſubmoveri, dum ſibi, ſuiſque metuunt, injecto libidini fræno, peccare deſiſtant. Bellum totis Regni ſui viribus adverſus Idumæos ad ortus Rex *Amaſias*, trecenta ſuorum millia armavit, quibus centum millia ex Regno Iſraelitico in auxilium accita, centum talentorum anticipata ſolutione, adjungere ſtatuerat. Sed, ad vocem unius Prophetæ prohibentis, ne talium militum, qui Deo erant exoſi, auxilio uteretur, confeſtim eos domum dimiſit, & Idumæos commiſſo certamine aggreſſus, inſignem, ſupremo favente Numine, victoriam de illis reportavit. Sed, o inauditam, & pluſquam belluinam ingratitudinem! Rex *Amaſias*, victoriæ, ſibi a Deo conceſſæ, plane immemor, Idola, quæ inter direptas hoſtium manubias reperta ſunt, cultu ac ſacris proſequi non erubuit, neque ab illa deteſtanda ſuperſtitione abſterrentem Prophetam auſcultare voluit, ſed eum conviciis & minis dure excepit. Sic rebus proſperis ac ſecundis ſolent inſoleſcere mortales, ac ferrea & ſaxea geſtantes pectora, beneficiorum Dei penitus oblivíſci. Non diu tamen tantæ ingratitudini debitam ultionem diſtulit Deus. Et primo quidem pœnas dedit *Amaſias*, Rex Judæ, dum in prælio, quod inconſulte cum *oaſo*, Rege Iſraelis, conſeruit, captus eſt, & perductus Hieroſolymam, in quam *Joaſus*, triumphantium more, ingreſſus eſt per labem muri, dirutis videlicet ad quadringentorum cubitorum longitudinem mænibus, ut cum liberet, eamdem urbem cum ſuis copiis facilius ſubire poſſet. Nec his contentus victor Rex Iſrael, theſauros omnes, & ſacros & prophanos expilavit, *Amaſiam* Regem Judæ, ſibi vectigalem fecit, acceptiſque primariorum civium liberis obſidibus, ſua releg.it veſtigia, & Samariam reverſus eſt. Dein, *Amaſias*, Rex Judæ, poſtquam huic cladi per quindecim annos ſuperſtes fuiſſet, potius quam præfuiſſet, iterum pœnas luit. In eum quippe facta eſt valida Optimatum, & populi conjuratio, eo potiſſimum nomine, quod Rex *Amaſias* imprudentia, & ignavia ſua Regnum Judæ vectigale, ac tributarium Regi Iſraelis reddidiſſet. Quam injuriam ferre non valentes, in Palatium irruperunt, Regem ad mortem depoſcentes, cumque ipſe verſus *Lachim* civitatem arripuiſſet fugam, eum inſecuti ſunt, ibidemque cæciderunt, cum regnaſſet in Judæa annis viginti, ſicut narratur libri 4. Regum cap. 14. & libri 2. Paralipomenon cap. 25.

D. Quem Regni Judæ hæredem ac ſucceſſorem reliquit Rex *Amaſias*?

M. Regni Judæ hæredem ac ſucceſſorem reliquit Rex *Amaſias* filium ſuum *Oziam*, ſive *Azariam*, annos dumtaxat ſexdecim natum, qui paternum Regnum adeptus, Deum ſincere coluit, & *Zachariæ*, Prophetæ (qui alter fuit ab eo *Zacharia*, qui inter Minores Prophetas undecimus cenſetur) conſiliis plurimum uſus, & ab ipſo ad omnem ſanctimoniam probe informatus, præcipuam curam obſequendi preceptis Dei habuit, Regnumque feliciter ac proſpere, quamdiu Deo fidelis fuit, adminiſtravit. Philiſtæos, Arabes, & Ammonitas, divino tectus præſidio, debellavit. Urbem *Elath*, ad Mare Rubrum ſitam, & a Judæ Regno jampridem divulſam, ditioni adjecit, & ad neceſſitatem atque magnificentiam diligenter con-

Digitized by Google

communivit. Alias munitiſſimas urbes *Jabniam*, *Getham*, & *Azotum*, machinis bellicis verberatas, vi cepit, ac ſpoliavit mænibus. Firmiſſima præſidia, & oppida in terra hoſtili extruxit, eoque Judæorum colonias deduxit, ut tuti ac ſecuri agros colerent, victique Philiſtæi in officio continerentur. Urbem Hieroſolymam novis propugnaculis, munitionibus, & turribus ſolidiſſimis firmavit, aliiſque rebus præclare geſtis nomen ſuum tam longe lateque celebravit, ut Ægyptiis, aliiſque circum Gentibus formidandum eſſet. Tanta illa felicitate clarus Rex *Ozias*, ſui omnino oblitus eſt, nec Regio Sceptro contentus, thuribulo manum admovere, & ſacra jura, quæ ad ſolos pertinent Sacerdotes, ſibi in Templo arrogare ſacrilega temeritate præſumpſit. Sed id non impune tulit. Confeſtim ſiquidem lepra correptus, & e Templo a Sacerdotibus expulſus, reliquum vitæ tempus privatis in Ædibus, conturbenio hominum prohibitus, miſere tranſegit, translata in *Joathamum*, ejus filium, procuratione Regni Judæ, ac tandem toto vitæ ſuæ tempore inuſtam corpori ſuo turpem criminis notam ferens, mortuus eſt *Ozias* anno Regni quinquageſimo ſecundo, uti legitur lib. 4. Regum cap. 14. & lib. 2. Paralipomenon cap. 26. Felicem profecto Regem *Oziam*, ſi intra terminos, ſibi a Deo præſcriptos, permanſiſſet. *Alii* namque (ut ait S. Joannes *Chryſoſtomus* Homilia IV. de Verbis Iſaiæ: *Vidi Dominum*) *ſunt termini Regni, alii termini Sacerdotii. Hoc Regnum illo majus eſt . . . . . Regi corpora commiſſa ſunt, Sacerdoti animæ. Rex maculas corporum remittit; Sacerdos autem maculas peccatorum. Ille neceſſitate. Hic conſilio. Ille habet arma ſenſibilia, hic arma ſpiritualia . . . . . Verum, Rex Ozias, ſua tranſiliens ſepta, modumque Regni tranſgreſſus, conatus eſt aliquid addere, atque ingreſſus in Templum cum auctoritate incenſum adolere volens*. Ob hanc ſuperbiam, omnium vitiorum matrem, Deus Regem *Oziam*, intra Sacrorum veſtibulum tanta cum impudentia irrumpentem, lepra percuſſit, dignum ſane, qui mille fulminis ictibus, extremo ſupplicio, cruciatuque afficeretur, quandoquidem illi, qui hæc primum auſi ſunt, hanc dedere pœnam, videlicet *Dathan*, *Core*, & *Abiron*, multo magis Regem *Oziam* ad hunc modum puniri oportuit, qui ne illorum quidem calamitatibus a patrando illo ſacrilegio non fuit deterritus. Verum, hoc non fecit Deus, ſed in pœna, quam inflixit Regi *Oziæ*, ſeverum ſimul & bonum ſeſe exhibuit, ut ſimul & terrore & bona ſpe ad pœnitentiam excitaret eum, qui lapſus erat.

D. Utinam Reges ac Principes Laici, quibus Deus quæ ſunt in terris commiſit, nunquam ſacra jura & officia ſacerdotum temere ſibi arrogare præſumant, ſed potius diligenter ſatagant, ut ſemper ſarta tecta vigeat concordia Sacerdotii & Imperii. At, nunc ſcire velim, an *Joathan*, quem patri ſuo *Oziæ* in Regno Judæ ſucceſſiſſe mox inſinuaſti, pie, proſpereque regnaverit? & an patris ſui eruditus exemplo a ſacrorum contactu abſtinuerit?

M. Paternæ pietatis æmulator fuit *Joatham*, Rex Judæ, & ſacra Sacerdotum jura non invaſit, quod ſciret, patrem ſuum iram Dei in ſe provocaſſe, & lepræ obnoxium vitam finiſſe, quia adverſus ſacra adyta ſumpſit audaciam, in Sancta Sanctorum ſeſe ſuperbe intruſit, & hunc locum, qui omnibus, præterquam Summo Pontifici, erat inacceſſus, prophanare auſus eſt. Regni ſui exordium a rebus Religionem ſpectantibus auſpicatus eſt *Joathamus*, annos natus viginti quinque, & Templum Hieroſolymitanum ſumptuoſis ædificiis exornavit. Poſtea ad bellum contra Ammonitas gerendum ſe accinxit, quos, bellicæ fortitudinis gloria illuſtris, domuit, & ſtipendium, ſeu Tributum, præſtare coegit. Obiit Rex *Joathamus* anno ætatis ſuæ quadrageſimo primo, cum regnaſſet annos ſexdecim. *Joathamo* in Regno Judæ ſucceſſit *Achaz*, ejus filius, viginti annorum juvenis, ſed impius, & ad omnem ſuperſtitionem, & idololatriam pro-

je-

jectus, ideoque Deo maxime inviſus, & ob ſua execranda delicta a Deo derelictus, & *Razin*, Regi Syriæ, & *Phacee*, Regi Iſraelis, caſtigandus traditus. Enim vero, duo illi Reges ſua conjunxere vires, Hieroſolymam obſederunt, ſed eam expugnare haud potuerunt, uti prædixerat Propheta *Iſaias*, ſicut opportunius oſtendemus in Colloquio tertio in Hiſtoriam quintæ hujus Mundi Ætatis, ubi Prophetarum geſta & vaticinia breviter deſcribemus. *Razin*, Rex Syriæ, & *Phacee*, Rex Iſraelis, obſidionem Urbis Hieroſolymæ ſolvere coacti, in Regem *Achazum* acrius invecti ſunt, eique, ac toti Regno Judæ maximam cladem intulerunt. Prior ſiquidem, ſeu Rex Syriæ, *Achazum*, Regem Judæ, in urbem *Damaſcum* abduxit captivum. Alter vero, ſeu *Phacee*, Rex Iſraelis, centum & viginti millia hominum ex ditione Regis *Achazi* cæcidit, optima præda potitus eſt, & ducenta millia mulierum, & puerorum Samariam deportavit, quibus tamen, ad vocem *Oded*, Prophetæ, ex Samaria vaticinantis, conceſſa eſt libertas, & facultas ſeſe Hiericuntem recipiendi. Nec ſolum duo illi Reges, ſcilicet, Syriæ, & Iſraelis, in *Achazum*, Regem Judæ, quem Deus deſtituerat, inſurrexerunt, verum etiam Idumæi, & Philiſtæi magnam Judæorum ſtragem ediderunt, multa ſpolia abſtulerunt, & civitates Regni Judæ facto impetu plurimas occuparunt. Tot finitimarum gentium bellis miſere attritus Rex *Achazus*, non ad Deum confugit, ſed in malitia ſua obduratus, *Teglathphalaſarem*, Aſſyriorum Regem, in auxilium accivit, & confeſtim ille Aſſyriorum Rex magna ſpe prædæ, auri & argenti illectus, objectum hamum devoravit, Regi *Achazo* ſuppetias tulit, *Razinem*, Syriæ Regem, bello aggreſſus, *Damaſcum*, Regni Syriæ, Metropolim, expugnavit, diruit, incolas Cyrenem deportavit, *Razinem*, Regem interfecit. Victorem *Teglathphalaſarem*, Regem Aſſyriorum, venientem Hieroſolymam Rex *Achaz* non ſolum magnificentiſſime, ceu liberatorem ſuum, excepit, multoque auro, argentoque, tam ſacro, quam prophano, donavit, ſed etiam illius Regis gratiam, Patriæ Religionis deſertione, & Aſſyriaca Idololatriæ æmulatione magis ac magis promereri ſtuduit, juſſitque ut clauderetur Templum, & Idola per univerſam urbem ſpargerentur ac colerentur, ſicut colligitur ex capite 28. libri 2. Paralipomenon, ubi hæc leguntur: *Direptis itaque Achaz omnibus vaſis Domus Dei, atque confractis, clauſit januas Templi Dei, & fecit ſibi Altaria, in univerſis angulis Jeruſalem. In omnibus quoque urbibus Juda extruxit Aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam provocavit Dominum Deum patrum ſuorum.* In hoc nefariȩ mentis piaculo abiit e vivis *Achaz*, omnium Regum Judæ nequiſſimus anno ætatis ſuæ trigeſimo ſexto, Regni decimo ſexto, indignus habitus, cujus corpus ſepulcris Regum inferretur.

D. Vah ſceleſtiſſimum illum Regem Judæ *Achazum*! non tantum pœnis, quæ, dum viveret, in ejus caput incubuerunt, juſte a Deo caſtigatum, ſed etiam dignum, cujus familia tota extingueretur, ſicque ipſe abſque prole, quæ ei in Regno ſuccederet, moreretur!

M. Sunt nonnulli Scriptores, qui exiſtimant, *Ezechiam*, qui *Achazo*, Regi Judæ, ſucceſſit, non fuiſſe verum & naturalem filium *Achazi*, eo quod libri 2. Paralipomenon capite 28. dicitur, *Achazum*, Idoli *Baalis* cultorem, filios ſuos ritu gentium, igne luſtraſſe, ſeu flammis combuſſiſſe. Sed dubium non eſt, quin fallantur iſti Scriptores. Nec enim *Achazus*, Rex licet impiiſſimus, combuſſit filios ſuos, ſed illos duntaxat traduxit per ignem, hoc eſt, filios ſuos, juxta ſacrilegam Gentium ſuperſtitionem, igne luſtravit, & conſecravit Idolo *Molochi*, illos tamen in honorem illius Idoli holocauſto non conſumpſit. *Ezechias* igitur, qui *Achazo* in Regno Judæ ſucceſſit annos natus viginti quinque, verus ac naturalis fuit ejus filius, pa-

Digitized by Google

terni tamen multum diſſimilis ingenii. Huic ſiquidem religioſiſſimus Rex, divinæ Legis zelo ſuccenſus, Deorum Statuas omnes ac fana disjecit, lucos ſuccidit, excelſa ſuſtulit, Altaria prophana demolitus eſt, Serpentem Æneum, olim a *Moyſe* in deſerto erectum, cui Populus Judaicus vana ſuperſtitione thus adolebat, confregit, ſoliuſque veri Dei cultum non modo in Regno Judæ, ſed in finibus Tribuum *Ephraim* & *Manaſſes* late propagavit. Sic ad religionem, verique Dei cultum converſis omnium animis, Levitas, Sacerdoteſque omnes ad celebranda, ſecundum Legem Moſaicam, Sacrificia ordinavit, & Paſcha, quod jam pridem fuerat omiſſum, celebrari inſtituit, illudque cum tanta ſolemnitate, & omnium, ad ſacrum conventum Hieroſolymam confluentium, publica lætitia peregit, ut ſolemnis adeo celebritas a diebus Regis *Salomonis* peracta Hieroſolymis non fuerit, ſicut legitur lib. 2. Paralipomenon capite 30. Nec minori induſtria, qua divina curavit Rex *Ezechias*, rem bellicam adminiſtravit. Philiſtæos frequentibus præliis ac cladibus contudit, jugum Regis Aſſyriorum, quod pater ejus, volens nolens, ſuſceperat, excuſſit, eique tributa negavit. Hinc *Sennacherib*, filius *Salmanaſaris*, Rex Aſſyriorum, bellum Regi *Ezechiæ* intulit, & magno cum exercitu Judæam ingreſſus, late agros vaſtavit, civitates munitiſſimas ad. cepit, aut evertit, nulloque obſiſtente, urbem Hieroſolymam obſedit. Sed, Rex *Sennacherib*, accepto nuncio, quod Ægyptii, cum Æthyopibus fœderati, in Regnum Aſſyriorum irrupiſſent, hanc Hieroſolymorum obſidionem protinus ſolvit, arma in Ægyptios & Æthyopes vertit, iiſque magnam intulit cladem. Ab hac expeditione reverſus *Sennacherib* formidoloſum exercitum Hieroſolymorum mœnibus iterum admovet, ſuperbas ad Regem *Ezechiam* Epiſtolas ſcribit, blaſphemat, minatur excidium, inſultat, maturam deditionem imperat. Interea temporis, Rex *Ezechias* dolore confectus, hoſtiſque viribus longe inferior non auſus manum conſerere, ferventiſſimis precibus divinum præſidium imploravit, & illico Deus ejus precibus annuens, Angeli opera centum octoginta Aſſyriorum millia in caſtris interfecit. Qua inexpectata ſtrage attonitus Rex *Sennacherib*, in oppidum Niniven trepidus confugit, ibique a filiis occiſus dignum ſe tulit exitium. Lethali morbo decumbens Rex *Ezechias*, mortem ſibi per Prophetam *Iſaiam* denunciatam, fuſis ad Deum precibus & lacrymis avertit, ſanitatem, & vitæ, Regnique prorogationem, in quindecim annos obtinere meruit. De illius ſalute, miſſa honorifica Legatione Rex Babyloniorum *Merodach Baladan* gratulatus eſt. Sed Regi *Ezechiæ* theſauros ſuos nimio faſtu Oratoribus Babyloniis oſtendenti, denunciavit Deus per Prophetam *Iſaiam* imminentem captivitatem Babylonicam, in quam poſteri ejus, atque Judæi abduci debebant. Mortuus eſt Rex *Ezechias* anno Regni ſui vigeſimo nono, & *Manaſſem* filium ſuum Regni Judæ hæredem ac ſucceſſorem reliquit.

D. Preſſitne Rex *Manaſſes* religioſiſſimi patris ſui *Ezechiæ* veſtigia?

M. *Manaſſes*, Regni Judæ duodennis potitus a patre ſuo *Ezechia*, pietate in Deum, ceteriſque virtutum officiis clariſſimo, multum degeneravit, plurimiſque horrendis ſceleribus ſeſe inquinavit, quæ poſtea, flagellis a Deo emendatus, & ad meliorem frugem converſus, precibus, lacrymis, & pœnitentia expiare, Deumque placare ſategit. Hæc autem ſunt nefanda crimina, quorum Rex *Manaſſes* reum ſe conſtituit, & quibus relicto Domino, in ſacra pariter & humana graſſatus eſt. In primis, nihil intentatum reliquit *Manaſſes*, ut Dei Legem violaret, cultumque poſſet funditus evertere. Excelſa, in quibus colebantur Idola, quæque pater ipſius *Ezechias* diruerat, reparavit, lucos, Idolorum cultui itidem deſtinatos, reſtituit, Aras *Baali* erexit; ſidera, tanquam Numina, veneratus eſt, illiſque conſecravit Altaria, filium ſuum per ignem, juxta ſuper-

ſtitioſum Gentium ritum, traduxit, arioſos, pythones, augures, aruſpices, & magorum, incantatorum, veneficiorumque omne genus conſuluit, verbo dicam, nihil reliquum fecit Rex *Manaſſes*, ſuaſque curas eo potiſſimum contulit, ut patriam Religionem aboleret, ſuoque exemplo, & publicatis Edictis, populum in Idololatriam præcipitaret. Præterea *Manaſſes* non tantum in Deum impius, ſed in homines crudelis fuit. Hieroſolymam quippe innumeris cædibus cruentavit, in Sacerdotes, & Levitas, qui ejus impietatem increpabant, truculenter ſævit, ſed præſertim in Prophetam *Iſaiam*, qui, licet e Regio genere ortus, & centum circiter annorum ſenio venerandus, juſſu tamen immanis illius Regis, ſerra lignea a vertice per medium umbilicum diſſectus eſt. Hic vides depictam imaginem Tyranni, qui metu, dolo, ac malis artibus Regnum adminiſtrat, qui ſuſpectos habet & inviſos cives illos, qui pietate, virtute, prudentia, & auctoritate pollent, qui delectatur, aut ſceleratis, quibus ad ſuæ Tyrannidis præſidium abuti poſſit, aut adulatoribus, a quibus audiat quod libenter facit: qui metui ſtudet, non amari; qui denique Leges divinas & humanas, fœdera, conſtitutiones, edicta, ſacra prophanaque vel contemnit, vel ad ſui capitis tutelam pertrahit, cum tamen hæc omnia publico bono metiri deberet. Talis fuit Rex *Manaſſes*, quem Deus flagellis emendare volens, tradidit in poteſtatem Aſſyriorum. Captus namque fuit *Manaſſes* a Principibus Exercitus, quem *Aſſaradinus*, Babyloniorum ſimul & Aſſyriorum Imperator, in Judæam miſerat, & compedibus vinctus Babylonem abductus eſt, ubi malis edoctus, toto pectore ad Deum converſus eſt, eoque propitio, poſt aliquot annos in integrum reſtitutus eſt a *Saoſduchino*, ſucceſſore *Aſſaradini*. Libertati ac Regno reſtitutus *Manaſſes*, in alium hominem immutatus eſt. Cultum Dei, quem peſſumdederat, reſtauravit, prophanas Aras ſolo æquavit, Idola confregit, omnia ſuperſtitionis impiæ monimenta abraſit, & populum, quem ſuo exemplo ſeduxerat, ad avitæ Religionis, divinæque Legis obſervantiam, facti pœnitens, reduxit, ac tandem mortuus eſt, cum annos quinque ſupra quinquaginta regnaſſet. Apocrypha eſt ea, quæ ad calcem Bibliorum edita eſt *Manaſſis Oratio*. Patri ſuo *Manaſſi* ſucceſſit in Regno Judæ *Amon*, qui eum peccantem ſecutus eſt, ſed non pœnitentem. Falſorum Numinum cultum redintegravit, & nova ſimulacra, & Idololatriæ monumenta erigendo, Deum deſeruit, & ab ipſo viciſſim deſertus eſt. Hinc ſuorum conjuratione & inſidiis circumventus *Amon* cæſus eſt in Palatio, anno ætatis ſuæ vigeſimo quarto, poſtquam ſceleratiſſime ad biennium uſque regnaſſet.

D. Perſtititne diu deploratiſſimus ille ſtatus, ad quem Judæos redegit impius Rex *Amon*?

M. Funeſtum illum Judæorum, regnante nequiſſimo *Amone*, ſtatum, in quo neglectæ fuerunt ceremoniæ, divinę Legis præcepta inſuper habita, ſacrorum Codicum prætermiſſa lectio, cultus veri Dei pene extinctus, & Idololatria latiſſime diffuſa; hunc, inquam, infauſtum Judæorum ſub impio Rege *Amone* ſtatum immutavit, & Regni Judę decus reparavit piiſſimus Princeps *Joſias*, filius ejuſdem Regis *Amonis*, quique octennis tantum puer in paterno ſolio a populo conſtitutus eſt. Ad virtutem & pietatem a teneris annis factus Rex *Joſias*, ſumma cura, ut par erat, divina adminiſtravit, Idola deſtruxit, ſuccidit, contrivit, Excelſa, Lucos, & prophanas Aras, toties iniquo victimarum ſanguine pollutas, ſubvertit, vaſa omnia falſorum Numinum cultui olim conſecrata, ac ſingula Idololatriæ inſtrumenta juſſit amoveri e Templo Domini. Delevit etiam aruſpices, & ſacrificulos *Baalis*, Solis, Lunæ, ac Siderum, nulla reliquit Idololatriæ veſtigia, ſicque urbem Hieroſolymam, ac Templum repurgavit ac mundavit, ut hæc *Civitas Sancta*, illud vero *Sedes Dei* jure optimo dicerentur. Eo regnante, *Helcias*, invenit librum Legis Domini autographum, ſeu *per manum Moyſis* (ſicut legitur lib. 4. Regum c. 21. & lib. 2. Paralipomenon cap. 34.) cum

Digitized by Google

cumque hunc librum coram *Joſia* legiſſet *Saphan*, Scriba, audiſſetque Rex *verba Legis*, *ſcidit veſtimenta ſua*, & indoluit maxime, quod Judæi cæremonias & præcepta Dei tandiu neglexiſſent, quod ne deinceps contingeret, librum Legis coram omni populo congregato in Templo legi præcepit, fœdus Deum inter & Populum innovavit, & accuratam divinæ Legis obſervationem populo perſuaſit, eodemque anno, ſeu decimo octavo Regni ſui, tanto apparatu Paſcha Hieroſolymis celebrandum indixit, ut teſtetur Scriptura, non eſſe factum Paſcha tale a diebus Judicum, & Regum Iſrael & Juda. Tandem Rex *Joſias* adverſus *Nechaonem*, Regem Ægypti, qui bellum Syriæ inferebat, prælium, inconſulto Deo, committere volens, priuſquam acies inter ſe concurrerent, ſagitta ictus eſt, & ex eo vulnere, in urbem relatus, deceſſit, cum regnaſſet in Juda annis triginta & uno.

D. Ne longius, quam par ſit, in texenda ſerie Regum Judæ, eorumque deſcribenda Hiſtoria noſtrum protrahatur Colloquium, breviter nunc, quæſo te, conſtringe omnia, quæ poſt mortem Regis *Joſiæ*, ſub aliis Regibus Judæ contigerunt uſque ad captivitatem Babylonicam, ita tamen, ut, brevitati ſtudens, nihil ex eorum Regum Judæ geſtis, quod ſit memoria dignum, ſubducas.

M. Occiſo *Joſia*, Regi Judæ, in prælio Madedonnenſi, ſuffectus eſt *Joachazus*, ejus filius, qui tamen paucos poſt menſes a *Nechaone*, Rege Ægypti, exutus Regno, in Ægyptum captivus abductus eſt, ibidemque mortuus. Regi *Joachazo*, demortuo in Ægypto, *Nechao*, Rex Ægypti, ſucceſſorem dedit *Eliakim*, fratrem ipſiuſmet *Joachazi*, & alterum filium Regis *Joſiæ*, qui etiam *Joakim*, & *Jechonias* eſt nuncupatus. Hic autem Regnum Judæ per annos undecim varia & ancipiti fortuna tenuit, ſed tandem ab Ægyptiorum ſervitute, cui erat mancipatus, recedens, & *Nabuchodonoſori*, Chaldæorum Regi, cui ſe addixerat, fidem datam violare, & impoſitum ſibi jugum excutere volens, ab Exercitu *Nabuchodonoſoris*, ex turmis Chaldæorum, Syrorum, Moabitarum, & Ammonitarum conflato, captus & interfectus eſt anno undecimo Regni ſui, a quo ultimo Regni *Joakimi* anno, qui concurrit cum anno octavo Regni *Nabuchodonoſoris*, Chaldæorum Regis, exordium Judæorum captivitatis Babylonicæ, quæ ſeptuaginta annis duravit, duci debet, indeque nonnulli decipiuntur Chronologi, qui initium 70. annorum captivitatis Babylonicæ accerſunt ab anno undevigeſimo Regni *Nabuchodonoſoris*, & ab anno undecimo ultimi Regis *Judę*, ſeu *Sedekiæ*, quando videlicet *Nabuchodonoſor*, Rex Chaldæorum, miſit Ducem *Nabuzardan*, qui ſacrum Templum, domos, muroſque Civitatis Hieroſolymæ diruit, evertit, incendit, ac ſolo æquavit, ſicut Sacræ Litteræ produnt lib. 4. Regum cap. 25. Sed de exordio & fine ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ, opportunius, propitio Numine, diſſeremus in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam ſextæ Mundi Ætatis. Redeamus itaque ad ſeriem Regum Judæ. *Eliakim*, Rex Judæ, qui, ut mox diximus anno Regni ſui undecimo ab Exercitu *Nabuchodonoſoris*, Chaldæorum, ſeu Babyloniorum Regis, occiſus eſt, reliquit filium binominem, dictum *Joackim*, & *Jechoniam*. Sed hic paternæ impietatis hæres, tribus menſibus in Regni adminiſtratione exactis, deportatus eſt in Babylonem, & in ejus locum ſubrogatus eſt *Mathanias*, dictus *Sedeckias*, patruus Regis *Jachimi*, in Babylonem deportati, filiuſque Regis *Joſiæ*. Hic eſt ille *Sedechias* ultimus Judæ Rex, qui anno undecimo Regni ſui occæcatus, & vinctus in captivitatem Babylonicam ductus eſt. Eodem anno undecimo Regni *Sedekiæ* venit Hieroſolymam *Nabuzardan*, Exercitus Babylonici Princeps, qui Templum, Regiam, domos univerſas concremavit, urbis mœnia circumquaque evertit, & Hieroſolymis homines duntaxat tenuioris fortunæ colendis agris vinciſque reliquit, quibus *Godoliam* præfecit. Sed *Godolia* cum pluribus Judæis, & Chaldæis ab *Iſmaele*, Ammonita, occiſo, reliqui Judæi, qui Jeroſolymis remanſerant, profecti ſunt in Ægyptum, ſocios ſe eis adjungentibus Prophetis, *Hieremia* & *Barucho*, qui ſub Regibus *Joakimo* & *Sedekia* imminentem captivitatem Babyloni-

lonicam, & conflagrationem Templi prædixerant, ob idque ab illis Regibus, qui lucentem veritatem amabant, oderant redarguentem, variis, acerbiſque pœnis affecti ſunt, ſicut commodius oſtendemus in tertio Colloquio in Hiſtoriam quintæ hujus Mundi Ætatis, nbi data opera illuſtriora Prophetarum Geſta referemus, eorumque vaticinia expendemus. Habes nunc ſeriem & Hiſtoriam Regum Judæ, a quarto anno Regni *Salomonis* uſque ad *Sedekiam*, qui fuit ultimus Regum Judæ.

D. Memoria quidem teneo Hiſtoriam Regum Judæ uſque ad *Sedekiam*, qui fuit ultimus, & in quo nobiliſſimum Judæ Regnum omnino extinctum eſt, ita volente Deo, qui, ut ait Scriptura Sacra, *mutat tempora & ætates, & transfert Regna atque conſtituit*. Optarem tamen, ut, ad meæ memoriæ ſubſidium, hic inſereres accuratam Tabulam Chronologicam, quæ mihi indigitaret annum a creatione Mundi, quo Reges Judæ a *Davide* uſque ad *Sedekiam*, Regnum inierunt, & quot annos Regno potiti ſunt.

M. Tabulas Chronologicas a creatione Mundi uſque ad quartum Regni *Salomonis* annum, quo jacta ſunt Templi Hieroſolymitani fundamenta, memini, me jam in præcedentibus Colloquiis, juxta calculum ſacri Textus Hebræi, contexuiſſe, nunc, ut votis tuis faciam ſatis, inhærendo eidem Chronologiæ, quam in computandis annis a creatione Mundi accuratiorem tradidi in ſingulis Mundi Ætatibus, attexam Tabulam Chronologicam, quæ tibi indicabit annum Mundi, quo Reges Judæ a *Davide* uſque ad *Sedekiam* Regnum inierunt, & quot annos Regno potiti ſunt.

TABULA CHRONOLOGICA REGUM JUDÆ,

A Davide uſque ad Sedekiam.

D*Avid* Regnum Judæ iniit anno a creatione Mundi ter milleſimo ſeptuageſimo quinto. Regnavit quadraginta annis, & obiit anno Mundi ter milleſimo centeſimo decimo quinto ante Æram vulgarem, ſeu ante Natale vulgare Chriſti, anno milleſimo vigeſimo quarto.

Salomon Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo centeſimo decimo quinto. Regnavit annis quadraginta, & exceſſit e vivis anno Mundi ter milleſimo centeſimo quinquageſimo quinto, ante Æram vulgarem anno nongenteſimo octogeſimo quarto.

Roboamus Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo centeſimo quinquageſimo quinto. Regnavit annis ſeptemdecim, & vita functus eſt anno Mundi ter milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, ante Æram vulgarem anno nongenteſimo ſexageſimo ſeptimo.

Abias Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſecundo. Regnavit tribus annis, & abiit e vivis anno Mundi ter milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quinto, ante Æram vulgarem anno nongenteſimo ſeptuageſimo quarto.

Aſa Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quinto. Regnavit annis quadraginta & nno, & mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo decimo ſexto, ante Æram vulgarem anno nongenteſimo vigeſimo tertio.

Joſaphat Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo decimo ſexto. Regnavit annis viginti quinque, & obiit anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo, ante Æram vulgarem anno octingenteſimo nonageſimo octavo.

Joram Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo quadrageſimo

ſimo primo. Regnavit octo annis, & deceſſit anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono, ante Æram vulgarem octingenteſimo nonageſimo.

Ochoſias Regnum *Judæ* iniit anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono. Regnavit uno duntaxat anno, & abiit e vivis anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo quinquageſimo, ante Æram vulgarem anno octingenteſimo octogeſimo nono.

Athalias mater *Ochoſiæ*, Regnum *Judæ* iniit anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo quinquageſimo. Regnavit ſex annis, & interfecta eſt anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto, ante Æram vulgarem anno octingenteſimo octogeſimo tertio.

Joas Regnum *Judæ* iniit anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto. Regnavit annis quadraginta, & diem ultimum clauſit anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto, ante Æram vulgarem anno octingenteſimo quadrageſimo tertio.

Amaſias, Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto. Regnavit annis vinginti novem, & mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo trecenteſimo vigeſimo quinto, ante Æram vulgarem anno octingenteſimo decimo quarto.

Oſias, ſeu *Azarias*, Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo trecenteſimo vigeſimo quinto. Regnavit annis quinquaginta duobus, & vitam cum morte commutavit anno Mundi ter milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, ante Æram vulgarem anno ſeptingenteſimo ſexageſimo ſecundo.

Joathao, Regnum Judæ auſpicatus eſt anno Mundi ter milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Regnavit ſexdecim annis, & obiit anno Mundi ter milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio, ante Æram vulgarem anno ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto.

Achaz, Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio. Regnavit ſexdecim annis, & migravit e vita anno Mundi ter milleſimo quadringenteſimo nono, ante Æram vulgarem anno ſeptingenteſimo trigeſimo.

Ezechias Regnum iniit anno Mundi ter milleſimo quadringenteſimo nono. Regnavit annis viginti novem, & mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octavo, ante Æram vulgarem anno ſeptingenteſimo primo.

Manaſſes Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octavo. Regnavit annis quinquaginta quinque, & obiit anno Mundi ter milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio, ante Æram vulgarem anno ſexcenteſimo quadrageſimo ſexto.

Amon, Regnum *Judæ* iniit anno Mundi ter milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio. Regnavit duobus annis, & mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quinto, ante Æram vulgarem anno ſexcenteſimo quadrageſimo quarto.

Joſias, Regnum *Judæ* inivit anno Mundi ter milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quinto. Regnavit annis triginta & uno, vitaque functus eſt anno Mundi ter milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, ante Æram vulgarem anno ſexcenteſimo decimo tertio.

Joachaz, Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, quod tamen per tres duntaxat menſes deguſtavit, eoque fuit exutus a *Nechaone*, Rege Ægypti. Quo fit, ut tres illi menſes Regni *Joachazi* confundantur cum annis Regni *Eliakim*, qui fuit ejus frater, & in Regno *Judæ* ſucceſſor.

Eliakim, qui *Joakim*, & *Jechonias*, dictus eſt, Regnum Judæ, iniit anno Mundi ter milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto. Regnavit undecim annis, & interiit anno Mundi ter milleſimo quingententeſimo trigeſimo ſeptimo, ante Æram vulgarem anno ſexcenteſimo ſecundo. Ab hoc anno undecimo Regni hujus *Eliakim*, ſeu *Joakim*, duci debet initium ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ. *Joakim*, dictus etiam *Jechonias*, poſt mor-

mortem patris ſui *Eliakim*, Regnum Judæ iniit anno Mundi ter milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo. Sed cum regnaſſet per tres tantum menſes, captivus in Babylonem adductus eſt, ideoque tres illius Regni menſes computantur, cum annis *Sedechiæ*, illius patrui, & in Regno Judæ ſucceſſoris.

Sedekias Regum Judæ ultimus, iniit Regnum Judæ anno Mundi ter milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo. Regnavit undecim annis, & anno Regni ejus undecimo, qui concurrit cum anno decimo nono Regni *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, Hieroſolymitana Civitas a *Nabuzardane*, Exercitus Regis *Nabuchodonoſoris* Principe, devaſtata, & incenſa eſt, Rex *Sedekias* in Babyloniam, ubi regnabat *Nabuchodonoſor*, deportatus eſt, ac penitus a Chaldæis everſum augustiſſimum Templum Hieroſolymitanum, poſtquam a Rege *Salomone* condi cœptum eſt, annis ccccxvIII. ab initio autem Regni *Davidis* anno cccclxII. a creatione vero Mundi juxta accuratiorem, quam ſequor, Chronologiam anno ter milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo.

D. De Regno Judæ, ejuſque Regibus hactenus ſatis. Veniamus nunc ad Regnum Iſraelis, ita dictum, quod ſicut antea obſervaſti, decem Tribus, durius Regis *Roboami*, filii, *Salomonis*, jugum excutientes, ab eo defecerunt, & novum Regnum Iſraelis, a Regno Judæ omnino diſtractum, conſtituerunt, ſibique *Jeroboamum* Regem præfecerunt. Ea igitur, quæ ſpectant Regnum Iſraelis, expendamus, ſi placet. Sed, ne in tanta argumenti amplitudine ultra præſcriptos brevitatis cancellos noſtrum excurrat Colloquium, abunde ſufficiet hic ſubjicere Tabulam Chronologicam, in qua ſtrictim deſcribes initium iſtius Regni Iſraelitici, ſeriem Regum, annos, per quos Regnum tenuerunt, præcipua eorum geſta, ac tandem ejuſdem Regni Iſraelis everſionem.

M. Poſtquam decem Tribus a Rege *Roboamo* defeciſſent, accerſiverunt ex Ægypto *Jeroboamum*, Ephraimitam, *Nabati* filium, eumque ſibi præfecerunt Regem, nec ſolum à domo *Davidis*, Regis, ſed a veri Dei cultu deſciverunt, & in Idololatriam prolapſi ſunt. Hoc pacto unum illud, quod ante *Roboamum* erat apud Judæos Imperium, in duo Regna, ſub initium Regni *Roboami*, diſtractum eſt, & ſi ita loqui fas eſt, dilaceratum. Uni, ſeu Regno Judę, quod duabus Tribubus, ſeu *Judæ*, & *Beniamini* conſtabat, præfuit Rex *Roboamus*; alteri vero, ſeu Regno Iſraelis, quod decem reliquas Tribus complectebatur, præpoſitus eſt *Jeroboamus*, cujus geſta, & in Regno Iſraelitico ſucceſſorum ſeriem, annos, & Acta uſque ad integram illius Regni Iſraelitici deſtructionem breviter, ut optas, annotabo in ſequenti Tabula Chronologica Regum Iſrael. Hoc unum tamen velim in anteceſſum obſerves, id potiſſimum occurrere diſcriminis Reges Judæ, inter & Reges Iſraelis, quod inter Reges Judæ fuerunt quidem nonnulli peſſimi, ſed aliqui tamen optimi & religioſiſſimi Reges, ſicut ſuperius oſtendimus; contra vero, omnes ad unum Reges Iſrael ſeſe omnibus flagitiis abominandis Gentium ſuperſtitionibus, & Idolorum cultu infames reddiderunt.

TABULA CRONOLOGICA
REGUM ISRAEL,

In qua breviter annotantur eorum anni, & præcipua geſta uſque ad integram Regni Iſraelitici everſionem.

Jeroboamus, Ephraimita, qui fuerat ſervus *Salomonis*, cuique Regnum prædixerat *Ahias* Silonites, Propheta, conſtitutus eſt primus Rex Iſraelis a decem Tribubus, quæ a Rege *Roboamo* defecerunt. Porro, *Jeroboamus*, qui *Therſa* Regiam ſuam collocavit, ut Gentem ſibi Regnumque firmaret, omnemque Iſraelitis, quibus imperabat, aditum præcluderet ad Templum Hieroſolymitanum, & ad Regem Judæ recurſum, impio conſilio, & ſacrilega uſus politica, eos nova ſacrorum ſpecie a Templo Hieroſoly-

ſolymitano adeundo, & a defectione ad Regem Judæ avertit, duobus aureis Vitulis, qui ab inſano, deluſoque populo colerentur, erectis, uno in *Bethel*, altero in *Dan*. Regem *Jeroboamum* Vitulo aureo litantem ſuper Altare, quod extruxerat in *Bethel*, graviter quidem increpuit Propheta (quem *Jadonem* appellat *Joſephus* Hebræus) eumque inſigni miraculo, quo ejus manus confeſtim exaruit, deterruit Deus, ſed, poſtquam inflictæ illius pœnæ gratiam *Jeroboamus*, ad preces converſus, obtinuiſſet a Deo, ad ſaniorem mentem non rediit, ſed in Schiſmate, quod in Religione fecerat, obſirmato animo perſiſtens, fana in excelſis excitavit, Sacerdotes *Aaronis* & Levitas rejecit, & de levi plebecula promiſcue aſſumpſit Sacerdotes Idolorum. Quo factum eſt, ut Sacerdotes *Aaronis*, & Levitæ, prædiis ſuburbanis, & poſſeſſionibus ſuis deſertis, in Judæam ſeſe receperint, eoſque multi ex decem Tribubus ſecuti ſint, ut Hieroſolymis Deo Majorum ſuorum ſacrificarent. Obiit *Jeroboamus*, impius Rex Iſraelis, poſtquam regnaſſet annis viginti duobus.

Nadab, *Jeroboami* filius, ei in Reguo Iſraelis ſucceſſit, fuitque paternæ impietatis hæres. Sed anno Regni ſui ſecundo, cum *Gebbethonem*, Philiſtæorum urbem, obſideret, a *Baaſa* occiſus eſt. Regnavit duntaxat annis duobus.

Baaſa, interfector *Nadab*, ei in Reguo Iſraelis ſucceſſit, totam Regis *Jeroboami* ſtirpem extinxit, ſecundum Prophetæ *Abia* Silonitis vaticinium, cumque animadvertiſſet, *Aſam*, Regem Judæ, avitam Religionem, Deique cultum inſtauraſſe, & multos in ſuo Regno Iſraelitico ad eum, Religionis cauſa defeciſſe, ut in fœdus Dei convenirent, & Idola abjicerent; perpetuum cum illo Rege Judæ bellum indixit. Urbem *Ramam* Regni Judæ occupavit, dumque eam munire, & muro circumdare pararet, ut impediret, ne quis e Hieroſolymis egrederetur, aut e Reguo ſuo abiret *Aſam*, Regem Judæ, urgente *Benadado*, Syriæ Rege, qui cum *Aſa*, Rege Judæ, erat fœderatus, cæptas urbis *Rama* munitiones penitus deſerere coactus eſt. Idolorum cultui addictiſſimus fuit *Baaſa*, Rex Iſrael, cumque *Jehu* Propheta execrabile illud crimen ei exprobraret, & ipſi, ac toti ſtirpi ejus integrum excidium denuntiaret, par huic, quod intulerat ſtirpi *Jeroboami*; hujus reprehenſionis impatiens ille impius Rex, adeo ira excanduit, ut hunc ſanctum Prophetam illico occiderit. Obiit *Baaſa*, Rex Iſrael, poſtquam regnaſſet annis viginti tribus.

Ela, filius *Baaſa*, ei in Regno Iſraelis ſucceſſit. Sed cum eſſet omnibus vitiis deditus, bibens, ac temulentus in domo *Arſa*, Præfecti urbis *Therſa*, oppreſſus eſt a *Zamri*, ſervo perduelli, qui juxta vaticinium Prophetæ *Jehu* totam Regis *Baaſæ* familiam delevit. Duobus ſolum annis *Ela* regnavit ſuper Iſrael.

Zamri, infamis parricida *Elæ*, Reguum Iſraelis aſtutum occupavit, & per ſeptem dies in urbe *Therſa* tyrrannidem exercuit, ſed populus caſtra habens contra, *Gebbethonem* Philiſtæorum urbem elegit *Amri*, qui erat Princeps militiæ, quo *Therſam*, ubi erat tyrannus, obſidente, ad has anguſtias redactus eſt *Zamri*, ut deſperata ſalute, ſe ſuoſque una cum Palatio combuſſerit.

Amri, quem populus Regem Iſraelis elegerat, habuit, poſt mortem Tyranni *Zamri*, unum ejuſdem Regni æmulum, ſeu *Thebnem*, filium *Ginathi*. Prævaluit tamen Rex *Amri*, & mortuo, quatuor poſt annos, æmulo ſuo *Thebni*, ſolus in Iſraele regnare cœpit, & poſtquam Therſæ regnaſſet ſex annis, regni Iſraelis ſedem tranſtulit Samariam, quam ædificavit in monte, quem emit a *Somer* duobus talentis argenti. Regnavit in integrum *Amri* annis duodecim, & exceſſit e vivis, & Samariæ ſepultus eſt.

Achab, mali Regis *Amri* peſſimus filius, ei in Regno Iſraelitico ſucceſſit, omneſque Reges Iſraelis crudelitate, & impietate longe ſuperavit. *Jeſabelem*, filiam *Ethbaal*, Regis Sidoniorum inferni furiam, duxit in matrimonium; ejuſque inſtinctu Idolo *Baali* Aram, Lucoſque conſecravit. Hæc eſt ſcele-

le-

Digitized by Google

leſtiſſima juxta ac crudeliſſima *Jezabel*, quæ *Nabothum*, vineam ſuam Regi *Achabo* vendere nolentem, falſis teſtibus oppreſſum lapidari curavit, & conculcatis divinis, humaniſque Legibus, Regem *Achabum*, virum ſuum, in vineæ *Nabothi* poſſeſſionem miſit. Quamobrem, Propheta *Elias* impio Regi *Achabo* cum tota ejus poſteritate, nec non ſceleſtiſſimæ *Jezabeli* ipſius conjugi, excidium denuntiavit, quod diu non fuit dilatum. *Achabus* ſiquidem bellum Syris illaturus, in prælio, ad *Ramoth Galaad* commiſſo, licet habitum diſſimulaſſet, occiſus eſt, juxta vaticinium Prophetæ *Michææ*, quem nequiſſimus ille Rex de futuro belli exitu antehac conſuluerat. Poſt vero elapſos aliquot annos *Jezabelem*, Regis *Achabi* uxorem, e feneſtra proſpicientem *Jehu*, qui tum erat Rex Iſrael, deturbari juſſit, & in eam, ab equis prius calcatam, irruentes canes ſecundum Prophetæ vaticinium, prædam devorarunt, nihil præter calvariam, & manuum, pedumque extrema relinquentes. Mox idem *Jehu*, Rex Iſrael, ſeptuaginta Reges *Achabi* filios e medio tolli imperavit, & quadraginta cognatos *Ochoziæ*, filii *Achabi*, ſuique in Regno Iſraelis deceſſoris letho dedit, ſicque totam impii Regis *Achabi* ſtirpem radicitus extirpavit. Viginti duobus annis regnavit ſuper Iſraël *Achabus*, obiitque, & Samariæ ſepultus eſt. Impietati Regis *Achabi*, ejuſque uxori *Jezabeli*, ſeſe tanquam murum æneum oppoſuit Propheta *Elias*, multaque inſignia edidit miracula. Sed de *Elia*, aliiſque Prophetis differendi opportunior ſeſe dabit occaſio in Colloquio tertio in Hiſtoriam hujus quintæ Mundi Aetatis, ubi Prophetarum, qui in quinta Mundi Aetate tam ſub Regibus Judæ, quam ſub Regibus Iſrael vaticinati ſunt, illuſtriora Geſta, & Oracula, quæ ad Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam, collimant, referemus.

Ochozias in Regno Iſraelis ſucceſſit patri ſuo *Achabo*. Is cum æger corpore eſſet, miniſtros miſit, qui *Beelzebud*, Accaronitarum Deum, pro ſalute ejus recuperanda conſulerent. Legationem illam Propheta *Elias*, a Deo monitus vehementer improbans, obviam ſe miniſtris Regis obtulit, illoſque increpitos renunciare ei jubet, mortem illius conſequuturam. Tum Rex ira percitus, multos miſit ſatellites, qui *Eliam* comprehenderent, eumque ad ſe vel invitum deducerent. Sed miſſi illi ſatellites cœleſti igne ad vocem Prophetæ *Eliæ* conſumpti ſunt, & Rex *Ochozias*, ut idem prædixerat Vates, mortuus eſt, poſtquam biennium in adminiſtratione Regni Iſraelitici exegiſſet.

Joramus, frater *Ochoziæ*, qui abſque prole defunctus eſt, ei in Regno Iſraelis ſucceſſit, & *Jeroboami* in Vitulorum cultu, firmandoque ſchiſmate impietatem imitatus eſt. Bellum contra Moabitas, fœderatus cum *Joſaphato*, Rege Judæ, & Idumæorum Rege, feliciter geſſit, Propheta *Eliſeo*, ei, in gratiam Regis *Joſaphati*, victoriam prædicente, ejuſque exercitui, in Idumææ Deſerto, ſiticuloſa regione, potus inopia periclitanti, ſubveniente, eique miraculoſe aquam a Deo impetrante. *Joramus* a *Jehu*, ab Exercitu Rege Iſraelitarum acclamato & inaugurato, occiſus eſt, cum Regno Iſraelis præfuiſſet annis duodecim.

Jehu, qui Regi *Joramo* mortem intulit, Regnum Iſraeliticum adeptus eſt, & ſtatim totam ſtirpem impii Regis *Achabi*, ut mox obſervavimus, funditus delevit. Sacrificulos etiam omnes *Baalis*, quos, ſimulando per dolum, ſe hoc Idolum colere velle, eique ſolemne offerre ſacrificium, unum in locum congregavit, & jugulari præcepit, ſimulacrum ſuccendit, prophanam ædem demolitus eſt. At, iſta ſimulatio, qua Rex *Jehu* finxit, ſe Idolum *Baalis* colere velle, merito a ſanctis Patribus damnatur, quia fuit mendacium pernicioſum, ſcandalum publicum, & profeſſio Idololatriæ, ſicut S. *Auguſtinus* libro *contra Mendacium* cap. 2. probat contra Hæreticos *Priſcillianiſtas*, qui hoc *Jehu* exemplo ad occultandam Religionem fas eſſe adhibere mendacium perperam contendebant. Idem cum *S. Auguſtino* docet Angelicus Doctor 2. 2. Quæſt. 3. Artic. 1. ad 2. ubi hæc habet:

bet: *Simulationem vero Jehu non eſt neceſſe excuſari a peccato, vel mendacio, quia malus fuit, ut pote ab Idololatria Hieroboam non recedens*. Quando igitur Scriptura Sacra cap. 10. v. 30. lib. 4. Regum ait, *Jehu* Regem Iſraelis, a Deo fuiſſe commendatum, & præmio temporali donatum, id de dolo, & ſimulatione Regis *Jehu* minime eſt intelligendum, ſed de zelo, quo ille Rex deſtruxit cultum *Baalis*, ſicut loco mox a me laudato explicat *S. Thomas*, dicens: *Jehu commendatur, & temporaliter remuneratur a Deo, non pro ſimulatione, ſed pro zelo, quo deſtruxit cultum Baal*. Qua in re *S. Thomas* conſentientem habet *S. Auguſtinum*, qui lib. *contra Mendacium* cap. 2. hæc de *Jehu*, Rege Iſraelis, ſcribit: *Cum vero ſcriptum ſit, eum rectum cor non habuiſſe cum Deo: quid ei profuit, quod pro nonnulla obedientia, quam de domo Achab omnino delenda, pro cupiditate ſuæ dominationis exhibuit, aliquantam mercedem tranſitoriam Regni temporalis accepit?* Quamvis autem *Jehu*, Rex Iſraelis, cultum *Baalis* aboleverit, omneſque illius Idoli ſacrilegos Sacerdotes e medio ſuſtulerit, attamen a *Jeroboami* colendis aureis vitulis nequaquam receſſit, ſed quamdiu regnavit, jam apud Iſraelitas inveteratæ Idololatriæ patrocinatus eſt. Obiit *Jehu*, Rex Iſraelis, cum annos regnaſſet viginti octo.

Joachaz, Regis Jehu filius, ei in Regno Iſraelis ſucceſſit. *Jeroboami* vitulorum aureorum cultui addictiſſimus fuit, & propter hanc ſuperſtitionem, ab *Hazaele*, Rege Syriæ, fuit oppreſſus, multiſque malis una cum Iſraelitis afflictus eſt & attritus. Obiit, poſtquam regnaſſet annis ſeptemdecim.

Joas, filius Regis *Joachazi*, ei in Regno Iſraelitico ſucceſſit. Aemulator quidem paternæ impietatis, patre tamen felicior. Vicit enim tribus prœliis *Benadadum*, Syriæ Regem. Regnum Iſraelis obtinuit Rex *Joas* per ſexdecim annos, & mortuus eſt.

Jeroboamus, ſecundus hujus nominis Iſraelitarum Rex, filius *Joaſi*, ſucceſſit patri ſuo in Regno Iſraelis. Sub hoc Rege *Jeroboamo* II. qui Regno Iſraelitico præfuit annis quadraginta & uno, ad ſummum culmen perductum eſt Regnum Iſraelitarum. Sed eo mortuo, omnia in pejus ruere cœperunt, multis exortis motibus, qui primum ruinæ domus *Jeroboami*, dein, Regni totius Iſraelitici prævii fuerunt, induxeruntque Anarchiam, ſeu Interregnum, quod undecim annorum & dimidii ſpatio continuatum eſt.

Interregnum poſt mortem Regis *Jeroboami II.* duravit apud Iſraelitas per annos circiter duodecim.

Zacharias, filius Regis *Jeroboami* II. poſt elapſum illud annorum circiter duodecim Interregnum, ei ſucceſſit in Regno Iſraelitico, paternæ impietatis hæres. Sed duntaxat per ſpatium ſex menſium Regno potitus eſt, & poſt iſtud tempus ſemeſtre a *Sellumo*, filio *Jabes*, trucidatus eſt. In hoc *Zacharia*, Rege Iſraelis, defecit omnino poſteritas *Jehu*, Regis Iſraelis, quarta nimirum generatione, ſicut Deus prædixerat lib. 4. Regum c. 10. v. 30.

Sellumus, filius *Jabes*, Regnum Iſraeliticum, quod parricidio invaſerat, unico tantum menſe occupavit, & poſt illud menſtruum tempus occiſus eſt a *Manahemo*, filio *Gadi*.

Manahemus, Regnum Iſraeliticum parricidio itidem aſſecutus, turbato rerum ſtatu, de Regni poſſeſſione per undecim fere menſes contendit, ſed poſtea per decem annos pacifice regnavit, & mortuus eſt.

Phaceia, filius Regis *Manahemi*, ei in Regno Iſraelitico ſucceſſit, cumque per biennium regnaſſet, conjuratione *Phacee*, filii *Romeliæ*, e vivis ſublatus eſt.

Phacee, filius *Romeliæ*, interempto Rege *Phaceia*, Regnum Iſraeliticum occupavit, quod poſtquam per viginti annos adminiſtraſſet, conjuratione *Oſee*, filii *Elæ*, occiſus eſt.

Oſee, Regum Iſraelis ultimus, interfecto Rege *Phacee*, Iſraeliticum Regnum uſurpavit, ſed emergentibus turbis & ſeditionibus eo ſtatim potiri haud potuit, Republica ad Anarchiam quamdam, ſeu Interregnum, per no-

vem

vem annorum ſpatium recidente, ſed turbis domeſticis poſtea compoſitis regnavit novem annis, & ſub finem anni noni illius pacifici Regni Samariam expugnavit & cepit. *Salmanaſar*, Rex Aſſyriorum, totum Regnum Iſraeliticum ſuam in poteſtatem redegit, & Iſraelitas, ſeu decem Tribus, quæ Regnum Iſraeliticum conſtituebant, deportavit in Aſſyriam, ſicut prædixerant Prophetæ, præſertim *Iſaias* cap. 7. v. 8. Hoc pacto, Regnum Iſraeliticum, quod a *Jeroboamo* primo Rege per defectionem Tribuum a *Roboamo*, Rege Judæ, exordium habuit, plane extinctum eſt in *Oſee*, ultimo Iſraelitarum Rege, non ob aliam certe cauſam, niſi quia omnes Reges Iſraelis, peſſimis moribus imbuti, Deum patrum ſuorum reliquerunt, coegeruntque Iſraelitas malos & impios fieri, vel ex hoc ipſo, quod illos a Deo, & ab avita Religione averterunt, ut falſorum Numinum Idola colerent. Quam in rem hæc apposite lib. 5. *Divin. Inſtitut.* cap. 6. *Lactantius* ait: *Quid mirum, ſi omnis multitudo inſolito metu preſſa, in unius* (id eſt, Regis) *adulationem conceſſerat? hunc venerabantur, huic honorem maximum deferebant. Et quoniam mores ac vitia Regis imitari genus obſequii judicatur, abjecerunt omnem pietatem, ne exprobrare Regi ſcelus viderentur, ſi pie viverent. Sic aſſidua imitatione corrupti divinum fas reliquerunt, & paulatim male vivendi conſuetudo, mos factus eſt ..... Sed exploſa juſtitia, & veritatem ſecum trahens, reliquit hominibus errorem, cæcitatem, & ignorantiam. Hæc autem expulſio juſtitiæ, nihil aliud, quam deſertio divinæ Religionis putanda eſt &c.* Sed de Regibus Iſraelitis, quorum ſeriem, geſta, & annos in iſta Tabula Chronologica breviter deſcripſimus, ſat ſuperque dictum ſit.

D. Præclaram hic protuliſti *Lactantii* Sententiam, & dignam ſane, quæ in Aulis Regum, ac Principum litteris aureis inſcriberetur. Vere enim *Lactantius* ait: deſertionem divinæ Religionis & defectionem ad Deorum cultum eſſe fontem omnium malorum. Quæ eſt enim ſuperſtitio Deorum? quæ vis? quæ diſciplina? quæ origo? quæ ratio? quod fundamentum? quæ ſubſtantia? quo tendit? quid docet, niſi ſacrilegia & impietatem? aut quid pollicetur niſi caducas & obſcænas voluptates, honores, & divitias? quæ omnia damnat divina Religio, quę a ſuis cultoribus exigit bonam mentem, purum pectus, innocentem vitam, ut cœleſtia, quæ illis promittit, bona conſequantur. Sed animadverto, imminere tempus Colloquio noſtro finem imponendi. Quocirca, te etiam atque etiam rogo, ut quidquid ſupereſt temporis impendas in tradenda notitia rerum, quæ ſpectant Hiſtoriam prophanam, quæque cum Hiſtoria Sacra quintæ Mundi Ætatis affinitatem aliquam habere, vel ad eam illuſtrandam conducere poſſunt.

M. Hiſtoria Sacra quintę Mundi Ætatis multam affinitatem habet cum Hiſtoriis Tyriorum, Ægyptiorum, Aſſyriorum, Medorum, Chaldæorum, ſeu Babyloniorum, Græcorum, & Romanorum. Cum igitur ex illarum Gentium Hiſtoriis haud parum adverſus Atheos & incredulos confirmari poſſit veritas & antiquitas Hiſtoriæ Sacræ, breviter res duntaxat hic prælibimus, quæ in iſtarum Nationum Hiſtoriis aliquam cum Hiſtoria Sacra quintæ Mundi Ætatis affinitatem, ſeu connexionem habere poſſunt. Nec enim animus eſt integras harumce Gentium Hiſtorias, & Regum, qui eis præfuerunt, ſeriem lato calamo hic deſcribere, cum nos in tam amplo verſari argumento non patiantur noſtrorum Colloquiorum anguſtiæ. Si tamen harum rerum uberiorem habere notitiam deſideres, conſulere poteris, ſi tibi per otium liceat, *Annales Veteris Teſtamenti*, quos edidit *Uſſerius*.

D. Incipe, quæſo, a rebus Tyriorum, quæ aliquam cum Hiſtoria Sacra quintæ Mundi Ætatis affinitatem habent.

M. Per illud tempus, quo ambobus Hebræorum Regnis, *Judæ* videlicet & *Iſraelis*, præfuerunt Reges, quorum ſeriem jam in Tabulis Chronologicis dedimus, ac longo, poſt utrumque extinctum Regnum, ſpatio, regnatum eſt apud urbem *Tyrum*, Sidoniorum coloniam, quam

quam annis ducentis & quadraginta ante conditum a Rege *Salomone* Hieroſolymitanum Templum fundatam fuiſſe, ex Tyriorum Annalibus prodit *Joſephus*, Hebræus, lib. 8. Antiq. Jud. cap. 2. In iis Tyriorum Annalibus fit mentio Regis *Salomonis*, & *Hiromi*, ſeu *Hirami*, Regis Tyriorum, qui, ut dicitur lib. 3. Regum cap. 5. conceſſit *Salomoni* cæſores lignorum ad Templi Hieroſolymitani conſtructionem. Plures Epiſtolas a Rege *Salomone* ad *Hiramum*, Regem Tyriorum, & viciſſim ab *Hiramo* ad Regem *Salomonem* ultro citroque ſcriptas fuiſſe aſſerit idem *Joſephus* c. 2. lib. 7. Antiq. Iudaic. aitque, eum, qui vult habere exempla harumce Epiſtolarum, petere ea poſſe a publicis Tyriorum Archivorum cuſtodibus. Referuntur etiam cap. 5. lib. 3. Regum, & cap. 2. lib. 2. Paralipomenon Litteræ, quas ad *Hiramum*, Regem Tyri, *Salomon* ſcripſit, ut mitteret ad eum *ligna cedrina & arceuthina, & pinea de Libano*, promittens ei, ſe ſervis illius, ſeu operariis, qui ligna cæſuri erant, daturum *in cibaria tritici coros viginti millia, & hordei coros totidem, & vini viginti millia metretas, olei quoque ſata viginti millia*. Rejici tamen debet tanquam plane commentitia & ſuppoſititia hæc Epiſtola, quam *Eupolemus*, Scriptor Ethnicus, in ſuo quodam de *Elia* Opere, ab *Euſebio*, Epiſcopo Cæſarienſi, laudato lib. 9. *Præparationis Evangelicæ* cap. 31. ait, Regem *Salomonem* ſcripſiſſe ad *Suronem*, Regem Tyri, Sidonis, ac Phæniciæ. Hanc, inquam, *Salomonis* Epiſtolam confictam ac ſuppoſititiam eſſe, quilibet ex ſolo ipſius titulo facile judicare poteſt. Rex quippe Tyri, temporibus Regis *Salomonis* non appellabatur, *Suron*, ſed *Hiromus*, ſeu *Hiramus*, ut conſtat ex *Menandro Epheſio*, & ex *Dione* Rerum Phæniciarum Scriptore, apud *Joſephum*, Hebræum, lib. 1. contra *Apionem*, & lib. 8. *Antiquitat. Judaicarum*, cap. 2. Eumdem Regem Tyri, ſeu *Hiromum*, vel *Hiramum*, miſiſſe Nuncios ad *Davidem*, Regem, patrem *Salomonis*, & ligna cedrina, artificeſque lapidum, a quibus *Davidis* Palatium extructum eſt, narrat Scriptura Sacra libro primo Paralipomenon cap. 14. v. 1. Regnavit *Hiromus*, ſeu *Hiramus* annis ad minus quinquaginta duobus, ſicut pluribus momentis evincit lib. 9. *De Doctrina Temporum* cap. 62. doctiſſimus *Petavius* contra *Joſephum*, Hebræum, qui lib. 1. contra *Apionem*, & lib. 8. Antiquit. Judaic. c. 2. ex *Menandro Epheſio*, qui Tyriorum Hiſtoriam litteris prodidit, refert, *Hiromum*, ſeu *Hiramum*, regnaſſe poſt mortem patris ſui *Abibali*, Regis Tyriorum, annis duntaxat viginti quatuor. Miſſos facio alios Tyriorum Reges, tum quia illorum, qui ante *Abibalum*, patrem *Hiromi*, ſeu *Hirami*, regnarunt, nomina, teſte *Joſepho*, loco mox a me laudato, plane ignoramus; tum quia aliorum Regum Tyri, qui poſt *Hiramum* regnarunt, Hiſtoria nullam cum Hiſtoria Sacra quintæ Mundi Ætatis affinitatem habet. Carthago condita a Tyriis, ſeu Phœnicibus, dicitur anno poſt Templum *Salomonis* inchoatum centeſimo quadrageſimo quarto. Hæc eſt Carthago, urbs in Africa celeberrima, olim Romæ æmula, quam poſtea *Scipio*, Conſul Romanus, & Bello Punico Præfectus, expugnavit, funditusque delevit. Eadem tempeſtate, qua in Africa Carthago condita eſt a Tyriis, Rempublicam *Lacedæmoniorum* in Græcia ſaluberrimis Legibus celebrem reddidit *Lycurgus*, de quo *Plutarcus* in ejus vita.

D. Hiſtoria Regum Ægypti habetne cum Sacra Hiſtoria quintæ Mundi Ætatis aliquam affinitatem?

M. Scriptura Sacra trium Regum Ægypti mentionem facit, quorum notitia haud parum Hiſtoriam Sacram quintæ Mundi Ætatis illuſtrare poteſt. Primus Ægypti Rex, cujus meminit Scriptura Sacra cap. 14. verſ. 25. lib. 3. Regum, eſt *Seſacus*. Sic enim habet: *In quinto autem anno Regni Roboam, aſcendit Seſac, Rex Ægypti, in Hieruſalem, & tulit theſauros domus Domini, & Theſauros regios, & univerſa diripuit, ſcuta quoque aurea, quæ fecerat Salomon*. Hunc Regem Ægypti, quem Scriptura Sacra appellat *Seſacum*, alium

non

Digitized by Google

non fuiſſe, quam *Seſoſtrem*, Regem Ægyptiorum, dictum etiam *Seorſim*, & *Seſonchim*, quique juxta *Manethonem* regnavit annis quinquaginta novem, ſuperius, referendo geſta Regis *Roboami*, oſtendi ex *Joſepho* Hebræo, *Diodoro*, & *Strabone*. Quapropter de hoc Ægyptiorum Rege, quem Scriptura Sacra appellat *Seſacum*, quique, regnante *Roboamo*, filio *Salomonis*, irrupit in Judæam, eamque diripuit, ac depopulatus eſt, plura hic dicere non vacat. Alter Ægyptiorum Rex, cujus meminit Scriptura Sacra, eſt *Nechao*, hujus nominis II. qui Syris bellum inferens, miſſis ad *Joſiam*, Regem Judæ, ſibi ex adverſo cum exercitu occurrentem, Nuntiis, ait: *Quid mihi & tibi eſt, Rex Juda? Non adverſum te hodie venio, ſed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus feſtinato ire præcepit. Deſine adverſum Deum facere, qui mecum eſt, ne interficiat te. Noluit Joſias reverti, ſed præparavit contra eum bellum, nec aquievit ſermonibus Nechao ex ore Dei; verum perrexit, ut dimicaret in prælio Maggedo; ibique vulneratus a ſagitariis, dixit pueris ſuis: Educite me de prælio, quia oppido vulneratus ſum . . . . & aſportaverunt eum in Hieruſalem, mortuuſque eſt*, lib. 2. Paralipomenon, cap. 35. v. 21. 22. 23. & 24. Idem *Nechao* Rex Ægypti, *Jocahazum*, Regem Judæ, *Joſiæ* filium, duxit captivum in Ægyptum, & tributo Judæis impoſito, *Joakimum*, qui etiam *Eleakim*, & *Jechonias* dictus eſt, Hieroſolymis Regem Judæ conſtituit, ſicut legitur lib. 4. Regum cap. 23. v. 33. & 34. Tertius Ægypti Rex, cujus meminit Scriptura Sacra, dicitur *Apries*, ſed a lxx. Interpretibus vocatur *Vapres*, & a Latino Interprete Prophetæ *Jeremiæ* cap. xliv. verſ. 30. appellatur *Ephree*. Ad hunc Ægyptiorum Regem, capta ab Aſſyriis Hieroſolymorum urbe, Judæorum reliqui confugerunt. Ejuſdem Ægyptiorum Regis exitium vaticinati ſunt *Jeremias*, loco mox a me laudato, & *Ezechiel*, qui cap. 29. v. 3. eam nominat *Draconem magnum*, ob illius ſuperbiam. Periit ille *Apries*, Rex Ægypti, in prælio, quod conſeruit cum *Amaſi*, cui Ægyptii Regnum detulerunt, cum a Rege *Aprie* defeciſſent. Captus enim in hoc prælio Rex *Apries* fuit ab Ægyptiis ſtrangulatus. Sed de tribus illis Ægypti Regibus, quorum meminit Scriptura Sacra, & quorum notitia non nihil lucis afferre poteſt Hiſtoriæ Sacræ quintæ Mundi Ætatis, hæc carptim obſervaſſe ſufficiat.

D. Video ſane Hiſtoriam Sacram præclare cum Annalibus Tyriorum, & Ægyptiorum conſentire, adeoque Atheos, alioſque incredulos, & projectæ conſcientiæ viros, quos Scripturæ Sacræ veritatem & auctoritatem negare, aut in dubium revocare non pudet, poſſe ex ipſis prophanarum Gentium Hiſtoriis facili negotio convinci. Sed perge, quæſo, eadem brevitate cum claritate conjuncta oſtendere connexionem, ſeu affinitatem, quam habent Hiſtoriæ Aſſyriorum & Medorum cum Hiſtoria Sacra quintæ Mundi Ætatis.

M. *Sardanapalo*, poſtremo Aſſyriorum Rege, ob luxum & ſocordiam, qua omnes ſuos Majores ſupergreſſus eſt, a Præfecto Medorum *Arbace* contempto, & poſt fuſum illius exercitum, mori compulſo, Imperium Aſſyriorum deſtructum eſt, & ad Medos translatum. Quot annis ſteterit Aſſyriorum Imperium, ob varias Scriptorum ſententias, certo ſtatui non poteſt, ſicut commonſtravi in Diſſertatione quinta Tractatus, quem Romæ edidi, *De Annis & myſteriis Jeſu Chriſti Servatoris noſtri*. Ab Aſſyriorum jugo liberatis Medis autonomiam reddidit *Arbaces*, ideſt, ipſis permiſit, ut Reipublicæ more ſuis Legibus viverent. Quamdiu hæc ſub *Arbace* duraverit Medorum autonomia? non conſtat. Hoc unum certum eſt, Medos, anarchiæ incommoda ferre non valentes, *Dejocis* imperio ſeſe ſubjeciſſe. Hic eſt ille *Dejoces*, Medorum Rex, *Herodoti* libris celebratus, a quo condita eſt urbs *Hechatanis*, quique alio nomine in Sacra Hiſtoria *Judithæ* nuncupatur *Arphaxad*, quod nomen ab Arbace (qui, ut mox dixi contra *Sardanapalum*, poſtremum Aſſyriorum Regem, rebellavit, & Medorum Monarchiam inſtituit) ductum uſurpabant

Me-

Digitized by Google

Medorum Reges. *Arbaces* ſiquidem alia vocis inflexione *Arpacad*, tum pinguiore ſono *Arphaxad*, dicebatur. *Dejoces* itaque, dictus etiam *Arphaxad*, poſt deſtructum in *Sardanapalo* Aſſyriorum Imperium, fuit primus Medorum Rex. Sed dum novum Medorum Imperium aſſurgeret, Aſſyrii jugum ſervitutis, quod ipſis impoſuerant Medi, ſtatim excuſſerunt, novumque regnum in urbe Ninive excitarunt, & ſibi eum Regem præfecerunt, quem Scriptura Sacra cap. xv. verſ. 29. lib. 4. Regum appellat *Teglatphalaſſarem*. Porro, hic Rex Aſſyriorum *Teglatphalaſſar* magnam Iſraelitis intulit cladem regnante *Phacee*, Rege Iſraelis. Multis enim eorum civitatibus occupatis, tres Tribus in Aſſyriam deportavit, ſicut legitur cap. 15. v. 29. lib. 4. Regum. In belli ſocietatem ab *Achazo*, Rege Judæ, vocatus *Teglatphalaſſar*, Aſſyriorum Rex, contra *Rezinem*, Syriæ Regem, Damaſcum vaſtavit, Damaſcenos Cyrenem tranſtulit, & Rezinem, Regem interfecit, ſicut narrat facer Auctor lib. 4. Regum cap. 16. Mortuo Rege *Teglatphalaſſare*, Regnum Aſſyriorum obtinuit *Salmanaſſar*, qui Regnum Iſraelis omnino deſtruxit, & decem Tribus Aſſyriam tranſtulit, uti legitur cap. 16. & 18. lib. 4. Regum. *Salmanaſſari*, Regi Aſſyriorum, ſucceſſit *Sennacherib*, qui, munitiſſimi Regni Judæ civitatibus occupatis *Ezechia*, Regi Judæ, graviſſimum tributum indixit, totamque Judæorum Gentem funditus deleviſſet, niſi Deus per Angelum ſuum octoginta quinque millia Aſſyriorum in ejus caſtris una nocte intermiſſet. *Sennacheribo*, Aſſyriorum Regi, ſucceſſit *Aſſaradon*, ejus filiorum natu minimus, qui, deficiente Regum Babyloniorum ſtirpe, Babyloniæ Regnum occupavit, ſicque Babylonium, & Aſſyriacum Regna, antehac diviſa, conjunxit. Miſit etiam Aſſaradon, Aſſyriorum Rex (quem Scriptura Sacra appellat *Aſſar haddonem*) colonias in urbem Samariam, & *Manaſſem* Regem Judæ, in Babylonem captivum abduxit.

D. Clarius, ſi placet, expone, qui factum fuerit, ut *Aſſaradinus*, Aſſyriorum Rex, Babylonium & Aſſyriacum Regna, antea diviſa, conjunxerit, & utrumque obtinuerit?

M. Regnante apud Judæos *Joathamo*, ſeu anno decimo quinto *Joathami*, Regis Judæ, Chaldæi, ſeu Babylonii, Medorum dominationis pertæſi, excuſſo jugo, Babyloniæ Regnum excitarunt, & *Nabonaſſarum*, Regem crearunt anno Mundi, juxta Chronologiam, quam ſequor, termilleſimo trecenteſimo nonageſimo ſecundo; Periodi Julianæ ter milleſimo nongenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Olypiadis octavæ anno ſecundo, a condita Roma anno ſeptimo, ante Æram vulgarem anno 747. die primo menſis Ægyptiaci *Thot*, ideſt, die vigeſima ſexta menſis Februarii. Inde exordium ſumit celebris illa apud Chronographos Epocha, quæ Æra *Nabonaſsaria* nuncupatur. De qua Æra conſule quæ diximus in Apparatu Chronologico, quem adjecimus ad calcem Tractatus, quem edidimus *De Myſteriis & annis Jeſu Chriſti*, ubi de omnibus Cyclis, Periodis, Æris, & Epochis late diſſeruimus, ibidemque accuratum texuimus Canonem Chronologicum a creatione Mundi, uſque ad annum primum Æræ vulgaris per nobiliores Periodos, Æras, & Epochas, tam Græcas, quam Latinas, productum. Inter ſucceſſores *Nabonaſsari*, Chaldæorum, ſeu Babyloniorum Regis, percenſet Canon Ptolomaicus Babyloniorum Regum *Mardokempadum*, quem Propheta *Iſaias* cap. 39. verſ. 1. appellat *Merodoch Baladan*, quique, ut docent periti Scripturæ Sacræ Interpretes, miſit ad *Ezechiam*, Regem Judę, Legatos & munera, ut huic Regi de recuperata ejus valetudine gratularetur, ſicut legitur lib. 4. Regum capit. 20. verſ. 12. Babyloniæ Regnum a tempore *Nabonaſsari* uſque ad *Aſsaradonem*, Regem Aſſyriorum, ſuos habuit Reges diverſos omnino a Regibus Aſſyriorum. Sed *Aſsaradon*, ſeu *Aſsaradinus*, Regnum Babylonium, poſt anarchiam octo annorum invaſit, & ambobus conjunctis Regnis, Babylonio & Aſſyrio, quæ prius diviſa erant, ſolus ipſe Aſſyriis ſimul & Babyloniis imperavit.

Aſsa-

Aſſaradoni, ſeu *Aſſaradino*, Aſſyriorum, & Babyloniorum Regi, ſucceſſit *Saoſduchinus*, qui itidem utrumque Regnum adminiſtravit. *Saoſduchinum* in adminiſtratione utriuſque Regni, Aſſyrii, & Babylonii, excepit *Chinaladanus*. Poſt *Chinaladanum* regnavit *Nabopolaſſar*, ſeu *Nabuchodonoſor primus*, pater *Nabucodonoſoris Magni*, qui patri ſuo *Nabopolaſſari* ſucceſſit, & anno Regni ſui octavo, qui concurrit cum anno undecimo *Joakimi*, Regis Judæ, captivos in Babyloniam abduxit Judæos, a quo anno, ſicut memini me jam obſervaſſe, ducendum eſt exordium ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ. *Nabuchodonoſor*, dictus *Magnus*, ſucceſſores habuit, qui tamen ad ſacram Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis, quam in præſentia deſcribimus, quæque finem habet in captivitate Babylonica, non pertinent. Quocirca illorum Babyloniæ Regum, qui *Nabuchodonoſori* ſucceſſerunt, ſeriem & geſta opportunius referemus in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam Sacram ſextæ Mundi Ætatis, quam ex notitia Babyloniorum Regum, *Nabuchodonoſoris* ſucceſſorum, haud parum lucis mutuari poſſe breviter oſtendemus.

D. Regum Tyriorum, Ægyptiorum, Aſſyriorum, Medorum, Chaldæorum, ſeu Babyloniorum, notitiam, quæ illuſtrandæ Sacræ Hiſtoriæ quintæ Mundi Ætatis inſervire poteſt, hactenus tradidiſti. Præſtat nunc, ut ſummatim perſtringas res præcipuas, quæ apud Græcos contigerunt, & ad Hiſtoriam Sacram quintæ Mundi Ætatis referuntur.

M. Res præcipuas, quæ apud Græcos contigerunt, & ad Hiſtoriam ſacram quintæ Mundi Ætatis referuntur, delibabo duntaxat, ne longior ſim, eaſque in pauca capita contraham, ex quibus compendioſam quidem Rerum Græcorum hauries notitiam, quæ tamen tibi, Sacrę Hiſtoriæ ſtudioſo, abunde ſufficere poterit.

Et primo quidem in quinta Mundi Ætate cæpit celebrari in Græcia clariſſimum *certamen olympicum*, & habita eſt prima *Olympias* anno trigeſimo octavo *Oziæ*, ſeu *Azariæ* Regis Judæ; anno a creatione Mundi ter milleſimo treceenteſimo ſexageſimo tertio. Periodi Julianæ ter milleſimo nongenteſimo trigeſimo octavo. Ante Æram vulgarem, ſeu Chriſtianam, anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſexto. Videſis *Canonem Chronologicum*, quem ad calcem *Tractatus*, quem edidimus, *De Myſteriis & annis Jeſu Chriſti*, attexuimus a creatione Mundi uſque ad annum primum Æræ Chriſtianæ per celebriores Periodos, Æras, & Epochas continuatum. In Olympiadibus deſinit illud temporis intervallum, quod a *Varrone*, in libello *Cenſorini* de die natali, *Mythicum*, ſeu fabuloſum, appellatur, incipitque apud Græcos tempus, quod dicitur hiſtoricum, quia res in eo geſtæ veris Hiſtoriis continentur.

Secundo, *Salomone* Regnum ineunte, Athenienſis Reſpublica ab Archonitibus, ſive Prætoribus perpetuis, regebatur. Sed *Joathami*, Regis Judæ, temporibus, Athenienſes Archontes ſuos, antea perpetuos, decennali poteſtate contentos eſſe voluerunt. Decreverunt poſtea Athenienſes, teſte *Euſebio* in Chronico, ut Archontes ſingulis annis eligerentur, & novem Magiſtratuum conſtitueretur Imperium. Corinthiis, Lacedæmoniis, Argivis, & Spartanis Reges præerant. Urbes celeberrimæ a Græcis, durante quinta Mundi Ætate, conditæ ſunt, videlicet *Smyrna*, *Chalcedon* in Bithynia, *Byzantium* in Tracia, *Maſſilia*, urbs Galliæ Narbonenſis, portu & emporio præſtantiſſima.

Tertio, apud Gręcos in quinta Mundi Ætate conditum eſt Regnum Macedonicum, cui aliquot Reges, quorum tamen incertus eſt numerus, pręfuerunt ante *Alexandrum Magnum*, qui fuit *Philippi*, Macedonum Regis, filius, quique, devicto *Dario Codomano*, ultimo Perſarum Rege (ſicut oſtendemus in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam ſextę Mundi Ætatis) Regnum Perſarum tranſtulit ad Gręcos.

Poſtremo, in quinta Mundi Ætate floruerunt in Gręcia multi clariſſimi Poe-

Pœtæ, præſertim *Homerus*, & *Heſiodus*. In Philoſophia vero primas tenuerunt ſeptem dicti *Sapientes*, quorum unus fuit *Solon*, Athenienſium Legiſlator. Sed quam arroganter illi Græci ſapientum nomen ſibi tribuerent, eleganter *Lactantius* lib. 4. *Inſtitutionum Divinarum* cap. 1. declarat his verbis: *O miſerum calamitoſumque ſæculum, quo per orbem totum ſeptem ſoli fuerunt, qui hominum vocabulo cierentur! Nemo enim poteſt jure dici homo, niſi qui ſapiens eſt. Sed ſi cæteri omnes, præter ipſos ſtulti fuerunt, ne illi quidem ſapientes: quia nemo ſapiens eſſe vere, judicio ſtultorum poteſt. Adeo abſuit ab eis ſapientia, ut ne poſtea quidem increſcente doctrina, & multis, magniſque ingeniis in idipſum ſemper intentis, potuerit perſpici veritas & comprehendi. Nam poſt illorum ſeptem ſapientum gloriam, incredibile eſt, quanto ſtudio inquirendæ veritatis Græcia omnis exarſerit. At primum nomen ipſum ſapientiæ arrogans putaverunt, ſeque non ſapientes, ſed ſtudioſos ſapientiæ vocaverunt. Quo facto & illos, qui temere ſapientum ſibi nomen aſciverant, erroris, ſtultitiæque damnaverunt, & ſe quoque ipſos ignorantiæ, quam quidem non diffitebantur*. Sed de Rebus Græcorum ſatis.

D. Supereſt ut pauca dicas de Rebus Romanorum. Et primo ſcire velim, quiſnam fuerit urbis Romæ conditor? Dein, ſub quo Rege Judæ condita fuerit Roma? Deinde quænam fuerit prima Regiminis Romæ forma?

M. Roma nomen accepit a Romulo, qui eam condidit, quique recens a ſe conditam urbem fraterno ſanguine fœdavit. Anno autem nono Regni *Joathas*, Judæorum Regis, juxta Epocham Varronianam, *Romulus* condidit Romam, hoc eſt, anno Mundi ter milleſimo trecenteſimo octogeſimo ſexto. Anno Periodi Julianæ ter milleſimo nongenteſimo ſexageſimo primo. Anno tertio Olympiadis ſextæ. Anno ante Æram vulgarem ſeptingenteſimo quinquageſimo tertio. Hæc autem Epocha Varroniana de anno, quo condita eſt Roma, præferenda eſt aliis Epochis, ſeu *Capitolinæ*, *Catonianæ*, *Polybianæ*, *Fabianæ*, tum quia hac Epocha Varroniana, ſic dicta a *Terentio Varrone*, ſemper in publicis monumentis uſi ſunt Romani, & celebriores eorum Scriptores, *Cenſorinus*, *Vellejus Paterculus*, *Plutarchus*, *Cornelius Tacitus*, *Aulus Gellius*, *Eutropius*, *Plinius*, &c. Tum quia etiam eandem Epocham Varronianam de condita Roma tanquam pro norma habuerunt Imperatores Romani, *Auguſtus*, *Claudius*, *Domitianus*, *Severus*, & *Philippus*, ſicut ex ludis ſæcularibus, ab unoquoque eorum celebratis, clare conſtat. Hos ſiquidem ludos omnes apud *Cenſorinum* legimus, qui in alia Epocha locum non habent, præterquam Varroniana. Quod ſpectat primam Romæ Regiminis formam, certum eſt, primævum illius ſtatum fuiſſe Monarchicum, ſeu Reges cum ſuprema auctoritate ei præfuiſſe, quorum ſeriem, & annos, per quos regnarunt, breviter hic indicabo.

SERIES REGUM ROMANORUM

Et anni per quos Romæ regnarunt.

ROmulus Urbis Romæ conditor, fuit primus Rex, & regnavit annis triginta ſeptem.

Poſt mortem *Romuli*, fuit INTERREGNUM unius anni.

Numa Pompilius fuit ſecundus Rex, & regnavit annis quadraginta tribus.

Tullius Hoſtilius fuit tertius Rex, & regnavit annis triginta duobus.

Ancus Martius fuit quartus Rex, & regnavit annis viginti quatuor.

Tarquinius Priſcus fuit quintus Rex, & regnavit triginta octo annis.

Servius Tullius fuit ſextus Rex, & regnavit quadraginta quatuor annis.

Tarquinius, *Superbus* fuit ſeptimus & ultimus Rex, & regnavit anni viginti quinque.

Ex his annis Regum Romanorum ſimul collectis emergit ſumma ducentorum & quadraginta quatuor annorum, per quos Reges cum ſuprema auctoritate Romæ præfuerunt. Verum, ob ſtu-

Digitized by Google

ſtuprum, quod *Sextus* filius Regis *Tarquinii Superbi*, caſtiſſimæ *Lucretiæ* intulit, regia poteſtas Romæ in integrum extincta eſt, & in Regum locum ſuffecti ſunt Conſules. Anno igitur ducenteſimo quadrageſimo quinto a condita Roma, incipiunt Faſti Conſulares, quibus adſcribuntur nomina Conſulum Romanorum, & in quibus digerendis, atque emendandis ſtrenuam navarunt operam doctiſſimi viri *Onuphrius*, *Sigonius*, *Pighius*, *Pagius*, & Cardinalis *Noriſius*, quos, ſi tibi per otium liceat, conſulere poteris, plura enim de his impræſentiarum dicere non vacat. Hoc unum tamen, ut facilius retundere poſſis impietatem Atheorum, & Incredulorum, qui Hiſtoriæ Sacræ omnem fidem, & auctoritatem derogant, addam hinc, quam hactenus tradidi, notitiæ Rerum variarum Gentium, quæ cum Hiſtoria Sacra quintæ Mundi Ætatis aliquam affinitatem habent, addam, inquam, nonnullos eſſe Scriptores prophanos, quorum teſtimonia Atheis & Incredulis ſuſpecta eſſe haud poſſunt, qui rerum, quas narrat Hiſtoria Sacra quintæ Mundi Ætatis, meminere, earumque veritatem confirmarunt. *Menander* in Hiſtoria, quam deſcripſit, Phænicum, meminit Prophetæ *Eliæ*, qui in Regno Iſraelis vaticinatus eſt, ſummamque ſiccitatem indictis ſupplicationibus depulit. Hujus prophani Scriptoris teſtimonium refert *Joſephus* lib. 8. Antiquit. Jud. cap. 7. *Joakim*, Regis Judæ, & Prophetæ *Jeremiæ* meminere *Eupolemus*, & *Alexander Polyhyſtor*, ut videre eſt apud *Euſebium* lib. 9. Præparationis Evangelicæ cap. 39. Babylonicæ Judæorum captivitatis ſub *Nabuchodonoſore*, Babyloniorum Rege, meminit *Beroſus*, Rerum Chaldaicarum Scriptor, laudatus a *Joſepho* lib. x. Antiquit. Jud. cap. xi. *Joſephi* locum *Euſebius* inſeruit lib. 9. *Præparationis Evangelicæ* cap. xi. Qua fronte ergo audent Athei, aliique profligatæ conſcientiæ homines increduli, in dubium revocare Sacram Judæorum Hiſtoriam, cui tamen Annales variarum Gentium Tyriorum, Ægyptiorum, Aſſyriorum, Medorum, Chaldæorum, ſeu Babyloniorum, Græcorum, & Romanorum luculentiſſimum perhibent teſtimonium, eamque extra omnem dubitationis aleam ponunt?

D. Grates tibi rependo maximas, quod non tantum Hiſtoriæ Sacræ quintæ Mundi Ætatis notitiam dederis, ſed etiam ejus veritatem contra Atheos, alioſque id genus incredulos homines, comprobaveris ex ipſiſmet Annalibus variarum Gentium, nec non ex prophanis Scriptoribus, quorum teſtimoniis, ſi viri increduli, qui ſacrilega temeritate omnia Hiſtoriæ Sacræ monumenta in Sacrorum Scriptorum libris contenta repudiant, aſſentiri nolint, digni profecto ſunt, quos in ſuis pluſquam cimmeriis tenebris immerſos relinquamus.

M. Eo de argumento plenius diſſerui in Tractatu, quem edidi, *De Scriptura Sacra*, in cujus priori parte pluribus momentis adſtruo Antiquitatem, Revelationem, Inſpirationem, & divinam auctoritatem Sacrorum Librorum, qui complectuntur Hiſtoriam Veteris Teſtamenti, ibique difflavi Atheorum, & Incredulorum ficulneas objectiones. Hunc igitur Tractatum, ſi plura ſcire aveas, adire & legere non te pigeat. Nunc autem colligamus vaſa, poſtridie alterum habituri Colloquium, in quo excutiemus, eademque opera diluemus præcipua Dubia, quæ Theologi, & Scripturæ Sacræ Interpretes circa Hiſtoriam Sacram quintæ Mundi Ætatis proponere ſolent.

COLLOQUIUM II.

In quo excutiuntur, ac breviter diluuntur præcipua Dubia, quæ Theologi, & Scripturæ Interpretes circa Sacram Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis proponere ſolent.

DISCIP. INTERFUI nuppertime virorum eruditorum cætui, in quo de æterna ſorte Regis *Salomonis* hinc & inde acerrime diſpu-

ſputatum eſt. Alii, *Salomonem* damnatum eſſe affirmabant, hiſce momentis fulti. Primo, quia Scriptura Sacra, lapſum *Salomonis* deſcribens, de ejus pœnitentia, ne verbum quidem facit, ſed altum ſervat ſilentium. Porro, ſi Rex *Salomon* poſt lapſum reſipuiſſet, & ad meliorem frugem ſeſe recepiſſet, ejus pœnitentiam non celaſſet Scriptura Sacra, ſicut non tacuit Regis *Davidis* pœnitentiam, ſed potius diſertam de ea mentionem facit. Præterea, ſi *Salomonem* revera poſt lapſum pœnituiſſet, deſtruere omnino debuiſſet Fana, ſeu Templa, quæ falſis Numinibus conſecraverat. At, ejuſmodi Templa, Idolis erecta, nunquam a *Salomone* fuiſſe diruta, ſed uſque ad *Joſiam*, Regem Judæ, permanſiſſe teſtatur Scriptura Sacra. Denique, ad probandam æternam Regis *Salomonis* damnationem, citabant viri illi eruditi non ſolum *Tertullianum*, antiquum Scriptorem, lib. *De Præſcriptione* cap. 2. ſed etiam ſanctos Patres, & Scriptores Eccleſiaſticos, videlicet S. *Cyprianum* Epiſt. VI. ad *Rogatianum* & lib. *De Unitate Eccleſiæ*, *S. Auguſtinum* lib. 22. contra *Fauſtum*, Manichæum, cap. 81. lib. 3. De Doctrina Chriſtiana cap. 21. lib. 12. *De Civitate Dei*, cap. 20. & Enarratione in Pſalmum 126. *S. Joannem Chryſoſtomum* Sermone *De Pœnitentia*, *S. Gregorium Magnum* lib. 2. *Moralium* cap. 2. quibus adjungebant S. *Nilum*, *Bedam*, *Lyranum*, *Toſtatum*, *Bellarminum*, alioſque modernos Scriptores, qui ſententiæ de perpetua *Salomonis* damnatione aperte ſuffragantur. Verum, hæc de æterna *Salomonis* damnatione ſententia non arridebat aliis ejuſdem cœtus viris eruditis, qui *Salomonem* æterna ſalute donatum eſſe magnis animis pertendebant, idque ſe his momentis evincere poſſe autumabant. Primo, quia *Salomon*, poſt ſuum lapſum, ſcripſit librum, dictum *Eccleſiaſten*, in quo pœnitens, & dolens, quod Idolorum cultui, & vanis mulierum amoribus vacaſſet, exclamat cap. 1. verſ. 1. *Vanitas vanitatum*, & *omnia vanitas*. Secundo, quia veteres Rabbini teſtantur, *Salomonem* pœnitentia ductum; poſtquam ſeſe in templo virgis acriter flagellaſſet, Regno ſe abdicaſſe, & ſcipione nixum, oſtiatim emendicaſſe, & in circulis ac compitis Hieroſolymorum clamaſſe: *Ego Salomon fui olim Rex ſuper Iſrael*. Tertio proferebant viri illi eruditi plumbeos, quoſdam Granatenſes Libros Arabice ſcriptos, quos Hiſpani a *Sancto Jacobo*, Apoſtolo, aut ab ejus Diſcipulis exaratos credunt, in quibus locupletiſſimum de pœnitentia *Salomonis* extat teſtimonium, his verbis expreſſum: *Et flevit ſcelus fletu vehementi*, & *condanatum eſt illi*, & *obiit fidelis*, & *ſervus*. Denique, ajebant illi viri eruditi, in hanc ſententiam de pœnitentia *Salomonis*, ac ſubinde de æterna illius ſalute, ultro deſcendere S. *Hieronymum*, S. *Gregorium Taumaturgum*, *Rupertum*, ac bene multos recentiores Scriptores. Hactenus fideliter retuli quidquid viri eruditi illius, cui interſui, litterarii cœtus pro æterna *Salomonis* ſorte ultro citroque dixerunt. Tuum nunc eſt breviter oſtendere, quænam probabilior ſit ſententia, quam ipſe, obviis, ut ajunt, ulnis confeſtim amplectar.

M. Auctor tibi ſum, ut de æterna *Salomonis* ſorte neutram ſecteris ſententiam. Nec enim damnatum eſſe *Salomonem* ex eo colligi poteſt, quod Scriptura Sacra ejus lapſum commemoret, ejus vero pœnitentiam omnino reticeat, quia eadem Scriptura Sacra nec *Adami*, nec *Lothi*, nec *Sampſonis* pœnitentiæ meminit, eos tamen pœnitentiam egiſſe, eoſque in cœlis eſſe receptos, conſtans eſt omnium ſententia. Nec ſimiliter *Salomonis* pœnitentia probari poteſt ex libris, quos edidit *Eccleſiaſte*, & *Proverbiorum*, quia doctiſſimi viri, quos inter cenſetur *Bellarminus* in lib. *De Verbo Dei*, docent, libros, *Eccleſiaſten*, *Proverbiorum*, & *Canticum Canticorum* fuiſſe a *Salomone* conſcriptos antequam ſeſe in libidinem effunderet, & in Idololatriam prolaberetur, idque colligunt ex eo quod *Salomon* his in libris nullam prorſus mentionem faciat ſui lapſus, ſuæque Idololatriæ, nec ſuæ pœnitentiæ, quod tamen, ſi

cum

cum vere pœnituiſſet, facere omni procul dubio debuiſſet, ut ſcandalum, quod peccans dederat, pœnitens reſarciret. Quod vero de *Salomone* retuliſti, eum videlicet pœnitentem virgis ſeſe in Templo verberaſſe, Regno abdicaſſe, & oſtiatim emendicaſſe, id, inquam, Rabbinorum venam ſapit, & purum figmentum eſt, craſſo filo contextum, Scripturæ Sacræ oppoſitum, cujus nullum in ſanctis Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis, vel minimum apparet veſtigium. Procul hinc ergo tam male conſarcinata fabula. Libros autem illos Granatenſes, Arabice ſcriptos, in quibus de pœnitentia *Salomonis* expreſſum extat teſtimonium, tanquam ſpurios, & pſeudepigrapha continentes monumenta, jure optimo explodunt viri eruditi, quo fit, ut hujus furfuris libros, tanquam genuinos S. *Jacobi*, vel ejus diſcipulorum fœtus, in tanta doctrinarum luce, in tanta doctiſſimorum Criticorum frequentia venditare, atque fucum facere fruſtra tentarint nonnulli Scriptores Hiſpani.

D. Quid ergo tu de æterna *Salomonis* ſorte ſentis? Video enim, tibi neutram, quam adduxi, virorum eruditorum probari ſententiam.

M. Sentio, nihil certi de æterna *Salomonis* ſorte pronuntiari poſſe ſive ex Scriptura Sacra, quæ, ut mox diximus, ea de re ſilet, ſive ex communi ſanctorum Patrum conſenſu, quia inter illos alii ſaluti *Salomonis* adverſantur, alii patrocinantur, ſive denique ex judicio Eccleſiæ Catholicæ, quæ ſuper hac re nihil hactenus definivit. Quocirca, de æterna *Salomonis* ſorte controverſia eſt adhuc inſtar litis ſub judice pendentis, de qua in utramque partem, ſalva & inculpata fide, diſputandi libera permittitur poteſtas. Dubiam autem & incertam *Salomonis* ſortem eſſe voluit Deus, ut omnibus metum ſanctum incuteret & ſalutarem, doceretque nos perituras Mundi fugere delitias, a ſæcularibus pompis abhorrere, atque ſatagere diligenter, ut per bona opera certam noſtram vocationem faciamus, & cum timore, ac tremore ſalutem noſtram indeſinenter operemur. *Qui ergo ſtat, videat ne cadat.*

D. Legebam nuperrime in Scriptura Sacra cap. 2. lib. 3. Regum, *Salomonem*, ut ſuum firmaret Regnum, non ſolum præcepiſſe, ut interficeretur *Adonias*, ipſius frater primogenitus, qui Regnum, ad quod jus habebat, affectabat, verum etiam, *Abiatharem*, Summum Sacerdotem, exauctoraſſe, & *Joabum*, militiæ Principem, in Tabernaculo, ad quod confugerat, capitis damnaſſe. Quæro igitur nunc, an Rex *Salomon* in his indicendis pœnis juſte ſe geſſerit, aut peccaverit?

M. *Salomon*, qui a patre ſuo *Davide*, conſentiente omni populo, Rex fuerat conſtitutus, non inique egit, quando *Adoniam*, fratrem ſuum primogenitum, occidi juſſit. Nam primo *Adonias* Regnum invadere, & in *Salomonem*, Regem legitimum, conjurando, eum e ſolio totis viribus deturbare moliebatur. Verum quidem eſt, *Adoniam*, vivente adhuc patre ſuo *Davide*, veniam affectatæ tyrannidis, & conjurationis criminis a *Salomone* obtinuiſſe ea tamen lege, ut nihil deinceps novi moliretur, nec ambitu ac faſtu ſuo novarum turbarum, aut ſuſpicionum anſam præberet. Huic autem conditioni non ſtetit *Adonias*. Sed poſt mortem *Davidis*, patris ſui, in novam contra Regem *Salomonem*, cui fidem ſuam obſtrinxerat, conjurationem prorupit, Regiam dignitatem uſurpare tentavit, ſicque perfidiæ, perduellionis, & criminis læſæ Majeſtatis factus reus, juſte a *Salomone* occidi juſſus eſt. Præterea, *Adonias*, licet primogenitus eſſet, jus tamen nullum ad Regnum ſibi vindicare poterat, tum quia Deus, in cujus manu ſunt omnia jura Regnorum, ſe non *Adoniæ*, ſed *Salomoni* daturum Regnum ſignificavit *Davidi* per Prophetam *Nathanem*, ſicut legitur lib. 2. Regum cap. 7. verſ. 12. Hanc autem divinam diſpoſitionem probe noverat *Adonias*, quippe qui ſic *Bethſabeam*, matrem *Salomonis*, affatus eſt: *Sed tranſlatum eſt Regnum, & factum eſt fratris mei, a Domino enim conſtitutum eſt ei*. Tum quia etiam *David*, nulla habita ratione primoge-

gen turæ *Adoniæ*, potuit citra ullam injuſtitiam ſuum Regni inſtituere ſucceſſorum filium *Salomonem*, quia ſicut in præcedenti Colloquio obſervavimus, ſucceſſio Regni apud Judæos ex patris voluntate pendebat. Hinc Rex *Roboamus* ex viginti ſeptem, quos procreavit, filiis, *Abiam*, non primogenitum, ſed quartum, & ex tertia uxore ſuſceptum, Regni Judæ ſuum conſtituit ſucceſſorem: Denique, Rex *Salomon* juſta de cauſa *Abiatharem* Sacerdotio exauctoravit, & *Joabum*, qui, regnante *Davide*, erat militiæ Princeps, capitali pœna mulctavit, quia ambo, ut teſtatur Scriptura Sacra, conjurationis *Adoniæ*, in *Salomonem*, Regem legitimum, conſcii erant, ejuſque parte ſuis conſiliis & auctoritate juverant, & erant, atque promoverant. In his ergo pœnis, quas *Salomon* inflixit *Adoniæ*, fratri ſuo, Sacerdoti *Abiathari*, & militiæ Principi *Joabo*, juſte ſe geſſit, nullamque peccati maculam contraxit.

D. Multa mihi tam circa libros, quos edidit Rex *Salomon*, quam circa alios libros, quos in quinta Mundi Ætate Scriptores, Spiritu Sancto afflati, exararunt, ſuppetunt proponenda Dubia. Legi etenim, ne ad hoc præſens noſtrum Colloquium imparatus accederem, lucubrationes quorundam virorum eruditorum, qui de Libris Sacris lato calamo diſſeruerunt, ex quibus nonnullas excerpſi difficultates, quæ ſpectant Authores, doctrinam & numerum Sacrorum Librorum, qui in quinta Mundi Ætate fuerunt conſcripti. Quæ omnia, juxta brevem & expeditam methodum quæ tibi familiaris eſt, meoque captui magis accommodata, explanandi curam ut in præſentia ſuſcipias te etiam atque etiam rogo. Et inprimis, a te ſcire velim, quot libros *Salomonis* Eccleſia Catholica ſuo in Canone Librorum Sacrorum percenſeat?

M. Tres duntaxat *Salomonis* libros, videlicet *Eccleſiaſten*, *Proverbia*, & *Canticum Canticorum* Catalogo Librorum Sacrorum accenſet Catholica Eccleſia, ut conſtat ex his Romanis Pontificibus, Conciliis, & ſanctis Patribus, qui Sacrorum Librorum Indices ſcripſerunt, *Innocentius* I. *Gelaſio* I. *Eugenio* IV. Conciliis Carthaginenſi III. Laodiceno, & Œcumenico Tridentino, *Melitone*, *Origene*, Auctore Synopſeos Scripturæ Sacræ, *S. Athanaſii*, nomine inſcriptæ, *S. Gregorio Nazianzeno*, *Cyrillo Hieroſolymitano*, *Hilario*, *Epiphanio*, *Hieronymo*, *Auguſtino*, & *S. Joanne Damaſceno*. Sed ſi, præter Canonem Eccleſiaſticum, ſigillatim expendamus tres illos libros, videlicet *Eccleſiaſten*, *Proverbia*, & *Canticum Canticorum*, compertum atque exploratum erit, *Salomonem* eſſe legitimum illorum parentem. Verum enim vero, ut ab *Eccleſiaſtis* libro incipiamus, certum eſt, neminem unquam negaſſe, aut in dubium revocaſſe, *Salomonem* eſſe auctorem iſtius libri, exceptis Talmudiſtis, & *Hugone Grotio*. Talmudiſtæ ſiquidem putant, auctorem Libri Eccleſiaſtis eſſe *Ezechiam*, Regem Judæ: *Grotius* vero eſſe *Zorobabelem* auguratur. Sed iſti oppido falluntur. Nam hæc verba, quibus hic liber inchoatur: *Verba Eccleſiaſtæ, filii David Regis Hieruſalem*, & iſta, quæ ſequuntur: *Locutus ſum in corde meo dicens: Ecce magnus effectus ſum, & præceſſi omnes ſapientia, qui fuerunt ante me in Hieruſalem*, hæc, inquam, verba nec in Regem *Ezechiam*, nec in *Zorobabelem* quadrare poſſunt, ſed duntaxat conveniunt *Salomoni*, qui fuit filius *Davidis*, Regis, quique ſapientia & magnificentia nullum parem habuit. Præterea, ſi capita ejuſdem libri ſeptimum & octavum, ubi fit ſermo de ſapientia, attente legas, multa in his comperies, quæ ſoli *Salomoni* aptari, & congruere poſſunt. Addo denique, Auctorem iſtius libri *Eccleſiaſtis* diſerte cap. 12. teſtari, ſe multas compoſuiſſe Parabolas: *Cumque eſſet ſapientiſſimus Eccleſiaſtes, compoſuit Parabolas multas*. Quod ſane alteri, quam *Salomoni* competere nequit.

Quod ſpectat librum *Proverbiorum*, una eſt omnium ſententia, *Salomonem* eſſe auctorem hujus libri, idque declarat capitis primi libri iſtius initium: *Parabolæ Salomonis, filii David, Regis Iſrael*. Dubitant tamen nonnulli, an integer Proverbiorum liber

ber fuerit a *Salomone* conſcriptus? hiſque momentis ducuntur. Primo, quia caput vigeſimum quiutum hujuſce libri ab his verbis exordium ducit: *Hæ quoque Parabolæ Salomonis, quas tranſtulerunt viri Ezechiæ Regis Juda*. Quæ verba innuere videntur, præcedentes quidem Parabolas a *Salomone* eſſe ſcriptas, & ſubſeqnentes Parabolas, ſeu illas, quæ a capite vigeſimo quinto uſque ad finem, ſeu ad caput trigeſimum primum inſeruntur, adſcribendas eſſe viris *Ezechiæ* Regis Juda. Hanc dubitationem confirmant hæc verba, quibus incipit caput trigeſimum libri Proverbiorum: *Verba congregantis filii vomentis*, quæ verba ex Textu Hebræo ſic juxta Verſiones Chaldaicam, & Syriacam, verti debere docent viri eruditi: *Verba Agur, filii Iake; Prophetiam dixit vir ad Ithiel, ad Ithiel & Uchal*. Non ergo Proverbiorum liber eſt unius duntaxat *Salomonis*, ſed ex aliorum Scriptorum Parabolis collectus & concinnatus. Denique libri Proverbiorum caput ultimum, ſeu trigeſimum primum, his verbis auſpicatur: *Verba Lamuelis Regis*, &c. Harum itaque Parabolarum, quæ continentur in poſtremo capite libri Proverbiorum auctor non eſt *Salomon*. His momentis ducti nonnulli, dubitant, num liber Proverbiorum, totus quantus eſt, *Salomoni* aſſeri ac vindicari debeat? Sed præpoſteram eſſe illam dubitationem oſtendit illuſtriſſimus *Daniel Huetius*, Epiſcopus Abrincenſis, in ſua *Demonſtratione Evangelica*, Propoſitione 4. pag. 190. ubi doctiſſime obſervat, Parabolarum *Salomonis* collectionem factam eſſe diverſis temporibus partim ante *Ezechiam*, Regem Juda, partim temporibus ejuſdem Regis *Ezechiæ*, partim denique *Aguris*, filii Iake, temporibus. Nam ante captivitatem Babylonicam ter mille Parabolæ *Salomonis* in Templi Tabulariis aſſervabantur. Sed, combuſtis in excidio Hieroſolymitano Sacris Codicibus, quibus deſcriptæ continebantur *Salomonis* Parabolæ, *Eſdras*, poſt laxatam captivitatem Babylonicam, ex ingenti *Salomonis* Parabolarum numero aliquot tantum particulas, ſanctorum virorum diligentia, & ſingulari Dei providentia flammis exemptas nactus eſt, & collegit. Hinc factum eſt, ut priora viginti tria capita libri Proverbiorum cum viginti duobus primis verſibus capitis vigeſimi quarti nulla ex parte mutilata ſunt, ſed talia extent, qualia a *Salomone* deſcripta ſunt. Reliquorum autem libri Proverbiorum ſeptem capitum compilatio cum poſtrema ejuſdem libri capitis vigeſimi quarti parte, multorum, ideſt, tam virorum, quos in hunc finem ſelegit Rex *Ezechias*, quam *Auguris*, & *Lamuelis* collectio eſt, Parabolis *Salomonis*, hinc inde excerptis conflata, & ab *Eſdra*, qui, poſt captivitatem Babylonicam, Spiritu Sancto afflatus Libros Sacros recognovit, & a mendis, quæ in eos irrepſerant, repurgavit, in ordinem digeſta. Sed ſatis diluta manent hæc quorumdam Scriptorum circa Auctorem totius libri Proverbiorum dubitationis adducta momenta, quæ profecto tanti non ſunt, ut quemquam a communi ſententia quæ integrum Proverbiorum librum *Salomoni* adjudicat, divellere debeant.

Supereſt nunc, ut breviter oſtendam, *Salomonem* eſſe Auctorem libri *Cantici Canticorum*. Et primo quidem Titulus iſtius Operis *Cantici Canticorum*, tam in Hebraico Exemplari, quam in lxx. Interpretum Verſione, *Salomonem* indicat Auctorem. Præterea, in hoc Sacro Libro ſæpius citatur *Salomon*, ſicut, Exempli gratia cap. 3. v. 7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt*. Et v. 9. *Ferculum fecit ſibi Salomon de lignis Libani*. Et v. 11. *Egredimini & videte filiæ Sion, Regem Salomonem, in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis ſuæ, & in die lætitiæ cordis ſui*. Quæ verba, juxta ſenſum litteralem, aperte denotant nuptias, quas cum filia Regis *Pharaonis* inivit Rex *Salomon*. Addo etiam, ſingularem opinionem Talmudiſtarum, qui librum *Cantici Canticorum* non *Salomoni*, ſed Regi *Ezechiæ*, adſcribunt, totius Eccleſiæ Catholicæ judicio, & communi Doctorum calculo jure optimo, ceu falſam repudiari.

Digitized by Google

D. Exiſtimabam ipſe, *Salomonem* non tantum edidiſſe tres illos, quos ei vindicaſti, libros, videlicet *Eccleſiaſten*, *Proverbia*, & *Canticum Canticorum*, ſed etiam, eum eſſe Auctorem librorum *Sapientiæ*, & *Eccleſiaſtici*, quos *Salomoni*, ſicut nuperrime legebam, tribuunt quidam Scriptores Eccleſiaſtici.

M. Libros *Sapientiæ*, & *Eccleſiaſtici* fuiſſe *Salomoni* ab antiquis quibuſdam Scriptoribus tributos, fatetur *S. Auguſtinus* lib. 2. *De Doctrina Chriſtiana* cap. 8. & lib. 17. *De Civitate Dei* cap. 20. Sed ibidem ait, id factum eſſe *propter quamdam eloquii ſimilitudinem. Nam Salomonis non eſſe nihil dubitant quique doctiores*. Addo etiam, antiquos illos Scriptores non in eo ſenſu libros *Sapientiæ*, & *Eccleſiaſtici* tribuiſſe *Salomoni*, quod putarent, hoſce duos libros fuiſſe a *Salomone* editos, diſpoſitos, ordinatos, ac digeſtos, ſicut nunc ſunt; ſed ſolum eo in ſenſu, quod alii Scriptores, poſt *Salomonis* mortem, ex libris ab ipſo exaratis, & hac illac diſperſis, quorum etiam nonnulli injuria temporum perierunt, Sententias & Parabolas collegerunt. Scripſit enim *Salomon* (ſicut legitur cap. 4. v. 32. lib. 3. Regum) tria millia parabolarum, & quinque millia carminum; ex qua immenſa copia alii Scriptores, Spiritu Sancto afflati, mortuo *Salomone*, ipſius Sententias, & documenta excerpſerunt, litteriſque mandarunt, ut ipſamet teſtatur Scriptura Sacra cap. 25. libri Proverbiorum. In hoc itaque ſenſu libri *Sapientiæ*, & *Eccleſiaſtici* a veteribus Scriptoribus *Salomoni* tribuuntur, quamvis concors ſit omnium eruditorum ſententia, prædictos libros, quales nunc extant, a *Salomone* non fuiſſe conſcriptos. Ceterum, quinam ſint Auctores librorum *Sapientiæ*, & *Eccleſiaſtici*? mox, juxta probabiliorem virorum eruditorum opinionem, indicabimus.

D. Licet tres illos, *Salomonis* libros, *Proverbia*, *Eccleſiaſten*, & *Canticum Canticorum*, ſine ullo prorſus errore conſcriptos, divinaque pollere auctoritate conſtantiſſime profitear, nonnulla tamen in his, ſed præſertim in *Eccleſiaſte* & *Cantico Canticorum*, circa doctrinam & mores leguntur, quibus, uti obſervant doctiſſimi Scripturæ Sacræ interpretes, abutuntur viri impii, & ex quibus Hæretici occaſionem arripiunt ſacram illorum librorum auctoritatem labefactandi. Hæc autem loca, quibus viri impii, & Hæretici perperam abutuntur, quæque inter legendum eruditorum Scriptorum Opera annotavi, & ne e memoria exciderent, in his ſchedulis deſcripſi, nunc proferam, quo, illis ſemel a te dilucidatis, promptior ac paratior ſim, ad elidenda impiorum hominum, & Hæreticorum argumenta. Ordiar autem a libro *Eccleſiaſtis*, quem Athei, Epicurei, aliique ejuſdem furfuris homines, qui negant immortalitatem animæ, ac vitam, belluarum more, tranſigunt, impiæ ſuæ doctrinæ favere dictitant, eo potiſſimum nomine, quod cap. 2. v. 23. iſtius libri dicitur: *Nonne melius eſt comedere, & bibere?* Et cap. 13. v. 19. & ſeq. *Idcirco unus interitus eſt hominis & jumentorum, & æqua utriuſque conditio. Sicut moritur homo, ſic illa moriuntur. Et nihil habet homo jumento amplius .... Quis novit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* Quibus verbis, inquiunt Athei, & Epicurei, aperte innuit Auctor libri *Eccleſiaſtis*, nihil poſt hanc vitam ſperandum eſſe, perſuadetque hominibus, ut ſeſe obſcænis voluptatibus, quæ guſtu, aliiſque corporis ſenſibus percipiuntur, ingurgitent, quamdiu hac communi luce fruuntur.

M. Mirum ſane, quod Athei, & Epicurei, qui omnem fidem derogant Scripturæ Sacræ, ejuſque divinam auctoritatem, revelationem, & inſpirationem negant, velint in Sacro Eccleſiaſtis Libro aliquod ſacrilegæ ſuæ doctrinæ expiſcari præſidium. Sed quam fruſtra id moliantur, multis momentis evincam. Primo, quia *Salomon*, Libri Eccleſiaſtis Auctor, hæc verba, quibus abutuntur Athei, & Epicurei, non ex ſententia ſua profert, ſed ex perſona ſtultorum & impiorum hominum, quorum varias opiniones de finibus bonorum & ma-

Digitized by Google

& malorum producit in medium, diſcutit, & examinat, ac tandem diſputationi ſuæ coronidem his verbis imponit: *Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time: Mandata ejus obſerva. Hoc eſt enim omnis homo, & cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum, ſive malum illud ſit*, cap. 12. v. 13. & 14. Libri Eccleſiaſtis. Præterquam quod, etſi darem, *Salomonem* hæc verba, *Nonne melius eſt comedere, & bibere*, &c. non ex perſona impiorum, ſed ex ſua protuliſſe ſententia, inde tamen colligi duntaxat poſſet, *Salomonem* approbaſſe modeſtum, temperatum, & legitimum bonorum temporalium uſum; ſicut ipſemet mentem ſuam clariſſime aperit c. 3. verſ. 13. ejuſdem libri, dicens: *Omnis homo, qui comedit & bibit, & videt bonum de labore ſuo, hoc donum Dei eſt*. Porro, uſus tantum modeſtus & legitimus bonorum temporalium merito appellari poteſt *Donum Dei*, non vero effrænis & immoderata illorum fruitio. Hinc *Salomon* in hoc Eccleſiaſtis libro eum in finem unice collimare videtur, ut coerceat libidinem impiorum hominum, qui, cupiditati ſuæ laxantes habenas, impotenti æſtu indulgent voluptatibus, & deliciis carnalibus, quas vanas, fluxas, & humani cordis explendis deſideriis omnino impares eſſe luculenter oſtendit. Pluribus verbis etiam inculcat, ne vitæ emendatio uſque ad ſenectutem procraſtinetur, tum propter juventutis celeritatem, tum propter ſenectutis, quam multa ſolent circumvenire incommoda, fragilitatem, calamitatem, & finem, qui eam conſequitur, ſeu amaram mortem, & ſtrictam divini judicii exactionem. Quæ certe omnia jugulant Atheorum, & Epicureorum impietatem. Pari perſpicuitate *Salomon* adſtruit eodem in libro immortalitatem animæ, & ſupremum Dei judicium. Sic enim cap. 3. verſ. 16. ait: *Vidi ſub Sole in loco judicii impietatem, & in loco juſtitiæ iniquitatem, & dixi in corde meo: juſtum & impium judicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit*. Et cap. 12. verſ. 1. *Memento*, inquit, *Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniant dies afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent*. Subdit poſtea verſu ſeptimo ejuſdem capitis: *Et revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus ad Deum, qui dedit illum*. Quod ſane ad ſtabiliendam contra Atheos, & Epicureos ſpiritualitatem animæ, ejuſque immortalitatem nihil evidentius dici poteſt. Sed quorſum, dices, *Salomon* aliis in locis ejuſdem Libri Eccleſiaſtis, aſſerit, *unum interitum eſſe hominis, & jumentorum, & æquam utriuſque conditionem?* ut quid etiam affirmat *Salomon*, neminem noſſe *ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* Numquid ejuſmodi locutiones innuere videntur, *Salomonem* dubitaſſe ſaltem de immortalitate animæ? At ipſe reſpondeo, ex his locutionibus colligi nullo pacto poſſe, *Salomonem* negaſſe, aut in dubium revocaſſe animæ immortalitatem. Ratio in promptu eſt, quia ſi Athei ex his verbis: *Quis novit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum?* inferant, *Salomonem* negaſſe, aut in dubium vertiſſe rationalis animæ immortalitatem, non abſimili ratione ex iſtis verbis: *Quis novit, ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* oportebit, ut Athei, & Epicurei colligant, *Salomonem* negaſſe, vel in dubium vocaſſe mortalitatem jumentorum, ſeu brutorum animantium. Quis autem eo deſipiat, ut ſuum in animum inducat, tam abſurdam ſententiam, & ineptam dubitationem in mentem *Salomonis*, Regis, poſt homines natos ſapientiſſimi, cadere potuiſſe? Crediderim ergo ipſe, *Salomonem* per hæc verba: *Quis novit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum? & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* voluiſſe deplorare ignorantiam & cæcitatem impiorum, qui, omnibus vitiis dediti, quaſi degenerant in belluas, ſibique falſo ex his, quæ apparent ſenſibus, perſuadent, unum, eumdemque eſſe hominis & jumentorum interitum, quaſi diceret *Salomon*, qui in Libro Eccleſiaſtis perſonam ſacri Oratoris agit: *Tanta eſt impio-*

Digitized by Google

piorum hominum ignorantia & cæcitas, *ut perperam ſibi perſuadeant* , *unum interitum eſſe hominis & jumentorum* . *Quis enim inter illos impios novit* , *ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum? & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* Ea locutione, quæ ſacris verbis Dei Præconibus familiaris eſt , uſus eſt *Salomon* in Libro Eccleſiaſtis , ut oſtenderet , ſceleſtos & impios homines ita Dei , ſuique immemores vivere, ut nec Deum timeant, nec perſpectam habeant immortalitatem animæ, planeque ignorent præclaras dotes , quibus homo diſcrepat a belluis . Denique, quando *Salomon* in Libro Eccleſiaſtis dicit , *unum interitum eſſe hominis & jumentorum* , *& æquam utriuſque conditionem* , id intelligit de corpore hominis , non de ipſius anima . Una quippe in belluis duntaxat concipitur ſubſtantia, videlicet materialis & corporea , qua pereunte , nihil reſidui in his permanere poteſt. At, in homine gemina diſtinguitur ſubſtantia ; una nimirum , quæ materialis eſt , trinaque extenſione in longum , latum , & profundum prædita , & eſt corpus . Altera in homine ſubſtantia eſt expers materiæ , & ſpiritualis , ut pote ex natura ſua capax cogitationis , intellectionis , & volitionis. Quo fit , ut , deſinente in homine ſubſtantia corporea , ſuperſtes ſit ſemper anima , quæ eſt ſubſtantia incorporea & immortalis . Sed hæc ad vindicias Libri Eccleſiaſtis dicta ſufficiant , ex quibus facile etiam intelliges , quam ſiniſtrum , juxta ac inſulſum ſit judicium , quod de eo libro profert Hæreſiarcha *Lutherus* , quem in ſuis *Convivalibus Colloquiis De Libris Veteris & Novi Teſtamenti* , hæc effutire non puduit : *Eccleſiaſtis Liber* , inquit , *non eſt plenus* , *multa habet abrupta* ; *neque ocreis*, *neque calcaribus indutus eſt* , *hoc eſt nullam habet perfectam ſententiam* . *Equitat in arundine longa* , *ſicuti ego* , *dum eram in Monaſterio* . Dignum ſane patella operculum ! nimirum *Lutherus* Salomonem ex ſuo voluit metiri ingenio , & quia ipſe , vinolentiæ & crapulæ deditus , non niſi pleniſſime potatus animum ad ſcribendum , vel concionandum appellere ſolebat, ideo Indicre ait, **Auctorem** Libri Eccleſiaſtis non eſſe plenum , eumque abſque ocreis, & calcaribus equitare in arundine longa . Sed mittamus ſacrilegas iſtius Hæreſiarchæ facetias , quibus palam declaravit, ſe in corde *Lucianum*, Deum, hominumque irriſorem , aut alium quemdam de grege *Epicuri* porcum , grandem inhalantem crapulam , aluiſſe .

D. Non minori petulantia Hæretici inſurgunt contra *Salomonis* librum , qui per excellentiam dicitur *Canticum Canticorum*. Ajunt enim, ſicut nuperrime legebam , hunc librum nihil præ ſe ferre divinum , ſed eſſe obſcænam impudici amoris cantilenam, ſeu garritum conjugum inter ſe , ſeu inter *Salomonem* , & filiam Regis Ægypti , quam uxorem duxerat. Aſſerunt, *Salomonem* in hoc libro ſecretiora nuptiarum arcana , leneſque conjugum ſub noctem ſuſurros , honeſtis tamen verborum involucris ea arte obtexiſſe , ut ſine ulla diſtortione latentes ſenſus poſſint a lectoribus inveniri. Quocirca, audacter pronunciant, ab illius libri lectione omnes arceri debere, ne inter illum legendum ad amorem prophanum alliciantur . Hanc igitur Hæreticorum petulantiam , quæſo te , ut breviter hic retundas , & germanum aperias *Cantici Canticorum* ſenſum .

M. Hunc Hæreticorum errorem , librum *Salomonis* , qui inſcribitur *Canticum Canticorum* , prophanos amores , & nuptiarum arcana exprimere impie aſſerentium, jam olim *Theodoretus* Præfatione in *Canticum Canticorum* doctiſſime confutavit . Verum , quia eumdem errorem poſtremis hiſce temporibus recoxerunt Anabaptiſtæ , aliique moderni Hæretici , non abs re erit paucis verbis illum diſpungere . In primis *Eſdras* , qui poſt laxatam captivitatem Babylonicam Canonem Sacrorum Librorum condidit, *Canticum Canticorum* inter Sacras Scripturas collocavit . Eccleſia etiam Catholica , cujus judicium indeficiens eſt , & falli omnino neſcit , divinam *Cantico Canticorum* auctoritatem vindicavit . Credibile autem ne eſt , *Eſdram* , & Eccleſiam Catholicam voluiſſe *Canticum Canti-*

ticorum accenſere Catalogo Librorum Sacrorum, ſi revera hic liber, ut blaterant Hæretici, prophanum aliquid ſaperet, & obſcæni eructaret ſcintillas amoris? Præterea, SS. Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici *Origenes*, *Euſebius*, *Cyprianus*, *Baſilius*, uterque *Gregorius*, *Diodorus*, *Joannes Chryſoſtomus*, & alii poſteriorum temporum Scripturæ Sacræ Interpretes, qui librum *Cantici Canticorum* doctiſſimis Commentariis illuſtrarunt, ejuſque arcanos ac myſticos ſenſus pie ac ſagaciter ſcrutati ſunt, docent, iſtud *Canticum Canticorum* complecti Colloquium Chriſti vel cum Eccleſia, quam acquiſivit ſanguine ſuo, quamque ſibi media Incarnatione deſponſavit, vel cum anima, quam per fidem ſibi ſponſam itidem copulatam imbuit ſanctitatis doctrina, & vitæ ſpiritualis perfectione per metaphoras, ſimilitudines, & parabolas inſtituit. Hæc eſt doctrina ſanctorum Patrum, quos veroſimile non eſt hunc *Cantici Canticorum* librum Commentariis illuſtrare voluiſſe, ſi hic liber, prophanum, ut garriunt Hæretici, aleret amorem. Addo etiam, Paraphraſtem Chaldæum, & *Moſem Mammonidem*, Rabbinorum doctiſſimum, aſſerere, *Salomonem* iſto Dramate, ſeu *Cantico Canticorum*, expreſſiſſe amorem Dei erga dilectum ſibi ac fidelem populum Iſraeliticum. Non ergo prophanum & obſcænum amorem ſpirat liber *Cantici Canticorum*, ſed divinum, & ſpiritualem, ſicut oſtendit *S. Hieronymus* lib. 1. contra Hæreticum *Jovinianum*. Non inficior tamen, Hebræos non permittere juvenibus lectionem hujuſce libri, cujus reconditos ſenſus penetrare haud poſſunt, utpote necdum perfecti, tamque ſolidi cibi capaces. Sed ex hac prohibitione nihil adverſus divinam libri *Cantici Canticorum* auctoritatem extundi poteſt, quia, ut appoſite obſervat *Origenes* Homilia 1. in *Canticum Canticorum*, Hebræi prohibent pariter lectionem principii libri Geneſis, ſicut initium ac finem Prophetiæ *Ezechielis*; & tamen Hebræi non obſtante illa prohibitione, integro Geneſis libro, ſicut initio, & fini Prophetiæ *Ezechielis* divinam tribuunt auctoritatem. Quæ cum ita ſe habeant, æquumne eſt, ut deſpecta Eccleſiæ Catholicæ, & ſanctorum Patrum auctoritate, aurem præbeamus nefariis Hæreticis, qui in ſacrum *Cantici Canticorum* librum temere, & perfricta fronte debacchantur, eumque pro ſuo nutu, & arbitrio eximunt e Sacrorum Librorum Canone, quem *Eſdras*, ſpeciali Spiritus Sancti lumine illuſtratus, contexuit, & Catholica approbavit Eccleſia?

D. Expeditam nunc habeo & paratam ſolutionem argumentorum, quæ ad convellendam, vel elevandam ſacram librorum, quos edidit *Salomon*, auctoritatem ex contraria parte opponi poſſunt. Juvat modo, ſi placet, tantiſper inquirere in Auctores librorum *Sapientiæ*, & *Eccleſiaſtici*, quos ex Ethicarum *Salomonis* Scriptionum, ſeu Sententiarum compilationibus decerptos eſſe ſuperius quidem obſervaſti, ſed illorum ordinem, contextum, ac compoſitionem eſſe alterius Scriptoris a *Salomone* plane diſtincti inſinuaſti. Cedo itaque nomina Auctorum, a quibus conſcripti ſunt Libri *Sapientiæ*, & *Eccleſiaſtici*, eademque opera ſummam exhibe rerum, quas præcipue complectuntur ſacri illi duo libri.

M. Quamvis certum ſit, librum *Sapientiæ* ex variis *Salomonis* Sententiis hac illac diſperſis fuiſſe conflatum, ac ſubinde doctrinam, eo in libro contentam, eſſe *Salomonis*, ſicut declarat ejuſdem Sacri Libri Titulus, qui in Græca, Syriaca, & Arabica Verſionibus nomen *Salomonis* præfert: Attamen, quis ſit Auctor ille, qui doctrinam *Salomonis*, ſeu Ethicas ejus Sententias collegit & compilavit, eaſque in hoc *Sapientiæ* libro, quem nunc habemus, digeſſit, diſpoſuit, & ordinavit? incertum omnino eſt. Utut ſit, certiſſime conſtat, Auctorem iſtius *Sapientiæ* libri, qualem nunc habemus, fuiſſe a Deo inſpiratum, & ſpiritu prophetico afflatum hæc de Paſſione Chriſti Domini capite ſecundo ſcripſiſſe: *Si enim eſt verus filius Dei, ſuſcipiet eum, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumelia, & tormento interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius. Morte turpiſſima condemnemus eum* &c.

Quæ

Quæ verba ſi conferantur cum iis, quæ cap. 27. Evangeliſtæ *Matthæi* leguntur, planum erit, hoc eſſe illuſtre de Paſſione Chriſti Domini Vaticinium. Advertere tamen debes, hunc *Sapientiæ* librum non extare in Hebræorum Canone, quem *Eſdras* poſt ſolutam captivitatem Babylonicam condidit, inſertum tamen eſſe Sacrorum Librorum Veteris Teſtamenti Canoni, quem Catholica contexuit Eccleſia, quæ infallibili, quo pollet judicio, defectum Canonis Hebræorum ſarſit, & divinam libro *Sapientiæ* aſſeruit auctoritatem. Quo fit, ut nullus, niſi Hæreticus, hunc *Sapientiæ* librum eſſe ſacrum, ac divinum inficias ire poſſit. Continet autem hic *Sapientiæ* liber undeviginti capita, quorum hæc ſumma eſt. Primo, hortatur hujus ſacri libri Scriptor, Reges, Principes, & Magiſtratus ad zelum, ſtudium, & amorem Sapientiæ, eiſque ſuadet ſervare juſtitiam, quæ viam ſternit ad veram acquirendam ſapientiam. Juſtorum vitam, & mortem felicem eſſe oſtendit, impiorum vero vitam neque diuturnam eſſe neque felicem, mortem inhonoratam, & poſt mortem coram Tribunali Dei fletus, miſerum in Inferno ſtatum, æternoſque cruciatus. Præterea, explicat Sapientiæ originem, docet modum illam acquirendi, ejuſque excellentiam commendat. Poſtremo, plurimis exemplis illuſtrium Patriarcharum, & totius populi Iſraelitici palam facit utilitates, fructus, & effectus Sapientiæ.

Auctor libri, qui dicitur *Eccleſiaſticus*, non alius eſt, quam *Jeſus filius Sirach*, qui ex variis *Salomonis* moralibus excerptis Sententiis, & in ordinem digeſtis hunc librum concinnavit. Quamplurimas enim *Salomonis* Sententias ex libris *Proverbiorum Eccleſiaſtis*, & *Sapientiæ* in iſtum *Eccleſiaſtici* librum translatas fuiſſe luculenter demonſtrat *Druſius* lib. 1. *Obſervationum*, & Illuſtriſſimus *Daniel Huetius*, Abrincenſis Epiſcopus, in ſua *Demonſtratione Evangelica*, *Propoſitione IV.* Nec ſolum Jeſus, filius Sirach, Hieroſolymitanus, *Salomonis* Sententias compilavit, ac digeſſit in libro, qui *Eccleſiaſticus* appellatur, verum etiam ad *Salomonis* Sententias abjecit ſuas, ſicut legitur in Prologo iſtius libri: *Avus meus Jeſus, poſtquam ſe amplius dedit ad diligentiam lectionis Legis & Prophetarum, & aliorum librorum, qui nobis a parentibus noſtris traditi ſunt, voluit & ipſe ſcribere aliquid horum, quæ ad doctrinam & ſapientiam pertinent, ut deſiderantes diſcere, & illorum periti facti, magis, magiſque attendant animo, & confirmentur ad legitimam vitam*. Et cap. 50. verſ. 29. ejuſdem libri. *Doctrinam ſapientiæ, & diſciplinæ ſcripſit in codice iſto Jeſus filius Sirach Hieroſolymita, qui renovavit ſapientiam de corde ſuo*. Unde liquet, Jeſum filium Sirach, eſſe Auctorem libri *Eccleſiaſtici*, quia (ut perdocte obſervat Illuſtriſſimus Abrincenſis Epiſcopus in ſua *Demonſtratione Evangelica*, Propoſitione IV. pag. 204.) ſicut domus opifex cenſetur is, non qui materiam cædit, aut cæmenta tundit, ſed qui hæc aliunde ſubminiſtrata ordine collocat, & ſuis quoque locis ad condendam domum diſponit, ita Sententias a *Salomone* fere excogitatas, tanquam cæmenta ac materiam collegit Jeſus Sirachi filius, & in ejus, quo nunc utimur, Operis fabricationem digeſſit. Hunc librum *Eccleſiaſtici*, ſicut & librum *Sapientiæ* non recenſet Canon Eſdrinus, ſeu Hebræorum Canon, quem *Eſdras* poſt laxatam captivitatem Babylonicam condidit, tum quia hi duo libri, qui ex moralibus *Salomonis* Sententiis a diverſis auctoribus magnam partem conflati ſunt, necdum prodierant tempore *Eſdræ*: tum quia etiam, perturbato adhuc poſt captivitatem Babylonicam ſtatu Reipublicæ Hebræorum, duo iſti libri ad notitiam *Eſdræ* non pervenerunt, ac duntaxat reperti ac noti fuerunt, poſtquam *Eſdras* Sacrorum Librorum Veteris Teſtamenti Canonem jam clauſiſſet & obſignaſſet. Ceterum, Eccleſia Catholica, cui ex officio incumbit de Libris Canonicis tam Veteris, quam Novi Teſtamenti proferre judicium, nulli errori obnoxium, libros *Eccleſiaſtici*, & *Sapientiæ* tam in Concilio Laodi-

ceno

ceno, quam in Œcumenica Synodo Tridentina Seſſione quarta juxta traditionem ſanctorum Patrum, accenſuit Canoni Sacrorum Librorum Veteris Teſtamenti. Teſtatur *S. Athanaſius* in Epiſtola Feſtali, libros *Sapientiæ*, *& Eccleſiaſtici* fuiſſe in antiqua Eccleſia Cathecumenis, præ ceteris aliis Scripturæ Sacræ libris, prælectos, utpote faciliores, & efformandis moribus magis idoneos. Sicut enim liber *Sapientiæ*, ut mox obſervavi, ſuppeditat ſalutaria documenta, & pias, rudibuſque etiam pervias Sententias morales, quæ homines, quovis in ſtatu ad ſapientiam & virtutem probe inſtituere poſſunt; ita Auctor libri *Eccleſiaſt.* dat præcepta de ſingulis virtutibus, præclara etiam complectitur documenta, quæ non ſolum ad propriam perficiendam excolendamque perſonam, ſed ad familiam, & Rempublicam gubernandam vel utilia ſunt, vel neceſſaria; denique, omnium virtutum, & documentorum exempla, quæ tradidit, elogiis Patriarcharum, Prophetarum, & Principum illuſtrium Veteris Teſtamenti concludit.

D. *Salomonis*, aliorumque Regum tam Judæ quam Iſraelis geſta in ſuperiori Colloquio compendioſe narraſti, eaque, ſicut memini, te ibidem annotaſſe, excerpſiſſe ex ſacra Hiſtoria Regum, quæ in quatuor libris Regum, & in duobus libris Paralipomenon fuſe deſcripta legitur. Sed, ut major huic Hiſtoriæ concilietur auctoritas, ſuaque ei conſtet antiquitas, debes nunc proferre in medium Sacros Scriptores, qui prædictam Hiſtoriam in quatuor libris Regum, & in duobus libris Paralipomenon litteris mandarunt, atque ſummatim delibare ſingula, quæ ſeorſim in iſtis libris continentur.

M. Quiſnam ſit quatuor librorum Regum Auctor? non ſatis conſtat. Probabilius tamen cenſent viri eruditi, *Samuelem*, qui Regis *Saulis* ætate vixit, eſſe Auctorem libri primi Regum uſque ad caput vigeſimum quintum, finem vero ejuſdem libri, totumque ſecundum librum Regum fuiſſe exaratum a Prophetis *Gad*, & *Nathan*, qui geſta *Davidis* Regis litteris conſignarunt, ejuſque temporibus floruerunt. *Geſta autem David Regis priora & noviſſima ſcripta ſunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad videntis.* Liber tertius Regum uſque ad obitum *Salomonis* ſcriptum fuit a *Nathan*, *Abia Silonite*, & *Addo*, Prophetis, qui, regnante *Salomone*, vixerunt, ejuſque res geſtas memoriæ prodiderunt, ſicut legitur libr. 2. Paralipomenon cap. 9. v. 20. *Addo*, & *Semeias*, ejuſdem ævi Prophetæ, commendarunt res geſtas a Rege *Roboamo*, filio *Salomonis*, ut legitur c. 12. lib. 2. Paralipomenon. Res *Abiæ*, Regis Juda, ſcripſit *Addo*, Propheta, ſicut legitur cap. 13. libr. 2. Paralipomenon. Res geſtas *Joſaphati*, Regis Juda, ſcripſit Propheta *Jehu*, filius *Hanani*, ſicut legitur cap. 20. lib. 2. Paralipomenon. Denique *Iſaias*, Propheta, qui diebus *Oziæ*, *Joathan*, *Achaz*, & *Ezechiæ*, Regum Juda, vaticinatus eſt, ſcripſit res memorabiles geſtas a Regibus Juda *Ozia*, & *Ezechia*. Hinc geſta *Ezechiæ*, Regis Juda, quæ narrantur libris quarti Regum capitibus 18. 19. & 20. deprompta ſunt ex quatuor integris capitibus Prophetiæ *Iſaiæ*, videlicet ex capitibus 36. 37. 38. & 39. Probabilius itaque eſt, *Eſdram*, qui, poſt captivitatem Babylonicam, divino afflatus Spiritu, Sacram Scripturam inſtauravit, Hiſtoriam Regum tam Judæ, quam Iſraelis, ex his Prophetarum, ſeu Sacrorum Scriptorum, de geſtis Regum Commentariis excerpſiſſe, eamque in compendium redactam, in unum codicem coegiſſe. Quod ſpectat duos libros Paralipomenon, in quibus itidem deſcribitur Hiſtoria Regum, conſtans eſt Hebræorum opinio, illos ab *Eſdra* fuiſſe lucubratos. At, Illuſtriſſimus *Daniel Huetius*, Abrincenſis Epiſcopus, in ſua *Demonſtratione Evangelica*, *Propoſitione IV.* exiſtimat, duos Paralipomenon libros non ex Actis ſolum diurnis collectos fuiſſe, ſed etiam ex Prophetarum, quos ſuperius laudavimus, videlicet *Semeiæ*, *Addo*, *Jehu*, *Nathanis*, *Abiæ Silonitis*,

nitis, *Iſaiæ*, aliorumque de geſtis Rerum Scriptionibus, ſeu Commentariis, digeſtos & concinnatos eſſe ab *Eſdra*, poſtquam Iſraelitæ, e captivitate Babylonica ſoluti, ad natale ſolum jam rediiſſent.

D. Si verum ſit, *Eſdram* Hiſtoriam Regum tam Judæ, quam Iſraelis hauſiſſe, & compendioſam reddidiſſe ex variis Commentariis, quos de geſtis Regum antehac Scribæ, ſeu Prophetæ, fuſiori calamo ſcripſerant; cur, quæſo, viri eruditi paucis abhinc annis tanto æſtu in *Richardum Simonium* eo potiſſimum nomine invecti ſunt, quod hic celebris Scriptor in ſua *Hiſtoria Critica Veteris Teſtamenti* probandum ſuſcepiſſet, *Moyſem* eſſe quidem Auctorem Legis, quæ deſcripta eſt in Pentateucho, veroſimilius tamen eſſe, Hiſtoriam, quæ narratur in Pentateucho, non eſſe ſcriptam a *Moyſe*, ſed potius exaratam fuiſſe poſt mortem *Moyſis* ab aliquo publico Scriba, qui a Republica Hebræorum ſcribendis eorum Annalibus erat deſtinatus, quique ex veteribus aliorum Scribarum, qui *Moyſis* temporibus coævi fuerunt, Diariis, & Commentariis excerpit monumenta Hiſtoriæ, quæ Pentateucho continentur, eaque in ordinem digeſſit, & in compendium redegit. Hoc *Richardi Simonii* Syſtemate, non minuitur, opinor, ſacra Pentateuchi auctoritas, ſicut viri eruditi nihil omnino derogant ſacræ ac divinæ auctoritati quatuor librorum Regum, & duorum librorum Paralipomenon, tametſi fateantur, *Eſdram*, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, Hiſtoriam Regum Judæ, & Iſraelis, his libris comprehenſam, excerpſiſſe ex Commentariis veterum Scribarum, qui Regum Judæ, & Iſraelis, ſub quibus floruerunt, res geſtas data opera in litteras retulerunt, fuſiuſque deſcripſerunt.

M. Jure optimo novum iſtud *Richardi Simonii* Syſtema ab omnibus viris eruditis fuit exploſum. Nam primo, ſi *Moyſes*, ut pertendit ille Scriptor, ſit tantum Auctor Legis, ſed non Sacræ Hiſtoriæ, quæ in Pentateucho continetur, inde ſequitur plane, *Moyſem* non eſſe Auctorem totius Pentateuchi. Quod ſane adverſatur Scripturæ Sacræ, quæ expreſſe ac diſerte innumeris in locis integrum Pentateuchum *Moyſi*, ceu vero ac legitimo parenti, adſcribit, ac vindicat. Sacræ etiam auctoritati, & antiquitati Pentateuchi derogat novum iſtud *Richardi Simonii* Syſtema, palamque favet impietati *Obbeſii* Scriptoris Angli, *Eduardi Herberti*, *Spinoſæ*, *Peyrerii*, qui leviſſimis adductis rationibus, auſi ſunt perfricta fronte negare, *Moyſem* eſſe Auctorem Pentateuchi, ut hoc pacto Sacræ Scripturæ auctoritatem, & antiquitatem penitus labefactarent, viamque munirent ad Atheiſmum. Præterea, nulla efficaci ratione, nulla alicujus ponderis ratione, nullo prorſus antiquitatis monumento fulcitur hoc ſyſtema *Richardi Simonii*, qui capitibus primo, ſecundo, & tertio *Hiſtoriæ Criticæ Veteris Teſtamenti* aſſerit in Republica Hebræorum fuiſſe publicos Scribas, qui a *Moyſe*, *Joſue*, ceteriſque aliis Sacrorum Librorum Scriptoribus erant omnino diſtincti, quippe a Republica auctoritatem habebant res memorabiles ſuis temporibus geſtas litteris conſignandi. Sed hoc purum putumque commentum eſt, quia de illis publicis Scribis, quos in Republica Hebræorum fuiſſe dictitat *Simonius*, quoſque ab Scriptoribus, qui Spiritu Sancto afflati Sacros Libros exararunt, affirmat fuiſſe diverſos, ne apex quidem in tota Scriptura Sacra, ac ne minimum quidem occurrit veſtigium. Immo, *Joſephus*, Hebræus, lib. 1. contra *Apionem* teſtatur, penes duntaxat Prophetas, qui *antiquiſſima & veterrima*, *ſecundum inſpirationem a Deo factam* cognoſcebant, poteſtatem fuiſſe libros, quos ceu ſacros ac divinos recipiebat Reſpublica Hebræorum, conſcribendi. Nunquam igitur in Republica Hebræorum extiterunt illi publici Scribæ, ut finxit *Simonius*, quibus ex officio incumberet res memorabiles ſuis temporibus geſtas in litteras referre, quique eſſent diverſi a *Moyſe*, *Joſue*, & a ceteris aliis Scriptoribus, qui, inſpirante

tante Deo, Sacros Veteris Teſtamenti Libros ediderunt. Poſtremo, non eſt par ratio de Pentateucho *Moyſis* ac de quatuor libris Regum, & de duobus libris Paralipomenon, quia Scriptnra Sacra, ut antea oſtendimus, aperte indicat Prophetas, ſeu Sacros Scriptores, qui geſta Regnm, ſub quibus claruerunt, fuſe deſcripſerunt, ex qnorum Commentariis *Eſdras*, ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtentia illuſtratus, poſt laxatam captivitatem Babylonicam excerpſit, & in Epitomen redegit Hiſtoriam Regum, tam Judæ, quam Iſraelis, ſicnt eam nunc habemus comprehenſam quatuor libris Regum, & duobus libris Paralipomenon. At, nullibi Scriptura Sacra ait, tempore *Moyſis* fuiſſe Scribas, ſeu Prophetas, qui Hiſtoriam rerum, quæ ſub *Moyſe*, Reipublicæ Hebræorum Dnce, contigerunt, in litteras retulerint. Nullibi etiam Sciptura Sacra innuit, fuiſſe poſt mortem *Moyſis* aliquem Scribam, ſeu Prophetam, qui Hiſtoriam rerum geſtarum tempore *Moyſis* exſcripſerit ex Commentariis veterum Scribarum, quos *Richardus Simonius* fingit *Moyſi* fuiſſe coævos. Hæc, inquam, non tantum ſilet Scriptura Sacra, ſed etiam clariſſime teſtatnr, *Moyſem* eſſe Auctorem totius Pentatenchi, hoc eſt, non ſolum Legis, ſed & Hiſtoriæ rerum geſtarum, quæ in eo referuntur. Jure itaque ac merito viri eruditi improbarunt ſyſtema *Richardi Simonii*, qui etſi fateatur, *Moyſem*, eſſe Auctorem Legis, quæ continetur in Pentateucho, aſſerit tamen, Hiſtoriam rerum, quæ ibi narrantur a *Moyſe*, ſcriptam non eſſe, ſed a pnblicis Scribis, qui *Moyſi* coævi erant, fuiſſe exaratam, eamqne poſt *Moyſis* obitum, ex veterum illorum Scribarum Commentariis excerptam eſſe ab aliquo publico Scriba, qui ejuſmodi Hiſtoriam rerum geſtarum ſub *Moyſe* in Epitomen redegit, qnalem nunc habemus in Pentateucho *Moyſis*. Hoc autem *Richardi Simonii* ſyſtema falſi convincitur non ſolum ex Scriptura Sacra, ſed ex perpetua, ſibique ſemper conſtanti traditione, quæ, ut alibi obſervavimus, viguit ſemper apud Judæos, Samaritanos, & Chriſtianos, quaque omni ævo creditum eſt, *Moyſem* eſſe Auctorem totius Pentateuchi.

D. Video nunc parem non eſſe rationem de Anctore Pentateuchi, ac de Auctore librorum quatuor Regum, & duorum Paralipomenon. *Moyſem* quippe eſſe totius Pentateuchi Anctorem extra omnem dubitationis aleam poſitnm eſt; ſed qnatuor librorum Regum, & duorum librorum Paralipomenon diverſi aſſignantnr Scriptores (non quidem publici illi in Republica Hebræorum Scribæ, quos proprio marte & e ſuo cerebro finxit *Simonius*, quique in rerum natura nunquam extiterunt) ſed Prophetæ, quos ex Scriptura Sacra indicaſti, *Samuel*, *Ahio Silonites*, *Nathan*, *Addo*, *Semeias*, *Jehu*, & *Iſaias*, qui geſta Regnm, ſub quibus vaticinati ſunt, litteris tradiderunt, eaque ex eorum Commentariis *Eſdras*, poſt laxatam captivitatem Babylonicam, Deo afflante & inſpirante, excerpſit, digeſſit, & compendioſe in quatuor libris Regum, & duobns libris Paralipomenon deſcripſit. Hæc modo nota ac explorata habeo. Sed, ut facilius memoria tenere poſſim ordinem, quem in dirigenda in his libris Hiſtoria Regum tenuit *Eſdras*, obnixe te rogo, ut hic quatuor librorum Regum, & duorum librorum Paralipomenon, quales nunc habemns, mihi Analyſin exhibeas.

M. Annno quidem lubentiſſime, ſed ea tamen lege, ut tn ipſe ſacros illos libros, ſicut & totam Scripturam Sacram in ſonte legas, quo illam tibi familiarem reddere poſſis, & divinam, quam complectitur, doctrinam in purum putumque, ut dici ſolet, ſuccum pro viribus vertere ſtudeas. Ordior autem a primo libro Regum, qui in quatnor partes diſtribui poteſt. In prima agitur de ortn, & geſtis *Samuelis*, de peccatis filiorum *Heli*, Summi Pontificis, & de funeſta illius morte poſt acceptum nuncium de Arca, Fœderis, capta a Philiſtæis. In ſecunda parte deſcribuntur *Saulis* inauguratio in Regem Iſrael, & *Samuelis* obitus. In tertia parte narrantur *Davidis* victoriæ, ejuſ-

ejuſque unctio in Regem Iſrael. In poſtrema parte referuntur perſecutiones, quibus *David* ab ingrato *Saule*, Rege, fuit exagitatus. Continet hic primus liber Regum in Editione Vulgata capita triginta & unum.

In ſecundo libro Regum deſcribuntur res geſtæ a morte *Saulis*, Regis, uſque ad finem Davidici Regni. Dinumerantur omnes victoriæ, quas *David*, poſtquam fuit conſtitutus Rex ſuper Regnum Judæ, & ſuper totam Gentem Hebræam, reportavit. Narrantur fuga *Abſalonis*, filii *Davidis*, Regis propter necem, quam intulit *Ammoni* fratri ſuo, qui ſuam & *Abſalonis* ſororem conſtupravit, ejuſque reditus Hieroſolymam, & conjuratio in *Davidem* Regem, patrem ſuum, quem a ſolio exturbare molitus eſt. Denique, recenſentur Dei flagella, queis populum Iſrael afflictus, & a quibus Dei benignitate liberatus eſt. Complectitur hic ſecundus liber Regum in Editione Vulgata capita viginti quatuor.

Tertius liber Regum exhibet Hiſtoriam ab obitu *Davidis*, & unctione filii ejus *Salomonis* in Regem totius Iſrael uſque ad mortem *Joſaphat*, Regis Juda, & *Achabi*, Regis Iſrael. In primis referuntur exordia Regni *Salomonis*, qui juſſu *Davidis*, patris ſui, Rex Iſraelis ſalutatus, multa præcepta ac conſilia, ſibi ab eo ante mortem relicta, executioni mandavit, morti addicendo *Adoniam*, fratrem ſuum, qui in Regno inhiabat, *Abiatharem*, Summum Pontificem, *Joabum*, militiæ Principem, quia partibus *Adoniæ* ſtabant, & *Semei*, qui *Davidem*, Regem injuriis laceſſiverat. Præterea, in hoc tertio Regum libro deſcribitur magnificentia Regis *Salomonis*, potiſſimum in ſtructura Templi Hieroſolymitani, Domus Regiæ, & plurium civitatum. Commendatur ejuſdem *Salomonis* ſapientia, poſt homines natos maxima, necnon ipſius oſtenditur Idololatria, cum ardenti in mulieres libidine conjuncta, a qua ante mortem receſſiſſe, & ad meliorem frugem ſe recepiſſe minime legitur. Poſtremo, texitur Hiſtoria Regis *Roboami*, qui fuit *Salomonis* filius, & cujus jugum excutientes decem Tribus Iſrael *Jeroboamum* ſibi præfecerunt Regem, geſtaque produntur non ſolum Regum Juda, qui poſt *Roboamum* regnarunt, videlicet *Abiæ*, *Aſæ*, *Joſaphati*, ſed etiam Regum Iſraelis, qui, poſt *Jeroboamum*, ſupremum in decem Tribus obtinuerunt dominium, ſcilicet, *Nadab*, *Ela*, *Zamri*, *Amri*, & *Achabi*. Habet hic liber tertius Regum in Editione Vulgata capita viginti duo.

In quarto libro Regum texitur primo Hiſtoria Regum Judæ, qui ab obitu Regis *Joſaphati* regnarunt uſque ad captivitatem Babylonicam, id eſt Regum *Jorami*, *Ochoſiæ*, *Athaliæ*, *Joaſi*, *Amaſiæ*, *Oziæ*, ſeu *Azariæ*, *Joathas*, *Achazi*, *Ezechiæ*, *Manaſſis*, *Amonis*, *Joſiæ*, *Joachazi*, *Eliakimi*, *Joakimi*, & *Sedeciæ*, qui ultimus fuit Regum Juda, & a *Nabuchodonoſore*, Babyloniorum Rege, in Babyloniam captivus deportatus. Deinde, deſcribuntur geſta Regum Iſraelis ab obitu impii *Achab*, Regis Iſrael, uſque ad captivitatem Aſſyriacam, nempe Regum *Ochoſiæ*, *Jorami*, *Jehu*, *Joachazi*, *Joaſii*, *Jeroboami II.* *Zachariæ*, *Selumi*, *Manahemi*, *Phaceiæ*, *Phacee*, & *Oſee*, qui fuit poſtremus Regum Iſraelis, quemque *Salmanazar*, Aſſyriorum Rex, una cum decem Tribubus Iſraelitis duxit in captivitatem Aſſyriacam, totumque Iſraelitarum Regnum, quod a *Jeroboamo I.* exordium habuit, penitus everſum ſuam in poteſtatem redegit, ſuoque Aſſyriorum adjecit Imperio. Continet hic liber quartus Regum in Editione vulgata vigintiquinque capita. Habes nunc brevem Analyſim rerum, quæ narrantur in quatuor libris Regum. Nunc attexam Analyſim duorum librorum Paralipomenon, qui ita appellantur, qui ſunt velut Chronicon, Diarum, & reaſſumptio plurium, quæ vel prætermiſſa, vel non ita fuſe narrata ſunt in quatuor libris Regum, quorum videntur eſſe veluti ſupplementum. Paralipomenon ſiquidem vox Græca eſt, quæ Latine redditur *Prætermiſſorum*, ſeu *Reſiduorum*. Duo libri Paralipomenon, teſte S. *Hieronymo* in Prologo, unum dun-

duntaxat librum apud Hebræos efficiunt, qui ab illis vocatur: *Verba dierum*, ſed propter ſui magnitudinem, in duos libros a Chriſtianis diſtributus eſt. In primo libro Paralipomenon, qui in Editione vulgata conſtat capitibus viginti novem, contexitur Genealogia, ſeu propagatio Gentis Iſraelitarum ab Adamo, primo hominum parente, uſque ad *Davidem* Regem. Poſtea, Regis *Saulis* præmiſſa Hiſtoria, ejuſque reprobatione & morte, deſcribuntur *Davidis* inauguratio in Regem, atque heroica illius adverſus Iſraelitarum hoſtes, geſta, & victoriæ, necnon præclaræ, quibus pollebat, virtutes, præſertim vero zelus, quo flagrabat, promovendi Dei cultum, eximia pietas, & felix Regni adminiſtratio. Alter Paralipomenon liber, qui in Editione vulgata in triginta ſex capita diviſus eſt, complectitur Hiſtoriam Regis *Salomonis*, & aliorum Regum Juda, qui regnarunt uſque ad captivitatem Babylonicam, & ad calcem ejuſdem libri fit mentio de reditu Judæorum e captivitate Babylonica in Judæam anno primo *Cyri*, Perſarum Regis.

D. Captivitas illa Aſſyriaca, in quam, ut mox dixiſti, decem Iſraelitarum Tribus a *Salmanazare*, Aſſyriorum Rege, abductæ ſunt, præceſſitne tempore captivitatem Babylonicam, in quam Judæi a *Nabuchodonoſore*, Babyloniorum Rege, fuerunt deportati?

M. Captivitas Aſſyriaca, præceſſit captivitatem Babylonicam annis centum viginti duobus. Captivitas ſiquidem Aſſyriaca decem Iſraelitarum Tribuum, contigit, ut convenit inter omnes Sacræ Chronologiæ peritos, anno nono Regni *Oſee*, qui fuit ultimus Iſraelitarum Rex. Annus autem nonus Regni *Oſee*, concurrit cum anno ſexto Regni *Ezechiæ*; Regis Juda, ut fatentur itidem omnes Chronologi. Hac autem ſemel poſita captivitatis Aſſyriacæ Epocha, proclive eſt oſtendere, hanc captivitatem antevertiſſe centum & viginti duobus annis captivitatem Babylonicam, quia ab anno ſexto Regni *Ezechiæ*, a quo petitur initium Aſſyriacæ Tribuum Iſraelitarum captivitatis uſque ad annum undecimum Regni *Joakimi*, Regis Juda, cui anno, juxta probabiliorem opinionem, præfigendum eſt Judæorum captivitatis Babylonicæ exordium, certum eſt interfluxiſſe centum & viginti duos annos, ſicut ex iſto annorum Regum Juda calculo, quem hic ſubjicio, facile colligi poteſt. *Ezechias*, Rex Judæ, regnavit in integrum viginti novem annis, & anno ſexto Regni ſui contigit Aſſyriaca decem Tribuum Iſraelis captivitas. *Ezechias* igitur, poſt Aſſyriacam decem Tribuum Iſraelis captivitatem, regnavit adhuc viginti tribus annis. Porro, ſi illis viginti tribus annis, per quos *Ezechias* regnavit poſt Aſſyriacam decem Tribuum Iſraelis captivitatem, addas annos quinquaginta quinque Regni *Manaſſis*, duos annos Regni *Amonis*, annos triginta & unum Regni *Joſiæ*, & annos undecim Regis *Joakimi* (anno quippe undecimo Regni *Joakimi* illigari debet initium Captivitatis Judæorum Babylonicæ) confeſtim, ſubducto iſtorum annorum calculo, comperies ab anno ſexto Regni *Ezechiæ*, Regis Judæ, quo cœpit Aſſyriaca decem Tribuum Iſraelis captivitas, uſque ad Regni *Joakimi*, Regis iiidem Juda, annum undecimum, a quo ducendum eſt principium captivitatis Judæorum Babylonicæ, confeſtim, inquam, reperies, interfluxiſſe annos centum viginti duos, quibus Aſſyriaca decem Tribuum Iſraelis præceſſit Babylonicam Judæorum captivitatem. Porro, circa illam Aſſyriacam decem Tribuum Iſraelitarum captivitatem tria occurrunt ſingulari obſervatione digna, quæ hic prætermittere minime debemus. Primo, hanc Aſſyriacam decem Tribuum captivitatem, quam Deus inflixit Iſraelitis, ob illorum impietatem, & Idololatriam a *Jeroboamo*, primo eorum Rege cœptam, & ad hæc uſque tempora continuatam, prædixit Propheta *Amos* cap. 5. v. 27. his verbis. *Et migrare vos faciam trans Damaſcum, dicit Dominus, Deus exercituum nomen ejus.* Hoc autem vaticinium edidit *Amos* an-

nis ſexaginta quinque ante excidium Regni Iſraelitici, ſeu ante deportationem decem Tribuum Iſraelis in Aſſyriam. Prophetavit enim *Amos* anno vigeſimo quinto *Oſiæ*, Regis Judæ. Jam ſi ab anno Regni *Oſiæ* vigeſimo quinto numeres, ſupererunt ex annis Regni *Oſiæ*, qui regnavit quinquaginta annis duobus, anni viginti ſeptem. His adde annos quindecim Regni *Joatham*, ſexdecim *Achaz*, & ſex *Ezechiæ* (anno quippe ſexto Regni *Ezechiæ* accidit, ut antea diximus, Aſſyriaca decem Tribuum Iſraelis captivitas) & habebis ſummam annorum ſexaginta quinque, qui effluxerunt a vaticinio Prophetæ *Amos* uſque ad Aſſyriacam decem Tribuum Iſraelis captivitatem. Hinc facile explicatur, quo pacto intelligendus ſit Propheta *Iſaias*, qui cap. 7. v. 8. non ſolum prædicit Regni Iſraelitici excidium, ſed & illius deſignat tempus his verbis: *Adhuc ſexaginta & quinque anni, & deſinet Ephraim eſſe populus*. Hujus autem Epochę annorum ſexaginta quinque initium arceſſiri haud poteſt ab eo tempore, quo *Iſaias* hoc fudit vaticinium, videlicet a diebus *Achaz*, Regis Judæ, ſub quo prophetavit; quandoquidem a diebus Regis *Achaz* uſque ad decem Tribuum deportationem non ſexaginta quinque anni, ſed duntaxat viginti tres anni decurrerunt. *Achaz* enim Rex Judæ, regnavit annos duntaxat ſexdecim, quibus ſi annos ſex Regis *Ezechiæ* addideris (anno quippe ſexto Regni *Ezechiæ* facta eſt decem Tribuum Iſraelis deportatio) emerget ſumma annorum tantum viginti trium. Initium itaque illius Epochæ ſexaginta quinque annorum de futura decem Tribuum Aſſyriaca captivitate, quam prædixit *Iſaias*, referendum non eſt ad tempus, quo ille Propheta ſub Rege Juda *Achazo* vaticinatus eſt, ſed ad tempus, quo Propheta *Amos* eamdem Aſſyriacam decem Tribuum deportationem futuram prædixit, id eſt, ad annum vigeſimum quintum *Oſiæ*, Regis Judæ. Ab anno ſiquidem vigeſimo quinto illius Regis, quo Propheta *Amos* hanc Aſſyriacam captivitatem futuram prædixit, uſque ad annum ſextum Regni *Ezechiæ*, quo in Aſſyriam deportatæ ſunt decem Tribus Iſraelis, numerantur anni ſexaginta quinque, ſicut mox oſtendimus.

Præterea, obſervare debes, poſt Iſraelitici Regni excidium, & decem Tribuum deportationem, novos colonos tam in urbe Samariæ, quæ antehac erat caput Regni Iſraelitici, quam in aliis Samariæ Civitatibus, loco Iſraelitarum, qui in Aſſyriacam abducti fuerunt captivitatem, collocatos eſſe a Rege Aſſyriorum *Aſſaradone*, qui libro primo, *Eſdræ* cap. 4. v. 10. vocatur *Aſenaphar*. Sed cum iſti novi coloni, quos de *Babylone*, de *Cutha*, de *Avath*, & *Emat*, & de *Sapharvaim* illuc miſerat hic Aſſyriorum Rex, Deum Iſraelis non colerent, a leonibus infeſtati ſunt. Quod ubi Regi Aſſyriorum innotuiſſet, unum ex Iſraelitis Sacerdotibus e Samaria in Aſſyriam deportatis, qui Ritum colendi Deum Iſrael ipſos edoceret, miſit Rex ad illos, qui tamen cum vero Dei cultu, quem ab iſtis Iſraelitis Sacerdotibus edocti fuerant, vitulinam ſuperſtitionem; & Idolorum ſuorum cultum pertinaciſſime retinuerunt, ſicut legitur lib. 4. Regum cap. 17. Hæc fuit prima origo perpetui Judæos inter & Samaritanos diſſidii, quod progreſſu temporis ita exarſit, ut inter illos nihil conſuetudinis & ſocietatis eſſet, ſicut mulier Samaritana dicebat Chriſto Domino: *Non coutuntur Judæi Samaritanis*, cap. 4. v. 9. Evangelii S. *Joannis*.

Denique, præſtat ut obſerves, durationem hujus Aſſyriacæ Iſraelitarum captivitatis perpetuam fuiſſe, nec ex ea unquam decem Tribus Iſraelis liberatas, ad natale ſolum fuiſſe reverſas, ſicut prædixerant Prophetæ, præſertim *Oſee*, qui cap. 1. v. 6. hæc nomine Domini denunciat domui Iſrael: *Non addam ultra miſereri domui Iſrael, ſed oblivione obliviſcar eorum*. Paucos tamen ex Iſraelitis, ſed ex viliori plebe in patria, reliquerunt Aſſyrii, nec eos in captivitatem deportarunt, ſicut prædixerat *Iſaias* cap. 17. v. 6. his verbis:

bis: *Et relinquetur in eo ſicut racemus, & ſicut excuſſio oleæ duarum, vel trium olivarum in ſummitate rami, ſive quatuor, aut quinque in cacuminibus ejus fructus ejus: dicit Dominus Deus Iſrael.* Sed ſatis hactenus dictum ſit de Aſſyriaca decem Tribuum Iſraelis captivitate, quæ contigit anno nono *Oſee*, Regis Iſraelis, & anno ſexto *Ezechiæ*, Regis Judæ, ſub *Salmanazare*, Aſſyriorum Rege, quem perperam Hebræi confundunt cum *Senacheribo*, altero Aſſyriorum Rege, qui, ut jam in ſuperiori Colloquio obſervavimus, regnante *Ezechia*, Hieroſolymorum urbem cum validiſſimo exercitu obſidione vallavit, eamque expugnaſſet, ni Deus audaciam ejus fregiſſet, & ad preces *Ezechiæ*, Regis Judæ, centum octoginta quinque millia Aſſyriorum in ejus caſtris per Angelum interemiſſet.

D. Nunc ſcio, Aſſyriacam decem Tribuum Iſraelis captivitatem contigiſſe anno nono *Oſee*, qui fuit ultimus Iſraelitarum Rex, & anno ſexto *Ezechiæ*, Regis Judæ, eamque præceſſiſſe centum & viginti duobus annis captivitatem Babylonicam, quam anno undecimo *Joakimi*, Regis Judæ, cæpiſſe, memini, te ſuperius obſervaſſe. Optarem tamen, ut paulo fuſius oſtenderes modo, Judæos revera in captivitatem Babylonicam fuiſſe abductos anno undecimo *Joakimi*, Regis Juda. Legi etenim nonnullos Scriptores, quorum alii initium captivitatis Babylonicæ arceſſendum putant ab anno quarto *Joakimi*, Regis Juda. Alii hujus captivitatis exordium referunt ad annum undecimum *Sedekiæ*, qui Regum Judæ ultimus fuit. Profer igitur in medium ea, quæ tibi ſuppetunt, momenta, ad præfigendum initium captivitatis Babylonicæ anno undecimo *Joakimi*, Regis Judæ.

M. Captivitatis Babylonicæ initium ab anno undecimo *Joakimi*, Regis Judæ, ducendum eſſe, hoc unum mihi perſuadet argumentum. Captivitas Babylonica, in quam Judæi a *Nabuchodonoſore*, Babyloniorum Rege, ducti ſunt, ſeptuaginta annorum intervallo in Sacris Litteris definitur *Jeremiæ* cap. 25. *Danielis* c. 9. & lib. 2. Paralipomenon c. 36. illorum vero ſeptuaginta captivitatis Babylonicæ annorum exitum & finem in anno primo Regis *Cyri* conſtituendum eſſe conſtat ex mox citato capite libri ſecundi Paralipomenon. Atqui ab anno undecimo *Joakimi*, Regis Judæ, uſque ad annum primum Regis *Cyri*, qui laxavit captivitatem Babylonicam, effluxerunt anni ſeptuaginta; initium igitur captivitatis Babylonicæ peti debet ab anno undecimo *Joakimi*, Regis Judæ. Ut autem clarius intelligas, intervallum ſeptuaginta annorum reapſe interfluxiſſe ab anno undecimo *Joakimi*, Regis Judæ, uſque ad annum primum Regis *Cyri*, debes accurate diſtinguere duplicem Epocham Regni *Cyri*. Prima Epocha Regni *Cyri* deſumitur ab anno primo, quo *Cyrus* in Perſide regnare cœpit, qui annus concurrit cum anno primo Olympiadis quinquageſimæ quintæ. Hæc eſt prima Epocha Regni, quod *Cyrus* in Perſide inivit. Altera Epocha Regni *Cyri* ea eſt, quæ auſpicatur anno vigeſimo octavo Regni, quod *Cyrus* inivit in Perſide, eo ſiquidem anno Rex *Cyrus*, poſtquam debellaſſet *Darium Medum*, Babyloniorum Regem, Babylonico Imperio potitus, Monarchiam Perſicam inſtituit, hoc eſt, tanquam ſupremus Monarcha in Babylone regnare cœpit anno primo Olympiadis ſexageſimæ ſecundæ. *Cyrus* itaque regnavit in integrum triginta annos, ſicut ei Hiſtorici omnes conſtanter tribuunt, ſed annos viginti ſeptem regnavit in Perſide, alios vero tres ultimos regnavit in Babylone tanquam ſupremus Monarcha. Quando igitur in Scriptura Sacra legitur, captivitatem Babylonicam laxatam eſſe anno primo Regis *Cyri*, id intelligi non debet de anno primo, quo *Cyrus* in Perſide regnare cœpit (nam ſicut fatentur omnes periti Chronologi, *Cyrus* Regnum Perſicum obtinuit anno primo Olympiadis quinquageſimæ quintæ, quo quidem tempore necdum *Cyrus* Aſiam, & Babylonem occupaverat) ſed id intelligi oportet

D 2 de

de anno primo Regni, ſeu Imperii, quod *Cyrus*, poſt devictum *Darium Medum*, ſeu *Nabonidum*, tamquam ſupremus Monarcha, in Babylonia regnare cœpit. Id autem, ut mox diximus, contigit anno vigeſimo octavo Regni *Cyri* in Perſide initi, ſeu anno primo Olympiadis ſexageſimæ ſecundæ, & ante Æram Vulgarem anno quingenteſimo trigeſimo ſecundo. Hac præmiſſa obſervatione de duplici Regis *Cyri* Epocha, quam multi Chronologi promiſcue confundentes, in conſtituendis exordio & fine ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ, a veritatis tramite deflexerunt; hac, inquam, præmiſſa de duplici Regis *Cyri* Epocha obſervatione, luculenter ex iſto, quem hic ſubjicio, Canone Chronologico, conſtabit, ab anno undecimo *Joakimi*, Regis Judæ, uſque ad annum primum Regni, quod *Cyrus* non in Perſide, ſed in Babylonia inivit, effluxiſſe ſpatium ſeptuaginta annorum, per quos duravit captivitas Babylonica.

CANON CHRONOLOGICUS

Ab anno undecimo Joakimi, *Regis Judæ, quo cœpit captivitas Babylonica, uſque ad annum primum Regni, quod* Cyrus *inivit in Babylonia tanquam ſupremus Monarcha.*

JOakim, Rex Judæ, regnavit undecim annis, & anno Regni ejus undecimo, qui concurrit cum anno octavo *Nabuchodonozoris*, Babyloniorum Regis, cœpit captivitas Babylonica, quæ duravit ſeptuaginta annis.

Nabuchodonozor, Babyloniorum Rex, regnavit annis quadraginta tribus, cumque Judæos in captivitatem Babylonicam abduxerit anno ineunte octavo Regni ſui, ſequitur illum, poſt abductos Judæos in captivitatem Babylonicam, regnaſſe triginta ſex annis, & mortuum eſſe anno trigeſimo ſexto captivitatis Babylonicæ.

Evilmerodachus, filius *Nabuchodonozoris*, regnavit duobus annis, & obiit anno ab incæpta captivitate Babylonica trigeſimo octavo.

Balthazar cum *Nirigliſſare*, patre ſuo, & *Nabuchodonozoris* genero, regnavit quatuor annis, & e vivis exceſſit anno ab incæpta captivitate Babylonica quadrageſimo ſecundo.

Darius Medus, dictus *Nabonidus*, & *Labynitus*, interfecto *Balthazare*, fuit à Babyloniis Rex electus, & regnavit annos viginti ſeptem, deſiitque regnare anno ab incæpta captivitate Babylonica ſexageſimo nono. *Beroſus* ſcribit, hunc *Darium Medum*, regnaſſe in Babylonia annis viginti ſeptem, & tandem anno ultimo Regni ſui victum ac fugatum a *Cyro*, Perſarum Rege, Borſippen ſeſe recepiſſe, ubi *Cyri*, eum inſequentis arbitrio ſe permiſit, & ab ipſo Caromaniæ Præfectura donatus eſt. At, Joſephus, Hebræus, ſcribit, *Cyrum* anno decimo ſeptimo *Darii Medi* fuiſſe e Perſide, ubi regnabat, egreſſum, &, univerſa ſubacta Aſia, in Babylonem impetum feciſſe. Quæ res movit plures Chronologos, ut dicerent, *Darium Medum* regnaſſe annis duntaxat ſeptemdecim. Verum, ipſe cum doctiſſimo Ludovico *Capello*, in ſua *Chronologia Sacra*, probabilius cenſeo, errorem eſſe in numero, & 27. loco 17. eſſe legendum. Vel, ſi nullus ſit error in numero, dicendum eſt, Regem *Cyrum* e Perſide fuiſſe egreſſum anno decimo ſeptimo *Darii Medi*, Babyloniorum Regis, ſed decennium in ſubigenda Aſia, priuſquam Babyloniam expugnaret, impendiſſe, adeo ut ſolum ſub finem anni vigeſimi ſeptimi Regni *Darii Medi* Babyloniam occupaverit, novumque Regni primordium, debellato *Dario Medo*, *Cyrus* in Babylonia acceperit, ac Perſicam Monarchiam inſtituerit anno vigeſimo octavo Regni, quod in Perſide inierat, qui annus vigeſimus octavus Regni *Cyri* in Perſide initi fuit itidem annus primus Regni ſeu Imperii, quo tunc *Cyrus* in Babylonia potiri cœpit, & ſimul annus ab incæpta Captivitate Babylonica ſeptuageſimus, quo *Cyrus*, ut perhibet Scriptura Sacra, laxavit captivitatem Babylonicam, quæ ad ſeptuaginta annos protracta eſt.

Ex hoc Canone Chronologico clare, pi-

ni mea me fallat mens, colligi poteſt, ab anno undecimo *Joakimi*, Regis Judæ, uſque ad annum primum Regni, quod *Cyrus* non in Perſide, ſed in Babylonia, devicto *Dario Medo*, inivit, elapſos fuiſſe annos ſeptuaginta, ac ſubinde, initium captivitatis Babylonicæ, quæ ſeptuaginta duravit annos, arceſſendum eſſe ab anno undecimo Regni *Joackimi*, non vero ab anno quarto illius Regni, ſicut per errorem obrepſit bene multis Chronologis, qui duplicem Epocham, quam mox aſſignavimus, Regni *Cyri* nullo pacto diſcernentes, ſibi, aliiſque perſuadere tentarunt, initium ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ ſumendum eſſe ab anno quarto *Joakimi* Regis Judæ, eorumque finem & exitum peti debere ab anno primo Regni Cyri in Perſide initi, quod ſane oppido falſum eſt, cum ab anno *Joakimi*, Regis Judæ, quarto, qui concurrit cum anno primo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, uſque ad annum primum, quo *Cyrus* Regnum in Perſide inivit, interfluxerint duntaxat anni quinquaginta. Nihilo probabilior eſt Sententia *Joſephi*, Hebræi, lib. 1. contra *Apionem*, & quorumdam antiquorum Scriptorum, qui exordium ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ ducunt ab anno undecimo Regni *Sedekiæ*, qui fuit Regum Judæ ultimus, & eorumdem ſeptuaginta annorum finem atque exitum completum fuiſſe dictitant in anno primo Regni *Cyri*; hæc, inquam, Sententia quorumdam antiquorum Scriptorum omni prorſus probabilitate caret. Primo, quia ab anno undecimo Regni *Sedekiæ*, Regis Judæ, qui ſucceſſit *Joakimo*, uſque ad annum primum Regni, quod *Cyrus* ſive in Perſide, ſive in Babylonia inivit, ſeptuaginta anni numerari haud poſſunt. Secundo, quia antiqui illi Scriptores initium & finem ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ male confuderunt cum initio & fine ſeptuaginta annorum deſolationis Templi & Civitatis Hieruſalem. Licet enim verum ſit, initium ſeptuaginta annorum deſolationis Templi, & urbis Hieruſalem ſumendum eſſe ab anno Regis *Sedekiæ* undecimo, qui concurrit cum anno undevigeſimo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, qui hoc anno (ſicut jam in ſuperiori Colloquio obſervavimus) miſit *Nabuzardanem*, Principem Exercitus, a quo civitas Hieruſalem vaſtata, & incenſa eſt, Templumque toto Orbe auguſtiſſimum dirutum, ſoloque æquatum: quamvis, inquam, initium ſeptuaginta annorum hujus deſolationis Templi, & Hieroſolymorum urbis, fateantur omnes Chronologi petendum eſſe ab anno Regis *Sedekiæ* undecimo, qui fuit annus decimus nonus Regni *Nabuchodonoſoris*, falſum tamen eſt, & Scripturæ Sacræ contrarium, quod ſibi perſuaſerunt quidam antiqui Scriptores, videlicet, initium ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ eſſe itidem repetendum ab anno undecimo *Sedekiæ*, Regis Judæ; cum tam ex Scriptura Sacra, quam ex accurato annorum calculo certum ſit, captivitatem Babylonicam contigiſſe ſub *Joakimo*, Rege Judæ, deſolationem vero Templi, & urbis Jeruſalem accidiſſe ſub *Sedekia*, Rege Judæ, & *Joakimi* ſucceſſore. Similiter, licet verum ſit, captivitatem Babylonicam, quæ ſeptuaginta duravit annos, finem habuiſſe anno primo Regni, quod *Cyrus* non in Perſide, ſed in Babylonia, devicto *Dario Medo*, inivit, ſicut antea expoſuimus; Falſum tamen, & Sacræ Chronologiæ oppoſitum eſt, quod antiqui illi Scriptores, quos inter cenſentur *Julius Africanus* in Chronographia apud *Euſebium* libr. 10. Præparationis Evangelicæ cap. 10. *Cyrillus Alexandrinus* lib. 8. contra *Julianum*, Imperatorem Apoſtatam, & *Julius Hilario* in Libello *De Mundi Duratione*, aſſerunt, finem ſeptuaginta annorum deſolationis Templi, & Civitatis Hieruſalem ducendum eſſe a *Cyro*, Perſarum Rege; cum tamen omnium Sacræ Chronologiæ peritorum, & ſanctorum Patrum *Hieronymi* in Prologo Commentarii in *Aggæum* Prophetam, *Auguſtini* libri 18. *De Civitate Dei* cap. 26. & *Theodoreti* in capite primo, *Zachariæ* Prophetæ, conſtans ſit, & ſacris litte-

litteris maxime conſentanea ſententia, ſeptuaginta annos deſolationis Templi & Civitatis Hieruſalem finem exitumque habuiſſe in anno ſecundo *Darii Hyſtaſpis*, Perſarum Regis, qui poſt *Cyrum* regnavit, ſicut operoſius oſtendemus in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam ſextæ Mundi Ætatis, ad quam referenda eſt Hiſtoria Regum Perſarum, ſub quibus finem habuerunt tam ſeptuaginta anni captivitatis Babylonicæ, quæ cœpit anno undecimo *Joakimi*, Regis Judæ, & anno octavo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, quam ſeptuaginta anni deſolationis Templi & urbis Hieruſalem, quæ accidit anno undecimo *Sedekiæ*, Regis Judæ, & anno undevigeſimo ejuſdem *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis.

D. Quamvis ultro conſentiam, ut Hiſtoriam Regum Perſarum, ſub quibus finem, exitumque habuerunt tam ſeptuaginta anni captivitatis Babylonicæ, quam ſeptuaginta anni deſolationis Templi, & civitatis Hieruſalem, remittamus ad Colloquia noſtra in Hiſtoriam ſextæ Mundi Ætatis, obiter tamen hic, cum bona tua venia, proponam difficultatem, quam nuperrime legi apud doctiſſimum *Melchiorem Canum*, qui cap. 5. libri 11. *De Locis Theologicis* in ſententiam eorum, qui finem ſeptuaginta annorum deſolationis Templi referunt ad annum ſecundum *Darii Hyſtaſpis*, Perſarum Regis, acriter invehitur his verbis: *Mihi profecto, ut dixi, nulla via explicandorum eorum teſtimoniorum apparet, niſi plane conſentiendo, quod ad annum primum Cyri, ſeptuaginta deſolationis anni interfluxerunt. Intelligo autem quoſdam rei hujus ſummam ita diſtinguere, ut captivitatis*, ſeu Babylonicæ, *ſeptuaginta annos a tranſmigratione ad primum annum Cyri computent: at in ſecundo Darii*, ſeu Hyſtaſpis, *anno ſeptuaginta deſolationis annos abſolvant. Quod ſi verum eſſet, diſcrepantium opinionum probabilis ſane concordia eſſet inventa. Sed nihil falſius invenio, cum ad veritatem cœpi revocare rationem. Tranſmigratio enim*, ſeu captivitas Babylonica, *fuit in anno Nabuchodonoſoris octavo, ut quarto Regum libro cap.* 24. *ſcribitur. Deſolatio vero in ejuſdem Regni anno undegeſimo facta eſt, quarto Regum cap.* 25. *Vaſtatio ergo*, id eſt, deſolatio Templi & urbis Hieruſalem, *poſt undecim annos tranſmigrationi*, ſeu captivitati Babylonicæ, *ſucceſſit. A primo autem anno Cyri ad Darii ſecundum, ſine controverſia plures quam triginta anni interfluxerunt. Nullo ergo modo fieri poteſt, ut a tranſmigratione Jechoniæ*, ſeu *Joakimi*, Regis Juda, *ad annum Darii ſecundum ſeptuaginta anni numerentur*. Et poſt nonnulla interjecta, ſubdit Melchior Canus; *ſed ſeptuaginta everſionis*, ſeu deſolationis Templi, *annos non in primo Cyri, ſed in Darii ſecundo expletos eſſe, id vero conſtantiſſime pernegamus, non noſtra opinione nos, ſed Scripturæ teſtimonio freti*. Hactenus propoſui *Melchioris Cani* argumentum, quod adverſus tuam militat ſententiam. Nunc, quæſo, aperi viam, qua me ex eo extricare valeam.

M. In hanc antiquorum Scriptorum Sententiam ideo ivit *Melchior Canus*, vir alioqui acerrimi judicii, & non minus doctrina, quam facundia clarus, quia non diſtinxit geminam Epocham, quam ſuperius aſſignavimus, Regni *Cyri*, videlicet Epocham Regni, quod *Cyrus* inivit in Perſide, ubi regnavit viginti ſeptem annis, & alteram Epocham Regni, quod devicto *Dario Medo*, inivit idem *Cyrus* in Babylonia, ubi, tanquam ſupremus Monarcha, regnavit tribus annis. Hinc *Melchior Canus*, nulla facta diſtinctione duplicis illius Epochæ Regni *Cyri*, aſſerit primo, *Cyrum* regnaſſe triginta annis, uti teſtantur omnes Hiſtorici, qui de *Cyro* ſcripſerunt. Quod quidem verum eſſe lubens profiteor, ſi hoc in ſenſu intelligatur, quod *Cyrus* regnaverit viginti ſeptem annis in Perſide, & deinde tribus annis in Babylonia tanquam ſupremus Monarcha. At, *Cyrum* regnaſſe triginta annis in Perſide conſtanter pernego. Secundo, ait *Melchior Camnus*, deſolationis Templi annos ſeptuaginta, finem habuiſſe anno primo Regni *Cyri*, quod a veritate Hiſtoriæ prorſus alienum eſt. Nam

Nam ſeptuaginta anni captivitatis Babylonicæ, quæ initium habuit anno undecimo *Joakimi* Regis Judæ, completi ſunt non anno primo Regni, quod iuivit *Cyrus* in Perſide, ſicut ſupponit *Melchior Canus*, ſed anno primo Regni, quod inivit *Cyrus* in Babylonia, ubi, tanquam ſupremus Monarcha, imperavit tribus annis, ſicut oſtendimus in Canone Chronologico. Cum igitur deſolatio Templi & urbis Hieruſalem poſt undecim duntaxat annos ſucceſſerit captivitati Babylonicæ (contigit quippe deſolatio Templi anno undecimo *Sedekiæ*, Regum Judæ ultimi, & anno decimo nono *Nabuchodonoſoris*) nulla ratione fieri potnit, ut ſeptuaginta anni deſolationis Templi finem habuerint, ſive in anno primo Regni, quod *Cyrus* inivit in Perſide, ubi regnavit viginti ſeptem annis, ſive in anno primo Regni, quod idem *Cyrus*, tanquam ſupremus Monarcha, inivit in Babylonia, ubi tribus annis imperavit. Tertio *Melchior Canus* pertendit, a primo anno Regni *Cyri* uſque ad annum ſecundum *Darii Hyſtapnis*, Perſarum Regis, plures quam triginta nurari annos. Sed, quamvis id verum ſit, ſi calculus annorum ducatur ab anno primo Regni, quod inivit *Cyrus* in Perſide, falſum tamen omnino eſt, ſi annorum ſupputatio fiat ab anno primo Regni, quod *Cyrus*, tanquam ſupremus Monarcha, inivit in Babylonia uſque ad annum ſecundum *Darii Hyſtaſpis*, Perſarum Regis. Tantum enim abeſt, ut ab anno primo Regni, quod *Cyrus*, velut ſupremus Monarcha, inivit in Babylonia, & eodem anno laxavit captivitatem Babylonicam, quæ per ſeptuaginta duravit annos, numerentnr uſque ad annum ſecundum *Darii Hyſtaſpis* plures quam triginta anni, ſicnt affirmat *Melchior Canus*, ut potius undecim circiter duntaxat interfluxerint anni, quod ſic breviter demonſtro. *Cyrus* anno primo Regni, quod, tanquam ſupremus Monarcha, inivit in Babylonia, laxavit captivitatem Babylonicam, & regnavit in Babylonia tribus annis. *Cyro* in Monarchia Perſarum ſucceſſit ejus filius *Cambyſes*, qui regnavit ſeptem annis. *Cambyſi* ſucceſſit *Smerdes Magus*, qui uno tantum anno imperavit. *Smerdi Mago* ſucceſſit *Darius Hyſtaſpis*, cujus Regni anno ſecundo, finem exitumque habuerunt ſeptuaginta anni deſolationis Templi & urbis Hieruſalem. Patet itaque ab anno primo Regni, quod *Cyrus*, ut ſupremus Perſarum Monarcha, inivit in Babylonia, & quo captivitatem Babylonicam ſolvit, uſque ad annum *Darii Hyſtaſpis* ſecundum, quo diximus, finem exitumque habuiſſe ſeptuaginta annos deſolationis Templi & urbis Hieruſalem, interfluxiſſe duntaxat annos circiter undecim, non vero plures quam triginta numerari annos, ſicut ait *Melchior Canus*, ſecutus ſententiam quorumdam antiquorum Scriprorum, qui non diſtinguentes duplicem Epocham Regni *Cyri*, videlicet Epocham Regni, quod *Cyrus* inivit in Perſide, ubi viginii ſeptem annis regnavit; & alteram Epocham Regni, quod *Cyrus*, tanquam ſupremus Monarcha, inivit in Babylonia, eoque per tres annos potitus eſt; ſacram Chronologiam, circa initium & finem ſeptuaginta annorum tam captivitatis Babylonicæ, quam deſolationis Templi & nrbis Hieruſalem, inexplicabili confuſione perturbarunt. Sed de his iterum redibit ſermo in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam ſextæ Mundi Ætatis, ubi annorum *Cyri*, Monarchiæ Perſicæ conditoris, nec non ejus in Monarchia Perſica ſucceſſorum accuraiam ſeriem dabimus, uſque ad *Darium Codomanum*, qui fuit ultimus Perſarum Monarcha, & devictus ab *Alexandro Magno*, natione Græco, a quo plane deſtructa Monarchia Perſica, initium habuit Monarchia Græcorum.

D. Nunc mentem tuam circa initium & finem ſeptuaginta annorum tam captivitatis Babylonicæ, quam deſolationis Templi & urbis Hieruſalem, aſſecutus ſum, & ſuppoſita ſemel duplici Epocha Regni, quod inivit *Cyrus*, facile intelligo, initium ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ petendum eſſe ab anno *Joakimi*, Regis Juda, undecimo, qui concurrit cum anno octavo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, qui Judæos in captivitatem

Babylonicam abduxit , finem vero ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ referendum eſſe ad annum primum Regni , quod inivit *Cyrus* , non in Perſide , ſed in Babylonia , ubi Monarchiam Perſicam inſtituit , ibidemque , tanquam ſupremus Monarcha , tribus annis imperavit . Similiter , facili negotio intelligo , initium ſeptuaginta annorum deſolationis Templi , quæ contigit 11. annis poſt exordium captivitatis Babylonicæ , ſumendum eſſe ab anno undecimo *Sedekiæ* , Regis Juda , & ab anno decimo nono *Nabuchodonoſoris* , Babyloniorum Regis ; finem vero ſeptuaginta annorum ejuſdem deſolationis Templi arceſſendum eſſe ab anno ſecundo Regni *Darii Hyſtaſpis* , Perſarum Regis , cum ab anno primo Regni , quod *Cyrus* , tanquam ſupremus Monarcha inivit in Babylonia , eodemque anno laxavit captivitatem Babylonicam , numerentur uſque ad annum ſecundum *Darii Hyſtaſpis* anni circiter undecim , quibus deſolatio Templi , & urbis Hieruſalem , poſterior fuit captivitate Babylonica . Horum itaque , quæ ſpectant initium & finem ſeptuaginta annorum tam captivitatis Babylonicæ , quam deſolationis Templi , tam claram , tamque perſpicuam tradidiſti notitiam , ut majorem deſiderare haud poſſim . At , circa Regem *Nabuchodonoſorem* , qui Judæos in Babyloniam captivos abduxit , hoc unum mihi ſupereſt proponendum dubium . Legi etenim non multis abhinc diebus apud Prophetam *Danielem* cap. 4. v. 30. terribilem calamitatem , qua Deus , præpotens ſcelerum ultor , ſuperbiam *Nabuchodonoſoris* edomuit : *Eadem hora* , inquit Daniel , *ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor , & ex omnibus abjectus eſt , & fœnum , ut bos , comedit , & rore Cœli corpus ejus infectum eſt , donec capilli ejus in ſimilitudinem Aquilarum creſcerent , & ungues ejus quaſi avium* . Quæro igitur , an Rex *Nabuchodonoſor* , terribili illa ſententia cœlitus ipſi denunciata , humanam formam amiſerit , & ſtupenda metamorphoſi in belluam fuerit converſus ?

M. Neque formam humanam , neque corporis figuram perdidit Rex *Nabuchodonoſor* , ſed juſto Dei judicio , perturbata ipſius phantaſia , in dementiam ac furorem incidens , Regno , & hominum ſocietate pulſus eſt , & in ſolitudinem cum feris ablegatus , ubi herbis , quadrupedis inſtar , prono corpore veſcebatur , nec humano more articulatas voces proferebat ; ſed ritu beſtiarum inconditos ſonos reſonabat , noctes ac dies jacens ſub dio , pluvias , gelu , & æſtum patiens , alium corporis induit colorem , pilis toto corpore hiſpidus evaſit , ejus cæſaries , per vultum , cervicem , humeroſque fluitavit , & ungues in morem avium rapacium creſcentes obriguerunt . Sic *Nabuchodonoſor* , ſe feram eſſe ratus , per ſaltus , aviaque diſcurſans , vitam , poſt hominum memoriam , longe infeliciſſimam , per ſeptennium traduxit , *divina* (ut inquit *Theodoretus* in cap. 4. Danielis) *providentia deſtitutus , & ne propinquorum quidem cura potitus , cum tamen ipſi adeſſent uxor , liberi , & cognati .... Nam quia homo cum eſſet , & in honore maximo , non intellexit ; ſed comparatus eſt jumentis inſipientibus , & ſimilis factus eſt illis , & qui in ſibi ſubditos ferina mente & animo fuerat , merito etiam ferina & agreſti vita juſtiſſime damnatus fuit* . At , poſt exactum hujus a ſæculis inauditæ pœnitentiæ ſeptennium , Deus , qui mortificat & vivificat , deducit ad inferos , & reducit , ſalutem mentis , & Regnum reſtituit *Nabuchodonoſori* , qui apud *Danielem* cap. 4. verſ. 33. hæc de ipſo teſtatur : *In ipſo tempore ſenſus meus reverſus eſt ad me* , (id eſt , rationis uſus) *& ad honorem Regni mei , decoremque perveni , & figura mea reverſa eſt ad me* ; non quod antehac corporis ſui figuram perdidiſſet , ſicut perperam quidam interpretantur , ſed quod abſterſis ſordibus , reſectis unguibus , & pilorum ſilva , qua in ſolitudine agens , horrebat , cultum corporis , priſtinamque munditiem recuperavit . Hinc *Nabuchodonoſor* in tanti

ti beneficii a Deo accepti gratiarum actionem erumpens, ait verſu ſequenti mox laudati capitis lib. Danielis: *Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico, & glorifico Regem Cœli, quia omnia opera ejus vera, & viæ ejus judicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare*. Ex his *Nabuchodonoſoris* verbis ſancti Patres, *Hieronymus* Epiſt. 7. & *Auguſtinus* Epiſt. CXI. alias CXXII. ad *Victorianum* colligunt, *Nabuchodonoſorem* ad Deum verum eſſe converſum, & æternam ſalutem conſecutum. Eidem ſententiæ adſtipulantur, præter *Pſeudo-Dorotheum*, & *Pſeudo Epiphanium* in *Vitis Prophetarum*, *Theodoretus* in Comment. in Danielem, *Lyranus*, *Dionyſius* Carthuſianus, & alii, quos citat *Salianus* in Annalibus Veteris Teſtamenti ad annum Mundi 3472. Sed, ipſe de æterna *Nabuchodonoſoris* ſalute nihil certi pronunciare audeo, quia, licet Scriptura Sacra *Nabuchodonoſorem* agnoviſſe quidem Deum, & laudaſſe diſerte teſtetur, nullibi tamen ſignificat, eum ab Idololatria deſciviſſe, ſecundum Deum, ejuſque ſanctam Legem, vixiſſe, atque in juſtitia perſeveraſſe. Salutem itaque Regis *Nabuchodonoſoris*, vel ejus damnationem, in medio relinquo. Hoc unum tantum dicam, debere omnes Reges ac Principes Terræ, quacumque polleant auctoritate, ſemper præ oculis habere præclaram illam Sententiam, quam Rex *Nabuchodonoſor*, flagellatus a Deo, & ad bonam frugem converſus, protulit, dicens: *Igitur poſt finem dierum*, id eſt, poſt ſeptennium pœnitentiæ, *ego Nabuchodonoſor oculos meos ad Cœlum levavi, & ſenſus meus redditus eſt mihi, & altiſſimo benedixi, & viventem in ſempiternum laudavi, & glorificavi, quia poteſtas ejus, poteſtas ſempiterna; & regnum ejus in generationem, & generationem; Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt: juxta voluntatem enim ſuam facit tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ, & non eſt, qui reſiſtat manui ejus, & dicat ei: Quare feciſti?* cap. 4. lib. *Danielis* v. 31. & 32.

D. Cum captivitas Aſſyriaca, quæ anno nono Regni *Oſee*, ultimi Iſraelitarum Regis, & anno ſexto *Ezechiæ*, Regis Judæ, contigit, & in quam *Salmanazar*, Aſſyriorum Rex, decem Tribus Iſraeliticas, abduxit, præceſſerit, ſicut jam obſervaſti, centum viginti duobus annis captivitatem Babylonicam, quæ accidit anno undecimo *Joakimi*, Regis Judæ, & anno octavo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, qui Judæos in Babyloniam deportavit; maximam profecto a me inires gratiam ſi hic deſcribere velles *Tobiæ* Hiſtoriam, quam in hujuſce Aſſyriacæ decem Tribuum Iſraelis captivitatis tempora incidiſſe ajebat mihi nuperrime vir eruditus.

M. Inter Iſraelitas, quos *Salmanazar*, Aſſyriorum Rex, poſt expugnatam Samariam, & everſum Iſraeliticum Regnum, in Aſſyriacam captivitatem deportavit, unus fuit *Tobias ſenior*, ex Tribu & Civitate Nephtali oriundus, qui una cum uxore *Anna*, & filio *Tobia juniore* in eamdem captivitatem, ſeu *Ninives* tranſlatus eſt. Commendatur maxime hic *Tobias Senior* in libro, qui ejus nomine inſignitur, ab eximia, quam habuit, in Deum fide ac pietate, a vitę innocentia, a fuga conſortii malorum, a divinę Legis obſervatione, a cibis vetitis abſtinentia, a charitate & miſericordia, quam erga pauperes & ſuos contribules captivos exercuit, a cura ſepeliendi mortuos, denique ab invicta animi conſtantia, & heroica patientia, quę enituit tum in rebus adverſis, quas paſſus eſt ſub *Sennacheribo*, Aſſyriorum Rege, *Salmanaſaris* filio, & ſucceſſore, qui odio & furore in Iſraelitas percitus, quotidie plurimos morte afficiebat, eo quod tempore *Ezechiæ*, Regis Judę, urbem Hieroſolymorum obſidens, fuſis ab Angelo centum octoginta quinque Aſſyriorum millibus in caſtris, ipſe turpi, pręcipitique fuga e Judęa, in quam irruperat, excedere, ſuaque relegere veſtigia coactus fuiſſet: tum etiam in illo extraordinario & inopinato caſu, quo *Tobias*, dum a ſepeliendis popula-

ribus

Digitized by Google

ribus mortuis nimium fatigatus, & parieti incumbens placidum ſomnum carperet, calidis ſtercoribus, e nido hirundinum in ejus oculos incidentibus, excæcatus eſt. In his, inquam, ſumma enituit, patientia *Tobiæ*, qui jacturam bonorum, quibus a *Sennacheribo* Rege exutus, ad extremam paupertatem fuit redactus, & cæcitatem qua Deus illum, piis operibus vacantem, probare voluit, æquiſſimo animo toleravit. Dederat mutuo *Tobias Senior* Gabelo, agnato ſuo, qui unus erat ex Iſraelitis in Aſſyriam deportatis, & habitabat in *Rages*, civitate Medorum, decem talenta argenti, ad quæ recipienda filium ſuum *Tobiam juniorem*, optimis præceptis inſtitutum, miſit. Hujus peregrinationis junioris *Tobiæ* ſeſe comitem, ac itineris ducem præbuit *Raphael*, Archangelus, qui interrogatus a *Tobia* ſeniore, unde eſſet? e qua proſapia ſuam haberet originem? reſpondit: *Ego ſum ex filiis Iſrael: Ego ſum Azarias, Ananiæ magni filius: Novi & omnia itinera ejus*, id eſt, Regionis Medorum, *frequenter ambulavi, & manſi apud Gabelum, fratrem noſtrum*. His dictis, junior *Tobias* profectus eſt cum Archangelo *Raphaele*, ejuſque conſilio piſcem, qui juxta flumen Tygris in illum inſilierat, apprehendit, in terram traxit, & exenteravit, atque ipſius fel ac jecur in uſum medicamentorum præparandi modum ab eodem Angelo edoctus eſt. Cœpto itinere pergentes viatores, ad domum *Raguelis*, qui utriuſque *Tobiæ* conſanguineus erat, diverterunt, ibique *Tobias* junior ab Angelo monitus, *Saram*, filiam *Raguelis* unicam, ampliſſimi patrimonii hæredem, uxorem petiit, cujus ſeptem viros, Dæmon Aſmodæus, luxuriæ Princeps, occiderat, & ab Angelo didicit *Tobias*, quo fine conjugium inire, eoque uti deberet, ſervata videlicet per tres dies continentia, fuſis una cum uxore ardentiſſimis & concordibus ad Deum precibus, combuſtoque piſcis jecore, cujus ſuffitu abigeretur impurus ille Dæmon, & in ſuperioris Ægyptii Deſertum ablegaretur. Hæc omnia Angeli Mandata, cum ſedulo obſervaſſet *Tobias*, junior, virginem cum timore Dei, & citra libidinem accepit, cum illa nuptias celebravit, & recepta curis Archangeli *Raphaelis* a *Gabelo* pecunia, ad proprios lares cum ſua conjuge *Sara* remigravit, poſtquam *Raguel*, pater *Saræ*, utrique bene precatus fuiſſet, dicens: *Angelus Domini ſanctus ſit in itinere veſtro, perducatque vos incolumes, & inveniatis omnia recte circa parentes veſtros, & videant oculi mei filios veſtros, priuſquam moriar. Et apprehendentes parentes filiam ſuam* (ſeu *Saram*, Tobiæ junioris conjugem) *oſculati ſunt eam, & dimiſerunt ire, monentes eam, honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, & gubernare domum, & ſe ipſam irreprehenſibilem exhibere*, ſicut legitur cap. 10. lib. *Tobiæ*. Ad paternas ædes cum uxore, familia, & dote locuplete reverſus junior *Tobias*, patris ſui, quem amantiſſime complexus eſt, oculos felle piſcis linivit, eoque remedio excuſſit albuginem, quæ ei videndi facultatem adimebat. Tunc Archangelus *Raphael* ſeſe eis notum fecit, dicens: *Manifeſto ergo vobis veritatem, & non abſcondam a vobis occultum ſermonem. Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino; & quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit; ut tentatio probaret te. Et nunc miſit me Dominus, ut curarem te; & Saram uxorem filii tui a Dæmonio liberarem. Ego enim ſum Raphael Angelus, unus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum*. Ita legitur cap. 12. libri *Tobiæ*. Hæc ubi dixiſſet Archangelus *Raphael*, in laudes Dei, & gratiarum actionem erupit *Tobias* ſenior, qui tum temporis annos ſexaginta natus erat, & vixit adhuc, poſt receptum ab eodem *Raphael*, viſum, annos quadraginta duos, & obiit anno ætatis ſuæ centeſimo ſecundo, ſuitque honorifice ſepultus in Ninive, ut legitur cap. 14. libri *Tobiæ*, juxta Editionem Vulgatam. Pro-

pe-

pediem moriturus, *Tobiam*, filium ſuum, & ſeptem nepotes accerſivit, ad pietatem, ad eleemoſinam erogandam pauperibus adhortatus eſt, urbis Ninives everſionem, & reditum Iſraelitarum in Judæam prædixit, juſſitque filio ſuo, ut, poſt mortem matris, Ninive diſcederet una cum uxore, & filiis ſuis. Mandatis ſanctiſſimi patris obtemperavit junior *Tobias*, ab ejus pietate nequaquam degener. Mortua matre, reverſus eſt ad ſoceros ſuos cum uxore, filiis, & nepotibus, *viditque quintam generationem, filios filiorum ſuorum, & completis nonaginta novem annis in timore Domini, cum gaudio ſepelierunt eum*, cap. 14. lib. *Tobiæ*. Habes nunc ſummam Hiſtoriæ *Tobiæ*, quæ incidit in tempora Aſſyriacæ decem Tribuum Iſraelis captivitatis, quæque quatuordecim capitibus comprehenſa legitur in libro *Tobiæ*.

D. Pronis auribus hanc, quam delibaſti, *Tobiæ* Hiſtoriam auſcultavi, ſed ne quid diſſimulem, tria in hac Hiſtoria occurrunt, quæ necdum plane aſſequor, quæque mihi exponas velim. Primum eſt, cur Deus, qui nunquam affligit innocentes, voluerit, ut *Tobias*, vir juſtus, & divinæ Legis obſervantiſſimus cultor, per multos annos graviſſimis perſecutionibus eſſet obnoxius, & viſu orbatus, infelicem vitam duceret? Alterum eſt, qua ratione, & arcana vi combuſtio & fumus jecoris piſcis potuerint abigere Dæmonium? Poſtremum iſtud eſt, quo pacto Archangelus *Raphael* citra mendacium dixerit *Tobiæ* ſeniori: *Ego ſum Azarias, Ananiæ magni filius, & manſi apud Gabelum, fratrem noſtrum?* cum tamen revera nec eſſet *Azarias*, nec frater *Gabeli*.

M. Hæc tria facile dilucidari poſſunt. In primis, afflictiones illæ, quas per plures annos paſſus eſt ſenior *Tobias*, demonſtrant ſpecialem Dei providentiam in Electos, quos Deus, qui omnia ſapienter moderatur, adverſis fortunæ caſibus interdum jactari permittit, eorumque patientiam rebus aſperis in hac mortali vita exercet ac probat, ut illos poſt conſtantem in exantlandis laboribus fortitudinem, maximis cumulet beneficiis, & internis ſolatiis atque incredibili lætitia perfundat, ſicut de ſemetipſo teſtatur Apoſtolus *Paulus*, dicens: *Superabundo gaudio in tribulationibus meis*. Hic eſt certe Electorum triumphus, qui & in afflictionibus ſibi ſemper conſtantes ac invicti ſunt, muniti præſidio Dei, & dum ipſis aliquid proſperitatis affulget, id totum gratis animis acceptum referunt bonitati, munificentiæque divinæ. Quo fit, ut, nec, ſæviente fortuna, deſpondeant animum, nec rebus ſecundis inſoleſcant. Falleris autem, dum aſſeris, Deum nunquam affligere innocentes. Numquid enim *Abrahamus*, & *Job* fuerunt viri innocentes? & tamen, ſicut in ſuperioribus noſtris Colloquiis oſtendimus, Deus obedientiam *Abrahami*, & patientiam *Jobi* multis, iiſque acerbiſſimis afflictionibus probavit. Nonne innocens erat Deipara? de ea tamen *Lucæ* cap. 2. dicitur. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. Nonne tandem, ut alia mittam exempla, innocens erat Chriſtus Dominus, ſicut ait Apoſtolus *Paulus* cap. 7. Epiſtolæ ad Hebræos? & tamen *oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam*, ſicut legitur cap. 24. Evangelii *S. Lucæ*. Hinc jure optimo *S. Pius V.* proſcripſit hanc *Michaelis Baii*, Doctoris Lovanienſis, propoſitionem, quæ eſt ordine ſeptuageſima ſecunda. *Omnes omnino juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum, unde Job, & Martyres, quæ paſſi ſunt, propter ſua peccata paſſi ſunt*. *Clemens* vero *XI.* Pontifex Maximus, in ſua Conſtitutione *Unigenitus Dei filius* &c. confixit huic geminam propoſitionem *Queſnelli*, quæ eſt ordine ſeptuageſima, & his verbis concepta: *Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem*. Sed nunc breviter explicandum eſt, qua ratione & virtute fumus combuſti cordis, ſeu jecoris piſcis, potuerit abigere Dæmonium, cum fumus ſit res materialis & ſenſibilis, quæ in ſubſtantiam pure ſpiritualem, qua præditus eſt Dæmon, agere minime

nime poſſit; ſed dico, ſuffitum illum afflati cordis, ſeu jecoris piſcis, nullam habuiſſe virtutem occultam expellendi Dæmonem, ſed merum duntaxat fuiſſe ſignum temporis, quo expellebatur Dæmon, & efficaciæ precum ad ſolium Dei aſcendentium, non ſecus ac ignis, qui e Cœlo miſſus conſumebat victimas, quas *Abel* offerebat Deo, ſignum erat, ſacrificia *Abelis* Deo grata & accepta eſſe. Vel etiam dico cum peritis Scripturæ ſacræ Interpretibus, hunc fumum efficaciam quamdam habuiſſe ab ipſo Deo, naturæ auctore, cordi, & jecori piſcis inditam ad fugandos Dæmones, quia Deo, ad manifeſtandam omnipotentiam ſuam, aliquando placet ſuperbos illos ſpiritus rebus corporeis ſubjicere. Poſtremo, difficile non eſt, Archangelum *Raphaelem* ab omni mendacio excuſare. Potuit enim abſque mendacio aſſerere, *ſe eſſe ex filiis Iſrael*, quia Iſraelitas, & præſertim Tribum Nephtali cuſtodiendi provincia fuerat ei a Deo demandata. Potuit citra mendacium appellare, Gabelum *fratrem ſuum*, quia, ut ait *S. Gregorius Niſſenus* in libro *De Vita Moyſis*, Angelus eſt quodam modo frater hominis ob naturæ ſpiritualis ſimilitudinem, vel quia Angeli, ſicut & homines, eumdem patrem habent, videlicet Deum; gratiæ ſanctificantis adoptionem, & divinæ, æternæque hæreditatis poſſeſſionem. Potuit etiam Archangelus *Raphael* dicere, ſe eſſe *Azariam*, quia formam & ſimilitudinem *Azariæ* præferebat, perinde ac Angelus cap. 31. lib. Geneſis ait ſine mendacio, ſe Deum eſſe, quia perſonam Dei repræſentabat, ejuſque deſungebatur officio. Sæpius autem ſigno tribuitur nomen ſignificati, ſicut imago *S. Petri* dicitur *S. Petrus*. Denique, Archangelus *Raphael*, interrogatus a *Raguele*, undenam ipſe, & *Tobias* junior, quem ſecus ducebat, eſſent? abſque mendacio reſpondit: *Ex Tribu Nephtali ſumus*, quia revera *Tobias* ſuum ex Tribu Nephtali genus ducebat, Angelus autem *Raphael*, comes *Tobiæ*, licet ad Tribum Nephtali per naturæ generationem non pertineret, ſpeciali tamen deputatione ad Tribus Nephtali cuſtodiam, ſicut mox diximus, erat a Deo deſtinatus. Hæc itaque Archangelus *Raphael* abſque mendacio & amphibolia protulit, ſubindeque in ejus verbis reſtrictionum, ut ajunt, mentalium, & dubiæ ancipitiſque ſignificationis vocum uſum fruſtra expiſcari conati ſunt laxiores quidam Theologi, quorum error a Sede Apoſtolica fuit jure merito cenſura perſtrictus.

D. Quiſnam eſt Auctor libri *Tobiæ*?

M. Liber *Tobiæ*, qui Chaldaico ſermone & charactere in Aſſyriorum regionibus, ubi uterque *Tobias* captivus egit, primum fuit ſcriptus, complectitur quatuordecim capita, quorum duodecim priora eſſe a ſeniore *Tobia* exarata, vero quam ſimillimum videtur, tum quia in his duodecim capitibus ſenior *Tobias* in propria perſona loquitur, juxta interpretationem Græcam, ad quam Syriaca & Hebræa ſunt expreſſæ: tum quia etiam hic erat ſolemnis Hebræorum mos, ut res ſuas in Commentarios referrent: tum quia denique Archangelus *Raphael* (ſicut legitur cap. 12. lib. *Tobiæ*) præcepit ſeniori *Tobiæ*, ejuſque filio, ut in libro ſcriberent quæ ipſis evenerant. Vulgata quippe lectio ſic habet: *Narrate omnia mirabilia ejus*. Et Græcus interpres, qui eſt antiquiſſimus, ſic vertit: *Scribite in libro quæ evenerunt*. *Tobias* itaque ſenior, mandato Angeli morem gerens, duodecim priora hujuſce libri capita conſcripſit, ſed caput decimum tertium ejuſdem libri, & partem capitis decimi quarti, in quo refertur *Tobiæ* ſenioris interitus, *Tobias* filius litteris mandavit, duo vero poſtremi verſiculi capitis decimi quarti fuerunt adjecti a *Tobiæ* junioris filiis, aut nepotibus, qui ejus mortem ac ſepulturam ſcripto tradiderunt. De hoc libro *Tobiæ* nullam *Joſephus*, Hebręus, in Antiquitatibus Judaicis mentionem fecit, quod tibi mirum videri haud debet. Primo, quia Hiſtoria *Tobiæ*, clam veluti geſta, & intra unius familię terminos domeſticos clauſa, non pertinebat ad publicam Gentis Judaicę Hiſtoriam, quam duntaxat litte-

ris

ris conſignandi *Joſephus* officium in ſe ſuſceperat. Eadem de cauſa, *Joſephus* in libris, quos edidit, *De Antiquitatibus Judaicis*, prætermiſit omnino Hiſtoriam *Jobi*, quę ad Judaicę Nationis Hiſtoriam minime ſpectabat. Pręterea, cum *Joſephus* Judæorum Hiſtoriam ex monumentis Hebraicis collegerit atque concinnarit, librum *Tobia* prętermiſit, quia non hebraice, ſed chaldaice, ut mox diximus, erat conſcriptus. Denique, libri *Tobiæ* ideo *Joſephus* non meminit, quia hic liber non extabat in Canone primario Judęorum. Sunt enim perdocti Scripturę Sacrę Interpretes, qui docent, Judęos duplicem habuiſſe Sacrorum Librorum Canonem; unum videlicet primarium, qui continebat libros Prophetarum conſcriptos uſque ad tempora *Eſdræ*, a quo, poſt laxatam captivitatem Babylonicam, primarius ille Sacrorum Librorum Canon fuit clauſus & obſignatus: Alterum vero quaſi ſecundarium Sacrorum Librorum Canonem, qui continebat libros, prophetico quidem ſpiritu exaratos, ſed quodam inferiori Prophetię genere. Apud Judęos ſiquidem duplex Prophetiæ genus diſtinguitur, unum excellentius ſub priori Templo, quod vocant *Spiritum Sanctum*, quodque deſit circa tempora *Eſdræ*; & aliud obſcurius Prophetię genus, quod nuncupant *Filiam Vocis*, id eſt, *Inſpirationem*, divinam quidem, ſed obſcuriorem, quam eſſet prior inſpiratio. Hoc itaque ſecundo inſpirationis genere ſcriptos libros Judæi tanquam divinos, & Agiographos admittebant quidem, ſed illos tamen non in eodem gradu & auctoritatis loco habebant, quo libros, qui primo Prophetiæ genere erant conſcripti, unde ejuſmodi libros, primario Sacrorum Librorum Canoni non accenſebant. Hinc *Joſephus*, Hebræus, lib. 1. contra *Apionem* hæc habet: *Ab Artaxerxe* (qui fuit poſt laxatam captivitatem Babylonicam Perſarum Rex) *uſque ad noſtrum tempus, ſingula quidem conſcripta, non tamen prioribus ſimili fide ſunt habita, eo quod non fuerit certa ſucceſſio Prophetarum*. Non mirum igitur eſſe debet, ſi *Joſephus*, Hebræus, de libro *Tobiæ*, qui in primario Sacrorum Librorum apud Judæos Canone non extabat, nullam in Judaicis, quas deſcripſit, Antiquitatibus mentionem fecerit.

D. Agnoſcitne Eccleſia Catholica librum *Tobiæ* tanquam Sacrum & Canonicum?

M. Eccleſia Catholica, in Concilio Œcumenico Tridentino congregata, librum *Tobia* Canoni Sacrorum Librorum Veteris Teſtamenti adſcribendum eſſe ſanxit ſeſſione quarta, in qua Catalogum Sacrorum Librorum cum Veteris, tum Novi Teſtamenti data opera contexuit. Qua in re Patres Concilii Tridentini non aliquid novi moliti ſunt, ſicut obſtrepunt Hæretici noſtri temporis, ſed, in texendo Sacrorum Librorum Canone, avitæ traditioni indivulſe adhæſerunt. Sequuti enim ſunt *Innocentium I.* Summum Pontificem, in Epiſtola 3. ad *Exuperium*, Epiſcopum Toloſanum, Concilium Hipponenſe, celebratum anno 393. Concilium Carthaginenſe tertium anno 397. Concilium Carthaginenſe quartum anno 419. Concilium Generale Florentinum anno MCCCCXXXVIII. *S. Auguſtinum* lib. 2. *De Doctrina Chriſtiana* cap. 8. & *Gelaſium I.* Papam, in Concilio Romæ habito anno 494. Huic publico & infallibili Eccleſiæ judicio obtemperare debent omnes fideles, quia, ut inquit Chriſtus Dominus cap. 18. Matthæi: *Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. Quam in rem appoſite *Sanctus Auguſtinus* in libro contra Epiſtolam Fundamenti cap. 5. ait: *Evangelio non crederem, niſi Eccleſiæ me commoveret auctoritas*. Huic auctoritati, & falli neſcio Eccleſiæ Catholicę judicio parere detrectantes Hęretici, nullam habent Regulam Fidei, & ſub obtentu internę, quam ſe habere mentiuntur, aſſiſtentię Spiritus Sancti, qui potius eſt ſpiritus vertiginis, & Eccleſiæ diviſor, ſus deque omnia miſcent, & pluſquam dictatoriam ſibi arrogantes auctoritatem, librum *Tobiæ*, & alios,

quos

quos volunt, e Sacrorum Librorum Canone, quem texuit Catholica Eccleſia, temere, & pro arbitratu ſuo expungunt. Sed quis non videt, quod, ſi ſemel non ex publico Eccleſiæ judicio, ſed ex verſatilibus privatorum hominum opinionibus de Sacris & Canonicis Libris eſſet judicandum, peſſime fuiſſet Eccleſiæ a Deo conſultum. Nam, quando variarent, ut ſæpe contingere aſſolet, privatorum hominum opiniones, & alius librum quemdam cenſeret eſſe Canonicum, alius vero negaret, quis, amabo, obortam litem dirimeret, & certum, cui ſtandum eſſet, pronunciaret judicium, ſi id juris ad Eccleſiam non pertineret? Sic in re tanti momenti contentiones, quæ perpetuo emergerent, corpus Eccleſiæ varias in partes & factiones diſtraherent, ejus ſacram auctoritatem humanæ opiniones penitus labefactarent, impune graſſarentur errores, Hæretici a nullo Judice argui, damnari & in ordinem redigi poſſent; tot eſſent Religiones, quot capita; eſſemus ſicut parvuli fluctuantes omni vento doctrinæ, &, quod caput eſt, nulla eſſet Summorum Pontificum, nullæ Epiſcoporum, nulla Legum Eccleſiaſticarum, & Conciliorum auctoritas, nulla in fidelibus obedientia. Certe hoc unum argumentum, e judicio Eccleſiæ Catholicæ petitum, nobis inſtar omnium eſſe debet ad retundendam audaciam Hæreticorum, qui librum *Tobiæ*, & nonnullos alios, quibus Eccleſia divinam aſſeruit auctoritatem, audent ſacrilega temeritate e Sacrorum Librorum Veteris Teſtamenti Canone, eximere. Sed hic debemus occurrere duplici Hæreticorum objectioni. Dicunt enim primo, librum *Tobiæ* non extare in Canone Sacrorum Librorum, quem habent Judæi, quemque ſecuti ſunt antiqui ſancti Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici, nimirum *Melito Sardenſis*, *Origenes*, *Athanaſius* in Epiſtola Feſtali, Auctor Synopſis Scripturæ Sacræ, *S. Cyrillus Hieroſolymitanus* Catecheſi IV. *S. Hilarius* Præfatione in Pſalmos, *Amphilochius*, *Epiphanius*, *Hieronymus*, *Joannes Damaſcenus*, *Leontius*, & multi alii veteres, doctrina ac pietate conſpicui, quibus addi debet Synodus Laodicena, quæ in Canone, quem condidit, Sacrorum Librorum Veteris Teſtamenti, librum *Tobiæ* non reponit. Hæc eſt prima Hæreticorum objectio, quam ut facilius diluere poſſis, velim obiter obſerves, Veteris Teſtamenti libros alios eſſe, qui dicuntur *Protocanonici*, alios vero, qui appellantur *Deuterocanonici*. Libri Protocanonici ſunt illi, qui ſemper & ubique & ab omnibus fuerunt recepti, ſicut Ex. G. Pentateuchus Moyſis. Libri Deuterocanonici Veteris Teſtamenti ſunt hi, qui licet in Sacrorum Librorum Canonem ſint modo ab Eccleſia Catholica relati, antiquitus tamen a quibuſdam Eccleſiis, & ab aliquot ſanctis Patribus, necnon Scriptoribus Eccleſiaſticis, tanquam Canonici non admittebantur, ſed anceps adhuc erat eorum auctoritas. Ejuſmodi ſunt in Veteri Teſtamento libri *Tobiæ*, *Judithæ*, *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtici*, ſex poſtrema capita libri *Eſtheris*, quædam Prophetæ *Danielis* capita, & primus ac ſecundus Machabæorum libri. Hac præmiſſa obſervatione, dico, quod cum ab *Eſdra*, qui poſt captivitatem Babylonicam, ſeu tempore *Artaxerxis Longimani*, filii *Xerxis*, Perſarum Regis, floruit, clauſus & obſignatus fuiſſet Sacrorum librorum Veteris Teſtamenti Canon, non potuit vetus Synagoga librum *Tobiæ*, & alios libros, mox a me citatos, Veteris Teſtamenti Deuterocanonicos, inſerere Canoni, non quod reipſa Canonici non eſſent, ſe quia, ut ait *Joſephus* Hebræus, loco mox a me laudato, jam tum temporis defecerat ſeries Prophetarum, quorum auctoritate libri in ſacrum Canonem referebantur. Verum, hæc auctoritas referendi libros in Sacrum Scripturæ Canonem, quæ id ætatis, feneſcente Synagoga, jam defecerat, revixit in Eccleſia Chriſti, quæ in Conciliis Generalibus Florentino, & Tridentino, libro *Tobiæ*, & aliis libris, quos memoravi, Deuterocanonicis Veteris Teſtamenti, de quorum ſacra & canonica auctoritate antehac dubitaverant privatæ quædam Eccleſiæ, necnon ali-

Digitized by Google

aliqui ſancti Patres, ac Scriptores Eccleſiaſtici, divinam auctoritatem decretorio tandem judicio aſſeruit ac vindicavit. Quo fit, ut, poſt hanc ſolemnem Eccleſiæ Catholicæ definitionem, nemini integrum ſit in dubium revocare ſacram auctoritatem libri *Tobiæ*, & aliorum librorum, quos Canoni Scripturæ Sacræ indeficienti judicio accenſuit Eccleſia, tametſi potuerint antiquitus, id eſt, priuſquam Eccleſia Catholica Canonem Librorum Sacrorum condidiſſet, ac promulgaſſet, quædam privatæ Eccleſiæ, & aliqui ſancti Patres, ac Scriptores Eccleſiaſtici ſalva ac inculpata fide ſequi Sacrorum Librorum Canonem Eſdrinum, in quo liber *Tobiæ*, & alii Veteris Teſtamenti Libri Deuterocanonici, a me aſſignati, deſiderantur; non ſecus ac apud omnes tanquam Hæreticus, jure merito audiret ille, qui *Millenariorum* errorem, jam ſolemni Eccleſiæ definitione in Conciliis Florentino & Tridentino promulgata, proſcriptum, poſtliminio revocare ac pertinaciter propugnare vellet, quamvis aliunde certiſſime conſtet, aliquos antiquos Patres, & Scriptores Eccleſiaſticos, antequam hæc doctrina *Millenariorum* ab Eccleſia fuiſſet eliquata ac confixa, eidem doctrinæ, citra ullam tamen erroris notam, patrocinatos eſſe.

Sed aliam objectionem contra librum *Tobiæ* inſtaurant Hæretici, quam inſolutam prætermittere haud debemus. Ajunt enim, in libro *Tobiæ* manifeſtam offendi antilogiam, ſeu contradictionem, in hoc ſitam, quod cap. 3. & 5. hujus libri dicitur, *Saram* cum patre ſuo *Raguele* manſiſſe in *Rages*, civitate Medorum, & juniorem *Tobiam*, cum ad eamdem civitatem perveniſſet; apud eos divertiſſe, & fuiſſe commoratum. At, capite nono ejuſdem libri dicitur, Archangelum *Raphaelem* miſſum fuiſſe a juniore *Tobia* ad *Gabelum*, in urbe *Rages* manente, ut ab eo reciperet decem talenta argenti, quæ ipſius pater *Tobias* ſenior, ei mutuo dederat. Quo in loco, inquiunt Hæretici, manifeſta contradictione ſeſe implicat libri *Tobiæ* auctor, non ſecus ac ille palam ſibi contradiceret, qui, Romæ exiſtens, diceretur mittere aliquem ſervum Romam ad amicum ſuum. Verum, huic Hæreticorum objectioni reſpondent Polemici Scriptores Catholici, hanc non veram, ſed apparentem duntaxat eſſe antilogiam, quæ facile conciliari poteſt. Nam primo, veroſimile eſt, duas extitiſſe civitates ejuſdem nominis *Rages* cum aliqua vocum diſtinctione, quæ in Verſionibus ſenſim intercidit. Secundo, dici poteſt, *Gabelum*, & *Raguelem*, cives quidem fuiſſe ejuſdem urbis *Rages*, ſed *Raguelem* cum filia Sara, ac tota familia ſua manſiſſe in Villula rurali ab urbe *Rages* aliquot milliariis diſtante; *Gabelum* vero ſuum habuiſſe domicilium in ipſamet urbe *Rages*. Quo ſemel poſito, facile intelligitur, Archangelum *Raphaelem* ex ea rurali domo *Raguelis* miſſum fuiſſe a juniori *Tobia* ad *Gabelum*, in ipſa urbe *Rages* manentem. Denique, in Textu Hebræo, & in Verſione Græca lib. *Tobiæ* cap. 3. legitur, *Raguelem* cum filia ſua *Sara* manſiſſe non in urbe *Rages*, ſed in *Ecbatanis*, Metropoli Medorum, quæ civitas erat in planitie; urbs autem *Rages*, in qua permanebat *Gabelus*, ſita erat in monte non procul diſſito, indeque omnino evaneſcit apparens illa contradictio, quæ in libro *Tobiæ* occurrere videtur, quamque veram & realem eſſe, ſibi, aliiſque perſuadere fruſtra Hæretici moliuntur.

D. Quæ de Hiſtoria *Tobiæ*, & de ſacra auctoritate libri, qui ejuſdem *Tobiæ* nomen præfert, hactenus ſingulari cum perſpicuitate dixiſti, nullum mihi & de veritate illius Hiſtoriæ, & de divina libri *Tobiæ* auctoritate dubitandi locum relinquunt. Veniamus nunc, ſi placet, ad Hiſtoriam *Judithæ*, circa quam multa hærent animo proponenda tibi Dubia, quorum primum iſtud eſt, an vere aliquando contigerit Hiſtoria *Judithæ*, quę in libro ejuſdem *Judithę*, nomine inſcripto deſcribitur. Audivi enim, eſſe nonnullos Scriptores, qui ex nominibus, quæ perſonis in Hiſtoria *Judithę* imponuntur, inferunt, hunc *Judithę* librum non referre ſpe-

ciem

ciem alicujus Hiſtoriæ, quę aliquando revera contigerit, ſed Parabolæ, vel Tragicomediæ, ad pietatem tamen, & Myſterium aliquod exprimendum concinnatæ. Sic unus ex illis Scriptoribus, videlicet *Hugo Grotius*, cujus Commentarium in librum *Judithę* nuperrime legebam, parabolice hanc Hiſtoriam interpretatur. Nomen *Juditha*, inquit, ſignificat Nationem Judaicam, quæ tum temporis cum deſolata & omni ope divina eſſet deſtituta, recte per fœminam *Juditham*, quæ vidua ſupponitur, deſignatur. *Nabuchodonozor*, cujus in libro *Judithę* fit mentio, figura eſt Diaboli, populum Dei affligentis. *Holofernes*, Princeps militiæ *Nabuchodonozoris*, Chaldaice idem eſt ac Latine lictor ſerpentis. *Joakim*, ſeu *Eliakin*, idem ſonat ac *Deus ſurgens*, nempe quod Deus votis ac precibus oppreſſi Populi Judaici exoratus ſurgat ad liberandum populum ſuum. *Bethulia* idem pollet ac *Domus Dei*, id eſt, religioſus cultus, quem Diabolus & miniſtri ejus oppugnant. Hac parabolica nominum, quæ Actoribus, ſeu perſonis, quæ inducuntur in Hiſtoria *Judithę*, imponuntur, interpretatione concludit *Hugo Grotius*, librum *Judithæ*, non ſpeciem præferre veræ Hiſtoriæ, quæ aliquando contigerit, ſed ſpeciem Parabolæ, vel Tragicomædiæ, ad pietatem tamen & ad aliquod Myſterium effictæ. Quid de tam ſingulari *Grotii* ſententia judicandum ſit, tuum nunc eſt breviter declarare.

M. Hæc erronea *Grotii* ſententia, cui præiverunt *Lutherus*, *Beroaldus*, *Scaligerus*, aliique hujus furfuris Heterodoxi, multis momentis proſcribi debet. Primo, quia Eccleſia Catholica, & ſancti Patres, *Clemens* I. Romanus Pontifex, in Epiſtola ſua prima ad Corinthios, *Clemens Alexandrinus*, *Tertullianus*, *Origenes*, *Euſebius*, *S. Hieronymus*, & alii bene multi, hanc *Judithæ* Hiſtoriam veram eſſe conſtantiſſime profitentur. Secundo, perſonarum, quarum in Hiſtoria *Judithæ* habetur mentio, Genealogiæ deſcribuntur, reſque ab illis geſtæ his characteribus deſignantur, qui fabuloſam, aut parabolicam narrationem minime redolent; ſed veracem exhibent Hiſtoriam. Quin, ad calcem libri *Judithæ* teſtatur Scriptor illius Hiſtoriæ, ſpecialem a Judæis feſtivitatem fuiſſe inſtitutam ad conſervandam memoriam illius victoriæ, quam de *Holoferne*, Principe militiæ *Nabuchodonozoris*, Regis Aſſyriorum, heroina fœmina *Juditha* reportavit; *Dies*, inquit, *victoriæ hujus colitur a Judæis ex illo tempore uſque in præſentem diem*. Porro, ſi hæc *Judithæ* Hiſtoria vera non eſſet, Auctor libri *Judithæ* non hiſtoricus, ſed inſignis impoſtor audire & haberi deberet, quippe qui falſas perſonarum genealogias, res nunquam in orbem terrarum geſtas, & ſpuria monumenta obtruſiſſet; quod certe nemo, niſi ſit ab Eccleſia Catholica extorris, dicere, ſuumque in animum inducere poterit. Sed, inquiunt Hæretici, nullus hactenus repertus eſt modus, quo dilucide explicari poſſit, quis ſit *Arphaxad?* Quiſve *Nabuchodonoſor?* Quæ illa civitas *Bethuliæ*, ab *Holoferne* obſeſſa? Denique, an hæc *Judithæ* Hiſtoria contigerit ante Judæorum captivitatem Babylonicam, vel poſt illorum reditum e captivitate Babylonica? His diſſecandis nodis, ajunt Hæretici, nullus hactenus tam felix fuit Scriptor, qui convenientem potuerit adhibere cuneum, & hiſtoriam *Judithæ* conciliare cum Hiſtoria Judæorum, atque Regum Aſſyriorum, & Medorum; unde inferunt, veram non eſſe Hiſtoriam *Judithæ*, ſed meram eſſe Parabolam, aut Tragicomędiam. At, turpiſſime in hoc hallucinantur Hæretici. Nam, præter quam quod aſſignabimus modo tempus, quo vere contigit Hiſtoria *Judithæ*, eademque opera oſtendemus, prædictam Hiſtoriam poſſe facili negotio conciliari cum Hiſtoria Judæorum, & Regum Aſſyriorum, atque Medorum: certiſſimum etiam eſt, iniquiſſimi eſſe ingenii veteres inficiari, aut in dubium revocare Hiſtorias eo ſolo nomine, quod cum Chronologia, ſeu cum ratione temporum haud ſatis cohærere videantur. Chriſtum Dominum natum, baptizatum, & mortuum

tuum eſſe nullus Chriſtianus dubitat, & tamen quo anno Mundi, & quoto Imperii *Auguſti* anno natus ſit Chriſtus Dominus? vel quo anno ætatis ſuæ acceſſerit ad baptiſmum, & Cruci fuerit affixus? non adeo evidens eſt, & in his enodandis chronologicis difficultatibus, maximopere inſudant Theologi, & in varias diſtrahuntur opiniones. Quorſum igitur Hæretici veritatem Hiſtoriæ *Judithæ* negant, eo argumento ducti, quod necdum inter Scriptores Chriſtianos conveniat de tempore, quo contigit hæc *Judithæ* Hiſtoria? Apage tam inſulſum argumentum, dignum ſane, ut vulgo ajunt, patella operculum.

D. Aſſigna, quæſo, tempus, quo contigit Hiſtoria *Judithæ*, ut inde convincantur Hæretici, qui illius Hiſtoriæ veritatem negant, eamque meram eſſe Parabolam, poëticum figmentum, & Tragicomœdiam dictitare non verentur.

M. Circa tempus, quo contigit Hiſtoria *Judithæ* diſſidium eſt inter eruditos. *Bellarminus*, *Serrarius*, *Salianus*, *Petavius*, *Pererius*, & Illuſtriſſimus *Daniel Huetius*, Abrincenſis Epiſcopus, Hiſtoriam *Judithæ* in quinta Mundi Ætate, hoc eſt, ante captivitatem Babylonicam, tempore *Manaſſis*, Regis Judæ, contigiſſe arbitrantur. Alii vero, quos inter cenſetur *Natalis Alexander* in ſecundo Tomo *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Veteris Teſtamenti* pagin. 375. aſſerunt, Hiſtoriam *Judithæ* contigiſſe in ſexta Mundi Ætate, id eſt, poſt laxatam Judæorum captivitatem Babylonicam, tempore *Xerxis*, Regis Perſarum. Ipſe vero, libratis æqua lance hinc inde momentis, lubens deſcendo in ſententiam illorum, qui Hiſtoriam *Judithæ* ad tempora *Manaſſis*, Regis Judæ, referunt, hoc eſt, ante Judæorum captivitatem Babylonicam. At enim eo tempore, regnante *Manaſſe*, Medorum Rex erat *Dejoces*, libris hiſtorici *Herodoti* maxime celebratus, a quo condita eſt urbs *Hecbatanis*, quique alio nomine in Hiſtoria *Judithæ* nuncupatur *Arphaxad*, quod nomen, ut memini, me alibi obſervaſſe, ab *Arbace* (qui, rebellando contra Aſſyriorum Regem, Monarchiam Medorum inſtituit) ductum uſurparunt Medorum Reges. *Arbaces* ſiquidem alia vocis inflexione *Arpacad*, tum pinguiore ſono *Arphaxad* dicebatur. *Nabuchodonoſor* vero, cujus in Hiſtoria *Judithæ* fit mentio, fuit ille Aſſyriorum Rex, qui tempore *Manaſſis*, Regis Judæ, regnabat in Ninive. Quis autem nominatim fuerit ille *Nabuchodonoſor*, Aſſyriorum Rex? vel quo nomine in Gentilium Hiſtoriis donetur? parvi refert, cum nomina veterum illorum Aſſyriorum Regum, ſicut & Regni tempora confuſa admodum ſint & incerta, ſicut facile colligitur ex illarum Nationum Hiſtoriis, quas deſcripſerunt *Beroſus*, *Manetho*, *Cteſias*, *Diodorus*, & *Herodotus*. Non deſunt tamen periti hujus temporis Critici, qui cenſent, *Nabuchodonoſorem*, illum Aſſyriorum Regem, qui tempore *Judithæ* regnabat in Ninive, fuiſſe *Saoſduchinum*, filium *Aſſaradon*, Regis Aſſyriorum, qui, ſicut ſcribit *Ptolomæus*, regnabat in Ninive. Quæ omnia de *Arphaxad*, Rege Medorum, & de *Nabuchodonoſore*, Aſſyriorum Rege, necnon de illorum Regnis, quæ tempore *Judithæ*, ſicut ex initio illius Hiſtoriæ compertum habemus, erant toto Oriente florentiſſima, & invicem æmula, optime quadrant cum tempore, quo *Manaſſes* regnavit in Juda ante captivitatem Babylonicam, ſed nullo pacto referri poſſunt ad tempus, quo Judæi e captivitate Babylonica ad natale ſuum ſolum reverſi ſunt, tum quia poſt reditum Judæorum e captivitate Babylonica, Ninive, urbs celeberrima, & Regni Aſſyriorum caput, fuit omnino deſtructa: tum quia etiam poſt captivitatem Babylonicam Regna Medorum & Aſſyriorum non erant amplius diviſa & æmula, ſicut erant tempore *Judithæ*, nec erant amplius Reges Medorum, & Aſſyriorum, cum certum ſit tam e ſacra, quam prophana Hiſtoria, *Cyrum*, Perſarum Regem, qui captivitatem Judæorum Babylonicam laxavit, poſt devictum *Darium Medum*, Babylonio-

Digitized by Google

rum Regem, Regnis Medorum, & Aſſyriorum potitum eſſe, eumque inſtituiſſe Monarchiam Perſarum, quam ejus ſucceſſores Perſarum Reges, tenuerunt uſque ad *Darium Codomanum*, ultimum Perſarum Regem, quem devicit *Alexander Magnus*, & everſa penitus Monarchia Perſarum, inſtituit Monarchiam Græcorum. Cum igitur temporibus *Judithæ*, ut videre eſt in ejus Hiſtoria, adhuc extarent Regna Medorum & Aſſyriorum invicem æmula, & *Arphaxad* eſſet Rex Medorum, *Nabuchodonoſor* vero Rex eſſet Aſſyriorum, nulla ratione dici poteſt, Hiſtoriam *Judithæ* contigiſſe poſt reditum Judæorum e captivitate Babylonica, ſive hanc Hiſtoriam referendam eſſe vel ad tempora *Cambyſis*, Perſarum Regis, & in Monarchia Perſica ſucceſſoris, ſicut viſum eſt *Euſebio*, Epiſcopo Cæſarienſi; vel ad tempora *Xerxis*, Perſarum Regis, ſicut poſt *Georgium Syncellum* ſentiunt multi moderni viri eruditi, vel denique ad tempora *Antiochi Epiphanis*, Syriæ Regis, id eſt, paulo ante Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum Regnum, quemadmodum falſo aſſerit *Hugo Grotius*.

D. Quamvis hæc, quæ adduxiſti, momenta aperte evincant, Hiſtoriam *Judithæ* ſub *Manaſſe*, Rege Juda, contigiſſe ante captivitatem Babylonicam, illiſque lubentiſſime acquieſcam, ad pleniorem tamen aſſequendam hujus rei notitiam, optarem ut hic breviter referes, ac dilueres præcipua argumenta, quibus permoti alii viri eruditi aſſerunt, Hiſtoriam *Judithæ* contigiſſe poſt captivitatem Judæorum Babylonicam, illiuſque Hiſtoriæ Epocham referunt vel ad tempora *Cambyſis*, Perſarum Regis, vel ad *Xerxem*, alterum Perſarum Regem, vel denique ad tempus *Antiochi Epiphanis*, Syriæ Regis. Horum enim, opinor, uberiori explicatione poterit haud parum Sacra Hiſtoria illuſtrari.

M. Scriptores, qui pertendunt, Hiſtoriam *Judithæ* poſt reditum Judæorum e captivitate Babylonica contigiſſe, pluribus pugnant momentis, quæ hic delibare, iiſque breviter facere ſatis abunde ſufficiet. In primis, dicunt, nullam omnino in Hiſtoria *Judithæ* fieri mentionem *Manaſſis*, Regis Juda, ſed tantum *Eliakimi*, ſeu *Joakimi*, Summi Sacerdotis, quod argumento eſt, hanc *Judithæ* Hiſtoriam non contigiſſe ſub *Manaſſe*, Rege Juda, ante captivitatem Babylonicam, ſed tantum poſt captivitatem Babylonicam, quando videlicet ſumma rerum erat penes Summos Sacerdotes, & in ipſis adminiſtrandæ Judæorum Reipublicæ ſuprema reſidebat auctoritas. Verum, hæc objectio facile ſolvitur. Ideo enim in hac *Judithæ* Hiſtoria de *Manaſſe*, Rege Juda, fit nulla mentio, tum quia hæc Hiſtoria *Judithæ* non contigit in Regno Juda, cui præerat *Manaſſes*, ſed in Regno Iſraelitico, in Tribu *Simeonis*, e qua *Juditha* oriunda erat, quæque Regi Juda non parebat: tum quia etiam hæc *Judithæ* Hiſtoria contigit ſub *Manaſſe*, Rege Juda, captivo, aut ſub initium illius Regni, cum adhuc vix ex ephebis eſſet egreſſus, utpote duodennis tantum, & adminiſtrando Regno impar. Mentio tamen fit in Hiſtoria *Judithæ* de Summo Sacerdote *Eliakino*, ſeu *Joakino*, quia, cum ageretur de negotio Religionis, ipſe profectus eſt ad illos Iſraelitas, qui *Bethuliæ* urbem incolebant, & dominio *Manaſſis*, Regis Juda, non ſubdebantur, ut dejectos illorum animos ſpe arrigeret, atque ad ſtrenuam ejuſdem urbis ab *Holoferne*, exercitus *Nabuchodonoſoris*, Regis Aſſyriorum, Principe, obſeſſæ defenſionem animaret.

Secundo, ajunt, tempore *Manaſſis*, Regis Juda, nullum fuiſſe Summum Sacerdotem, dictum *Eliakin*, ſeu *Joakin*, ſicut fidem facit Catalogus Summorum Sacerdotum, quem texuit *Joſephus*, Hebræus, in libris *Antiquitatum Judaicarum*. Sed reſpondeo ipſe, Summum Sacerdotem tempore *Manaſſis*, Regis Juda, potuiſſe eſſe binomium, ac ſubinde Summum illum Sacerdotem, qui in Hiſtoria *Judithæ* appellatur *Eliakim*, ſeu *Joakin*, alio nomine in Catalogo Summorum Sacerdotum, quem texuit *Joſephus*, deſignari. Præter quam quod cap. 18. lib 4. Regum *Eliakin* inter primores

Sa-

Sacerdotes recenſetur, & *Iſaias* cap. 20. difertam *Eliakim*, Summi Sacerdotis, mentionem facit his verbis: *Et erit in die illa, vocabo ſervum meum Eliacim, filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo illum, & poteſtatem tuam dabo in manus ejus, & erit quaſi pater habitantibus Jeruſalem, & domui Juda*. Quod certe apprime *Eliakimo*, ſeu *Joakino*, Summo Sacerdoti, ſub quo contigit Hiſtoria *Judithæ*, convenit.

Tertio, inquiunt illi Scriptores, *Judithæ* Hiſtoriam tempore *Manaſſis*, Regis Juda, non contigiſſe, quia, regnante *Manaſſe*, Iſraelitæ urbem *Bethuliam* non incolebant, quippe qui a *Salmanaſare*, Aſſyriorum Rege, jam fuerant in Aſſyriam deportati anno ſexto *Ezechiæ*, Regis Juda, patris *Manaſſis*. Sed urbs *Bethulia* id ætatis incolebatur a Cuthæis, & Babyloniis, qui a *Salmanaſare*, Aſſyriorum Rege, fuerant huc translati. Verum, licet ipſe ultro fatear, *Bethuliam* fuiſſe urbem Regni Iſraelitici extra Regnum Juda, & decem Iſraelis Tribus a *Salmanaſare*, Aſſyriorum Rege, in Aſſyriam anno ſexto *Ezechiæ*, Regis Juda, captivas eſſe abductas, exiſtimo tamen aliquot Iſraelitas in patrio ſolo remanſiſſe, plures non multo poſt captivitatem Aſſyriacam illuc eſſe reverſos, qui plurimas e civitatibus, præſertim eas, quæ in montanis ſitæ erant, occuparunt. Immo, multi Iſraelitæ in urbe *Samaria*, & in aliis finitimis civitatibus, una cum Cuthæis, & Babyloniis, quos illuc miſerat *Salmanaſar*, Aſſyriorum Rex, habitabant, & cum illis, Legem Moſaicam edoctis, verum Deum Iſraelis colebant. Quid igitur mirum, ſi Iſraelitæ, & Cuthæi, urbis *Bethuliæ* incolæ, cultum veri Dei, quem adorabant, contra impetus *Holofernis*, Principis militiæ *Nabuchodonoſoris*, defendere volentes, huic Aſſyriorum militiæ Præfecto, urbem *Bethuliæ* obſidenti, & veram Religionem totis ſuis viribus exterminare molienti, ſtrenue animoſeque reſtiterint.

Quarto, Hiſtoriam *Judithæ* non ſub *Manaſſe*, Rege Juda, ſeu ante captivitatem Babylonicam, contigiſſe, ſed duntaxat poſt reditum Judæorum ex captivitate Babylonica, probant nonnulli viri eruditi ex ea, in qua *Holofernes*, exercitus Aſſyriorum Princeps, verſabatur ignorantia rerum a gente Iſraelitica geſtarum. *Holofernes* quippe, ut legitur cap. 5. lib. *Judithæ*, poſtulavit ab *Achiore*, quænam eſſet Gens Iſraelitica? Quis illius Gentis Rex? quaſi Gens Iſraelitica fuiſſet ei penitus ignota. Quod ſane in tempora *Manaſſis*, Regis Juda, competere non poteſt, quia, regnante *Manaſſe*, Iſraelitarum natio probe nota erat Aſſyriis, ut pote qui illorum Regiones frequenter invaſerant, eoſque ſub *Salmanaſare*, Aſſyriorum Rege, captivos in Aſſyriam abduxerant. His addunt viri eruditi reſponſionem *Achioris* dicentis *Holoferni*, Iſraelitas, Deo duce, ex Ægypto in Palæſtinam eſſe translatos, ſed, ob neglectum Dei ſui cultum, ſæpe a multis Nationibus fuiſſe profligatos, & captivos adductos; immo Templum Jeroſolymitanum (ſicut legitur in Verſione Græca libri Judithæ) ſolo æquatum, ac penitus dirutum fuiſſe; ipſos tandem e ſua diſperſione fuiſſe nuper reductos, & iterum poſſidere Heruſalem, ubi ſunt Sancta Sanctorum. Porro, Judæorum captivitas, in qua Templum Hieroſolymitanum everſum ac dirutum fuit, alia eſſe non poteſt, quam captivitas Babylonica. Deſolatio quippe Templi & urbis Hieruſalem contigit anno undecimo *Sedekiæ*, qui Regum Judæ fuit ultimus, & anno decimo nono *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, hoc eſt, anno undecimo poſt jam inchoatam captivitatem Babylonicam, quæ initium habuit anno undecimo *Joakimi*, Regis Juda, & anno octavo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis. Captivitas itaque illa, ex qua *Achior* ait *Holoferni*, Judæos eſſe reverſos, alia eſſe non poteſt, quam captivitas Babylonica, proindeque Hi-

Digitized by Google

ſtoria *Judithæ* referri duntaxat poteſt ad reditum Judæorum e captivitate Babylonica. Hoc argumentum, quod prima fronte videtur ad perſuadendum efficax, poteſt tamen facile ſolvi. At enim, licet non inficias eam, *Holofernem*, Aſſyriorum Exercitus Principem, plura, regnante *Manaſſe*, de Iſraelitis audire potuiſſe, veroſimile tamen eſt, illum necdum eorum ſtatum penitus penetraſſe, donec ex *Achiore* cognovit illorum originem, Religionem, & veram illorum fortitudinis & conſtantiæ cauſam. Potuit autem *Achior* vere dicere *Holoferni*, Iſraelitas, Deum deſerentes, ſæpius in varias abductos fuiſſe captivitates, & ex illis ad patrium ſolum, tempore *Manaſſis*, Regis Juda, eſſe reverſos. Pluries ſiquidem Iſraelitæ traditi fuerunt in manus Gentium, videlicet Ægyptiorum, Moabitarum, Ammonitarum, ſed ex illis captivitatibus jam tempore *Manaſſis*, Regis Juda, in patriam redierant. Ad id autem, quod dicitur, legi in Verſione Græca libri *Judithæ*, *Achorem* reſpondiſſe *Holoferni*, Templum Hieroſolymitanum fuiſſe ſolo æquatum, ac penitus dirutum, dico cum viris Linguæ Græcæ peritis, vocem græcam id minime ſignificare, ſed ſolum innuere, Templum fuiſſe conculcatum, ac profanatum. Quod certe abſque Templi deſtructione, victrices illæ nationes, a quibus Judæi ante captivitatem Babylonicam, fuerunt identidem debellati, atque ſubacti, factitarunt.

Ultimum argumentum, quod adducunt aliqui viri eruditi, ut probent, Hiſtoriam *Judithæ* non ſub *Manaſſe*, Rege Juda, hoc eſt, ante captivitatem Babylonicam, ſed ſub *Xerxe*, Perſarum Rege, ſeu poſt captivitatem Babylonicam, contigiſſe, petitur ex pace, quæ conſecuta eſt facinus & victoriam *Judithæ*, & de qua dicitur cap. 17. verſ. 20. libr. *Judithæ*: '*Manſit in domo viri ſui annos centum quinque, & defuncta eſt ac ſepulta cum viro ſuo in Bethulia*. E verſ. 30. *In omni autem ſpatio vitæ ejus non fuit, qui perturbaret Iſrael, & poſt mortem ejus annis multis*. Id autem cadere non poteſt in tempora *Manaſſis*, Regis Juda. Supponamus etenim, *Juditham*, quando adiit *Holofernem*, natam fuiſſe annos circiter viginti quinque (tunc enim juvenis erat, cum *Vagao*, Eunuchus *Holofernis*, eam cap. 12. verſ. 12. libri *Judithæ* appellet *puellam*.) Subtrahamus itaque viginti quinque illos annos, quos *Juditha*, quando adiit *Holofernem*, nata erat, ſupererunt anni vitæ *Judithæ* octoginta, per quos Iſraelitæ, ſeu Judæi, altiſſima pace perfrui debuerunt. Atqui tamen ex Sacra Scriptura conſtat, Iſraelitas tempore *Manaſſis*, Regis Juda, non fuiſſe per octoginta annos pace potitos. Nam Rex *Manaſſes* fuit ab Aſſyriis in captivitatem abductus, quæ certe Regis captivitas abſque aliqua pacis perturbatione accidere haud potuit. Præterea, ab illa captivitate Regis *Manaſſis* uſque ad Bellum Ægyptiacum, in quo *Joſias*, Rex Juda, nepos *Manaſſis*, interemptus eſt, non interfluxerunt anni octoginta, ſicut conſtans eſt omnium Sacræ Chronologiæ peritorum ſententia: Si igitur Hiſtoria *Judithæ* incidiſſet in tempora *Manaſſis*, Regis Juda, nulla ratione dici poſſet, per totam *Judithæ* vitam, ac per multos annos poſt ejus obitum, neminem fuiſſe, qui perturbaret pacem Iſraelis, ſicut legitur in libro *Judithæ*. Hoc eſt ultimum argumentum illorum Scriptorum, qui Hiſtoriam *Judithæ* poſt captivitatem Babylonicam contigiſſe pertendunt. Sed, proclive eſt oſtendere, Iſraelitas revera potitos fuiſſe diuturna illa pace, de qua in libro *Judithæ* habetur mentio, ſive Hiſtoria *Judithæ* contigerit ſub initium *Manaſſis*, Regis Juda, ſive inciderit in tempora captivitatis ejuſdem Regis *Manaſſis*. Enim vero, ſi Hiſtoria *Judithæ* referatur ad initium Regni *Manaſſis*, comperietur, Iſraelitas, ſeu Judæos, tam in vita *Judithæ*, quam poſt ipſius obitum, diuturna pace fuiſſe potitos. *Juditha* ſiquidem annum ætatis ſuæ trigeſimum attigerat, quando ſub initium Regni *Manaſ-*

ſis

ſis occidit *Holofernem*. *Manaſſes* autem regnavit annis quinquaginta quinque, *Amon* ejus filius, regnavit duobus annis, *Joſias*, filius *Amonis*, & nepos *Manaſſis*, regnavit annis triginta & uno, fuitque interfectus a *Necarone*, Rege Ægypti, in Bello Ægyptiaco. Si igitur computentur anni triginta, quos nata erat *Juditha*, quando occidit *Holofernem*, inſuper anni quinquaginta quinque Regni *Manaſſis*, duo anni *Amonis*, & anni triginta & unus Regni *Joſiæ*, qui occiſus eſt in Bello Ægyptiaco, compertum erit, ab ortu *Judithæ* uſque ad iſtud Bellum Ægyptiacum effluxiſſe annos centum & decem octo profundæ pacis. Cum igitur *Juditha* vixerit annis centum quinque, palam conſequitur, Iſraelitas, ſeu Judæos, toto tempore vitæ *Judithæ*, & tredecim annis poſt ejus obitum, pace fuiſſe potitos. Nec paci huic obfuit captivitas *Manaſſis*, Regis Juda, quia hæc captivitas ſolam *Manaſſis* perſonam, non vero Reipublicæ Judaicæ ſtatum reſpexiſſe videtur. *Manaſſes* quippe, Rex, non in Bello, ſed fraude & dolo ab Aſſyriis captus eſt, & non multo poſt liber dimiſſus, ſicut refert *Joſephus* lib. 10. Antiq. Jud. cap. 4. Quo fit, ut in captivitate Regis *Manaſſis* nullum extiterit Bellum, quod conturbarit pacem in Iſrael. Immo non deſunt viri doctiſſimi, qui aſſerunt, pacem non fuiſſe perturbatam in Iſraele per Bellum Ægyptiacum, in quo *Joſias*, Rex Juda, fuit occiſus, quia hoc Bellum Ægyptiacum non intra Regnum Iſraelis, ſed extra Regnum fuit geſtum, ajuntque, pacem in Iſraele fuiſſe duntaxat perturbatam anno undecimo *Joakimi*, qui in Regno Juda fuit *Joſiæ* ſucceſſor, quique una cum primoribus Judæorum fuit a *Nabuchodonozore* in captivitatem Babylonicam abductus. Qua ſemel admiſſa doctiſſimorum Scripturæ Sacræ Interpretum ſententia, erunt poſt obitum Judithæ anni pacis in Iſraele viginti novem, proindeque verum erit, quod ſcribit Auctor libri Judithæ: *In omni ſpatio vitæ ejus* (ſeu Judithæ) *non fuit qui perturbaret Iſrael, & poſt mortem ejus annis multis*. Quod ſi malis Hiſtoriam *Judithæ* referre ad *Manaſſis*, Regis Juda, captivitatem, quæ accidiſſe videtur anno decimo ipſius Regni, poteris itidem ſupponere, *Juditham* paulo adultiorem fuiſſe, ſeu annum trigeſimum octavum ætatis attigiſſe, quando adiit *Holofernem*, qua ætate mulieres, quæ nullum filium genuerunt, juvenilem formam adhuc retinere ſolent, oriſque venuſtatem. Quod in *Juditha* eo facilius credi debet, quod Deus, ut inquit Scriptura Sacra, ſingularem ei contulerit ſplendorem. Unde non mirum, ſi aucta a Deo ipſius pulcritudine, *Juditha* vetulo militiæ Aſſyriorum Præfecto *Holoferni* placuerit. Hac autem facta hypotheſi de referenda Hiſtoria *Judithæ* ad captivitatem *Manaſſis*, Regis Juda, planum erit pacem in Iſraele non fuiſſe perturbatam in Iſraele toto tempore vitæ *Judithæ*, & poſt ipſius obitum viguiſſe adhuc pacem in Iſraele per undecim annos, immo per viginti duos annos, ſi Bellum Ægyptiacum, ut volunt graviſſimi Scriptores, non perturbaverit pacem in Iſraelem, ſed tantum captivitas Babylonica, quæ ſicut mox diximus, incidit in annum undecimum *Joakimi*, Regis Juda. Sive igitur Hiſtoria *Judithæ* referatur ad initium Regni *Manaſſis*, ſive ad ejuſdem Regis captivitatem, vere dici poterit, in omni ſpatio vitæ *Judithæ*, & poſt ipſius obitum annis multis neminem fuiſſe, qui perturbaverit pacem in Iſraele, ſicut legitur in libro *Judithæ* cap. ultimo v. 30.

D. Vix, ut candide fatear, a riſu temperare potui, dum dixiſti, *Juditham*, annos triginta octo natam, *Holoferni*, vetulo militiæ Aſſyriorum Præfecto, formæ ſuæ decore & illecebris placuiſſe, quaſi vero ei non placuiſſet, ſi vetulus non fuiſſet. Sed, ut optime obſervaſti, Deus auxit *Judithæ* pulcritudinem, qua jam vetulus *Holofernes* facilius captus eſt, & *Judithæ* artibus deluſus: Nunc, obſecro te, indica mihi Auctorem libri *Judithæ*, & præcipua deſcribe illius Heroinæ geſta, quæ in prædicto libro narrantur.

M. Quiſnam ſit Auctor libri *Juditha*, incertum eſt. Nonnulli exiſtimant, Auctorem iſtius libri eſſe *Eliakimum*, ſeu *Joakimum*, cujus mentio fit in libro *Judithæ*, quique, ut antea obſervavimus, ſummum apud Judæos Pontificatum tenuit temporibus *Manaſſis*, Regis Juda. Sed mihi magis probatur conjectura Illuſtriſſimi Abrincenſis Epiſcopi, qui exiſtimat, librum *Judithæ* fuiſſe ſcriptum temporibus captivitatis Babylonicæ ad leniendam hujus exilii ægritudinem, & ad ſpe arrigendos captivorum Judæorum animos; maxime cum hic *Judithæ* liber Chaldaica Lingua, quæ Judæis, in captivitate Babylonica degentibus familiaris erat, conſcriptus fuerit, teſte S. *Hieronymo*, qui latine illum reddidit, ſic tamen, ut fateatur, *ſe magis ſenſum e ſenſu, quam ex verbo verbum tranſtuliſſe*. Ex Chaldaico etiam hujus libri *Judithæ* Exemplari, Græca Verſio expreſſa eſt a Judæis Helleniſtis. Quod ſpectat præclara *Judithæ* geſta, hic præcipua indigitabo juxta ordinem, quo in libro *Judithæ* deſcribuntur. Et primo quidem, præmittuntur in libro *Judithæ*, ſuperbia *Nabuchodonozoris*, Aſſyriorum Regis, qui, poſt reportatam inſignem victoriam de *Arphaxad*, Medorum Rege in Campo Magno *Ragau*, circa *Euphratem*, & *Tygrim*, adeo intumuit, elatus rebus ſecundis, ut de toto Orbe ſuæ ditioni ſubjiciendo conſilium inierit, validiſſimi illius exercitus ſub *Holoferne* progreſſus; Syriæ, Meſopotamiæ, Lybiæ, Ciliciæ, Apameæ, ac Idumeæ expugnatio, Provinciarum & Urbium deditio, munitarum deſtructio, Iſraelitarum timor, illorum tamen ad *Holoferni* reſiſtendum ſuſæ ad Deum preces, indictaque jejunia. Deinde, Auctor libri *Judithæ* deſcribit obſidionem, qua *Holofernes* cum ingenti Aſſyriorum exercitu urbem *Bethuliæ* cinxit, & felicem ejuſdem civitatis liberationem, promovente *Juditha*, quæ Principes, animum jam deſpondentes, objurgavit, vacillantes erexit, Iſraelitas, qui in urbe Bethuliæ obſeſſi intempeſtivæ deditionis terminum ad quinque dies præfixerant, ad patientiam, ad ſpem proximæ liberationis, ad opis divinæ implorationem induxit, & poſt fuſas ad Deum ardentiſſimas preces, ac ſpe in Deum, pudicitiæ ipſius cuſtodem, animata, cuneo hoſtium ſe dedit, caſtra *Holofernis* intrepida adiit, qui ubi illam vidit magnifice ornatam, ejus amore captus eſt, inciditque in laqueos, ex quibus ſeſe extricare haud potuit. *Juditha* quippe ex hilaritate *Holofernis* opportunam nacta occaſionem perficiendi ſanctum, quod inierat, Bethuliam liberandi conſilium, huic militiæ Aſſyriorum Præfecto, nimia compotatione ſopito, & altum ſtertenti, caput exerto gladio abſcidit, & in urbem Bethuliæ ovans, & per medias hoſtium acies intemerata procedens, reverſa eſt. Tunc de muro Bethuliæ ſuſpenſo *Holofernis* capite, totus Aſſyriorum Exercitus, timore panico perculſus, tumultuariam arripuit fugam, & a Judæis undique concurrentibus & inſequentibus cæſus ac profligatus eſt. Poſt hæc, *Juditha* pro tam celebri victoria Epinicium Deo cecinit, a Summo Pontifice propriis ſpoliis *Holoferni* condecorata eſt, & laudata ab univerſo populo, præ ingenti gaudio acclamante: *Tu gloria Hieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri*. Hæc ſunt in ſumma præcipua *Judithæ* geſta, quæ narrat Auctor libri, qui ſanctiſſimæ illius Heroinæ nomine inſignitur.

D. Quam auctoritatem in Eccleſia Catholica obtinet liber *Judithæ?*

M. Sacram ac divinam obtinet auctoritatem. Eccleſia ſiquidem Catholica, in Concilio Generali Tridentino congregata, librum *Judithæ* in Sacrorum Librorum Canone, Seſſione IV. percenſuit, ſecuta veterem traditionem quam confirmarunt Concilium Carthaginenſe III. Summi Pontifices *Innocentius* I. in Epiſtola ad *Exuperium*, Epiſcopum Toloſanum, & *Gelaſius* I. in Concilio lxx. Epiſcoporum celebrato Romæ anno 494. quibus ſuffragatur S. *Auguſtinus* lib. 2. *De Doctrina Chriſtiana* cap. 8. *Juditham* etiam, tanquam incomparabilem Heroinam, plu-

Digitized by Google

plurimis laudibus efferunt ſancti Patres, quos inter cenſentur *S. Clemens*, Romanus Pontifex in ſua Epiſtola 1. ad Corinthios, *S. Clemens Alexandrinus* lib. 4. *Stromatum*, *Origenes* Hom. 19. in Joannem, *S. Ambroſius* lib. 3. *De Officiis* cap. 13. & in libro *De Viduis*, & alii. Ex quibus non ſolum refellitur *Hugo Grotius*, qui, ut ſuperius obſervavimus, totum quod libro *Juditha* narratur, meram parabolam eſſe docet, verum etiam confutantur Hæretici, qui librum *Judithæ*, tanquam Canonicum non recipiunt. Fateor tamen, librum *Judithæ* non fuiſſe temporibus *S. Hieronymi* (ſicut teſtatur S. ille Doctor Præfatione in liqros *Salomonis*, & Præfatione in librum *Judithæ*,) adhuc ab univerſali Eccleſia in Canonem Sacrorum Librorum adſcriptum, neque extare in antiquis Sacrorum librorum Catalogis, quos texuerunt *Melito*, *Origenes*, *S. Athanaſius*, in Epiſtola Feſtali, *S. Hilarius*, *S. Gregorius Nazianzenus*, *S. Cyrillus Hieroſolymitanus*, & Concilium Laodicenum. Sed inde concludi duntaxat poteſt, librum *Judithæ* non eſſe *Protocanonicum*, ſed tantummodo *Deuterocanonicum*; ſicut ſuperius oſtendi de libro *Tobiæ*. Fateor etiam, librum *Judithæ* non eſſe repoſitum in Sacro Hebræorum Canone, quem *Eſdras* poſt ſolutam captivitatem Babylonicam condidit. Sed id cum Illuſtriſſimo *Daniele Huetio*, Abrincenſi Epiſcopo, contigiſſe puto, quia eo tempore, quo ab *Eſdra* conditus eſt Sacrorum Librorum Canon, res judaicæ in tantis erant poſitæ anguſtiis, utpote Hieroſolymorum urbe necdum mænibus cincta, & urgentibus undique hoſtibus, ut *Eſdras* habere haud potuerit omnes popularium ſuorum Scriptiones, quæ in Sacrorum Librorum Canonem recipi merebantur. Quo factum eſt, ut libri *Tobiæ*, *Judithæ*, & nonnulli alii, qui in hoc Canone Eſdrino non fuerant repoſiti, in eum poſtea ab Hebræis non fuerint admiſſi, quia fas ac licitum ſibi non putarunt Hebræi aliquem librum adſcribere Canoni, poſtquam *Eſdras* Sacrorum Librorum Veteris Teſtamenti Canonem clauſiſſet atque obſignaſſet. Hæc eſt etiam omni procul dubio ratio, cur *Joſephus*, Hebræus, nullam in ſuis Antiquitatibus Judaicis de Hiſtoria *Judithæ* mentionem fecerit. Sibi etenim in deſcribendis Antiquitatibus Judaicis *Joſephus* propoſuerat, ea tantum litteris mandare, quæ in libris Canonicis Hebræorum habebantur, ſicut ipſemet profitetur in Proæmio totius Operis, & cap. 11. lib. 10. Cum igitur liber *Judithæ* in Canonem Hebræorum, propter rationem, mox a me adductam, non eſſet receptus, nec Hebraice, ſed Chaldaice eſſet ſcriptus; mirum nemini videri debet, quod de *Judithæ* Hiſtoria *Joſephus*, Hebræus, nullam prorſus in conſcribendis Antiquitatibus Judaicis mentionem fecerit. Sed hic finem noſtro imponamus Colloquio, cumque fervere jam jam incipiant æſtivi calores, quieti indulgeamus uſque ad proximum noſtrum Colloquium, quod, ſacro propitio Numine, die Jovis habituri ſumus, & in quo de Vitis Prophetarum, qui in quinta Mundi Ætate, hoc eſt, ante captivitatem Babylonicam, vixerunt; necnon de his, quæ fuderunt, Oraculis, quæque in Jeſu Chriſto, Servatore noſtro, perfectiſſime fuerunt adimpleta, ſermonem inſtituemus. Tu fac, ut imparatus non accedas.

COLLOQUIUM TERTIUM.

In quo deſcribuntur Vitæ Prophetarum, qui in quinta Mundi Ætate, ſeu ante Captivitatem Babylonicam, vixerunt, & ſub Regibus Judæ, & Iſraelis plura fuderunt Oracula, quæ in Jeſu Chriſto, vero Meſſia, clariſſimo exitu fuerunt adimpleta.

DISCIP. Priuſquam ad deſcribendas Vitas Prophetarum, qui in quinta Mundi Ætate, id eſt, ante captivitatem Babylonicam, vixerunt, te accingas, generalem rerum, quæ ſpectant conditionem & dotes Prophetarum,

in anteceſſum habere maxime peroptarem. Expone igitur primo, quid ſibi velit iſtud Prophetæ nomen?

M. Hi, quos vocamus Prophetas, Hebraice *Nabi*, appellabantur olim *Videntes*, Hebraice *Roe*, ſicut teſtatur ſacer Auctor lib. 1. Regum cap. 9. verſ. 9. his verbis: *Olim in Iſrael ſic loquebatur unuſquiſque vadens conſulere Deum: Venite, & eamus ad videntem* (Hebraice Roe). *Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns*, (Hebraice Roe) Prophetæ autem ii ſoli, proprie loquendo, dicuntur, qui nomine & auctoritate Dei loquuntur, & quibus Spiritus Sanctus ſpeciali inſpiratione notitiam rerum futurarum revelat, ut eas hominibus, ad illorum ſolatium & inſtructionem annuncient. Quo fit, ut non omnis divina revelatio dicenda ſit Prophetia, nec ſinguli illi, quibus divinæ factæ ſunt revelationes, Prophetarum loco haberi debeant, alioquin Reges *Pharao*, *Balthazar*, & *Nabuchodonozor*, quibus factæ ſunt de his, quæ eventura illis erant, revelationes, Prophetæ eſſent appellandi, quod certe nemo dixerit. Verus itaque Propheta *nihil aliud eſt*, inquit *S. Auguſtinus* quæſt. 19. in Exodum, *niſi annunciator verborum Dei hominibus, qui Deum vel non poſſunt, vel non merentur audire*. Prophetiam inter dona Spiritus Sancti reponit Apoſtolus *Paulus* in Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 12. verſ. 10. & cap. 14. verſ. 23. & 24. ejuſdem Epiſtolæ Prophetiam præfert dono Linguarum dicens: *Si ergo conveniat univerſa Eccleſia in unum, & omnes Linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles, nonne dicent, quod inſanitis? Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus; occulta cordis ejus manifeſta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians, quod vere Deus in vobis ſit*. Et verſ. 29. 30. & 31. ait: *Propheta autem duo, aut tres, dicant, & ceteri dijudicent. Quod ſi alii revelatum fuerit ſedenti, prior taceat. Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare, ut omnes diſcant, & omnes exhortentur*. Quibus poſtremis Apoſtoli *Pauli* verbis patet, huc potiſſimum veram tendere Prophetiam, ut ſoletur fideles, eoſque doctrina & adhortatione inducat ad ea credenda, & certiſſime expectanda, quæ ſacer Vates, afflatus Spiritu Sancto, futura prædicit. Inde inferas velim, Prophetiam, proprie loquendo, eſſe tantum de futuro, quia, ut optime ait *Sanctus Gregorius Magnus* Homilia 1. in Ezechielem: *In duobus temporibus Prophetia ethymologiam perdit, quia cum ideo Prophetia dicta ſit, quod futura prædicat, quando de præterito aut præſenti loquitur, rationem ſui nominis amittit*.

D. Poſſuntne certi aſſignari characteres, ſeu manifeſtæ notæ ac teſſeræ, quibus verus Propheta a falſo ſecernatur.

M. Plures Scriptura Sacra præſcribit Regulas, quibus verus Propheta poteſt a Pſeudo-Propheta diſcerni. Prima Regula legitur cap. 13. verſ. 1. & ſequent. libri *Deuteronomii*, his verbis concepta: *Si ſurrexerit in medio tui Propheta, aut qui ſomnium ſe vidiſſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & evenerit, quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus, & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſerviamus eis, non audies verba Prophetæ illius, aut ſomniatoris*. Sicut igitur, quicumque in Veteri Lege aliquid contra divina Moſaicæ Legis Præcepta prædixiſſet, non audiebatur, ſed tanquam falſus Propheta rejiciebatur; tametſi id caſu eveniſſet, quod locutus fuiſſet; ita in Nova Lege, ſi quis doceat, aut ſpargat in vulgus prædictiones, quæ ſint contra Legem Evangelicam, ſeu Doctrinam Chriſti, is, ceu impoſtor & falſus Propheta, repudiari debet, nulla habita ratione fortuiti eventus, ſi quem haberent prædictiones ab ipſo factæ. Alteram regulam ad internoſcendum verum Prophetam a falſo tradit Scriptura Sacra c. 18. v. 21. & ſeq. lib. *Deuter.* & hæc eſt: *Si tacita cogitatione reſponderis: Quomodo poſſum intelligere verbum, quod Dominus non eſt locutus? Hoc habebis ſignum: Quod in* ne-

Digitized by Google

nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit: hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum. Quidquid enim Deus futurum prædicit, ſuum infallibiliter conſequitur eventum, ac ſubinde qui nomine Dei aliquid futurum prædicit, quod ſuo fruſtratur eventu, verus Propheta eſſe non poteſt. Ab hac tamen regula excipi debent Prophetiæ, quæ non ſunt abſolutæ, ſed comminatoriæ duntaxat & conditionatæ, quæ videlicet aliquam conditionem aut expreſſam, aut tacitam, & ſubintellectam, important, quæque proferuntur a Prophetis juxta Leges divinæ juſtitiæ, attentis præſentibus circumſtantiis, & hominum demeritis: quibus poſtea commutatis, Deus avertit quod prædictum fuerat. Exempli Gr. Quando Propheta *Jonas*, miſſus a Deo ad Ninivitas, dixit eis: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*, quando etiam Propheta *Iſaias*, ſicut legitur lib. 4. Regum cap. 20. ait *Ezechiæ*, Regi Juda, lethali morbo in lecto decumbenti: *Morieris & non vives*; quamvis neutrum horum evenerit, falſa tamen non prædixerunt illi Prophetæ, quia illorum Prophetiæ non erant abſolutæ, ſed comminatoriæ tantum & conditionatæ, pendentes a præſentibus circumſtantiis graviſſimi morbi Regis *Ezechiæ*, & a demeritis Ninivitarum, quibus circumſtantiis & demeritis deinde commutatis, avertit Deus quod ab illis Prophetis fuerat prædictum. Sic in iſtis Prophetiis comminatoriis facturum ſe diſerte teſtatur Deus cap. 18. v. 7. & ſeq. Prophetæ *Jeremiæ*, dicens: *Repente loquar adverſum Gentem, & adverſus Regnum, ut eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit Gens illa a malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* Quod contigit in Ninivitis, qui ad prædicationem Prophetæ *Jonæ* pœnitentiam egerunt. Tertia regula, cujus beneficio verus Propheta a falſo dignoſci poteſt, hæc eſt: *quicumque nomine Dei vaticinantur, & tamen ſerviunt paſſionibus ſuis, avaritiæ, adulationi, libidini &c. Hi ſunt falſi Prophetæ, qui ſicus ait Propheta Ezechiel, prophetant de corde ſuo, & conſuunt pulvillos cubitis hominum*, ſimiles illis Pſeudo-Prophetis, qui teſte Propheta *Michæa* cap. 3. *comederunt carnem populi, pellem eorum deſuper excoriarunt, qui in pecunia divinant, qui mordent dentibus ſuis, prædicant pacem, & ſi quis non dederit in ore eorum quidpiam, ſanctificant ſuper eum prælium*, id eſt, indicunt ei prælium. Hos falſos Prophetas cognoſcendi modum docet nos Chriſtus Dominus dicens: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. Quarta regula, per quam verus Propheta ſecernitur a falſo, hæc eſt: *Quicumque nomine Dei vaticinantur, ſeque a Deo miſſos probat virtute miraculorum ac ſignorum, hi ſunt veri prophetæ. Hi vero, qui ſe miſſos eſſe a Deo nullis miraculis ac ſignis comprobare poſſunt, haberi debent tanquam falſi Prophetæ*, de quibus Dominus apud *Jeremiam* Prophetam c. 14. v. 14. ait, *Et dixit Dominus ad me: falſo Prophetæ vaticinantur in nomine meo, non miſi eos, & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos: viſionem mendacem, & divinationem, & fraudulentiam, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis*. Poſtrema regula, qua veri Prophetæ ſecernuntur a falſis, iſta eſt: *Hi veri cenſendi ſunt Prophetæ, quos in Veteri Lege univerſus Populus Judaicus habuit, excepit, & coluit, quibus Deus, & Prophetæ teſtimonium perhibuerunt, quorum Oracula Chriſtus Dominus ejuſque Apoſtoli laudarunt, confirmarunt, & quorum Libros Propheticos tam vetus Synagoga, quam Catholica Chriſti Eccleſia Sacrorum Librorum Canoni accenſuerunt*. Ope iſtarum, quas hactenus tradidi, regularum, facile intelliges, hos Prophetas, quorum præclara geſta in præſenti Colloquio compendioſe deſcripturus ſum, quique ante captivitatem Babylonicam Vaticinia fuderunt, veros fuiſſe Prophetas, ac ſubinde dignos quibus indubitatam fidem præbeamus.

D. Quomodo Deus certam futurorum notitiam Prophetis inſpirare ſeu revelare ſolet?

M. Bi-

M. Biſariam ſolet Deus inſpirare, ſeu revelare Prophetis certam quarumdam veritatum, & rerum futurarum notitiam, videlicet, mediate, & immediate. Revelatio mediate fit per Angelos, quorum miniſterio utitur Deus: Revelatio immediata fit a Deo, & eſt duplex, una exterior, altera interior. Revelatio immediata exterior declaratur per vocem externam, qua Propheta docetur, quid dicere, agere, vaticinarive debeat. Revelatio immediata interior fit quandoque in ſomniis per repræſentationem, ſeu per imagines objectorum: quandoque in extaſi, in qua Propheta, a ſuis ſenſibus alienatus extra ſe rapitur, ſive, ut inquit Scriptura Sacra, *irruit in eum Spiritus Sanctus*, qui illum ad loquendum & ſcribendum impellit. Denique, fit aliquando immediata revelatio interior, dum Propheta expergefactus ſedatæ mentis eſt, ſui juris, & tranquille utens ſuorum ſenſuum exercitio, ea loquitur, vel litteris mandat, quæ, afflante Spiritu Sancto, ei inſpirantur, ac revelantur. Hinc facile reddi poteſt ratio, cur in libris Prophetarum interdum Vaticinia, diſturbato ordine rerum, referantur, nec diſponantur, juxta rationem temporum. Hæc quippe confuſio inde orta eſt, quia ſolemne eſt Prophetis, divino impulſis motu, & ſacro furore correptis, non rationis humanæ dictata ſequi, aut accuratam rationem temporum texere, ſed potius, prout cœleſtis ſe dat ſpiritus, diſſipato & indigeſto ordine divina fundere Oracula. Quæ confuſio tantum abeſt, ut divinæ Librorum Propheticorum auctoritati quidquam detrahat, ut potius probet, illos libros non eſſe humanæ mentis opus, res concinne, conſerte, & contexte ſingulas explicantis, & rationum cohærentiam ſequentis, ſed eſſe conſcriptos ab hominibus, afflatu cœleſti inſtinctis, ac res futuras ſibi a Deo revelatas, per interciſa & ſalebroſa promentibus Oracula. Advertere tamen debes, veros Prophetas non eo pacto moveri a Spiritu Sancto, quo Energumeni ab immundis ſpiritibus impelluntur; vel quo olim Vates Ethnici, & Pythoniſſæ in rabiem agebantur; vel quo Pſeudo-Prophetæ, Montaniſtarum, ſicut obſervant *S. Epiphanius* in *Hæreſi Montaniſtarum*, & *S. Hieronymus*, Præfatione in Comment. in Prophetam *Nahum*, furore & inſania correpti, quidquid veniebat in buccam temere effutiebant, quos nonnulli apud Hæreticos noſtri temporis fanatici, violentis motibus ſe agitantes, imitari ſolent; ſed Spiritum Sanctum ſic ſacros Prophetas incitaſſe, ut mente ſemper ſana, & liberi arbitrii uſu fruerentur, ſeque eorum genio, & ſpiritui accommodaſſe, ne ipſorum conatus, labor, & induſtria inutilis eſſet. Unde, quia varius erat ſacrorum Prophetarum genius, varius itidem eſt illorum in ſcribendo ſtylus, in aliis quidem elegans, ſicut in Propheta *Iſaia*, qui erat ex illuſtri proſapia oriundus, & in Aula Regia verſatus; in aliis vero humilis & ſimplex, ſicut in Propheta *Amos*, qui erat paſtor ovium; non ſecus ac flatus uno ore emiſſus, pro varia calamorum diſpoſitione, varios ſonos edit e fiſtula.

D. Tenemurne credere, Prophetas Veteris Teſtamenti ſacra fudiſſe Oracula, quæ vere, & proprie pertineant ad Jeſum Chriſtum, promiſſum a Deo Meſſiam, & totius humani generis Redemptorem?

M. Id certe citra ullam animi dubitationem credere debemus. Primo, quia Apoſtolus *Paulus* cap. 26. Actor. Apoſt. affirmat, omnia, quæ de Chriſti Domini Adventu, Morte, Reſurrectione, & Doctrina prædicabat, fuiſſe jam a Prophetis prædicta: *Nihil extra dicens, quam ea, quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe & Moyſes*. Præterea, eodem argumento, ex vaticiniis Prophetarum Veteris Teſtamenti petito, uſi ſunt antiqui Patres ad probandum contra Ethnicos vera eſſe quæ de Jeſu Chriſto, Servatore noſtro, credimus. Sic enim *Athenagoras* in Legatione pro Chriſtianis ait: *Eorum, quæ novimus, & credimus, habemus Prophetas teſtes*. *Origenes* lib. 2. contra *Celſum*, Ethnicum,

va-

Digitized by Google

validiſſimam demonſtrationem vocat argumentationem, ductam ex Prophetarum prædictionibus. *S. Cyprianus* adverſus Judæos in Præfatione ad *Quirinum*, ait: *Prædictiones Prophetarum valere ad prima fidei lineamenta formanda*. *S. Auguſtinus* Tractatu 35. in *Joannem*, hæc habet: *Quid eſt Chriſtus? dicit Paganus; cui nos reſpondemus: Quem prædixerunt Prophetæ*. Et cap. 2. lib. 13. contra *Fauſtum*, Hæreticum Manichæum, hæc ſcribit: *Dicere non eſſe aptam Gentibus Hebræorum Prophetiam, ut credant in Chriſtum, quum videamus omnes Gentes per Hebræam Prophetiam credere in Chriſtum, ridicula inſania eſt*. Et ſane, omnia, quæ Prophetæ de venturi Meſſiæ Ortu, Vita, Doctrina, Miraculis, Morte, Reſurrectione &c. prædixerunt, ita in Jeſu Chriſto fuiſſe adimpleta demonſtravi in Tractatu, quem edidi *De Vita, Myſteriis, & Annis Jeſu Chriſti*, ut in tanta luce, atque in hoc Vaticiniorum eventu, nunc omnium oculis perſpicuo, atque coruſcante Sole meridiano clariori, nullus, niſi plane obduratus, aut occæcatus Judæus, cæcutire, aut caligare poſſit. Hinc duplex error rejici debet. Primus eſt Gentilium, qui dictitant, hæc Prophetarum Vaticinia fuiſſe data opera a Chriſtianis conficta ac procuſa. Sed hic error refellitur primo, quia ipſimet Judæi, jurati Chriſtianorum hoſtes, palam profitentur, hæc Prophetarum Vaticinia eſſe antiquiſſima, nec unquam a Chriſtianis excogitata, quamvis Judæi, ne fateri cogantur, Jeſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam, nihil non moliantur, ut iiſdem Prophetarum Vaticiniis, quæ antiquiſſima ac divina eſſe agnoſcunt, tenebras offundant, eaque, vanis & violentis adhibitis interpretationibus, eludant. Secundo, Evangeliſtæ in deſcribenda Hiſtoria Jeſu Chriſti, & Apoſtoli, diſputantes contra Judæos, multa laudarunt Prophetarum Oracula ad probandum Jeſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam, ab ipſis prænuntiatum, nec tamen Judæi (quorum magni intereat reclamare) unquam Evangeliſtis, & Apoſtolis exprobarunt, aut vitio verterunt, hæc, quibus utebantur, Prophetarum Oracula eſſe ſuppoſititia, & de induſtria ab illis conficta. Tertio, Evangeliſtas, & Apoſtolos a ſacrilega illa nectenda fraude fuiſſe penitus alienos, aperte demonſtrant, eorum in moribus, in perpetuo vitæ tenore, in modo ſcribendi candor ac ſimplicitas, ad illorum prædicationem quaſi repentina totius Mundi ad Chriſtum converſio, morum turpiſſimorum commutatio, Idololatriæ extirpatio, Chriſtianæ Religionis propagatio, Judæorum ruina, atque exterminium; denique, ingens miraculorum, quæ patrarunt, multitudo, pauperies, exilia, ac ditiſſima, quæ in probroſa morte paſſi ſunt, tormenta, hæc, inquam, & alia id genus argumenta, quæ late expoſui in prima Diſſertatione proluſoria ad *Tractatum De Myſteriis & Annis Chriſti*, quem Romæ anno MDCCXXIV. ſecundis curis adornavi, veritatem & antiquitatem conciliant his Prophetarum Oraculis, quibus uſi ſunt Evangeliſtæ & Apoſtoli ad probandum Jeſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam in Lege promiſſum, & a Prophetis longe ante prædictum. In alterum errorem circa Vaticinia Prophetarum impegit *Hugo Grotius*, qui in Sacrarum Scripturarum interpretatione ingenio ſuo plus æquo indulgens, auſus eſt aſſerere, Prophetias duplicem involvere ſenſum, primarium ſcilicet, & ſecundarium. Qua poſita diſtinctione, ait, primarium & proprium Prophetarum ſenſum ad Hiſtorias hujus temporis, quo a Prophetis mandabantur litteris, eſſe referendum; ſecundarium vero ſenſum, ſeu remotum, myſticum, & allegoricum, ad Chriſtum Servatorem noſtrum, duntaxat pertinere. Ex quo infert *Grotius*, Prophetias ad Fidem Chriſtianam adſtruendam infirmas eſſe & invalidas, nihilque ad jacenda Fidei fundamenta juvare, ſive, ut ipſemet loquitur: *Non in vim argumenti proprie adhiberi, ſed ad illuſtrandam atque confirmandam rem jam creditam*. Sed hæc temeraria, & inaudita *Grotii* ſententia jure merito ab omnibus Theologis exploditur, quia vim apertam facit nativo & germano Prophetarum

rum ſenſui, quem ad Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam, recta collimare, & in ipſo fuiſſe revera completum, tam certo liquet, ut hi, qui huic veritati refragantur, tanquam cæci in meridie palpare videantur. At enim, ut obiter dicam, in libris Prophetarum Veteris Teſtamenti clare prædicitur adventus Meſſiæ, qui ex ſtirpe *Abrahami*, *Iſaaci* & *Jacobi*, ex Tribu *Juda*, & ex familia *Davidis*, Regis, proditurus eſt, eo tempore, quo a Tribu Juda, ſeu a tota Natione Judaica, Regnum deficere debebat, poſt finem quatuor Monarchiarum, quas Propheta *Daniel* in ſomnio *Nabuchodonozoris* expoſuit poſt ſeptuaginta Hebdomades, ab eodem *Daniele* deſignatas. Adduntur inſuper hujus adventus Meſſiæ impleti temporis notæ toto orbe conſpicuæ; nimirum pacis ubique terrarum regnaturæ felicitas, ceſſatio Sacrificiorum Veteris Legis, Judæorum rejectio ac diſſipatio, Gentium vocatio &c. Deſcribuntur etiam minutatim circumſtantiæ loci nativitatis Meſſiæ in Bethleem, educationis in Nazareth, Prædicationis, Vitæ, Doctrinæ, Miraculorum, Mortis, Reſurrectionis, Aſcenſus in Cœlum &c. Hæc ſunt divina Promiſſa, & Oracula, quæ de venturo Meſſia extant in libris Prophetarum Veteris Legis, quorum verum & proprium ſenſum ad Jeſum Chriſtum pertinuiſſe, & in eo exitum ſuum habuiſſe luculentiſſime produnt novi fœderis libri, a quatuor Evangeliſtis & ab Apoſtolis conſcripti. Addo etiam, hanc temerariam *Grotii* ſententiam recta fronte opponi ſanctis Patribus, quæ mox laudavi, quique *validiſſimam Demonſtrationem* vocant argumentationem ductam ex prædictionibus Prophetarum. Quod certe dici haud poſſet, ſi primarius, ſeu nativus ac genuinus Prophetiarum ſenſus (ſicut falſo pertendit *Hugo Grotius*) ad Chriſtum Dominum non referretur.

D. Hæc ſat ſuperque ſufficit mihi generalis, quam hactenus tradidiſti, notitia circa nomen, inſpirationem, auctoritatem Prophetarum Veteris Legis, & Oraculorum, quæ fuderunt, verum, & genuinum ſenſum. Jam etiam memoria teneo, omnes, quas præfixiſti, regulas ad diſcernendos veros Prophetas a falſis. Nunc arrectis auribus audiam res, quas præclare geſſerunt Prophetæ, qui in quinta Mundi Ætate, ſeu ante captivitatem Babylonicam, in Gente Judaica claruerunt.

M. Sexdecim ſunt Prophetæ, qui ſuas Prophetias litteris prodiderunt, quorum quatuor dicuntur *Prophetæ Majores*, videlicet *Iſaias*, *Hieremias*, *Ezechiel*, & *Daniel*. Alii vero vocantur *Prophetæ Minores*, & ſunt *Oſee*, *Joel*, *Amoſus*, *Abdias*, *Jonas*, *Michæas*, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophonias*, *Aggæus*, *Zacharias*, & *Malachias*; Inter Prophetas Majores, unus eſt, videlicet, *Daniel*, qui vaticinatus eſt durante captivitate Babylonica, hoc eſt, jam decurrente ſexta Mundi Ætate, de quo ſubinde Propheta opportunius ſuo loco, ſeu in Colloquiis noſtris in ſextam Mundi Ætatem diſſeremus. Similiter inter duodecim Prophetas Minores, tres ſunt, nimirum *Aggæus*, *Zacharias*, & *Malachias*, qui poſt captivitatem Babylonicam, ſeu in ſexta Mundi Ætate, Prophetarum munia obierunt, & quorum præclare geſta & vaticinia in noſtris itidem Colloquiis in ſextam Mundi Ætatem commodius referemus. In iſto itaque Colloquio texemus breviter Hiſtoriam Prophetarum, qui in quinta Mundi Ætate ſub Regibus Juda Libros Propheticos conſcripſerunt, & Oracula, quibus prædixerunt adventum Meſſiæ, ſeu Chriſti Domini, indicabimus. Deinde, Prophetarum *Eliæ*, & *Eliſæi*, qui in eadem quinta Mundi Ætate ſub Regibus Iſraelis floruerunt, illuſtriora Acta, Miracula, & Vaticinia, quæ in libris Regum deſcripta leguntur, ſummatim perſtringemus.

D. Incipiamus, ſi placet, a Prophetis Majoribus, qui ſub Regibus Juda inſigni res futuras prædicendi dono fuerunt illuſtres.

M. Principem inter Prophetas Majores locum Scriptura Sacra tribuit *Iſaiæ*, qui initio ſuæ Prophetiæ filium

Digitized by Google

lium *Amos* ſe dicit, non quidem illius, qui inter Prophetas Minores ordine tertius eſt, ſicut perperam ſibi perſuaſit *Pſeudo-Epiphanius* in libro *De Vitis Prophetarum*, ſed fuit filius *Amoſi*, quem *Amaziæ*, ſeu *Azariæ*, Regis Juda, fratrem fuiſſe veteres Scriptores tradunt. Nobilitate generis conſpicuus *Iſaias*, ut pote e Regia ſtirpe ortus, ceteris Prophetis eloquentia antecelluit. *De Iſaia* (inquit *S. Hieronymus* in Præfatione ad *Paulam*, & *Euſtochium*) *ſciendum, quod in ſermone ſuo diſertus ſit, quippe ut vir nobilis, nec habens quidquam in eloquio ruſticitatis admixtum*. Vaticinatus eſt *Iſaias* ſub quatuor Regibus Juda, ſcilicet *Ozia*, *Joathan*, *Achaz*, & *Ezechia*. Prædixit *Achaz* liberationem Hieroſolymorum urbis, quæ a *Raſin*, Rege Syriæ, & *Phacee*, Rege Iſraelis, obſidebatur, eidemque Regi futuræ hujus liberationis ſignum dedit virginem parituram. Quo Vaticinio *Iſaiam* prædixiſſe ortum Chriſti Domini, qui e Virgine *Maria* naſciturus erat, multis argumentis evicimus in Paragrapho ſecundo Diſſertationis primæ *Tractatus*, quem edidimus, *De Myſteriis*, & *annis Chriſti*, *Servatoris noſtri*, ibidemque ſiniſtras, & detortas interpretationes, quibus perfidi Judæi hoc *Iſaiæ* de Virgine paritura Vaticinium obſcurare moliuntur, exſufflavimus. Piiſſimo *Ezechiæ*, Regi Juda, auxilium a Deo contra Aſſyrios ſpopondit, & impetravit Propheta *Iſaias*, eique lethali morbo decumbenti prorogationem vitæ, & Regni in decimum quintum annum, nec non liberationem de manu Aſſyriorum prædixit, ſigno etiam dato, mirabili ſcilicet ſolaris umbræ reductione, & ſolis ipſius retroceſſione. Quo inſigni miraculo (ut docent ſancti Patres *Gregorius Nazianzenus* Oratione 19. S. *Hieronymus* Commentario in caput 38. *Iſaiæ*, *S. Auguſtinus* lib. 21. *De Civitate Dei cap.* 8. & *Theodoretus* quæſtione 52. in librum quartum Regum) omnes cœleſtes orbes una cum Sole retroacti, horæque plurimæ, nocti detractæ, diei additæ ſunt. Prædixit inſuper *Iſaias* finem Regnorum, Iſraelis, & Syriæ; excidium urbis *Damaſci*, ingentem ac truculentam Babyloniorum vaſtationem, faciendam a Medis; clades Ægyptiis, & Æthyopibus inferendas; captivitatem decem Tribuum Iſraelis, quas in Aſſyriam deportavit *Salmanaſar*, Rex Aſſyriorum. Judæorum ſcelera vehementer redarguit Propheta *Iſaias*, eiſque prædixit futuram eorum tum captivitatem Babylonicam per *Nabuchodonoſorem*, Babyloniorum Regem; tum captivitatem Romanam per *Titum*, Romanorum Imperatorem. Eos tamen conſolatur, certa ſpe data de reſtituenda ipſis libertate per *Cyrum*, Perſarum Regem, de quo nominatim, & de ejus victoriis, atque Imperio multa vaticinatus eſt *Iſaias*, longe antequam Rex *Cyrus* naſceretur. Sed nullus inter Prophetas clarius ac diſtinctius Ortum, Vitam, Miracula, & Paſſionem Chriſti, veri Meſſiæ, prædixit, quam Propheta *Iſaias*, *cujus omnis cura* (ut inquit *Sanctus Hieronymus* in Præfationem ad *Paulam*, & *Euſtochium*) *de Vocatione Gentium, & adventu Chriſti eſt, ut non tam Propheta dicendus ſit, quam Evangeliſta. Ita enim univerſa Chriſti, Eccleſiæque Myſteria ad liquidum proſecutus eſt, ut non putes eum de futuro vaticinari, ſed de præteritis hiſtoriam texere*. His gemina habet *Theodoretus* in *Prologo Commentariorum*, ubi iſtud de Propheta *Iſaia* profert judicium: „ Divini quidem „ omnes Prophetæ, non ea ſolum „ prænuntiarunt, quę Iſraeli even- „ tura erant, ſed de Gentium etiam „ ſalute vaticinati ſunt, & Domini „ adventum pręmonſtrarunt. Om- „ nium vero maxime diviniſſima Iſa- „ ię vaticiuatio credita eſt. Nam „ aperte omnia pẹdicit, & prognatam „ ex Abraham, & David Benedictio- „ nem, & Salvatoris Nativitatem ex „ Virgine, & patrata omnium gene- „ rum miracula, fonteſque curatio- „ num; & Judęorum invidiam atque „ rabiem, & Paſſionem, & Mortem, „ & Reſurrectionem ex mortuis, & „ Aſcenſionem in Cœlos, & Apoſto- „ lorum delectum, & ſalutem om- „ nium Gentium. Non me later, Ju-

dęos

dæos, ut his vaticiniis, quæ Propheta *Iſaias* fudit de Chriſto Domino, Servatore noſtro, tenebras offundere poſſint, tortuoſos, & inexplicabiles quærere anfractus, eiſque violentas adhibere interpretationes; ſed quia in Tractatu, quem lucubravi *De Myſteriis & Annis Chriſti*, late oſtendi, quam futiles ſint Judæorum interpretationes, omnemque ad vana illorum effugia aditum præcluſi, plura hic non dicam, ne actum agere videar, tibique iteratis repetitionibus faſtidium ingeram. Præter hunc, quem habemus, Vaticiniorum *Iſaiæ* librum, alia ab eodem Propheta fuiſſe ſcripta Opera conſtat ex capite 36. lib. 2. Paralipomenon, ubi res geſtas *Oziæ*, Regis Juda, ab illo litteris mandatas eſſe narratur. Verum, hæc Regis *Oziæ* Hiſtoria, quam Propheta *Iſaias* peculiari libro, a ſua Prophetia diſtincto, conſcripſit, injuria temporum excidit, plurima tamen vaticinia, quæ ſub *Ozia*, Rege, edidit *Iſaias*, extant in eo, quem nunc habemus, ejuſdem Prophetiæ vaticiniorum libro, ſuntque prioribus quinque capitibus inſerta. Denique, *Iſaias* ab impio *Manaſſe*, Rege Juda, cujus impietatem libero ore carpebat & inſectabatur, per ſummam immanitatem ferra ligne a diſſectus eſt, ſicut fert pervulgata Hebræorum traditio, ſanctorum Patrum ſuffragiis confirmata, & ſepultus eſt ſub quercu *Ragel*, juxta ſepulcra Regum.

D. Cum librum, quem edidiſti, *De Myſteriis & Annis Chriſti*, necdum legerim, nec eum ad manum habeam; obſecro te, ut præcipua *Iſaiæ* Vaticinia, quæ ad *Jeſum Chriſtum*, Servatorem noſtrum, referuntur, indigitare haud graveris; & eadem opera indices loca Tactatus, quem publicaſti, *De Myſteriis & Annis Chriſti*, in quibus ejuſmodi *Iſaiæ* Vaticinia in Chriſto Domino fuiſſe completa, adverſus Judæos demonſtraſti.

M. Potiſſima *Iſaiæ* Vaticinia, quæ ad Chriſtum Dominum, verum Meſſiam, ſemota omni obſcuritate, referuntur, hic quaſi digito monſtrare ſufficiet. Si enim ea a Judæorum cavillationibus vindicanda ſuſcipere vellem, tanta mihi exuberaret dicendi copia, ut nec modum teneret præſens noſtrum Colloquium, nec finem reperiret oratio. Poteris, ſi tibi per otium liceat, legere Diſſertationes, quas mox tibi indicabo, a me in Tractatu *De Myſteriis, & Annis Chriſti* concinnatas, ex quibus plenam *Iſaiæ*, & aliorum ſacrorum Veteris Teſtamenti Vatum notitiam Oraculorum hauries, ſimul & modum refellendi inanes, & jam millies eliſas interpretationes Judæorum, qui in tanta luce cæcutiunt, & oculos ad tot affulgentes veritatis radios deploranda cæcitate occludunt, ſicut prædixit ipſemet Propheta *Iſaias* cap. 6. dicens: *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & ejus oculos claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum*. Producturus itaque in medium præcipua Vaticinia, quibus *Iſaias* prædixit Chriſti Domini Myſteria, ordiar ab illis Oraculis, quæ referuntur ad ortum, ſeu ad nativitatem ejuſdem Chriſti Servatoris noſtri. Et primo quidem, quibus verbis poterat *Iſaias* clarius vaticinari Conceptionem, Ortum, & Nativitatem Chriſti Domini, quam, dum cap. 7. ſuæ Prophetiæ ait: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*? Chriſtus enim, ut fuſe oſtendi in Paragrapho ſecundo Diſſertationis primæ Tractatus *De Myſteriis Chriſti*, ſola operatione Spiritus Sancti conceptus eſt in utero mundiſſimo *Beatæ Mariæ* Virginis, & ex ea natus eſt integris remanentibus virginei pudoris ſignaculis. Sed quid etiam luculentius eo, quod apud *Iſaiam* cap. 9. de ortu Jeſu Chriſti legitur, Vaticinio: *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſæculi, Deus pacis*? E familia Davidis, Regis, oriturum Meſſiam diſerte prædixit *Iſaias* capite 11. dicens: *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet*. Quæ divini Ora-

Oraculi verba Rabbi *Aben Eſra*, *R. Salamon*, *R. Arbabanel*, *R. Arama*, & plerique recentiores Hebræi, de Meſſia interpretantur. Porro, Chriſtum Dominum ortum eſſe ex ſtirpe *Abrahami*, & e familia Davidis, Regis, ac ſubinde ex Tribu Juda, ex qua proditurus erat Meſſias, omni argumentorum genere probavi in Tractatu *De Myſteriis Chriſti Domini*, Diſſertatione tertia, quæ eſt de *ſtemmate*, ſeu de genere & origine Chriſti Domini. Quin, & Propheta *Iſaias* capit. 2. prædixit, naſcente Meſſia, regnaturam ubique terrarum pacem: *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes Gentes . . . & judicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces, non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium*. Hæc autem ſumma & univerſalis pax, quæ juxta Prophetam *Iſaiam*, naſcente Meſſia, per totum Orbem terrarum vigere debebat, revera contigit, dum Chriſtus Dominus natus eſt anno quadrageſimo Imperii *Auguſti*, quo anno Imperatorem *Auguſtum Jani* Templum clauſiſſe, totumque Orbem beatiſſima & altiſſima pace fuiſſe potitum, tam ex ſanctis Patribus, quam ex multis Hiſtoriæ Romanæ monumentis evici in Paragrapho 2. Diſſertationis ſeptimæ *Tractatus de Myſteriis & Annis Chriſti*, *Servatoris noſtri*. Sed ſatis hactenus, quantum pati poteſt Colloquiorum noſtrorum brevitas, delibavimus Vaticinia, quibus *Iſaias* Conceptionem, Ortum, & Nativitatem Chriſti Domini prædixit. Nunc pauca ex innumeris propemodum Oraculis, quæ de Miraculis, Doctrina, Morte & Paſſione Chriſti Domini fudit *Iſaias*, hic adjiciam, &, ne in his explicandis longior ſim, ea tantum indicabo loca Tractatus, quem edidi, *De Myſteriis & Annis Chriſti*, *Servatoris noſtri*, in quibus de illorum eventu, qui nunc omnium oculis perſpicuus eſt, plenam adverſus Judæos tradidi notitiam. Miracula, quæ venturus Meſſias patraturus erat, clariſſime *Iſaias* capite 35. prædixit his verbis: *Deus ipſe veniet, & ſalvabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, tunc ſaliet, ſicut cervus, claudus, & aperta erit lingua mutorum*. Hoc autem *Iſaiæ* Vaticinium fuiſſe in Jeſu Chriſto adamuſſim impletum, copioſe contra Judæos probavi in Tractatu *De Myſteriis Jeſu Chriſti* Diſſertatione 14. ubi oſtendi, Jeſum Chriſtum, dum in terris converſaretur, quacumque iter faceret, ægros ac debiles, & omni morborum genere laborantes, uno verbo, unoque momento reddidiſſe incolumes, adeo ut illi, qui omnibus membris capti erant, receptis actutum viribus roborati, lectulos ipſi aſportarent, in quibus fuerant paulo ante delati, claudis vero, ac pedum vitio afflictis non modo gradiendi, ſed etiam currendi dediſſe facultatem; cæcorum oculos in priſtinum reſtituiſſe adſpectum, mutorum linguas in eloquium ac ſermonem ſolviſſe, ſurdorum patefactis auribus inſinuaſſe auditum, pollutos, aſperſoſque maculis repurgaſſe, mortuos, velut e ſomno ſolutos, ad vitam revocaſſe, tantamque in eo fuiſſe poteſtatem, ut imperio ſuo cogeret ventos obſequi, maria ſervire, mortem cedere, Infernos obedire. Cæleſtem Doctrinam Judeis ac Gentibus annunciaturum Meſſiam prædixit *Iſaias* capit. 49. dicens: *Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ*. Et rurſus c. 61. ait: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me. Ad annunciandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo noſtro, ut conſolarer omnes gentes*. Hoc *Iſaiæ* Oraculum vere fuit adimpletum in Jeſu Chriſto, quippe qui (ut oſtendi in *Tractatu de Myſteriis Chriſti*) cœleſtem ac divinam Doctrinam, bis a Patre Æterno voce ſenſibili approbatam, per omnem terram verbis & exemplis ſeminavit, apud Judæos prædicavit, ad inflectenda ſaxea eorum corda nihil non egit, Publicanos mi-

ra

ra comitate, & ſuavitate morum ad meliorem frugem convertere ſategit, & ſupercilium damnans Phariſæorum qui ſanctitatis obtentu, peccatorum conſortia vitabant, innumeros peccatores luce Evangelica illuſtravit. Quin, poſtquam ſurrexiſſet ex mortuis, præcepit Apoſtolis ſuis, quos ex Judæis, tanquam e populo primogenito, ſelegit, ut irent in Mundum univerſum, prædicarent Evangelium omni creaturæ, & docerent omnes Gentes, ſicque adimpleretur Vaticinium *Iſaiæ* capit. ultimo v. 19. ſuæ Prophetiæ dicentis: *Mittam ex eis*, ſeu Judæis, *qui ſalvati ſunt*, *ad Gentes in Mare*, *in Africam*, *& Lydiam tendentes ſagittam: in Italiam*, *& Græciam*, *ad Inſulas longe*, *ad eos*, *qui non audierunt de me*, *& non viderunt gloriam meam*, *& annuntiabunt gloriam meam*. Denique, ut, brevitatis ergo, cetera *Iſaiæ* de Chriſto Domino prætermittam Vaticinia, dicam duntaxat, Paſſionem Chriſti Domini cum omnibus penes ejus circumſtantiis fuiſſe ab illo Propheta graphice deſcriptam toto capite quinquageſimo tertio, ubi hæc leguntur. „ Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, „ attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis ſuper eum, & livore „ ejus ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in „ viam ſuam declinavit, & poſuit Deus „ in eo iniquitatem omnium noſtrum. „ Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non „ aperuit os ſuum, ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi Agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non „ aperiet os ſuum: De anguſtia & judicio ſublatus eſt: generationem ejus „ quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de „ terra viventium: propter ſcelus populi mei percuſſi eum ..... Cum „ ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit. Quæ omnia in Jeſum Chriſtum, pro peccatis noſtris probroſæ morti addictum, perfectiſſime quadrant. Cui enim melius, quam Chriſto Domino congruunt admirabilis ille ortus cum infima exinanitione, & plurimorum incredulitate junctus, horrenda dolorum, qui nobis debebantur, & innocentiſſima perpeſſio? peccatorum noſtrum bajulatio? ſumma patientia, & voluntaria ſui ipſius ad ſubeundam mortem oblatio? ovis ad occiſionem ductæ, & Agni coram tondente ſe obmuteſcentis, nec aperientis os ſuum, inſtituta comparatio? cum ſceleratis deputatio, & fuſa pro tranſgreſſoribus oratio: cui, inquam, melius hæc omnia conveniunt, quam Chriſto Domino, cujus divina generatio, pro Myſterii incomprehenſibilis altitudine & dignitate enarrari non poteſt, qui vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, tanquam ovis ad occiſionem ductus, & quaſi Agnus coram tondente ſe obmutuit, qui denique cum ſceleratis reputatus eſt, ut pote inter duos latrones crucifixus, & pro tranſgreſſoribus, ſeu pro his, qui eum crucifigebant, rogavit, dicens: *Pater ignoſce illis* &c. Sed de hoc *Iſaię* Vaticinio, quod ſpectat circumſtantias Paſſionis & Mortis Chriſti Domini, plura legeſis in Diſſertatione 19. *Tractatus de Myſteriis Jeſu Chriſti*, ubi, eliſis falſis & abſurdis Judæorum interpretationibus, oſtendi, iſtud *Iſaię* Vaticinium, quod omnes veteres Rabbini (ut videre eſt apud noſtrum *Raymundum Martini* in ſuo *Pugione Fidei*) uno ore fatentur, ad Meſſiam eſſe referendum, in Chriſto Jeſu, Servatore noſtro, quantum ad omnes apices fuiſſe adimpletum.

D. *Hieremias*, qui inter Prophetas Majores cenſetur, fuit ne coævus *Iſaiæ* Prophetæ?

M. *Hieremias*, filius *Helcię*, Sacerdotis, ex *Anathot*, vico tribus millibus ab Hieroſolymis, diſtante, oriundus, poſterior fuit Propheta *Iſaia*; qui ſub *Manaſſe*, Rege Juda, per ſummam crudelitatem ſerra lignea diſſectus eſt, *Hieremias* vero munus Prophetæ obire duntaxat cœpit anno 13. *Joſiæ*, Regis Juda, & regnante deinde *Joachazo*, *Joakimo*, *Jechonia*, & *Sedecia*, Regibus Juda, per annorum circiter quadraginta decurſum, ad urbis uſque Hieroſolymorum integrum excidium (quod ſicut diximus in primo noſtro in Hi-

Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis Colloquio) contigit anno undecimo Regni *Sedekiæ*, vaticinatus eſt in Juda ; poſtquam decem Tribus Iſraelis fuiſſent jam a *Salmanaſare*, Aſſyriorum Rege, in Aſſyriacam captivitatem deportatæ. In eo, quem *Hieremias* edidit, Vaticiniorum libro graviter invehitur in Judæos, ob graviſſima illorum peccata, eiſque comminatur juſtiſſimas pœnas propediem a Deo infligendas, præſertim *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, adventum, Urbis & Templi excidium, & captivitatem Babylonicam. Poſtremum caput hujus libri Vaticiniorum *Hieremiam*, non habet Auctorem, ſed fuit adjectum vel a *Baruch*, Scriba *Hieremiæ*, ut cenſet noſter *Sixtus Senenſis*, vel ab *Eſdra*, ſicut opinantur alii viri eruditi. Præter hunc Vaticiniorum librum, *Hieremias* ſcripſit *Threnos* ſeu *Lamentationes*, quarum Auctorem fuiſſe hunc Prophetam probant ſtyli ſimilitudo, locutiones ſimiles in Vaticiniorum libro, & in Lamentationibus, parva Præfatio *Threnis* præfixa in lxx. Interpretum Verſione, Veterum Patrum, & Eccleſię auctoritas, unanimis omnium Interpretum conſenſus. *Threnos*, ſeu Lamentationes, claudit *Oratio Hieremiæ*, quæ in Hebraico Exemplari, in lxx. Interpretum Editione, in Chaldaica Paraphraſi, in Syriaca, & Arabica Verſionibus, & apud *S. Hieronymum*, a reliquo *Threnorum*, ſeu Lamentationum *Hieremiæ* Opere non divellitur. Scripſit etiam *Hieremias* Epicædium, ſeu lugubre Carmen, in morte *Joſiæ*, Regis Juda, ſicut narratur lib. 2. Paralipomenon cap. 35. v. 25. quod omnino periit ; Epiſtolam ad Judæos, in captivitatem Babylonicam abducendos, cujus mentio fit cap. 51. v. 60. Prophetiæ *Jeremiæ*, & alteram Epiſtolam ad eumdem populum, in prædicta captivitate conſtitutum, quę inſerta eſt c. 6. lib. Prophetæ *Baruch*. Auctor ſacer lib. 2. Machabęorum cap. 2. v. 1. citat *Deſcriptiones Hieremiæ Prophetæ*, quę non ſunt tranſmiſſę ad poſteros. Denique, Prophetæ *Hieremias*, qui Hieroſolymis remanſerat, & in captivitatem Babylonicam non fuerat abductus, poſt mortem *Godoliæ*, qui juſſu *Nabuohodonoſoris*, in locum *Sedekiæ*, Regis Juda, in Babylonem translati, ſuffectus fuerat, & ab *Iſmaele*, Ammonita, interfectus ; in Ægyptum una cum reliquis Judęorum deportatus eſt, ubi a Judęis captivis, quos, propter Idololatriam, ſolita libertate reprehenderat, fuit in urbe *Taphnes* lapidibus obrutus, & martyrii gloria decoratus, cujus ſubinde memoria Kalendis Maii celebratur in Martyrologiis *Bedæ*, *Rabani*, *Adonis*, *Notkeri*, *Vvandelberti*, *Uſuardi*, & in *Romano*, nec non in Menologio Græco *Baſilii Porphyrogeniti*, Imperatoris, ut videre eſt apud *Bailletum* in *Tomo de Vitis Sanctorum Veteris Teſtamenti*. *Baruch*, Propheta, filius *Neriæ*, Hieremiæ diſcipulus, & Amanuenſis, nobiliſſima ortus familia, & patria lingua apprime excultus (teſte *Joſepho* lib. 10. *Antiquit. Jud.* cap. 11.) Prophetiam ſuam ſcripſit, ſicut ipſemet profitetur *in anno quinto*, *in ſeptimo die menſis*, *in tempore quo ceperunt Chaldæi Hieruſalem*, *omnemque domum combuſſerunt igni*, id eſt, in anno quinto poſt Hieroſolymitanum Excidium. Prophetiam ſuam ſcripſit *Baruch* Babylone, quo hic Propheta, poſt mortem *Hieremiæ*, ſeſe tranſtulerat. In hac Prophetia hortatur *Baruch* Judæos captivos ad pœnitentiam, inducit Hieruſalem, quaſi matrem lugentem filiorum ſuorum captivitatem, ſed eam mox conſolatur, & prædicit, fore ut Judęi e captivitate Babylonica poſt ſeptem generationes liberentur. Interim eos monet, ut Chaldæorum Idola non colant, utpote cum ſint trunci duntaxat carioſi, vel lapides ad nullum uſum apti, aut utiles, quorum vanitatem multis oſtendit. Hic Propheticus *Baruchi* liber in vetuſto ſacrorum librorum Catalogo ſpecialem ſedem non obtinebat, eumque plures antiqui ſancti Patres ſub nomine *Hieremiæ* citarunt, quod illum, inſtar Appendicis libri Vaticiniorum Prophetæ *Hieremiæ*, ſpectarent. At, poſt definitionem *Eugenii IV.* Summi Pontificis & Synodi Tridenti-

næ Patrum, qui librum *Baruch*, tanquam ſacrum & canonicum, atque a libro Vaticiniorum *Hieremiæ* omnino diſtinctum eſſe declararunt, nullus niſi Hæreticus, divinam libro *Baruchi* auctoritatem abjudicare poteſt.

D. Suntne in libro Vaticiniorum *Hieremiç*, & in libro Prophetico *Baruchi*, ejus Amanuenſis, aliquot Oracula, quæ ad Jeſum Chriſtum, Servatorem noſtrum, verumque Meſſiam referantur?

M. Bene multa in libro Vaticiniorum *Hieremiæ* extant Oracula, quibus hic Propheta futura Chriſti Domini myſteria, Vocationem Gentium, Veteris, ſeu Moſaicæ Legis abrogationem, novi fœderis ſanctionem & inſtitutionem apertiſſime prædicit. Pauca ex multis hic laudare ſufficiet. In primis, *Hieremias* cap. 23. Vocationem Gentium, & Chriſti Domini Adventum prænuntiat. Ait quippe v. 3. illius capitis: *Ego congregabo reliquias gregis de omnibus terris* &c. Et v. 5. ejuſdem capitis: *Ecce dies veniunt*, *dicit Dominus*, *& ſuſcitabo David germen juſtum*, *& regnabit Rex*, *& ſapiens erit*, *& faciet judicium & juſtitiam in terra*. Et verſ. 6. ejuſdem capitis: *In diebus illis ſalvabitur Juda*, *& Iſrael habitabit confidenter*, *& hoc nomen*, *quod vocabunt eum*, *Dominus juſtus noſter*. Rurſum idem Propheta cap. 31. v. 22. inſolitam & miraculoſam Chriſti in utero Virginis conceptionem vaticinatur his verbis: *Uſquequo deliciis diſſolveris filia vaga? quia creavit Dominus novum ſuper terram*, *fœmina circumdabit virum*. Et verſ. 31. aliiſque ſequentibus ejuſdem capitis prædicit *Hieremias* Veteris, ſeu Moſaicæ Legis abrogationem, & Novæ Legis, ſeu Evangelicæ, promulgationem. Huc etim recta collimant iſthæc hujus Prophetæ verba: „ Ecce „ dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Juda „ fœdus novum, non ſecundum pa- „ ctum, quod pepigi cum patribus eo- „ rum in die, qua apprehendi manum „ eorum, ut educerem eos de ter- „ ra Ægypti, pactum, quod irritum „ fecerunt, & ego dominatus ſum „ eorum, dicit Dominus. Sed hoc „ erit pactum, quod feriam cum domo „ Iſrael poſt dies illos, dicit Domi- „ nus. Dabo Legem meam in viſceri- „ bus eorum, & in corde eorum ſcri- „ bam eam, & ero eis in Deum, & „ ipſi erunt mihi in populum. Et non „ docebit ultra vir proximum ſuum, „ & vir fratrem ſuum, dicens: Co- „ gnoſce Dominum: omnes enim co- „ gnoſcent me a minimo uſque ad ma- „ ximum &c. Hunc Prophetæ *Hieremiæ* locum ad novi fœderis, a Chriſto ſanciti, promulgationem eſſe referendum docent Apoſtolus *Paulus* cap. 8. Epiſtolæ ad Hebræos, & Scripturæ Sacræ Interpretes, quos inter præcipue conſulere debes *S. Hieronymum*, & *Theodoretum* Comment. in cap. 31. *Hieremiæ*. Legeſis etiam Diſſertationem noſtram, quæ in Tractatu *De Myſteriis Chriſti* eſt ordine vigeſima tertia, in qua adverſus Judæos fuſe probavi, Legem illam, quam Deus per *Hieremiam*, alioſque Prophetas ſe temporibus Meſſiæ daturum pollicetur, fore novam, a Lege Moſaica omnino diſtinctam, nec uni ſoli Populo Judaico, ſicut antehac, fore peculiarem, ſed promiſcue tam Judæis, quam Gentilibus, ad Fidem Chriſti converſis, futuram communem; quæ certe Lex alia eſſe haud poteſt, quam Lex Evangelica, quæ per totum Orbem promulgata & propagata eſt.

Quod ſpectat librum *Baruch*, qui fuit Scriba *Hieremiæ*, duo præſertim in hoc libro habentur perſpicua Vaticinia, quorum primum confirmat prædictionem *Hieremiæ* de abrogatione Veteris, ſeu Moſaicæ Legis, & de Novæ, ſeu Evangelicæ Legis promulgatione, illudque legitur cap. 2. verſ. 35. libri *Baruch*, his verbis conceptum: *Et ſtatuam illis teſtamentum alterum ſempiternum*, *ut ſim illis in Deum*, *& ipſi erunt mihi in populum*, *& non movebo amplius populum meum*. Aliud vaticinium refertur ad Chriſti Domini adventum, & extat cap. 3. v. 16. & ſeq. ejuſdem libri *Baruch*, ubi hæc leguntur: „ Hic eſt Deus „ noſter, & non æſtimabitur alius

„ ad-

„ adverſus eum. Hic adinvenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Jacob, pnero ſuo, & Iſrael, dilecto ſuo. Poſthæc, in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.

Quæ omnia optime quadrant in Jeſum Chriſtum, qui Æterno Patri conſubſtantialis, ut perditos homines ſalvaret, homo factus eſt, ut peccatores ſanaret, cum peccatoribus familiariter verſatns eſt, ut Judæos alliceret, circumciſus eſt, purificatus eſt, obſervavit Sabbatha, baptizatus eſt, jejunavit, vicit manſuetudine, vicit beneficentia, vicit ipſa veritate, vicit miraculis, quibus coram innnmera Judæorum turba a ſe editis certiſſimam fidem adjunxit. In hunc potiſsimum finem Chriſtus, verus Deus, venit in Mundum, & homo factus eſt, quia, ſicut appoſite ait *Lactantius* cap. 24. lib. 4. divinarum Inſtitutionum: „ Si veniat ad homines, ut Deus (ut omittam, quod mortales oculi claritatem majeſtatis ejus conſpicere ac ſuſtinere non poſſunt) ipſe certe Deus virtutem docere non poterit, quia expers corporis non faciet, quæ docebit, ac per hoc doctrina ejus perfecta non erit. Ut igitur Deus mortales docendo, virtutum quoque illis præberet exempla, homo factus eſt, *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*, ſuamque doctrinam per omnem terram verbis & exemplis ſeminavit, & ea, quæ præcipiendo docuit, faciendo confirmavit.

D. Fuitne *Ezechiel*, qui inter Prophetas Majores cenſetur, coævus Prophetæ *Hieremiæ*, cujus præcipua Acta & Oracula mox protuliſti?

M. Temporibus *Hieremiæ* vixit Propheta *Ezechiel*, e Tribu Levitica oriundus, filius *Buzi*, Sacerdotis, in Terra Sarera natus. In id præcipue *Ezechiel* in ſuo Vaticiniorum libro incumbit, ut ea confirmet, quæ Propheta *Hieremias* paulo ante Judæis prædixerat, nempe futuram deſtructionem Hieruſalem, & pœnas, quas illis Deus quamprimum infligere debebat in obſidione & fame urbis Hieruſalem, in diſperſione populi, in depopulatione ac vaſtatione totius Judææ, in everſione Civitatis, ac Templi combuſtione, in divina ultione in Regem, & Prophetas ob ſcelera, quæ fiebant in Templo. Hæc, inqnam, eventura mala, quæ Judæis prædixerat *Hieremias*, confirmat Propheta *Ezechiel* ad reprimendam Judæorum contra *Hieremiam* obmurmurationem. Quod quidem, ut clarius intelligas, præſtat ut obſerves, poſtquam *Hieremias* perſuaſiſſet Judæis, ut ſeſe *Nabuchodonoſori*, qni Hieroſolymorum urbem obſidebat, dederent, exortum eſſe murmur horum Judæorum, qui in captivitatem Babylonicam fuerant abducti adverſus Prophetam *Hieremiam*, quaſi eos ſeduxiſſet, prænuntiando integrum excidium nrbis Hiernſalem, quam adhuc tamen ſtare audiebant, & verſa vice illos Judæos, qui Hieroſolymis remanſerant, irriſiſſe alios Judæos, qui Prophetæ *Hieremiæ* conſilium ſecnti, in captivitetem Babylonicam una cnm *Joakimo*, ſeu *Jechonia*, Rege Juda, fuerant a Rege *Nabuchodonoſore* aſportati, ſibi utrinque perſuadentes, *Hieremiæ* Vaticinium de nrbis Hieruſalem excidio falſum eſſe, & nunquam impletum iri. Ad hanc itaque reprimendam & Judæorum, qui in captivitate Babylonica degebant, adverſus *Hieremiam* injuſtam obmurmurationem, & aliorum Judæorum, qui adhuc Hieroſolymis erant, deriſionem; Propheta *Ezechiel* omnia *Hieremiæ* Vaticinia de excidio Templi, & urbis Hieruſalem confirmat. Deſcribit inſuper horrenda crimina totius Judaicæ Gentis, quibus divinam in ſe iram provocaverat, & imminentis comminatæ vaſtationis Templi, & urbis Hieruſalem rationem & modum ſub undecim metaphoris adumbrat. Primo, ſub metaphora Vitis ſterilis rejectæ, & in ignem projectæ. Secundo, ſub metaphora Adulteræ. Tertio, ſub metaphora Aquilæ grandis. Quarto, ſub metaphora Uvæ acerbæ & agreſtis. Quinto, ſub metaphora Leænæ & Leonis. Sexto, ſub metaphora ſaltus & nemoris comburendi. Septimo, ſub metapho-

Digitized by Google

phora gladii elimati. Octavo, ſub metaphora ſcoriæ, ſtamni, ferri, & æris. Nono, ſub metaphora duarum Meretricum. Decimo, ſub metaphora Lebetis pleni carnibus ad ignem appoſiti. Poſtremo, ſub metaphora rei deſiderabilis ſublatæ & plangi prohibitæ. In captivitatem Babylonicam Propheta *Ezechiel* cum *Jechonia*, Rege Juda, deportatus eſt, ibique annos natus triginta, juxta oram fluminis *Chobar*, anno quinto ejuſdem captivitatis vaticinari cæpit, ſicut ipſe teſtatur cap. 1. v. 1. & 2. ſuæ Prophetiæ. Sed, cum per annos viginti non verbis tantum, ſed factis inſolitis, Prophetæ munus obiiſſet, interfectus eſt a Gentis ſuæ Principe, quod eum, populumque ab Idolorum cultu revocare, & ad pœnitentiam adducere totis viribus conaretur, ſicut ait Auctor, qui Vitas Prophetarum ſcripſit, ſub nomine *Epiphanii*, quique teſtatur, ad ætatem uſque ſuam ſuperfuiſſe Prophetæ *Ezechielis* ſepulcrum, miraculis clarum, & magno Judæorum concurſu frequentatum. *Ezechielis* memoria in Martyrologiis *Bedæ*, *Flori*, *Nokeri*, *Uſuardi*, & Romano, die decima Aprilis celebratur. Legeſis *Bailletum* in Vita Prophetæ *Ezechielis*, quam deſcripſit in Tomo *De Vitis Sanctorum Veteris Teſtamenti*.

D. Fuditne Propheta *Ezechiel* aliquot Vaticinia, quæ ad Jeſum Chriſtum, & ad Legem Evangelicam referantur?

M. Ex multis Vaticiniis, quibus Propheta *Ezechiel* venturi Meſſiæ Regnum, Vocationem Gentium, & Judæorum reliquias, ubique terrarum propter Chriſti crucifixionem diſperſas, circa finem Mundi convertendas, necnon Legis Evangelicæ, ſeu Chriſti Eccleſiæ, ex hoſtibus Victoriam ac propagationem prædixit, tria duntaxat, brevitatis cauſa, ſeligam, quæ adverſus pertinaces Judæos rem plane conficient. Primum Vaticinium legitur capit. 24. verſ. 23. & ſeq. libri *Ezechielis*, ubi hæc nomine Dei prænunciat: *Et ſuſcitabo ſuper eas*, id eſt, oves meas, *Paſtorem unum*, *qui paſcat eas*, *ſervum meum David: ipſe paſcet eas*, *& ipſe erit eis in paſtorem*. *Ego autem Dominus ero eis in Deum*, *& ſervus meus David Princeps in medio eorum*: *Ego Dominus locutus ſum*, *& faciam cum eis pactum pacis*. Hæc autem *Ezechielis* Prophetia vere & accurate ſuum exitum habuit in Chriſto, qui de ſe ipſo ait Joannis capite 10. *Ego ſum Paſtor bonus*. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*. Fecit etiam cum hominibus *Pactum pacis* Chriſtus Dominus, qui *Joannis* cap. 14. ait; *Pacem meam do vobis*, *pacem meam relinquo vobis*. Hinc *Theodoretus* Commentario in hunc locum *Ezechielis* prædictum Vaticinium in Chriſto fuiſſe adimpletum probat adverſus Judæos his verbis: *Oſtendant igitur nobis*, *vel pacis*, *vel ſempiternum teſtamentum*: *At non poterunt*, *cum utroque privati ſint*. *Nobis autem utrumque dedit Dominus*. *Namque & ſempiterna nobis bona pollicitus eſt*, *& id nobis eſt elargitus*, *ut cum ipſo reconciliaremur*. *Ipſe enim*, ſeu Chriſtus, eſt pax noſtra, *ſicut Auctor eſt Divus Apoſtolus* (Epiſt. ad Epheſios cap. 11. v. 14.) *Et rurſus*: unus ac mediator Deus homo, Chriſtus Jeſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus, Epiſt. 1. ad Timoth. capite 2. v. 5. Legeſis etiam *S. Hieronymum* in Commentariis, & *S. Auguſtinum* lib. 18. De Civitate Dei cap. 34. ubi Vaticinium iſtud *Ezechielis* Jeſu Chriſto vindicant. Alterum Vaticinium legitur capite trigeſimoſexto verſiculo vigeſimoquinto & ſequenti libri *Ezechielis*, eoque clare deſignantur Baptiſmus, quem Chriſtus in Nova Lege inſtituere debebat, & ſpiritus adoptionis filiorum Dei, quem dat Lex Evangelica: *Effundam ſuper vos aquam mundam*, *& mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris*, *& dabo vobis cor novum*, *& ſpiritum novum ponam in medio veſtri*, *& auferam cor lapideum*, *& dabo vobis cor carneum*, *& ſpiritum meum ponam in medio veſtri*, *& faciam ut in præceptis meis ambuletis*. Poſtremum Vaticinium extat capite trigeſimoſeptimo verſ. 26. lib. *Ezechielis*, ubi hic Propheta prædicit Deum daturum tempore Meſſiæ novum fœdus,

pa-

Digitized by Google

pacis, & pactum ſempiternum: *Et percutiam cum illis fœdus pacis, pactum ſempiternum erit*. Hoc autem fœdus pacis, & pactum ſempiternum, nihil aliud eſt, quam Lex Evangelica, a Chriſto Hieroſolymis data, & deinde a Spiritu Sancto in Monte Sion ſuper Apoſtolos & Diſcipulos Chriſti in die Pentecoſtes effuſo, confirmata, atque potenti miraculorum virtute illuſtrata, juxta illud Prophetæ *Iſaiæ* cap. 2. v. 3. dicentis: *Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus, quia de Sion exibit Lex, & Verbum Domini de Hieruſalem*. Hoc Vaticinium fuiſſe in Jeſu Chriſto vere adimpletum, jampridem perfidi Judæi propria experientia intelligere debuerunt, quippequi, ſicut ipſemet prædixit Chriſtus Dominus, poſt ſufficientem Legis Evangelicæ promulgationem, in pœnam ſuæ incredulitatis, miſeri, & omnibus Nationibus exoſi facti ſunt, per univerſum Orbem hac illac diſperſi vagantur, miſeriis & calamitatibus oppreſſi, laribus, & avito ſolo profligati, abſque Templo, abſque Rege, vel Duce, ſine Sacrificio, ſine Sacerdote, Republica, & propria civitate privati, atque duriſſimam ſervitutem ubique terrarum ſervire coguntur.

D. Cum *Danielis*, qui locum inter Majores Prophetas tenet, quique, durante captivitate Babylonica, vaticinari duntaxat cæpit, Geſtorum & Oraculorum narrationem ad ea, quæ in ſextam Mundi Ætatem habituri ſumus, Colloquia opportunius remittendam eſſe duxeris, nihil in præſentia de Propheta *Daniele* a te percontabor. Sed, ut plenam & abſolutam habere poſſim notitiam Prophetarum, qui in Regno Juda ante captivitatem Babylonicam Vaticinia ſua litteris mandarunt, quique *Prophetæ Minores* appellantur, rogo te, ut illorum tam illuſtriora Geſta, quam Oracula, quæ de Chriſto Domino, vero Meſſia, fuderunt, breviter hic deſcribas.

M. Inter Prophetas Minores, qui ante captivitatem Babylonicam in Regno Juda vaticinati ſunt, primum locum ſibi vindicat *Oſee*; immo, ſi habeatur ratio temporis, quo ille Propheta ſua cæpit auſpicari Vaticinia, primus omnium non ſolum Prophetarum Minorum, ſed & quatuor Majorum, jure optimo cenſendus eſt, quippe qui ætate illos omnes anteceſſit, primuſque omnium futura prædicere aggreſſus eſt regnante in Juda *Ozia*, eodemque munere præclare functus eſt ſub Regibus Juda *Joathano*, *Achazo*, & *Ezechia*. Fuit autem Propheta *Oſee*, filius *Beeri*, ex Tribu *Iſſachar*, natus non in oppido *Belemoth*, ſicut mendoſe legitur apud Pſeudo-Epiphanium, & Pſeudo-Dorotheum in lib. *De Vitis Prophetarum*; ſed in oppido *Bethſames*, quod inter urbes Tribus *Iſſachar* recenſetur capite 19. lib. Joſue, idque diſerte teſtatur *S. Hieronymus* Commentar. in capite 1. *Oſee*. Fœminam fornicariam ſibi, Dei juſſu, matrimonio copulavit Propheta *Oſee*, & ex ea filios procreavit, quorum primum appellavit *Semen Dei*; alteri nomen dedit, *abſque miſericordia*; tertium nuncupavit: *Non populus meus*. Quibus *Oſee* filiis, eiſque impoſitis nominibus, continuo, quaſi vivis imaginibus, hic Propheta oculis Judæorum, qui in Idololatriam erant prolapſi, præſentiſſimum exhibebat eorum excidium, triſteque repudium, quo erant a Deo rejecti. Per illam quippe fœminam fornicariam, cum qua matrimonium iniit Propheta *Oſee*, adumbratur Synagoga, quam Deus, tanquam ſponſam ſuam, in adulterio, ideſt, in Idololatria, deprehenſam, abjicere, repudiare, pœniſque addicere decrevit. Sub hoc portento & ſenſibili ſigno prædixit *Oſee* futuram Iſraelitarum excæcationem, ipſoſque a Deo repudiatos, multo tempore fore ſine Deo, ſine Templo, Altari, & Sacrificio, abſque Sacerdote, Regno, & Rege. Inſuper memorat Propheta *Oſee* ſumma illa beneficia, quibus Judæos Deus cumulaverat, nimirum poſſeſſionem fertiliſſimæ Terræ Chanaan, eductionem & liberationem ab Ægyptiaca ſervitute, protectionem *Jacob* in ſua peregrinatione, miracu-

culoſam totius populi in Deſerto conſervationem, indeque occaſionem ſumit eorum, poſt tot ac tanta a Deo ſuſcepta beneficia, maximam & a ſæculis inauditam ingratitudinem exprobrandi. Ad ſummam ſenectutem vixit Propheta *Oſee*, eumque per nonaginta annos munere Prophetæ functum eſſe affirmant Hebræi.

D. Cedo, ſi placet, præcipua, quæ *Oſee* Propheta, de Jeſu Chriſto, vero Meſſia, protulit Vaticinia.

M. Multa de Jeſu Chriſto, & Eccleſia, *Oſee* Propheta fudit, ſcriptiſque commendavit Vaticinia, quorum illuſtriora hic attexam. In primis, Propheta *Oſee* cap. 2. v. 17. & ſeq. perſpicue prædixit Idololatriæ per Jeſum Chriſtum abolitionem, novi fœderis inſtitutionem, vocationem Gentium, utriuſque Populi, Judaici & Gentilis, in unam Eccleſiam coalitionem & cohabitationem pacificam, Eccleſiæ denique in gratia & Fide Evangelica deſponſationem cum Deo æternum duraturam. Sic enim vaticinatur laudatus Propheta: *Et auferam nomina Baalim de ore ejus.... & percutiam cum eis fœdus in die illa.... & arcum & gladium & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter, & ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in juſtitia, & in judicio, & in miſericordia, & in miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide, & ſcies, quia ego Dominus*. Hoc Propheticum *Oſee* teſtimonium ad vocationem Populi Gentium, qui antehac ad Deum non pertinebat, eſſe referendum, non ſolum docet *S. Hieronymus* in Commentario hujus loci, ſed & Apoſtolus *Paulus* capit. 9. Epiſt. ad Romanos, dicens: *Quos & vocavit nos non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex Gentibus, ſicut in Oſee dicit; Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam; & erit in loco, ubi dictum eſt eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filii Dei vivi*. Alterum eſt Prophetæ *Oſee* de fuga Jeſu Chriſti in Ægyptum, ejuſque reditu Vaticinium cap. 11. verſ. 1. his verbis conceptum: *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Quod ad Jeſum Chriſtum pertinere, & in eo fuiſſe revera adimpletum, diſerte teſtatur *S. Matthæus* capit. 2. Evangelii ſui dicens: *Qui* (ſive *Joſephus*, ſponſus Deiparæ Virginis, Chriſtique Nutritius) *conſurgens accepit puerum, & matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum, & erat ibi uſque ad obitum Herodis, ut adimpleretur quod dictum eſt a Domino per Prophetam, dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum*. Idem *Oſee* Vaticinium in Jeſu Chriſto vere fuiſſe adimpletum, evincit *S. Hieronymus* Commentar. in cap. 11. Prophetæ *Oſee*. Tertio, Propheta *Oſee* Reſurrectionem Jeſu Chriſti, tertia die futuram clare capit. 6. verſ. 3. exprimit his verbis: *Vivificavit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & vivemus in conſpectu ejus. Sciemus, ſequemurque, ut cognoſcamus Dominum: Quaſi diluculum paratus eſt egreſſus ejus, & veniet quaſi imber nobis temporaneus, & ſerotinus terræ*. Quarto, Propheta *Oſee* de Jeſu Chriſti deſcenſu ad inferos inſigne iſtud (capite 13. verſ. 14.) edidit Vaticinium: *Ero mors tua, o mors; morſus tuus ero, inferne*. Quod Vaticinium in Jeſu Chriſto fuit impletum, quia ſicut ille, qui aliquid mordet, partem aſſumit, partem relinquit: ita Chriſtus Dominus, poſt mortem ſuam ad Infernos deſcendens, momordit Infernum, quia Patriarchas, Prophetas, alioſque Veteris Teſtamenti Juſtos ex Inferno, ſeu ex Lymbo Patrum, eduxit, reprobos vero in Inferno æternum puniendos reliquit, ſicut ſuſe commonſtravi in Paragrapho 2. Diſſertationis 21. *De ſepultura Chriſti, ejuſque deſcenſu ad Inferos*, in Tractatu, quem edidi, *De Myſteriis & Annis Jeſu Chriſti*. Denique, *Oſee*, Propheta, cap. 3. graphice deſcribit miſerum ſtatum, in quo nunc Judæi, propter crucifixionem Chriſti Domini, reperiuntur: *Dies multos*, inquit, *ſedebunt filii Iſrael ſine Rege, & ſine Principe, & ſine Sacrificio, & ſine Altari, & ſine Ephod, & ſine Theraphim*. Certe hujus Vaticinii eventum nunc Judæi, velint nolint, experiuntur, quip-

quippe qui vident, ſe varias in regiones diſperſos cunctis ludibrio eſſe, probra, & dedecora, innumeraſque calamitates pati; nec amplius habere Reges, Duces, Pontifices, & Sacrificia, quæ tantum ipſis offerre licebat in Templo Hieroſolymitano, quod jampridem dirutum eſt, & cujus ruinas ut videre ac flere poſſint, lacrymas ſuas pretio redimere coguntur, *ut qui quondam emerunt Sanguinem Chriſti, emant lacrymas ſuas, & ne fletus quidem eis gratuitus ſit*, ſicut eleganter ait *S. Hieronymus* in capit. 2. *Sophoniæ*, Prophetæ.

D. Sub quo Rege Juda vaticinari cœpit *Joel*, qui inter Prophetas Minores ſecundo loco cenſetur? & quænam ſunt celebriores ejus Prædictiones?

M. Sub quo Rege Juda vaticinari cœperit *Joel*, filius *Phatuel*, vel e qua Tribu oriundus ſit, incertum plane eſt. *S. Hieronymus* Præfatione in *Joelem*, & *Theodoretus* Præfatione itidem in *Joelem* exiſtimant, hunc Prophetam ſupparem & coævum fuiſſe Prophetæ *Oſee*, eumque ſub Regibus Juda, *Ozia*, *Joatham*, *Achaz*, & *Ezechia* fuiſſe vaticinatum. Hoc unum certum eſt, Joelem, poſt decem Tribuum Iſraeliticarum captivitatem Prophetæ munus in Regno Juda obiiſſe, tum quia de Tribu tantum Juda, & non de aliis Tribubus verba facere videtur: tum quia etiam capite tertio ſuæ Prophetiæ captivitatem decem Tribuum jam factam aperte innuit his verbis: *Congregabo omnes Gentes, & deducam eas in Vallem* Joſaphat, *& diſceptabo cum eis ſuper populo meo, & hæreditate mea Iſrael, quos diſperſerunt in Nationibus*. Cum igitur in Prophetia Joe*lis* altum ſit de Regno Iſraelitico ſilentium, ſignum eſt, Joelem poſt Aſſyriacam decem Tribuum Iſraelis deportationem, & ante captivitatem Babylonicam in Regno Juda vaticinatum eſſe. Sub Symbolis autem Erucæ, Locuſtæ, Bruchi, & Rubiginis, prædicit Joel quatuor potentiſſimorum hoſtium, totidemque Regnorum in Palæſtinam irruptiones atque incurſiones, quibus tota Judæa eſſet atterenda, vaſtanda, exhaurienda, exſcindenda, ſegetes, vineæ, omneſque fructiferæ arbores penitus exterminandæ. Quapropter Judæos etiam atque etiam adhortatur ad pœnitentiam, ut hæc impendentia mala declinare, & a ſe amoliri poſſent. Illos prætereа conſolatur, promittendo, Deum ad eos miſſurum Liberatorem, ſeu Jeſum Chriſtum, cujus duplicem prænuntiat adventum. Primum quidem Chriſti Domini adventum his verbis deſignat *Joel*, Propheta, cap. 2. v. 23. & ſeq. dicens: „ Et filii Sion exultate, & lætamini in Domino Deo „ veſtro, quia dedit vobis Doctorem „ juſtitiæ .... & reddam vobis annos, „ quos comedit locuſta, bruchus, & „ ærugo, & eruca: Fortitudo mea „ magna, quam miſi in vos. Laudabitis nomen Domini Dei veſtri, qui „ fecit mirabilia vobiſcum, & non „ confundetur populus meus in ſempiternum. Et ſcietis quia in medio „ Iſrael ego ſum, ego Dominus Deus „ veſter, & non eſt amplius, & non „ confundetur populus meus in æternum. Quis autem, quæſo, eſt ille *Doctor Juſtitiæ*, quem Propheta *Joel* a Deo datum iri pollicetur, niſi Jeſus Chriſtus Dominus? quem Pater Æternus nobis Doctorem juſtitiæ dedit, dicens: *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite*. Et qui a *Joanne* baptizandus, cum ille modeſtiæ ergo, moras necteret, dixit: *Sine modo, ſic decet nos implere omnem juſtitiam*. Alterum Jeſu Chriſti adventum, in quo univerſos homines judicaturus eſt, idem Propheta cap. 3. v. 12. & ſeq. deſignat his verbis: *Conſurgant, & aſcendant gentes in Vallem Joſaphat, quia ibi ſedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu... populi, populi in Valle conciſionis, quia juxta eſt dies Domini in Valle conciſionis. Sol, & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum*. Denique, Propheta *Joel* naſcentis Eccleſiæ Chriſti primordia accurate deſcribit, quando videlicet Chriſtus Dominus, poſt devictam mortem, & hominum redemptionem conſummatam in Cœlum aſcendit, & Spiritum Sanctum cum

variorum chariſmatum donis in Apoſtolos ac Diſcipulos effudit. Hoc, inquam, inſigne, naſcente Eccleſia Chriſti, futurum prodigium Propheta *Joel* cap. 2. v. 28. & 29. prædixit his verbis: *Et erit poſt hæc, effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt. Sed & ſuper ſervos meos, & ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum.* Iſtud autem *Joelis* Vaticinium de Jeſu Chriſto, & de Spiritus Sancti ab ipſo Miſſione intelligendum eſſe docent *S. Petrus* cap. 2. Act. Apoſt. omnes ſancti Patres, univerſa Eccleſia Catholica, illudque temporibus Meſſiæ impletum iri, multi ex Judæis periti Rabbini ultro profitentur.

D. *Joelem* in ſerie Prophetarum Minorum excipit Propheta *Amos*, cujus Geſta & Prophetiæ ſummam referendi nunc tibi onus incumbit.

M. Ex Tribu Juda, ſicut docent *Euſebius*, *S. Hieronymus*, & *S. Cyrillus Alexandrinus*, originem traxit Propheta *Amos*, qui in exordio Prophetiæ ſuæ ſe Paſtorem Thecuitam fuiſſe, atque temporibus *Oziæ*, Regis Juda, & *Jeroboami*, Regis Iſrael, biennio ante terræ motum, qui, ſicut ex veteribus Hebræis tradit *Sanctus Hieronymus*, contigit anno vigeſimo tertio Regni *Oziæ*, vaticinari cœpiſſe narrat. Thecue autem, ubi *Amos* paſtoris & armentarii officium agebat, pagus erat in Tribu Juda, ſex tantum milliarium ſpatio a Bethleem diſſitus, ibique *Amos* ad vaticinandum vocatus eſt a Deo, ſicut ipſemet teſtatur cap. 7. v. 14. ſuæ Prophetiæ: *Non ſum*, inquit, *Propheta, & non ſum filius Prophetæ, ſed armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros, & tulit me Dominus, cum ſequerer gregem, & dixit Dominus ad me: Vade Propheta ad populum meum Iſrael.* Crebras Prophetæ *Amoſo*, quod ſumma libertate Idolorum cultum carperet, ab impio Bethelis Sacerdote, dicto *Amaſia*, inflictas pœnas, ac tandem mortem ipſi ab ejuſdem *Amaſiæ* filio, eliſis clava temporibus, fuiſſe illatam, narrant Pſeudo Epiphanius, & Pſeudo-Dorothæus in lib. *De Vitis Prophetarum*, necnon Martyrologium Romanum ad diem 31. menſis Martii. Summa Prophetiæ *Amos* hæc eſt: Primo, ultionem divinam in Syros, Damaſci nomine, quæ Syriæ Metropolis erat, deſignatos, in Philiſtæos, Tyrios, Idumæos, Ammonitas, ac Moabitas vaticinatur. Secundo, tam Judæis, quam Iſraelitis, quos de avaritia, de Idololatria, & de laſcivia acriter redarguit, prædicit idem Propheta futuras calamitates, clades, everſionem, & excidium; videlicet irruptionem *Sennacherib*, Regis Aſſyriorum in Iſraelitas cum validiſſimo exercitu, eorumque Aſſyriacam captivitatem: Similiter denuntiat Judæis incurſiones *Nabuchodonoſoris*, qui totam Judæam ferro & igne depopulari, urbem Hieroſolymorum penitus exſcindere, auguſtiſſimum Templum ſuccendere, eoſque tandem vinculis conſtrictos in captivitatem Babylonicam abducere debebat. Denique, Propheta *Amos* conſolatur Judæos, hiſque impendentibus malis lætum adjungit nuncium de venturo Meſſia, qui in libertatem, pacem, omnemque proſperitatem, & quaſi aureum ſæculum eſſet in Orbem invecturus, & omnibus Nationibus veram ſalutem allaturus. Sic enim capite nono ſuæ Prophetiæ ait: *In die illa ſuſcitabo Tabernaculum David, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum ejus, & ea, quæ corruerant, inſtaurabo, & reædificabo illud ſicut in diebus antiquis, ut poſſideant reliquias Idumeæ, & omnes nationes, eo quod invocatum ſit Nomen meum ſuper eos, dicit Dominus faciens hæc.* Quod quidem Vaticinium fuiſſe vere adimpletum in Jeſu Chriſto, qui domum David inſtauravit, dum in corpus Eccleſiæ, quam ſuo ſanguine acquiſivit, omnes Nationes induxit, diſerte docet Apoſtolus *Sanctus Jacobus* capit. 15. verſ. 14. libri Actuum Apoſtolorum, ejuſdemque Apoſtoli genuinam prædicti Vaticinii interpretationem omnes, ut par eſt, amplectuntur ſancti Patres, ac tota, qua late patet, Eccleſia Catholica. Hinc jure ac merito vapulat

Hu-

Hugo Grotius, qui, ſicut memini, me ſuperius obſervaſſe, in Sacrarum Scripturarum interpretatione ingenio ſuo plus æquo indulgens, hoc Vaticinium Prophetæ *Amoſi* fuiſſe in *Zorobabele* adimpletum, una cum Judæis aſſerere non erubuit. Sed hanc falſam Judæorum interpretationem, quam temere ſecutus eſt *Grotius*, egregie admodum refellit *Theodoretus* Commen. in caput nonum Prophetiæ *Amoſi*, ubi invicte demonſtrat, laudatum Oraculum, non in *Zorobabele*, qui Judæos e captivitate Babylonica in patrium ſolum reduxit, ſed in ſolo Jeſu Chriſto, ad quem omnes promiſſiones *Davidi*, Regi, a Deo factæ, pertinebant, ſuum exitum habuiſſe.

D. Indica nunc, quæſo, Patriam, Tribum, & Vaticinia, quæ fudit *Abdias*, qui in ſerie Prophetarum Minorum quartus collocatur.

M. Incerta eſt Patria ac Tribus, e qua genus ſuum duxit Propheta *Abdias*; nec etiam inter omnes convenit de ætate, qua floruit ſacer ille Vates. Alii quippe *Abdiam* ætate *Achabi*, Regis Iſraelis, floruiſſe tradunt. Alii illum Prophetæ *Eliæ* coævum faciunt. Alii ad *Hieremiæ*, & *Ezechielis* ætatem detrudunt. Alii tandem probabilius cum *SS. Hieronymo*, *Cyrillo Alexandrino*, & *Theodoreto* cenſent, *Abdiam* Prophetis *Oſee*, *Joeli*, & *Amoſo*, necnon *Iſaiæ* æqualem, ſeu coævum fuiſſe, & ſub iiſdem Regibus Juda Prophetiam ſuam edidiſſe. Breviſſima eſt *Abdiæ* Prophetia, utpote quæ uno duntaxat capite continetur, & in ea vaticinatur *Abdias* ultimam per Chaldæos devaſtationem Idumæorum, propter culpam ſuperbiæ, ſuperſtitioſæ ſcientiæ, & inimicitiæ, qua, Judæos, fratres ſuos, opprimere moliebantur. Promittit etiam idem Propheta filiis *Jacob*, ſed præſertim Tribui Juda gratiam perpetuam, terminorum dilatationem, & imperium tum in Idumæos, tum in omnes Mundi Nationes. Quod certe contigit temporibus Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, qui Gentiles, tenebris Idololatriæ immerſos, & per Idumæos deſignatos, eruit e poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum Dei, ſibique ita univerſa ſubjecit, ut in nomine ejus omne genuflectatur, cœleſtium, terreſtrium, & Infernorum. Id autem *Abdias* dilucide verſ. 17. ſuæ Prophetiæ expreſſit his verbis: *Et in monte Sion erit ſalvatio, & erit ſanctus: & poſſidebit domus Jacob eos, qui ſe poſſederant; & erit domus Jacob ignis, & domus Joſeph flamma, & domus Eſau ſtipula, & ſuccendentur in eis, & devorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Eſau*, id eſt, Idumæorum, quibus *Eſau*, frater *Jacobi*, originem dedit. In hoc *Abdiæ* Vaticinio, tria notantur, quæ in Jeſum Chriſtum & in ejus Eccleſiam optime quadrant. Primo, *ſalvationis*, & *ſancti* nomine deſignatur Jeſus Chriſtus: *Vocabis Nomen ejus Jeſum, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum*, inquit Angelus *Joſepho* capite 1. *Matth.* Secundo, Mons Sion, unde Lex Evangelica proficiſci debebat, ſignificat Chriſti Eccleſiam, quæ in Monte Sion fundata eſt. Poſtremo, per deſtructionem domus *Eſau* indigitat Propheta *Abdias* Gentiles, qui, depulſis Idololatriæ tenebris, Jeſum Chriſtum, verum Regem, agnituri erant, juxta illud Evangeliſtæ *Lucæ* capite 1. v. 23. *Et regnabit*, (id eſt, Chriſtus) *in domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis*. Hoc *Abdiæ* Vaticinium Meſſiæ adſcribit ex Judæis *Maimonides*, Rabbinus doctiſſimus, illudque in Jeſu Chriſto fuiſſe revera adimpletum, docent ſancti Patres, *Hieronymus* Comment. in hunc locum *Abdiæ*, *S. Auguſtinus* cap. 31. lib. *De Civitate Dei*, & *Theodoretus* Comment. in Prophetiam *Abdiæ*.

D. *Jonam*, cui in ſerie Prophetarum Minorum quintus aſſignatur locus, ad prædicandam Ninivitis pœnitentiam, fuiſſe a Deo miſſum, jam probe novi. Sed quænam eſſet ipſius patria? & an de Jeſu Chriſto ſpeciatim aliquid prædixerit? adhuc ignoro.

M. Comminiſcuntur Hebræi, Prophetam *Jonam* eſſe natione Sareptanum, & Viduæ Sareptanæ filium. Sed hoc eſt vanum commentum, contrarium Scripturæ, quæ conceptis ver-

Digitized by Google

verbis cap. 14. verſ. 25. lib. 4. Regum tradit Prophetam *Jonam* fuiſſe filium *Amathi*, natione Gethæum, ſeu oriundum ex oppido *Get-Opher*, non longe diſtanti a Sephori, quæ *Diocæſarea* appellatur, verſus Tiberiadem in Tribu Zabulonis, ubi & *Jonæ* ſepulcrum ſua ętate oſtenſum *S. Hieronymus* teſtatur. Coęvus fuit *Jonas* Prophetis *Oſee*, *Joeli*, *Amaſo*, *Abdiæ*, & *Iſaiæ*, & ſub iiſdem Regibus Juda vaticinatus eſt. *Jonas*, in ea, quam edidit, Prophetia, narrat quę ipſi contigerunt. Et primo ait, ſe ad urbis Ninives ſubverſionem nunciandam, & intra quadraginta dies eventuram, a Deo miſſum fuiſſe, ſed imperio Domini reluctantem navigio fugiſſe in Tharſis a facie Domini, ortaque tempeſtate, jactis ſortibus deprehenſum miſſum eſſe in mare, abſorptum a piſce, in cujus ventre tribus diebus totidemque noctibus fuit, ac tandem inde ſtupendo miraculo prodeuntem, Divino Mandato obtemperaſſe, & rurſus ad Ninivitas miſſum, everſionem ampliſſimę Civitatis prędixiſſe. Secundo, deſcribit *Jonas*, Ninivitarum Regem, & Ninives populum, ipſo prędicante, pœnitentiam agentem, & ad meliorem frugem converſum, atque veniam a Deo impetrantem. Quod ęgre ferens *Jonas*, quia Vaticinium ſuum adverſus Niniven non impletum iri intelligebat, mortem optavit, ſed actutum a Domino correptus eſt, qui injuſtam eſſe ipſius indignationem convicit exemplo hederę, quam arefactam eſſe dolebat ipſe *Jonas*, tametſi eam nec ſeviſſet, nec coluiſſet; indeque edoctus eſt, quam immerito męſtus eſſet, quod Deus, pœnitentia Ninivitarum placatus, civitati maximę pepercisset, in qua erant pluſquam centum millia hominum, qui non peccaverant. Qua in re ſicut appoſite obſervat *Theodoretus* in Prologo Commentarii in *Jonam*, voluit Deus ſuam erga Gentes bonitatem & miſericordiam demonſtrare, ſeque non modo Judęorum, ſed & Gentium ſalutem curare: *Ut omnes edoceat* (ſunt verba Theodoreti) *non ſe Judæorum Deum ſolum eſſe, ſed etiam Gentium, atque ut Veteris & Novi Teſtamenti cognationem oſtendat. Etenim ſi ante Incarnationem nullam de Gentibus curam ſuſcepiſſet, alium Deum illum ſuſpicari Judæi potuiſſent, ut qui contraria illi faceret, qui Legem dediſſet, cum Judæos hic tantum curaret, ille vero omnes homines*. Nullum in Libro Prophetico *Jonæ* extat de Jeſu Chriſto, Servatore noſtro, Vaticinium. Sed hic Propheta fuit inſignis typus Chriſti, ſicut aſſerit ipſemet Chriſtus capit. 11. *Matthęi*, dicens: *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terrę tribus diebus & tribus noctibus*. Hinc Sanctus *Hieronymus* in Epiſtola ad *Paulinum* ait; *Jonas, columba pulcherrima, naufragio ſuo Paſſionem Domini pręfigurnas, Mundum ad pœnitentiam revocat, & ſub nomine Ninive, Gentibus ſalutem nunciat*. Legeſis etiam ſuper hac re eumdem ſanctum Doctorem Præfatione in *Jonam*, ſanctum *Auguſtinum* capit. 30. libr. 18. *De Civitate Dei*, & *Sanctum Cyrillum Alexandrinum* Præfatione Commentarii in *Jonam*, qui omnes conſtanter docent, *Jonam* fuiſſe ſpirantem quamdam Jeſu Chriſti, Servatoris noſtri, Prophetiam, eumque ventre piſcis exceptum, & die tertio redditum eſſe, ut ſignificaret Chriſtum de profundo Inferni die tertio rediturum.

D. *Michęę*, qui in ſerie Prophetarum Minorum ſextus eſt, ſcire nunc geſtio patriam, genus, ætatem, ac Prophetiæ ſummam.

M. In vicolo *Moraſthi*, juxta Eleutheropolim, Paleſtinæ urbem, natus eſt Propheta *Michęas*, qui plane diverſus eſt ab altero *Michęa*, filio *Jemlę*, qui temporibus *Achab*, & *Joſaphat*, Regum, vaticinatus eſt, & ab *Achabo* in carcerem conjectus fuit, ſicut legitur lib. 3. Regum c. 22. Floruit *Michęas*, Moraſthites temporibus Prophetarum *Oſee*, *Joelis*, *Amoſi*, *Iſaię*, & ſub Regibus Juda, *Joatham*, *Achaz*, & *Ezechia* terruit ſuis Vaticiniis Samariam & Hieruſalem, hoc eſt, in ſcelera, tam Judæorum, qui erant in Regno Juda, quam Iſraeli-

ta-

Digitized by Google

tarum, qui erant in Regno Samariæ, dicto Iſraelitico, vehementer invectus eſt, utriuſque excidium, & captivitatem denunciando, Iſraelitis quidem per Aſſyrios, Judæis vero per Chaldæos. Principum, qui plebem iniquis Tributis, exactionibus, vectigalibus, fraudibus, & uſuris opprimebant; Judicum, qui accep:: muneribus, juſtitiæ Leges violabant; Sacerdotum, qui ſui officii immemores, lucro inhiabant, ſuiſque commodis præpoſtere ſerviebant; Prophetarum, qui ſub cubitis peccatorum, a quibus aliquid emolumenti ſperabant, pulvillos conſuebant, nefanda crimina redarguit Propheta *Michæas*, & propter hæc, delendam a Chaldæis Hieroſolymam prædixit. Verum, tot inter impendentia mala, quæ Judæis eventura auguratur Propheta *Michæas*, lætum eis promittit e captivitate Babylonica per *Cyrum*, Perſarum Regem, reditum, & lætiorem ex ſervitute peccati, mortis, & Diaboli liberationem per Chriſtum, cujus adventus circumſtantias cap. 4. ſuæ Prophetiæ deſcribit his verbis: *In noviſſimo die erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles, & fluent ad eum populi, & prophetabunt gentes multæ, & dicent: Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob .... quia de Sion egredietur Lex, & Verbum Domini de Hieruſalem. Et judicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes uſque in longinquum, & concident gladios ſuos in vomeres, & haſtas ſuas in ligones, non ſument gentes adverſus gentem gladium, & non diſcent ultra belligerare &c.* Hoc Prophetæ *Michææ* Vaticinium in Chriſto Domino fuiſſe adimpletum, multis argumentis evici in Paragrapho ſecundo Diſſertationis, quæ eſt ordine ſeptima in Tractatu, quem edidi, *De Myſteriis Jeſu Chriſti*, ubi etiam oſtendi contra *Joannem Maſſonum*, Presbyterum Anglicanum, pacem, quam Prophetæ, adveniente Meſſia, futuram vaticinantur, non ſolum fore ſpiritualem, per quam Meſſias homines a ſervitute Diaboli afferet in libertatem filiorum Dei, ſed fore etiam pacem terrenam, & temporalem, quæ ubique terrarum, ſedatis omnibus bellis, vigere debebat. Quod, naſcente Chriſto Domino anno quadrageſimo Imperii *Auguſti*, revera contigiſſe, probant Hiſtoriæ Prophanæ Monumenta, ſanctorum Patrum authoritate confirmata. Alterum de Jeſu Chriſto Vaticinium *Michæas* cap. 5. ſuæ Prophetiæ fudit, quo locum, in quo Chriſtus, verus Meſſias, naſciturus erat, clariſſime prædixit, & his verbis conceptum eſt: *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Hoc *Michææ* Vaticinium fuit vere in Jeſu Chriſto, qui natus eſt Bethleemi, adimpletum; nec ullo pacto detorqueri poteſt ad *Zorobabelem*, tum quia *Zorobabel* neque Bethleemi, neque in Judæa natus eſt, ſed in captivitate Babylonica: Tum etiam, quia *Zorobabeli* hæc Vaticinii *Michææ* pars: *Egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis*, convenire haud poteſt. Denique, hoc *Michææ* Vaticinium non de *Zorobabele*, ſed de Meſſia eſſe intelligendum ultro fatentur Paraphraſtes Chaldæus *Jonatham*, Auctores Talmudis in Tractatu *Sanhedrin* cap. ultimo, & in Tractatu *De Paſchate*, Rabbi quoque *Salomo*, & Rabbi *David Kimki*.

D. *Michæam* in ſerie Prophetarum Minorum ſequitur *Nahum*, qui ſeptimus eſt, & de cujus patria, ætate, & Prophetia pauca modo dicere juvat.

M. Elceſi, Galilææ viculo, in Tribu *Simeonis*, natus eſt Propheta *Nahum*, floruitque non *Joathami*, Regis Judæ, temporibus, ſicut viſum eſt *Joſepho*, Hebræo, lib. 9. *Antiq. Jud.* cap. 11. neque temporibus *Manaſſis*, impiiſſimi Regis Juda, ſed ſub *Ezechia*, Rege Juda, claruit, atque, poſt abductas jam decem Tribus Iſraelis in captivitatem Aſſyriacam, vaticinari cæpit contra Niniven, & Ninivitas, quibus toties relapſis, totique Aſſyriorum Imperio, cujus caput erat Nınives urbs, extremum denuntiavit excidium, quod Ninivitæ, ſuis rapinis, maleficiis, aliiſque propudioſis flagitiis iram Dei provocantes, ſibi accerſive-

ſiverant. Hinc prædixit, *Nabuchodonoſorem* Regiam Ninivem urbem, obſeſſurum, obſeſſam capturum, captam deprædaturum, denique totum Aſſyriacum Imperium a Chaldæis, & Medis devaſtatum atque exciſum iri. Legitur cap. 1. v. 15. Prophetiæ *Nahum* prædictio, quæ, teſte *S. Auguſtino* c. 31. lib. 18. *De Civitate Dei* ad legem Evangelicam refertur. Sic autem habet: *De domo Dei tui interficiam ſculptile & conflatile: ponam ſepulchrum tuum. Ecce ſuper montes pedes evangelizantis & annunciantis pacem*. Quam prophetiam *S. Auguſtinus* loco mox a me laudato ſic interpretatur: *Per Evangelium exterminata ſculptilia, & conflatilia, id eſt, Idola Deorum falſorum, & oblivioni tanquam ſepulturæ tradita jam videmus, & hanc etiam in hac re Prophetiam completam eſſe cognoſcimus*.

D. Sub quo Rege Juda vaticinatus eſt *Habacuc*, qui in ordine Prophetarum Minorum octavus eſt? & quidnam potiſſimum in ejus Prophetia continetur?

M. Vaticinatus eſt *Habacuc* ſub *Manaſſe*, impio Rege Juda, cujus flagitia non obſcure perſtringit cap. 1. v. 4. ſuæ Prophetiæ, dicens: *Propter hoc lacerata eſt Lex, & non pervenit uſque ad finem judicium, quia impius prævalet adverſus juſtum, propterea egreditur judicium perverſum*. Sed cum illuſtriſſimo Abrincenſi Epiſcopo *Daniele Huetio* advertere debes, duos fuiſſe Prophetas *Habacuc*, priorem, cujus prophetia adhuc ſupereſt, ortum e Tribu *Simeonis*, coætaneum fuiſſe *Manaſſi*, Regi Juda, & ante captivitatem Babylonicam in Regno Juda prophetaſſe: alterum vero Vatem, eodem nomine *Habacuc* inſignitum, ex Tribu Levi originem duxiſſe, ut videre eſt in lemmate Hiſtoriæ *Belis*, & *Draconis* præfixo In libro *Danielis*, quod exhibet *S. Hieronymus* præfatione in *Danielem*, huncque poſteriorem Prophetam *Habacuc* illum eſſe, qui tempore captivitatis Babylonicæ, juſſus a Deo, & ab Angelo raptus detulit ad Prophetam *Danielem*, in lacum Leonum miſſum, prandium, quod ſuis meſſoribus paraverat. De priori duntaxat *Habacuc* hic nobis ſermo erit, cujus Prophetiæ hæc ſumma eſt: Conquerenti huic Prophetæ, quod Deus ſineret pios ab impiis opprimi, Regnumque *Nabucodonoſoris*, peſſimi Idololatrę, viribus & poteſtate in dies creſcere, ac longe lateque propagari; reſpondit Deus, ſe poſtquam per Chaldæos punierit Judæos, illico Chaldæos perditurum, tum propter irreverentiam, qua *Balthaſar*, eorum Rex, Vaſa, divino cultui conſecrata, prophanis uſibus deſtinaverat; tum propter Chaldæorum, eorumque Regum ebrietatem, crapulam, violentiam, cædes, homicidia, Idololatriam. Hinc Propheta *Habacuc* multiplex *Væ* intentat *Nabuchodonoſori*, Chaldæorum Regi, fruſtraque illum in *Belo*, aut in virtute cujuſcumque Idoli ſuam ſpem ac fiduciam collocaturum prænunciat. Denique, prophetiam ſuam concludit Propheta *Habacuc* Carmine Euchariſtico, ſeu Cantico gratiarum actionis, quo ſummam Dei miſericordiam in adventu Jeſu Chriſti, veri Meſſię ac Redemptoris, commendat capite 3. v. 2. dicens: *Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies, cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*. Et verſu 13. ejuſdem capitis, *Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo*. Et verſu 18. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo*. Nec minus clare idem Propheta cap. 2. verſu 3. Meſſiam propediem venturum prędicit his verbis: *Quia adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur, ſi moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit*.

D. Bene habet: pręcipuas jam compertas habeo prędictiones, quas fuderunt octo Prophetæ Minores, qui in Regno Juda ante captivitatem Babylonicam vaticinati ſunt. Unus tamen adhuc ſupereſt *Sophonias*, qui in ſerie Prophetarum Minorum nonus eſt, quique itidem in Regno Juda ante captivitatem Babylonicam, res futuras prædixit, de cujus ſubinde genere, ætate, & Prophetia aliquid ſcire

ſcire area. De tribus vero aliis Prophetis Minoribus, videlicet de *Aggæo*, *Zacharia*, & *Malachia* nihil in præſentia a te percontabor, quia de tribus illis Prophetis Minoribus, qui, ſicut jam me præmonuiſti, poſt captivitatem tantum Babylonicam vaticinandi munus obierunt, opportunius ſuo loco, id eſt, in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam ſextæ Mundi Ætatis tractaturum te ſpopondiſti.

M. Ex ſtirpe Regia, ſeu ex familia *Ezechiæ* Regis Juda, ſuum genus duxiſſe *Sophoniam* nonnulli aſſerunt Scripturæ Sacræ Interpretes, ſed id, cum incertum ſit, in medio relinquo. Hoc unum certum eſt, Prophetam *Sophoniam*, ſicut ipſemet teſtatur initio Prophetiæ ſuæ, fuiſſe filium *Chuſi*, & vaticinatum eſſe temporibus *Joſiæ*, Regis Juda, hoc eſt, ſub exordium Regni ejuſdem *Joſiæ*, antequam pius ille Rex ſuſtuliſſet prophanos & ſacrilegos cultus, quos nequiſſimus *Manaſſes*, Rex Juda, induxerat, & propter quos Propheta *Sophonias* vehementer Judæos objurgat, eoſque ſimul adhortatur, ut, extirpata penitus Idololatria, aliiſque relictis ſceleribus, quibus dediti erant, tandem aliquando reſipiſcant, & ad ſinceram pœnitentiam, verumque Dei cultum redeant. Quod ſi, obſtinatis animis, facere detrectent, eis inevitabile prædicit per *Nabuchodonoſorem*, Regem, excidium, non ſecus, ac Philiſtæis, Moabitis, Ammonitis, Æthyopibus, & Aſſyriis. Redarguit acerrime rapinas Principum Regni Juda, injuſtitiam Judicum, mendacia Pſeudo-Prophetarum, impietatem Sacerdotum, & ſummam ſocordiam Judæorum, qui tam Ninivitarum, quam aliarum Gentium, quæ, ob ſua flagitia fuerant a Deo exterminatæ, funeſto, quod præ oculis habebant, exemplo nec ſapientiores, nec meliores evaſerant. Demum Propheta *Sophonias*, poſtquam multas imminentes calamitates Judæis ominatus eſt, eos conſolatur, promittens, ipſis amæniores ſub finem Mundi exorituros ſoles, futuram illorum converſionem, & in adventu Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, multorum e populo Judaico ad veram Fidem vocationem: „ Lauda filia Sion „ (inquit *Sophonias* capit. 3. ſuæ Prophetiæ) jubila Iſrael, lætare, & „ exulta in omni corde filia Hieruſalem. Abſtulit Dominus judicium „ tuum, avertit inimicos tuos: Rex „ Iſrael Dominus in medio tui, non „ timebis malum ultra. In die illa dicetur Hieruſalem: Noli timere: Sion, „ non diſſolvantur manus tuæ. Dominus Deus in medio tui fortis, ipſe „ ſalvabit. Gaudebit ſuper te in lætitia, ſilebit in dilectione ſua, exultabit ſuper te in laude &c. Sed ſatis hactenus diximus de Prophetis Minoribus, qui in Regno Juda ante captivitatem Babylonicam res futuras, afflante Spiritu Sancto, prædixerunt, quique vocantur *Prophetæ Minores*, non quod minori, aut inferiori polleant auctoritate, quam Prophetæ, dicti *Majores*, ſed quod eorum Prophetiæ contractiores ac breviores ſint illis, quas ediderunt Prophetæ Majores.

D. Præter illos Prophetas, tum Majores, tum Minores, quos huc uſque percenſuiſti, quique in Regno Juda ante captivitatem Baabylonicam prædictiones ſuas litteris conſignarunt, alii fuerunt ſacri Vates, præſertim *Elias*, & *Eliſæus*, qui in quinta Mundi Ætate, in Regno Iſraelitico, ante Aſſyriacam decem Tribuum captivitatem floruerunt; & de quorum geſtis, miraculis, & vaticiniis te aliquid in præſenti noſtro Colloquio dicturum fidem tuam oppignoraſti. Verum, priuſquam de illis Prophetis ſermonem inſtituamus, optarem, ut veram aſſignares cauſam, cur Judæi tot Vaticiniis, quibus Prophetæ, tum Majores, tum Minores, Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, adventum, ejus vitæ æconomiam, Miracula, Doctrinam, Mortem, Paſſionem, Reſurrectionem &c. perſpicue prænunciarunt, faſces ſubmittere, & confeſſas nolint præbere manus? tam adamantinæ Judæorum pervicaciæ cauſam aperias, ſi placet.

M. Cauſa, propter quam Judæi tot Prophetarum Vaticinia in Jeſu Chriſto, Servatore noſtro, fuiſſe adimpleta, tam obſtinatis animis confiteri renuunt,

nuunt, ſuam originem habet ex anticipatis, vetuſtiſque opinionibus, quas de promiſſi ſibi Meſſiæ dotibus, & officiis alte mentibus ſuis infixerunt, quaſque evellere adeo difficile, & arduum eſt, ut, proh dolor! pauci ſint inter illos, qui ad Chriſtianam Fidem traducantur, jamque ceſſerit in vulgare proverbium: *Facilius eſſe Æthyopem dealbare, quam Judæum ab errore divellere*. In primis, ſi quis quærat a Judæis, qualem a Prophetis ſibi prænuntiatum Meſſiam exiſtiment, & qualem etiamnum præſtolentur? Actutum reſpondebunt, Meſſiam fore virum bellatorem, Gentium dominatorem, Levitici Sacerdotii inſtauratorem, qui etiam *Salomonis* Templum, ac Hieroſolymam a fundamentis erigat, atque univerſam Gentem Judaicam, toto orbe diſperſam, armata manu, ſtrictoque gladio vindicet, & in unum cogat; Gentes vero in ſuis Idololatriæ tenebris immerſas omnino relinquat. Hæc eſt prima opinio, quam de promiſſi Meſſiæ dotibus Judæi animo imbiberunt. Sed, quam falſa ſit hæc præjudicata opinio, quam inanes ac crudæ illæ ſpes, quibus Judæi mentes ſuas hodie alunt, aperte oſtendunt vaticinia, quæ laudavimus, Prophetarum, qui in Regno Juda, ante captivitatem Babylonicam, id eſt, in quinta Mundi Ætate, venturi Meſſiæ dotes & officia prænunciarunt. Hi quippe ſacri Vates prædixerunt, venturum Meſſiam non fore virum bellatorem, &, inſtar *Cæſaris*, & *Alexandri Magni*, copiarum, exercituſque ductorem, ſed virum humilem, modeſtum, pacificum, arma myſtica duntaxat tractaturum, & ſacra vitiis, non hominibus bella indicturum. Secundo, prædicunt iidem Prophetæ, Meſſiam venturum vocaturum ad ſe non tantum Judæos, ſed etiam Gentes, & Idololatriam, tot ſæculorum diuturnitate roboratam, & toto Orbe diffuſam, deleturum; illum Legem Novam, ſeu Evangelicam, conſummata Veteri, ſeu Moſaica, conditurum, Novum Fędus, impleto Veteri, ſanciturum, Ritus Moſaicos, inductis aliis, ablegaturum, deſtructum Templum Salomonicum, id eſt, Hieroſolymitanum, nunquam inſtauratum iri, ſed Meſſiam excitaturum novum Templum ſpirituale, hoc eſt, Eccleſiam, ex Judæis & Gentibus ex æquo conflatam, & per totum Orbem dilatatam, in qua coletur Deus in ſpiritu & veritate. Quæ Prophetarum vaticinia falſi convincunt hanc opinionem, quam de promiſſo Meſſia ſibi fingunt Judæi, & veras ſtabiliunt Notas, ad quarum normam veri Meſſiæ agnitionem exigere debemus, quæque non ſolum recta collineant in Chriſtum, Servatorem noſtrum, ſed etiam quantum ad omnes circumſtantias fuerunt accuratiſſime in ipſo adimpletæ.

Altera opinio perinde falſa quæ de promiſſi Meſſiæ dotibus inſidet Judæorum animis, ea eſt, qua ſibi perſuadent, Meſſiam, quem venturum nunciant Prophetæ, terreno & æterno potiturum Regno, eumque non moriturum. At, hæc opinio, quam ex funeſtis, infauſtiſque præjudiciis hauſerunt Judæi, recta fronte pugnat cum Vaticiniis Prophetarum, qui Meſſiæ non adjudicant Regnum terrenum & temporale, quod exercere debeat Leges politicas condendo, hoſtes corporalibus pænis, & vi armorum ſubigendo, ſicut de Meſſia jactare ſolent Hebræi, ſed Prophetæ tribuunt Meſſiæ Regnum ſpirituale, ac cæleſte, in eo præſertim ſitum, ut a peccatis, & Diaboli ſervitute populum ſuum redimat, tenebrarum poteſtates debellet, Idololatriam exterminet, verum Dei cultum ſtabiliat, æternas fidelibus divitias conferat, animæ ſanctitatem, & corpori perennem vitam impertiatur. In hoc ſenſu Meſſias appellatur a Propheta *Iſaia* cap. 9. Princeps pacis, a *Hieremia* cap. 23. *Rex*, qui *faciet judicium & judiciam in terra*, & ab aliis Prophetis *Rex Pacificus & manſuetus*. Meſſiam autem moriturum concors eſt omnium Prophetarum vox. Sepoſita quidem omni obſcuritate declarant, Meſſiam, impiorum circumventione, ac malis artibus occiſum iri, mortem turpiſſimam ſubiturum, attritum iri propter ſcelera noſtra, eademque opera deſcribunt (potiſſimum Propheta

Iſaias cap. 53.) omnes circumſtantias diræ ac probroſæ mortis, qua Meſſias in Cruce afficiendus erat. Quæ omnia ſi attentis, ut par eſſet, animis perpenderent *Judæi*, omni proculdubio falſa illa, quibus de promiſſo Meſſia deluduntur, præjudicia abdicarent, appenſum cæcis mentibus velum amoverent, & longe alium liberatorem Mundo a Prophetis prædictum viderent, quam ſibi ex præconceptis falſis opinionibus fingunt, atque tandem aliquando, in uno, quem agnoſcere nolunt, *Jeſu* Nazareno, omnia Prophetarum Vaticinia fuiſſe adamuſſim impleta faterentur.

Denique, ideo Judæi Jeſum Chriſtum, tanquam verum Meſſiam, a Prophetis prædictum, agnoſcere nolunt, quia deploranda cæcitate, non pauca de promiſſo Meſſia Prophetarum Vaticinia, quæ in ſenſu proprio, & litterali ſumi debent, ad ſenſum myſticum, & allegoricum de induſtria detorquere ſolent, alia vero Prophetarum Oracula, quæ myſticum in ſenſum intelligenda veniunt, mortiferam ſecuti litteram, ad ſenſum litteralem trahunt, ac præpoſtere accipiunt, ut inde obtendant ac cauſentur, Prophetarum Vaticinia necdum eſſe impleta. Hæc eſt cauſa, cur Judæi, ſaxa in corde geſtantes, in tanta Vaticiniorum, quæ de *Jeſu* Chriſto, vero Meſſia, fuderunt Prophetæ, claritate, quæ ſeſe omnium ingerit oculis, adhuc cæcutiunt. Sed eorum cæcitas, ut obiter dicam, tantum abeſt, ut aliquod negotium Chriſtianis faceſſere debeat, ut potius peremptorium illis ſuppeditet argumentum ad probandum adverſus perfidos *Judæos*, Jeſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam, Prophetarum Oraculis prædictum. Hanc etenim futuram Judæorum cæcam in Jeſu Chriſto negando pertinaciam, & obſtinationem, ob quam a Deo repudiari, & reprobari meruerunt, prædixerunt ſacri Vates, *Iſaias* cap. 1. verſ. 2. de *Judæis* ait: „ Filios enutrivi, & exaltavi, „ ipſi vero ſpreverunt me: cognovit „ bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus „ præſepe Domini ſui: Iſrael autem „ me non cognovit, & populus meus „ non intellexit. Væ Genti peccatri„ ci, populo gravi iniquitate, ſemini „ nequam, filiis ſceleratis, dereliquerunt Dominum, blaſphemarunt San„ ctum Iſrael, abalienati ſunt retror„ ſum. „ Et cap. 8. verſ. 14. loquens idem Propheta de adventu Meſſiæ, ait Judæis: „ Erit vobis in ſanctificationem: „ in lapidem autem offenſionis, & pe„ tram ſcandali duabus domibus Iſrael, „ & in laqueum, & in ruinam habi„ tantibus Hieruſalem, & offendent ex „ eis plurimi, & conterentur, & irre„ tientur, & capientur. „ Et cap. 6. verſ. 9. Judæorum cæcitatem luculenter idem Propheta exprimit his verbis: *Vade, & dices populo huic. Audite audientes, & nolite intelligere: Videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude; ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat: & convertatur, & ſanem eum*. Propheta *Oſee* cap. 9. verſ. 17. futuram Judæorum reprobationem, & incredulitatem clare prædixit his verbis: *Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in Nationibus*. Propheta *Hieremias* cap. 8. verſ. 9. ſic invehitur in Judæos: *Quomodo dicitis, ſapientes nos ſumus, & Lex Domini nobiſcum eſt? Vere mendacium operatus eſt ſtylus mendax Scribarum. Confuſi ſunt ſapientes; perterriti & capti ſunt: Verbum enim Domini projecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis*. Denique, ut alia id genus pene ſexcenta Prophetarum Vaticinia prætermittam, Propheta *Ezechiel* cap. 12. verſ. 2. cæcitatem, pertinaciam, & obſtinationem Judæorum ſic deſcribit: *Fili hominis in medio domus exaſperantis tu habitas, qui oculos habent ad videndum, & non vident, & aures ad audiendum, & non audiunt, quia domus exaſperans eſt*. Cum igitur Prophetæ prænunciaverint, futurum ut venienti Chriſto pertinaciter repugnarent Judæi, in eum, tanquam in offenſionis petram, impingerent, & in Sacrarum Scripturarum intelligentia, velut cæci in meridie palparent, fatendum eſt, Chriſtum Dominum eſſe illum Libera-

ra-

Digitized by Google

ratorem a Deo miſſum, quia Judæi illum agnoſcere nolunt, ſuaque pertinacia, & cæcitatę Prophetarum Oracula implent, dum impleta inficiantur. Addo etiam, nec addidiſſe pigebit, Chriſtum Dominum, poſtquam ad Judæorum obſtinationem ſuperandam nihil intentatum reliquiſſet, terribilem hanc in ipſos protuliſſe Sententiam: *Relinquetur domus veſtra deſerta*, eiſque ſæpius prædixiſſe illorum reprobationem, ejectionem, diſperſionem, ruinam, & auguſtiſſimi Templi Hieroſolymitani excidium, longe antequam hæc omnia acciderent, ſicut referunt ſacri Evangeliſtæ, *Mattheus* cap. 14. verſ. 1. *Marcus* cap. 13. verſ. 1. & *Lucas* cap. 19. Quorum eventum jampridem, velint, nolint, experiuntur Judæi, qui, ob incredulitatem, & diffidentiam ſuam, ubique diſperſi vagantur, duriſſimę ſervituti mancipati. Sed mittamus obſtinatos Judęos, eiſque meliorem mentem precemur, quo, depoſita illa adamantina, quę illos obcęcat, pervicacia, agnoſcant tandem aliquando Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam, Prophetarum Oraculis prędictum. Pręſtat nunc, ut ſub finem noſtri Colloquii, quidquid ſupereſt temporis inſumamus, in referendis Geſtis, Vaticiniis, & Miraculis Prophetarum *Eliæ*, & *Elizæi*, qui in quinta Mundi Ætate, in Regno Iſraelitico, id eſt, ſub Regibus Iſrael floruerunt.

D. Sub quo Rege Iſraelis claruit Propheta *Elias?*

M. Sub *Achabo*, Rege decem Tribuum Iſraelis, ultra omnes Reges in Dominum impio, & ſub *Zezabele*, ejus ſceleſtiſſima conjuge, quæ Prophetas miſſos a Deo interemit, apparuit *Elias*, dictus *Thesbithes* ex civitate Galaad oriundus, vir Propheta, potens opere, & ſermone, inter ſacros hujus ęvi Vates longe clariſſimus, dignuſque, quem Deus impii hujus Regis, & Reginę ſceleratioris, conatibus objiceret, ac eximia vitę ſanctitate, & ſingulari miraculorum patrandi virtute pręditum, toto orbe illuſtrem redderet. Hic Propheta in veri Dei cultu a puero religioſe inſtitutus, ſecretam a vulgi conſuetudine vitam agens, & in primis divino zelo fervens, adiit intrepide Regem *Achabum*, & Reginam *Zezabelem*, impietatem utriuſque, & Idololatriam vehementer radarguit, miraculis terruit, ſed ad meliorem frugem non reduxit, imo illorum iram ita in ſe provocavit, ut, ad declinandam impendentem ſibi mortem, ſępius coactus fuerit fugere in ſolitudinem, ubi Deus eum mirabiliter nutrivit miniſterio corvorum, ei quotidie cibum afferentium. Sed, poſtquam audiſſet Propheta *Elias*, quod *Achabus* Rex Iſrael, inſtigante Regina *Zezabele*, fęmina poſt hominum memoriam crudeliſſima, vineam *Nabothi* per vim extorſiſſet, & injuſte Regio fiſco addixiſſet, eumque falſis adhibitis teſtibus damnatum, lapidibus obrui juſſiſſet, incunctanter, jubente Deo, acceſſit ad Regem, & Reginam, & utrique, eorumque liberis, atrocem mortem denunciavit eodem in loco, quem ſuo ſanguine *Nabothus* innocens tinxerat, Regis *Achabi* ſanguinem canibus prędam fore, ubi *Nabothi* lapidati cruorem linxiſſent canes; Reginę vero *Zezabelis* cadaver, ac filiorum ejus eodem itidem loco fruſtatim a canibus diſcerpendum atque vorandum. Cujus Vaticinii veritatem non multo poſt eventus comprobavit, & integro familię *Achabi*, Regis Iſrael, & Reginę *Zezabelis*, nec non liberorum exterminio, atque ſparſo ſanguine, manibus miſeri *Nabothi*, per ſummam injuſtitiam trucidati, litatum eſt. Tandem *Elias* Propheta, poſtquam multis virtutibus clariuſſet, & ſtupenda edidiſſet prodigia, raptus eſt in curru igneo, & translatus in quemdam amęnum locum, ubi cum Patriarcha *Enocho* ſuaviſſime vivit, oppetiens Mundi finem, venturus cum *Enocho* tempore perſecutionis Antichriſti, in qua ambo morientur, & conſtanter pro Fidei Chriſti Domini defenſione ſanguinem profundentes, glorioſi Martyrii palmam conſequentur, ſicut docet perpetua, ſibique ſemper conſtans ſanctorum Patrum, cum Gręcorum, tum Latinorum, ac ſubinde Eccleſię Catholicę, traditio.

D. Pro-

Digitized by Google

D. Profer in medium, quæſo, præcipua miracula, quæ *Eliam*, Prophetam, regnante impio *Achabo*, ediſiſſe narrat Scriptura Sacra.

M. Miracula, quæ regnante impio *Achabo*, patravit *Elias* Propheta. hæc præcipua in ſacris Litteris recenſentur. Primum fuit, quod oratione ſua cœlum concluſit, ne rorem aut pluviam terræ daret. Quo factum eſt, ut, toto triennio & ſemeſtri ſuſpenſis cœlo aquis, omnibuſque locis ſolis ardoribus aduſtis, nec victum habuerint homines, nec pabulum jumenta, ſed ingens per triennium itidem & ſemeſtre graſſata ſit in Samaria fames, juxta *Eliæ* Vaticinium, quod legitur capit. 17. lib. 3. Regum. Alterum Prophetæ *Eliæ* miraculum fuit, quod pluviam & fertilitatem poſt illud temporis intervallum precibus a Deo impetraverit, ac prædixerit *Elias*, quando nullum in cœlo futuræ pluviæ appareret indicium, ſicut refertur capit. 18. verſ. 41. lib. 3. Regum. Tertium miraculum fuit panis & carnium a corvis, Deo præcipiente, ſubminiſtratio ſingulis diebus, mane & veſpere, quamdiu Propheta *Elias* delituit, & ſedit ad torrentem *Carith*, ex quo potum ſumpſit, donec aruerit, ſicut memorat ſacer Auctor lib. 3. Regum capit. 17. verſ. 3. 4. 5. 6. & 7. Quartum miraculum, quod eodem in capite recenſetur, fuit farinæ & olei mirabilis multiplicatio in vaſculis Viduæ Sareptanæ, ad quam Deus Prophetam *Eliam* paſcendum miſerat, toto eo tempore quo duravit ſterilitas. Hæc eſt illa Vidua Sareptana, quam commendat Chriſtus Dominus cap. 4. verſ. 25. Evangelii *S. Lucæ*, dicens: *In veritate dico vobis, multæ Viduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael, quando clauſum eſt cœlum annis tribus, & menſibus ſex, cum facta eſſet fames magna in omni terra; & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam*. Quintum Prophetæ *Eliæ* miraculum, quod deſcribitur cap. 17. lib. 3. Regum, eſt filii ejuſdem Viduæ Sareptanæ, ad quam diverterat *Elias*, a morte ad vitam revocatio. Sextum *Eliæ* miraculum, quod c. 18. lib. 3. Regum narratur, in eo præſertim ſitum eſt quod Propheta *Elias*, juſſu Domini, venit ad *Achabum*, Regem Iſrael, exprobratoque ei ſacrilegio, popoſcit ut populus Iſraeliticus in Monte Carmeli congregaretur. Accivit etiam *Elias* quadringentos, & quinquaginta Idoli *Baalis* Sacerdotes, qui oblatam ab eodem Propheta conditionem acceperant, ut ille Deus eſſet, qui cæſam hoſtiam igne e cœlo miſſo abſumeret. Suum itaque auſpicati Sacrificium Sacerdotes *Baalis* falſum iſtud Numen invocarunt, & magna vociferatione inclamarunt, ut ignem de cœlo mitteret; ſed fruſtra, ſurdoque canebant. Tum Propheta *Elias*, irridens eos, ait: *Clamate voce majore, Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur*. Confuſis autem *Baalis* Sacerdotibus, *Elias* cæſum vitulum novo Altari in monte Carmeli impoſuit, & invocato Domino, cunctis adſpectantibus, ignis cœlo delapſus holocauſtum abſumpſit. Hoc miraculo attoniti Iſraelitæ ſolo ſtrati, Deum verum agnoſcentes, hunc unicum ac verum eſſe Deum conclamant, moxque, jubente *Elia*, prophani Sacerdotes *Baalis* comprehenſi, deductique ad Torrentem *Ciſon*, omnes ad unum necati ſunt. Septimum *Eliæ* miraculum eſt jejunium quadraginta dierum, quod ſupra naturæ vires toleravit hic Propheta, poſtquam ſubcinericio pane ab Angelo allato recreatus fuiſſet, cum crudelem *Zezabelem*, quæ eum ad mortem quærebat, fugiens, terroreque correptus, in Deſerto obdormiviſſet in umbra juniperi; cujus in cibi fortitudine grandem viam confecit, ambulans quadraginta diebus & quadraginta noctibus, uſque ad Montem Dei Horeb, ſicut legitur capit. 19. lib. 3. Regum. Hoc miraculo *Elias* effugit perſecutionem truculentæ Reginæ *Zezabelis*, quæ tanto æſtu in Prophetas ſæviebat, ut illos omnes de medio ſubſtuliſſet, niſi vir quidam in Aula Regis *Achabi*, quamvis corruptiſſi-

ptiſſima, extitiſſet, nomine *Abdias*, Religione ac Dei timore inſignis, qui centum Prophetas, de vita periclitantes, furori impiæ *Zezabelis* ſubduxit, & in ſpeluncis abſconditos pavit, ſicut teſtatur ſacer Auctor libr. 3. Regum cap. 18. Octavum *Eliæ* miraculum fuit apparitio Dei, qui hunc Prophetam, e ſpelunca egreſſum, & in monte ſtantem, allocutus eſt, eique ſignificavit, ſibi ſervaſſe *ſeptem millia virorum in Iſraele, quorum genua non ſunt curvata ante Baal* (cap. 19. verſ. 18. libr. 3. Regum) Quod mirum accidit Prophetæ *Eliæ*, qui ſe ſolum a ſacrilegio immunem eſſe crediderat. Hæc ſunt præcipua miracula, quæ a Propheta *Elia* fuiſſe patrata narrat Scriptura Sacra.

D. Circa raptum Prophetæ *Eliæ* occurrunt duæ difficultates, quas mihi breviter ſolvas velim. Prima eſt, an *Elias*, qui etiamnum vivit, ſit ſimul viator, & comprehenſor? id eſt, utrum ſit beatus, & clara Dei viſione donetur? Altera difficultas eſt, quomodo, & per quem *Elias* poſt raptum ſuum miſerit illas litteras, quas ſcripſit ad *Joramum*, Regem Juda, & quibus ei gravem morbum, mortem, cladem que toti Regno denunciat, ut conſtat ex lib. 2. Paralip. cap. 25. v. 12. ubi expreſſe dicitur: *Allatæ ſunt ei* (id eſt Joramo, Regi Juda) *litteræ ab Elia Propheta*.

M. Cum ex pervulgata Theologorum ſententia ſolus Chriſtus Dominus fuerit ſimul viator, & comprehenſor, exiſtimo, Prophetam *Eliam*, qui etiamnum vivit, non eſſe viatorem ſimul & comprehenſorem, id eſt, illum necdum eſſe beatum, & clara atque intuitiva Dei viſione donatum. Eccleſia quidem celebrat Feſtum *Eliæ* Prophetæ die xx. menſis Julii, ſicut patet ex Martyrologio Romano, Græci etiam Templa *Eliæ* erexerunt, inde tamen non evincitur, *Eliam* nunc frui Beatifica Dei viſione, tum quia Eccleſia non celebrat Feſtum *Eliæ*, ut beati, ſed ut rapti; ita ut ſtata illa die, huic Prophetæ ſacra, recolat duntaxat Eccleſia memoriam *Eliæ* raptus, utpote mirabilis, ſicut ait *Cornelius a Lapide*. Tum quia etiam Græci eodem ducti motivo Templa Prophetæ *Eliæ* erexerunt, quo ei feſtum diem conſecrarunt: ſicut igitur Feſtum ei inſtituerunt Græci, ut memoriam tantum mirabilis illius raptus recolerent, ita & illi erexerunt Templa, aut potius non illi, ſed Deo, quia, ut alibi, poſt *Sanctum Auguſtinum*, me obſervaſſe memini, Templa non Sanctis, ſed ſoli Deo, in honorem Sanctorum eriguntur. Quo fit, ut hæc Templa non *Eliæ*, ſed Deo ſint erecta in honorem raptus *Eliæ*, qui nunc in loco amæno, nobis plane ignoto, cœleſtem vitam agit, quique licet nondum ſit beatus, id eſt, beatifica Dei viſione non adhuc potiatur, ea tamen certiſſime fruetur, poſtquam in fine Mundi, graſſante atrociſſima Antichriſti perſecutione, Martyrii laurea fuerit coronatus. Et hæc primæ propoſitæ difficultati dilucidandæ ſufficiant. Altera, quam propoſuiſti difficultas, paulo intricatior eſt, & in ea diluenda doctiſſimi Scripturæ Sacræ Interpretes variant linguis, & ſententiis. *Cajetanus* cenſet, hunc *Eliam*, qui ſcripſit litteras ad *Joramum*, Regem Juda, diverſum eſſe ab *Elia* Propheta, dicto *Theſbite*, ſed hæc non placet ſententia. *Vatablus*, Regius Linguæ Hebraicæ Profeſſor, autumat, per *Eliam* deſignari *Elizæum*, eo quod *Elizæus* ſpiritum haberet *Eliæ*; ſed hæc opinio nihilo præcedenti plauſibilior eſt. Alii haud improbabiliter putant, *Eliam* ſuum ante raptum, has ad *Joramum*, Regem Juda, ſcripſiſſe litteras, eaſque dediſſe *Elizæo*, vel alteri, ut eas, poſt ipſius raptum, redderet Regi *Joram*. Alii denique, quorum ſententiæ lubens ipſe ſubſcribo, dicunt Prophetam *Eliam* e loco, ubi, poſt ſuum raptum, una cum Patriarcha *Enocho* degit, eas ad *Joramum*, Regem miſiſſe litteras, vel per Angelum forma humana indutum, vel per diſcipulum ſuum *Elizæum*, vel per fidelem alium virum, adduntque, quod ſicut *Elias* in transfiguratione Chriſti Domini apparuit, ita

Digitized by Google

ita potuit, poſt ſuum raptum apparere *Elizæo*, vel alicui alteri, cui ejuſmodi litteras, a ſe ſcriptas, & ad *Joramum*, Regem Juda, directas, eidemque Regi tradendas, crediderit.

D. Acta & præcipua Prophetæ *Eliæ* miracula jam memoria teneo. Veniamus nunc ad *Elizæum* Prophetam, *Eliæ* diſcipulum, qui in quinta pariter Mundi Ætate, & in Regno Iſraelitico, id eſt, ſub Regibus Iſraelis, dono Prophetiæ claruit, multiſque ſignis potens extitit, cujus res præclare geſtas audire mihi volupe erit.

M. Sub exordium Regni *Jorami*, Regis Iſrael, curru igneo vectus *Elias*, & in Cœlum ſublatus, *Elizæum*, diſcipulum ſuum, duplicis ſpiritus ſui, Prophetiæ videlicet ac miraculorum, necnon pallii reliquit hæredem, ſicut legitur cap. 2. lib. 4. Regum. Sub eodem *Joramo*, Rege Iſraelis, Prophetiis, & miraculis claruit *Elizæus*, illumque Regem ſuis precibus multum juvit, atque e præſentiſſimo diſcrimine eripuit. At enim, cum Rex *Joramus* Moabitas, violati fœderis reos, bello eſſet aggreſſurus, & in ſocietatem militiæ *Joſaphatum*, Regem Juda, & Idumæorum Regem aſciviſſet, contigit ut fœderatorum Exercitus præ aquarum penuria in deſerto Idumææ pene deficerent. Periculum advertens Propheta *Elizæus*, opportunam aquam a Deo impetravit, & victoriam prædixit. Moabitarum Rex, Exercitu ſuo fuſo ac profligato, civitatibus dirutis, vaſtatis agris, fructiferis arboribus ſucciſis, fontibus obturatis, ipſa Regni Metropoli obſeſſa, & pene expugnata, cum irrito conatu impetum in hoſtes feciſſet, tandem per ſummam barbariem ad placandos Deos ſuos, filium ſuum primogenitum, hoſtili adſpectante exercitu, in mœnibus mactavit, obtulitque holocauſtum. Qua atrocitate perculſi Iſraelitæ, tamque impium facinus execrati, ſoluta obſidione, diſceſſerunt, ſicut legitur cap. 3. lib. 4. Regum. Plurima ab *Elizæo* edita miracula deſcribuntur in eodem quarto libro Regum, quæ ſi in præſentia ſingillatim referenda ſuſciperem, vereor, ne tibi tædio, & oneri eſſem, & longius, quam vellem, noſtrum protraheretur Colloquium. Hæc itaque inſignia Prophetæ *Elizæi* miracula in eo, quem mox laudavi libro quarto Regum, lectitare, tuamque ſitim ad ſatietatem uſque extinguere poteris.

D. Cum necdum effluxerit hora, quam Colloquiis noſtris præfigere ſolemus, te etiam atque etiam obſecro, & obteſtor, ut non te pigeat indigitare ſaltem præcipua, quæ *Elizæus* edidit, miracula, & eadem opera breviter indicare loca libri quarti Regum, in quibus ejuſdem Prophetæ narrantur prodigia, quo facilius ad fontem, unde plenius bibam, recurrere poſſim.

M. Votis tuis ut faciam ſatis, præcipua *Elizæi* miracula compendioſa narratione hic perſtringam, & loca libri quarti Regum, ubi accurate referuntur, quaſi digito monſtrabo, ut ea, ſi tibi per otium liceat, conſulere valeas. Primum miraculum, quod, poſt raptum *Eliæ*, patravit *Elizæus*, illud eſt, quo hic Propheta aquas Jordanis pallio *Eliæ* diviſit, ſicciſque veſtigiis Jordanem tranſivit. *Alterum Elizæus* edidit miraculum, dum Jericunthinis aquis ſalubritatem, terræ fertilitatem, ſale in fontem injecto, conciliavit. Hæc duo Prophetæ *Elizæi* miracula memorat Scriptura Sacra cap. 2. lib. 4. Regum, ibidemque fit mentio de tertio *Elizæi* miraculo, quo pueri Bethelitæ illudentes *Elizæo*, calvitiemque ipſi objicientes; *Aſcende*, *calve*, *aſcende*, *calve*, confeſtim a duobus urſis, ex proximo erumpentibus nemore, diſcerpti ſunt. Quartum *Elizæi* miraculum eſt illud, quod jam inſinuavi, quodque cap. 3. lib. 4. Regum narratur, nimirum aquæ fœderatis Exercitibus, & Regibus Judæ, Iſraelis, & Idumæorum, in Deſerto Idumææ, cum adverſus Moabitas progrederentur, impetratio. Quintum *Elizæi* miraculum, eſt olei in Vaſis Viduæ paupereulæ, & ære alieno oppreſſæ, multiplicatio, ut, oleo vendito, contracta debita ſolvere, & liberos alere

alere poſſet. (cap. 4. lib. 4. Regum) Sextum *Elizæi* miraculum, quod eodem in cap. 4. lib. 4. Regum legitur, eſt filii Sunamitidis, hoſpitæ ſuæ, quem ipſius Prophetæ *Elizæi* precibus impetraverat, e morte ad vitam reditus. Quæ miraculoſa reſurrectio adumbrat vocationem Gentium ad Eccleſiam Chriſti: *Filus mulieris illius, dum Elizæus abſens eſſet, mortuus eſt: ſic & filius Eccleſiæ, hoc eſt, populus Gentium, ante quam Chriſtus veniret, peccatis mortuus erat. Deſcendente de monte Elizæo, filius Viduæ huic vitæ redditur. Deſcendente de Cælo Chriſto, filius Eccleſiæ, id eſt, populus Gentium, ſuſcitatur*, inquit *S. Cæſarius*, Arelatenſis Epiſcopus, Sermone, qui olim inter Sermones, Auguſtinianos erat CCVI. *De Tempore*, & nunc in noviſſima, & caſtigatiſſima Operum *Sancti Auguſtini* Editione, quam Pariſiis adornarunt doctiſſimi Patres Benedictini Congregationis *Sancti Mauri*, extat in Appendice, & eſt ordine quadrageſimus ſecundus. Septimum *Elizæi* miraculum, eſt expulſio veneni, & amaritudinis a pulmento per modicæ farinæ injectionem (lib. 4. Regum cap. 4.) Octavum miraculum, eſt ingentis hominum multitudinis ex paucis panibus ordeaceis exſaturatio. (lib 4. Regum cap. 4.) Nonum *Elizæi* miraculum, quod capite quinto lib. 4. Regum narratur, eſt *Naamanis* a lepra curatio. Erat autem ille *Naaman* Princeps Militiæ Syriæ, vir magnus, fortis, & dives, qui per *Elizæum*, Prophetam, cum fuiſſet a lepra ſanatus, ita ex hoc ſuæ curationis miraculo ad Deum verum converſus eſt, & a cultu Idolorum deſcivit, ut *Elizæo* promiſerit, ſe nullum poſthac facturum holocauſtum, aut victimas Diis alienis oblaturum, ſed ſoli Deo vero, & hoc unum duntaxat ab hoc Propheta petierit, ut Regem Syriæ, Dominum ſuum, in Templo *Remmon* adorantem, ipſe pro more ſuſtentare, eoque adorante, corpus itidem inclinari ſibi liceret; quod Propheta *Elizæus* conceſſit. dicens: *Vade in pace*. Larga munera *Elizæo* obtulit *Naaman*, Syrus, quæ ille Propheta conſtanti animo recuſavit, & famulo ſuo *Gieſi*, qui ab eodem *Naaman* munus acceperat, atque mendacio extorſerat, lepram, in nepotes etiam transfundendam, inflixit, indeque *Gieſi* Simoniacorum typum, & lepram ei adhærentem, ſimoniæ labis figuram eſſe, docent Scripturæ Sacræ Interpretes. Decimum *Elizæi* miraculum, quod eodem in capite quinto lib. 4. Regum percenſetur, eſt ſecuris in Jordanem delapſæ, injecto poſt eam ligno, ad aſcendendum ex aqua, & ſupernatandum impulſio. Quo in miraculo adumbrata fuiſſe Chriſti Domini, & ſalvificæ ejus Crucis Myſteria obſervant *Tertullianus* cap. 13. libri adverſus Judæos, *Sanctus Auguſtinus* lib. 12. contra *Fauſtum*, Hæreticum Manichæum, & *Theodoretus* quæſt. 19. in librum quartum Regum. Undecimum *Elizæi* miraculum, eſt omnium Regis Syriæ Conſiliorum *Joramo*, Regi Iſraelis, facta ab illo Propheta revelatio (lib. 4. Regum cap. 6.) Duodecimum *Elizæi* miraculum, quod eodem in capite ſexto lib. 4. Regum memoratur, eſt Militum Regis Syriæ, qui ad Prophetam capiendum miſſi erant, excæcatio, ſimul & illuminatio, cum in Samariam ducti eſſent, eorumque vitæ conſervatio, cum ab Iſraelitarum copiis circumcluſi, facile omnes internecione deleri potuiſſent. Decimum tertium miraculum, eſt prædictio abundantiæ frumenti in Samaria, die craſtino futuræ, cum ad ſummam rerum inopiam redacta eſſet, ſicut legitur lib. 4. Regum capite ſexto. Decimum quartum *Elizæi* miraculum, eſt liberatio urbis Samariæ, a validiſſimo Syriorum Exercitu obſeſſæ, & in extremis poſitæ anguſtiis. (lib. 4. Regum cap. 7.) Decimum quintum miraculum, eſt ſeptennis fames, quam in Terra Iſraelis futuram prædixit *Elizæus*. (lib. 4. Regum. cap. 8.) Ultimum *Elizæi* miraculum, eſt prædictio ab eo facta de ſanitate ſimul, & morte *Benadab*, Regis Syriæ, de cujus infirmitate ab *Hazaele*, illius Regis Miniſtro,

Digitized by Google

ſtro, fuerat conſultus. (lib. 4. Regum cap. 8.)

Habes nunc, quaſi in compendio, Hiſtoriam, ſeu præcipua geſta Prophetarum, qui in quinta Mundi Ætate, hoc eſt, ante captivitatem Babylonicam, tam in Regno Judæ, quam in Regno Iſraelis, futura prædixerunt, quique vitæ ſanctimonia, certiſſimo vaticiniorum eventu, & multorum evidentia miraculorum aperte probarunt, ſe revera a Deo miſſos eſſe, ſibique populorum fidem conciliarunt. At, nunc, ut obiter dicam, vide, ſi placet, quantum cæcutiant Hæretici noſtri temporis, a quibus, ſi petas, undenam *Lutherus*, *Calvinus*, aliique Hæreſiarchæ ſuam Miſſionem acceperint, cum certum ſit, eos non ab Eccleſia Romana, a qua, facto ſchiſmate, ſeſe ſepararunt, illam accepiſſe? confeſtim reſpondebunt, *Lutherum*, *Calvinum*, alioſque ejuſdem furfuris ſuos Anteſignanos fuiſſe a Deo extraordinarie miſſos, non ſecus ac in Veteri Lege Prophetæ ad reparandum divinum cultum, ad corrigendos pravos mores, & tollendos ſerpentes abuſus, extraordinariam a Deo Miſſionem acceperunt. Sed quantum hac in re fallantur, & cæcutiant Hæretici, tribus momentis breviter oſtendo. Primo, Prophetæ Veteris Legis ſe a Deo miſſos eſſe, probitate morum, ac vitæ innocentia comprobarunt; *Lutherus* autem, *Calvinus*, ceterique variarum Sectarum conditores, ventri, gulæ, & libidini dediti fuerunt, neceſſitatem bonorum operum, Sacramenti Pœnitentiæ, & Eccleſiæ diſciplinæ rigorem ſuſtulerunt, ſolemnia Religionis Vota, Deo nuncupata, diſſolverunt, Monachis, & Sacerdotibus connubia indulſerunt, novam, & antiquis Eccleſiæ ritibus contrariam Sacerdotum originem inſtituerunt, Templa ſuccenderunt, altaria ſuffoderunt, & excuſſo Romani Pontificis, & Epiſcoporum, obedientiæ jugo, ſectarios ſuos, Religionis, Sacræ Scripturæ, doctrinæ, ac fidei ſuæ judices, & arbitros conſtituerunt, eoſque ad arma, ad bella, ad ſus deque omnia in toto orbe Chriſtiano miſcenda concitarunt. Hic fuit egregius, ſi Superis placet, extraordinariæ illorum Hæreſiarcharum Miſſionis character. Secundo, Prophetæ Veteris Teſtamenti certiſſimo Vaticiniorum, quæ fuderunt, eventu, omniumque oculis nunc perſpicuo, fidem omnium Gentium ſibi optimo jure conciliarunt, ſuamque extraordinariam Miſſionem extra omnem dubitationis aleam poſuerunt: At, quæ unquam, *Lutherus*, *Calvinus*, & alii nefarii Hæreſiarchæ Vaticinia ad probandam Miſſionem ſuam extraordinariam protulerunt? nulla profecto. Quamvis, etiamſi aliquas edidiſſent prædictiones, quarum veritatem fortuitus eventus (ut fieri aliquando aſſolet) comprobaſſet; nihilo ſecius rejici, ac diris devoveri deberent tanquam Pſeudo-Prophetæ, quia, juxta Regulam, quam in exordio hujuſce noſtri Colloquii, ad diſcernendum verum Prophetam a falſo, conſtituimus, illi, qui in Lege Evangelica aliquas prædictiones in vulgus ſpargunt, quæ Legi Evangelicæ, & avitæ doctrinæ, quam Eccleſia Catholica a Chriſto Domino, ab Apoſtolis, & ſanctis Patribus, perpetua, ſibique ſemper conſtanti traditione accepit, & ad hæc uſque tempora intemeratam jugiter conſervavit, oppoſitæ ſunt, tanquam falſi Prophetæ, & meri impoſtores, ad decipiendos populos comparati, repudiari ac profligari debent. Hinc Eccleſia Catholica, cui ex officio incumbit ſuum de moribus extraordinariis Spiritus Sancti ferre judicium, & definire, an prædicti motus ſint ex Deo, ſeu Spiritu Sancto, vel ex maligno Spiritu, ſeu ex Diabolo, qui ſolet ſe in Angelum lucis transfigurare, damnavit olim Hæreſiarcham *Montanum*, & alios, qui, ut incautis ac ſimplicibus facilius imponeret, ſeſe Prophetas, Spiritu Sancto afflatos temere jactitabant, falſiſque Vaticiniis populum deludebant. Damnavit etiam non multis ab hinc annis eadem Eccleſia Catholica quoſdam fanaticos Hæreticos, qui multum manſuetudinis, & externæ, ſed fu-

fucatæ pietatis præ ſe ferentes, orationis, & magis excoctæ vitæ aſceticæ perfectionis ſtudium plenis buccis crepantes, & incredibili fiducia dona Sancti Spiritus ſibi arrogantes, bene multos vana ſpe majoris in vita ſpirituali conſequendæ perfectionis lactarunt, in fœdiſſimas prolapſiones præcipitarunt, & ſecum in æternam damnationem pertraxerunt. Denique miracula, quæ patrarunt Prophetæ Veteris Legis, evidens eorum extraordinariæ Miſſioni teſtimonium perhibuerunt. Sed *Lutherus*, *Calvinus*, aliique novarum Sectarum Coryphæi tantum abeſt, ut ſuam prætenſam extraordinariam Miſſionem aliquo vero miraculo approbarint, ut nequidem claudum equum ſanare unqnam potuerint: ſed hæc obiter annotaſſe ſufficiat adverſus noſtri temporis Hæreticos, qui *Lutherum*, *Calvinum*, alioſque falſos Duces, & Pſeudo-Prophetas ſecuti, a recta via aberrarunt, & nunquam in doctrina ſibi conſtantes, ſæpius variant linguis, & ſententiis, carentque omnino Sacrificio, & Sacerdotio Novæ Legis, ſine quibus vera Religio ſtare minime poteſt. Qua de re plura legeſis apud illuſtriſſimum *Benignum Boſſuet*, Epiſcopum Meldenſem, in aureo, quod gallice edidit, Opere, inſcripto, *De Variationibus Hæreticorum*; & apud Doctiſſimum noſtrum *Michaelem le Quien*, in egregio Opere, quod gallice itidem nuperrime lucubravit *contra Ordinationes Hæreticorum Epiſcoporum*, & *Preſbyterorum Anglorum*, ubi invictis momentis probat, nullas & invalidas prorſus eſſe Ordinationes, cum Epiſcoporum, rum Presbyterorum Anglorum, ac ſubinde apud illos Hæreticos non extare amplius verum novæ Legis Sacrificium, & Sacerdotium, quibus tamen vera Chriſti Religio neceſſario conſtare debet.

D. Mittamus *Lutherum*, *Calvinum*, alioſque virulentos Hæreſiarchas, quos deceptores, & falſos Prophetas fuiſſe nunquam dubitavi, & quorum mores graphice depingit Chriſtus Dominus cap. 7. *Matthæi*, dicens: *Attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoſcetis eos*; mittamus itaque iſtos Pſeudo-Prophetas, & expone, quæſo, uberius quod, mox recenſendo novum *Elizæi* miraculum, obiter inſinuaſti, dicens, Prophetam *Elizæum* permiſiſſe *Naamani*, a lepra ſanato, & ab Idolorum cultu ad verum Deum converſo, ut comitaretur Regem ſuum, dum Idolum *Remmon* iret adoraturus, eique adoranti manum daret, cui inniteretur. Id profecto, ut candide fatear, necdum capio. Nam, cum nemini quocumque prætextu liceat Idoli cultum externo ritu ſimulare, credibile non videtur, Prophetam *Elizæum* permiſiſſe *Naamani*, qui Deum Iſraelis aperte profitebatur, ut eſſet miniſter, cooperator, aut particeps Idololatriæ Regis, eum videlicet ſuſtentando, & ſimul cum ipſo coram Idolo in Templo Remmon procumbente, ſive corpus incurvante, aut genua flectente, pariter procumbendo, ſe incurvando, aut genua flectendo. Hanc ſacrilegam, & abominabilem in Dei cultu ſimulationem *Naamani* permiſiſſe *Elizæum* nulla ratione fit mihi veroſimile.

M. Cum Deus non ſolum in ſpiritu & veritate ſit adorandus, ſed etiam externo cultu proſeqnendus, eique ſoli divini honores, nempe adoratio, ſacrificium &c. ſint exhibendi, ſuſpicari minime debes, *Naamanem*, Syrum, voluiſſe in Templo Remmon cultum Idoli externo ritu ſimulare, idque a Propheta *Elizæo* fuiſſe ei conceſſum. Hanc certe ſiniſtram ſuſpicionem a *Naamane*, Syro, longe amolitur Scriptura Sacra, quæ capite 5. lib. 4. Regum ait, *Naamanem*, poſtquam a lepra fuiſſet a Propheta *Elizæo* ſanatus, firmum habuiſſe propoſitum colendi unum duntaxat verum Deum Iſraelis, & eam ob rem ex ſingulari pietatis affectu ab *Elizæo* poſtulaſſe, ut ſibi liceret onus duorum mulorum de Terra Judææ, quaſi ſanctificata, in Syriam ſecum deferre, ut ſuper eam Altare vero Deo erigeret: *Obſecro te*, inquit, *Naaman*, Syrus, *Elizæo*, Prophetæ, *con-*

Digitized by Google

concede mihi ſervo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra; non enim faciet ultra ſervus tuus holocauſtum aut victimam Diis alienis, niſi Domino. Quæ Scripturæ verba expendens *Theodoretus* quæſtione 19. in 4. lib. Regum, hæc habet: *Vir ille admirabilis*, ſeu *Naamman*, Syrus, *credens vel ipſam Terram Iſraelis eſſe ſanctificatam, rogavit ut duo onera mulorum ex ea acciperet, ut ſuper eam Domino Deo ſoli offerret, Lege conſtituta, Sacrificia*. Non rogavit igitur *Naaman* Prophetam *Eliſæum*, ut Idoli cultum ſimulare ſibi liceret, quod execrandum ſcelus eſſe probe noverat, ſed id unum petiit ab hoc Propheta, ut videlicet permitteret ei poteſtatem ſuo fungendi munere, ſeu Miniſterio in Aula Regis Syriæ, eumque coram Idolo procumbentem in Templo Remmon ſuſtentandi, ſicut eum alibi, ex officii ſui neceſſitate, ſuſtentare ſolebat. Quod ei conceſſit Propheta *Eliſæus*, quia inde nullum vel Idololatriæ, vel ſcandali periculum emergere poterat. Nam primo *Naamanem* non cultus Idoli conjungebat Regi ſacrificanti, & adoranti in Templo Remmon, ſed officium duntaxat Regi exhibendum, quod nullam ex ſe relationem ad ſuperſtitioſos Ethnicismi ritus habebat, quodque ſubinde *Naamanem* reddebat quidem ſpectatorem impiarum cæremoniarum, ſed non miniſtrum, non cooperatorem, aut participem Idololatriæ, ſicut *Tertullianus* libro *de Idololatria* capit. 16. & 17. egregie explicat his verbis: *Plane ad Sacerdotium & Sacrificium vocatus, non ibo, proprium enim Idoli officium eſt, ſed neque conſilio, neque ſumptu, aliave opera in ejuſmodi fungar. Si propter Sacrificium vocatus adſiſtam, ero particeps Idolotariæ, ſi me alia cauſa conjungit ſacrificanti, ero tantum ſpectator Sacrificii &c.* Præterea, actio illa, qua *Naaman* ſuſtentabat Regem Syriæ, coram Idolo in Templo Remmon procumbentem, non erat religioſa, ſed mere civilis, & politica, quia non Religionis intuitu, ſed civilis obſequii gratia ſeſe Regi, coram Idolo genuflectenti, exterius accommodabat, nec ullo pacto ad Regis intentionem, Religionem, & Idololatriam attendebat, aut animum applicabat. Poſtremo, hæc *Naamani* actio nemini ſcandalum creare poterat, quia omnibus compertum atque exploratum erat, *Naamanem* ſuo ex officio teneri Regem ubique comitari, ipſumque vel manu, vel humeris ſuſtinere, ſatiſque noverant, *Naamanem*, dum Regem, coram Idolo ſe in Templo Remmon incurvantem, ſuſtentabat, nihil aliud hac actione intendere, quam ſuo civili, ac politico erga Regem fungi officio. Jam enim *Naaman* publice Idolorum cultum abdicaverat, & verum Iſraelis Deum colebat, cui altare erexerat, & ſacellum, in quo eum cum tota ſua familia adorabat. Ex his, quæ hactenus de *Naamane*, Syro, diximus, facili negotio intelligi poteſt, quam perperam eo *Naamanis* exemplo abuterentur nonnulli, ad probandum licitum eſſe Chriſtianis intereſſe Sacrificiis Sinarum, eorumque ritus obſervare ac cæremonias, quas tamen ceu ſuperſtitioſas, & Idololatricas declaravit ac proſcripſit ſancta Mater Eccleſia.

D. De *Elia*, ejuſque diſcipulo *Eliſæo*; qui ante captivitatem Babylonicam in Regno Iſraelis munus Prophetarum obierunt, non plura ſcire aveo, ſed, antequam huicce noſtro finem imponamus Colloquio, hoc unum de Prophetis in genere ſcire vellem, an verum ſit id quod paucis abhinc diebus, audivi in cætu virorum eruditorum, videlicet Prophetas non tantum verbis, ſed etiam factis, res futuras prædixiſſe? Oſtende, quæſo, quo in ſenſu id intelligendum veniat.

M. Si ſemel eas, quas nunc habemus, legas ſacrorum Vatum Prophetias, facile percipies, illos non tantum verbis, verum etiam factis, interdum ænigmatibus, ſignis, figuris, & ſimbolis res futuras, quas, jubente Domino, debebant annunciare populo, prædixiſſe, ſicut ex

Digitized by Google

his conſtabit exemplis, quæ ad illuſtrandum illum ſingularem, & ſolis Prophetis eximium vaticinandi modum, in præſentia adducam, tuiſque oculis ſubjiciam. In primis, Propheta *Iſaias* nudus & diſcalceatus inceſſit, & hoc celebri ac inſolenti facto futuram Ægypti & Æthyopiæ ſpolarionem & nuditatem prædixit, juſſu Dei capit. 20. verſ. 2. & 3. ei dicentis: *Vade & ſolve ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis, & fecit ſic vadens nudus & diſcalceatus. Et dixit Dominus: ſicut ambulavit ſervus meus Iſaias nudus, & diſcalceatus, trium annorum, & portentum erit ſuper Ægyptum, & ſuper Æthyopiam.* Præterea, Propheta *Hieremias* alio non minus ſingulari facto Babylonicam caprivitatem prædixit. Vincula enim & compedes collo geſtavit, ſive catenis onuſtus inceſſit, juſſus a Deo, ei capit. 27. verſ. 2. dicente: *Fac tibi vincula, & catenas, & pones eas in collo tuo.* Tertio, Propheta *Ezechiel*, juſſu Dei capit. 3. verſ. 24. incluſus eſt in medio domus ſuæ, & factus mutus, ſiluit ad tempus. Et cap. 4. verſ. 1. & 3. deſcribit in latere Hieroſolymorum urbem, & circa eam aggeres, & caſtra Chaldæorum, eam obſidentium. Et verſ. quarto, cubavit ſupra latus ſiniſtrum trecentis nonaginta diebus pro totidem annis iniquitatis Iſrael, & quadraginta diebus ſupra latus dextrum pro totidem annis iniquitatis Juda. Et verſ. 12. ejuſdem capitis juſſus eſt coquere panem ſuum ſtercore hominum, ſed obſecrans impetravit, ut pro ſtercore hominum ſubſtitueret ſtercus boum. Quibus inſolitis factis, ſibique divinitus imperatis, *Ezechiel* inſtantem Hieroſolymorum urbis obſidionem prædixir, & famem, ſordes, anguſtias, aliaſque id genus ſummas miſerias, quas Judæi a Chaldęis, Hieroſolymorum urbem obſeſſuris, ſuamque in poſſeſſionem redacturis, propediem paſſuri erant. Quarto, Propheta *Oſee* juſſu Dei uxorem fornicariam duxit, ut hoc portentoſo & ſenſibili ſigno oſtenderet, Synagogam Judæorum, quam Deus, tanquam ſponſam ſuam, in adulterio, ſeu in idololatria, deprehenderat, fuiſſe ab ipſo rejectam atque repudiatam. Denique, Prophera *Ahias Silonites* ſingulari facto, ſeu ſciſſione pallii ſui, ſicut narratur capit. 11. verſ. 30. & 31. lib. 3. Regum, prædixit diviſionem decem Tribuum Iſraelis, quarum Rex conſtitutus eſt Jeroboamus: *Apprehendenſque Ahias pallium ſuum novum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes, & ait ad Jeroboam: Tolle tibi decem ſciſſuras: hęc enim dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego ſcindam Regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem Tribus.* Ex his ergo, quę adduxi, exemplis liquido conſtat, Prophetas non tanrum verbis, ſed etiam factis jubente Domino, res futuras prędixiſſe. Adhibent etiam nonnunquam ſacri Vates in ſuis Prophetiis Ænigmata, ſicut, aliis omiſſis, videre eſt apud Prophetam *Ezechielem*, capite primo, ubi per quatuor animalia, currum Cherubinorum (quę omnia non vere, ſed ænigmatice & ſymbolice tantum per ideas & figuras imaginarias objecta ſunt imaginationi, aut oculis Prophetæ) depingit ſacer ille Vates Dei potentiam, magnificentiam, impetum, ac vindictam in Judæos, alioſque hoſtes, in quos, ut corrigantur, animadvertit, eoſque, in malo obduratos, & reſipiſcere nolentes, cædit, proterit, atque penitus exterminat. Figuris tandem, tropis, & metaphoris ſæpius in ſuis Prophetiis utuntur ſacri Vates. Unicum duntaxat exemplum, brevitatis cauſa, adducam petitum ex *Iſaia* Propheta, qui capit. 21. verſ. ſexto, prædicens pacem, quæ futura erat adoriente Meſſia, hæc habet: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hędo accubabit, vitulus & leo & ovis ſimul morabuntur, & parvulus minabit eos.* Quibus metaphoris, tropis, & figuris prædicit Propheta *Iſaias*, futurum ut Gen-

tes,

tes, quæ feritate & barbarie, ante adventum Meſſiæ, beſtiis ſimiles erant, adveniente Meſſia, feritate depoſita, manſueſcant, & cum hædis & agnis, ſeu cum manſuetis Chriſti, veri Meſſiæ, Diſcipulis, in unam Eccleſiam ſub uno & eodem Paſtore ſanctiſſime conſpirent, atque pacifice vivant. Sed tempus eſt, ut vaſa colligamus, & Colloquio noſtro, atque Hiſtoriæ in quintam Mundi Ætatem finem imponamus, die proximo lunæ Hiſtoriam ſextæ Mundi Ætatis, quæ a captivitate Babylonica ſumit exordium, & producitur uſque ad Natale Chriſti, Servatoris noſtri, auxiliante Deo, auſpicaturi. Interim, auctor tibi ſum, ut libros utriuſque Teſtamenti diligenter evolvas, & attente conſideres mirabilem illum conſenſum totius œconomiæ vitæ Chriſti, quam noſtra cauſa peregit, factus homo. Sic enim futurum eſt, ut non ſolum rectius intelligas quod lecturus es, verum etiam ut uberiori fructu, & majori cum fide ſis lecturus, cum videris omnia in utroque Teſtamento ſibi perfectiſſime conſtare. Ex Veteris Inſtrumenti Voluminibus confer typos, & Prophetarum Oracula, quorum iſti Chriſtum delineant atque adumbrant, hæc eumdem adventantem velut oculis fidei demonſtrant, & invenies, nihil a Chriſto, vero Meſſia, geſtum eſſe, quod non depinxerint Vates illi divini, nihil eſſe in Chriſti doctrina, cui non reſpondeat aliquis Veteris Teſtamenti locus, quemadmodum eleganter docet *Tertullianus* in libro adverſus *Marcionem* quarto. Hinc *Lactantius Firmianus* lib. 4. *Inſtitutionum Divinarum* cap. 5. de Prophetis loquens, hęc habet, quę ad legendos Prophetarum libros te maxime excitare debent: *Ante omnia* (inquit Cicero ille Chriſtianus) *qui veritatem ſtudet comprehendere, non modo intelligendis Prophetarum vocibus animum debet intendere, ſed etiam tempora, per quæ quiſque illorum fuerit, diligentiſſime inquirere, ut ſciat & quæ futura prædixerit, & poſt quot annos prædicta completa ſint. Nec difficultas in his colligendis ineſt ulla. Teſtati ſunt enim, ſub quo quiſque Rege Divini Spiritus fuerit paſſus inſtinctum .... Adeo antiquiores etiam Græcis Scriptoribus Prophetæ reperiuntur. Quæ omnia eo profero, ut errorem ſuum ſentiant, qui Scripturam Sacram coarguere nituntur tanquam novam, & recens fictam, ignorantes ex quo fonte ſanctę Religionis origo manaverit. Quod ſi quis collectis perſpectiſque temporibus fundamentum doctrinę ſalubriter jecerit, & veritatem penitus comprehendet, & errorem, cognita veritate, deponet.* Ex hac frequenti Prophetarum, & utriuſque Teſtamenti Sacrorum Librorum lectione ſalutaria hauries documenta ad inſtitutionem ſimplicium, ad correctionem improborum; invicta ſumes argumenta ad redarguendos Judæos, qui etiamnum Jeſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam, Prophetarum oraculis prædictum, obſtinatis animis inficiantur: Verbo dicam, invenies in ſacris litteris ubi veſtigium certo facias, ubi tuto figas pedem, ubi citra faſtidium acquieſcas, ubi, Sacram perluſtrando Hiſtoriam, poſſis ſitim tuam ad ſatietatem uſque explere, & animum tuum caſtis ac cæleſtibus oblectare deliciis.

D. Sapientiſſimis monitis tuis lubentiſſime parebo, nec deinceps quoſdam juvenes imitabor, qui vel ludicra Poetarum figmenta amplectuntur, & Sacras Litteras faſtidiunt, vel fabulas & hiſtorias prophanas nocturna verſant manu, verſantque diurna; ſed potius omnes ſtudiorum meorum conatus ad Jeſum Chriſtum, Servatorem noſtrum, dirigam, ut ejus doctrinam, unde vera proficiſcitur ſapientia, perfecte calleam, atque memoria teneam Sacram Hiſtoriam, expreſſam in libris utriuſque Teſtamenti, quos cæleſte Numen inſpiravit, ſancti Prophetæ prodiderunt, & quorum indubitatam veritatem miracula teſtantur, ſanguis Martyrum illuſtravit, & piorum hominum conſenſus tot jam ſæculis comprobavit. Hos, inquam, Sacros Libros in ſinu

nu meo jugiter circumferam , & in deliciis ſemper habebo ſingula in his pia curioſitate cognoſcere , inveſtigare, diſquirere , & excutere ſtudioſe ſatagam , donec tandem me in illis libris ſedulo meditantem placida mors occupet . Vale , colendiſſime Magiſter . Domum nunc me recipio , & poſtquam vires meas , immenſis hujus æſtatis caloribus haud parum fractas ac debilitatas, refocillaverim , ſtudio graviter incumbam , ut ad primum Colloquium , quod die proximo Lunę de Hiſtoria ſextę Mundi Ætatis habituri ſumus , imparatus non accedam .

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS TESTAMENTI,

SEU

SEXTÆ MUNDI ÆTATIS,

Quæ a Captivitate Babylonica ſumit initium, & finem habet in Natali Jeſu Criſti, Servatoris noſtri.

JUDÆI anno Regni *Joakimi* undecimo, qui concurrit cum anno actavo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, in captivitatem Babylonicam abducti, per ſeptuaginta annos captivi fuerunt, hoc eſt, ad annum uſque primum, quo *Cyrus*, devicto *Dario Medo*, ultimo Babyloniorum Rege, Monarchiam Babylonicam evertit, & Monarchiam Perſicam inſtituit, ſeu tanquam ſupremus Monarcha Babylone imperare cæpit. Hoc inquam, primo anno Monarchiæ Perſicæ *Cyrus* laxavit captivitatem Babylonicam, Judæiſque reditum in patriam conceſſit. Monarchia autem Perſica a *Cyro* uſque ad *Darium*, dictum *Codomanum*, duravit annis ducentis duobus. Sed mortuo *Dario Codomano*, qui fuit ultimus Imperii Perſarum ſupremus Monarcha, cæpit Monarchia Græcorum, inſtituta ab *Alexandro Magno*, Macedonum Rege, qui poſtquam *Darium Codomanum*, ultimum Perſruam Monarcham, in prælio viciſſet & occidiſſet, toto Imperio

Ba-

Babylonico potitus eſt, Monarchiam Perſicam extinxit, & tanquam ſupremus Monarcha Babylone imperavit. Verum brevis admodum fuit Monarchia Græcorum. Quamvis enim *Alexander Magnus* regnaverit duodecim annos, ut in libro primo Machabæorum cap. I. proditum eſt, hoc tamen ita intelligendum eſt, ut *Alexander Magnus* per ſex annos regnaverit in Macedonia, & per alios ſex annos in Babylone, tanquam ſupremus Monarcha, imperaverit. Monarchia itaque Græcorum duravit duntaxat ſex annis, quia poſt exceſſum *Alexandri Magni*, hujus Monarchiæ conditoris, Duces illius Exercitus Regna ab ipſo ſubacta inter ſeſe partiti ſunt. *Aridæus*, frater *Alexandri Magni*, quem *Philippus*, Rex Macedonum, & ejuſdem *Alexandri Magni* pater, ex ſcorto ſuſceperat, declaratus eſt Rex, dictuſque *Philippus*. Sed quia mentis ſatis compos non erat, *Perdiceas*, gente Macedo, cui *Alexander Magnus* moriens annulum ſuum tradiderat, Regni procurator, re ipſa Rex deſignatus eſt. Eodem mortis *Alexandri Magni* anno tota Ægyptus, & quidquid Lybiæ ac Cyrenaicæ idem *Alexander Magnus* obtinuerat, cum omni illa Arabiæ parte, quæ Ægypto adjacet, *Ptolomæo*, *Lagi* filio obtigit. His *Ptolomæus* plures in Regno Aegypti habuit ſucceſſores uſque ad famoſam, omniumque ſermone celebratam, *Cleopatram* Reginam Aegypti, quæ ab *Octaviano Auguſto*, primo Romanorum Imperatore, devicta in pugna Actiaca, ſibi necem conſcivit, eodemque momento vitam perdidit & Aegypti Regnum, quod venit in poteſtatem Romanorum. *Seleucus Nicanor*, unus ex præcipuis *Alexandri Magni* Ducibus, duodecim annis poſt ejuſdem *Alexandri Magni* obitum in Babylonia, Media, ceteriſque Orientis partibus regnare cæpit, & inſtituit in Syria Regnum *Seleucidarum*, qui ideo dicti ſunt Reges Syriæ, a quibus, ſicut & à Regibus Aegypti, *Ptolomai Lagi* filii ſucceſſoribus, dictis *Lagidis*, Judæis multa incommoda pertulerunt. His tamen, ſeu Ægypti, ſeu Syriæ Regibus, ſtrenue obſtiterunt Judæi, ſive per *Mathatiam*, eorum ducem, ſive per ejus filios *Judam*, cognomento Machabæum, *Jonathan*, & *Simonem*, qui ſigillatim populo Judaico præfuerunt. Tunc enim in Republica Judæorum ſumma regiminis poteſtas fuit penas Aſſamonæos, ſeu Machabæos, uſque ad *Antigonum*, Ariſtobuli filium, qui fuit apud Judæos ultimus ex gente Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum Rex, quem devicit, ac ſolio de-

tur-

Digitized by Google

turbavit *Herodes*, alienigena, jam a Senatu Romano declaratus Rex Judæorum. Sub hoc *Herode*, alienigena, Judæorum Rege, natus eſt JESUS CHRISTUS, Salvator Mundi, hoc eſt, anno trigeſimo ſexto Regni *Herodis*, poſtquam a Senatu Romano creatus fuiſſet Rex Judæorum, & anno trigeſimo tertio poſtquam idem *Herodes* deviciſſet *Antigonum*, ultimum ex Machabæorum genere Regem Judæorum, ſicut fuſe oſtendi in Diſſertatione ſexta *Tractatus*, quem edidi, *De Myſteris & annis Jeſu Chriſti*, ubi pluribus momentis probavi, proprium Natale Chriſti Domini illigandum eſſe anno quadrageſimo Imperii *Octaviani Auguſti*, qui annus Imperii *Auguſti* concurrit cum anno Regni *Herodis* trigeſimo ſexto, poſtquam a Senatu Romano fuiſſet conſtitutus Rex Judæorum, & cum anno ejuſdem Regni *Herodis* trigeſimo tertio poſtquam deviciſſet *Antigonum*, e gente Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum, ultimum in Republica Judæorum Regem. Porro Hiſtoria ſextæ Mundi Ætatis, quam hic deſcribenda ſuſcipio, quæque a Judæorum captivitate Babylonica ſumit initium, & in Natali Chriſti Domini finem habet, complectitur omnia, quæ acciderunt Judæis, ſive ſub Monarchia Regum Babyloniorum, durante captivitate Babylonica; ſive ſub Monarchia Perſarum, quam inſtituit *Cyrus*, qui laxavit captivitatem Babylonicam; ſive ſub Monarchia Græcorum, cujus conditor fuit *Alexander Magnus*, &, poſt illius mortem, ſub Regibus Ægypti, & Syriæ. Denique, Hiſtoria ſextæ Mundi Ætatis prodit res præclare geſtas a Machabæis, qui ſumma in Judæorum Republica potiti ſunt poteſtate uſque ad Herodem, alienigenam, quo in Judæa regnante, Jeſus Chriſtus, ut mox diximus, prodiit in lucem, totius Mundi Salvator, & verus Meſſias, Prophetarum Oraculis longe antehac prædictus. Ut autem omnia, quæ Hiſtoria ſextæ Mundi Ætatis exhibet monumenta, ad Gentem Judaicam attinentia, nullam confuſionem, obſcuritatemve pariant, ſed ad tuum captum accommodata atque diſpoſita in præclaro ordine, & in optima luce collocentur: tria inſtituam Colloquia, in quorum primo deſcribam res, quæ Judæis, durante captivitate Babylonica, acciderunt ſub Monarchia Regum Babyloniorum. Dein, oſtendam, quinam, poſt ſolutam a *Cyro* captivitatem Babylonicam, fuerit Judæorum Status ſub Monarchia Perſarum. Poſtremo, agam de conditione, ſeu ſorte, quam ſub Monarchia Græcorum, regnante *Alexandro*

dro

dro Magno, & poſt ipſius obitum , ſub Regibus Ægypti , & Syriæ, nacti ſunt Judæi . In altero Colloquio dirimam aliquot Dubia, quæ circa Hiſtoriam ſextæ Mundi Ætatis proponere ſolent Scripturæ Sacræ Interpretes , ibidemque diſſeram de auctoritate & Hiſtoria librorum *Eſdræ* , Prophetæ *Danielis* , & Reginæ *Eſtheris* , necnon de Prophetis Minoribus *Aggæo* , *Zacharia* , & *Malachia* , qui poſt captivitatem Babylonicam vaticinati ſunt . In tertio Colloquio proferam in medium res præclare geſtas a Machabæis , qui ſummam apud Judæos obtinuerunt poteſtatem uſque ad *Herodem* , alienigenam , quo in Judæa regnante, natus eſt Chriſtus Dominus, ibidemque attexam varias Judæorum Sectas , & aliquot Hiſtoriæ Romanæ monumenta , quæ ad pleniorem habendam Hiſtoriæ Judæorum notitiam ſunt apprime neceſſaria . Canonem etiam exhibebo Chronologicum annorum , qui a captivitate Babylonica uſque ad Natale Chriſti Domini interfluxerunt.

Digitized by Google

COLLOQUIUM
PRIMUM

In quo deſcribuntur res præcipuæ, quæ Judæis, durante captivitate Babylonica, acciderunt ſub Monarchia Regum Babyloniorum, eorumque exhibetur ſtatus, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, ſub Monarchia Perſarum, ſub Monarchia Græcorum, regnante Alexandro Magno, & poſt illius obitum, ſub Regibus Ægypti, & Syriæ.

DIS. INcipe, quæſo, narrare res, quæ Judæis contigerunt tempore captivitatis Babylonicæ.

M. Captivitas Babylonica, quæ ut oſtendimus in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis, cæpit anno undecimo Regni *Joakimi*, Regis Juda, & anno octavo *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, duravit ſeptuaginta annis. Regnante *Nabuchodonoſore*, res præclare geſſit Propheta *Daniel*, quas commodius in ſequenti Colloquio expendemus, ubi data opera de auctoritate libri *Danielis*, & de Hiſtoria, quæ in eo deſcripta eſt, diſſeremus. Sufficiet hic breviter indicare aliquot cæleſtis ſapientiæ ſpecimina, quæ *Daniel* in captivitate Babylonica, regnante *Nabuchodonoſore*, edidit. In primis, *Daniel*, caſtiſſimam *Suſannam*, a duobus ſenibus impudicis falſo adulterii accuſatam, temere a Judicibus damnatam, & lapidibus actutum obruendam, inſontem declaravit, & ſenes, non minus calumnia, quam effræni libidine infames, interimi juſſit. Secundo, *Daniel* interpretatus eſt ſomnium, quod habuit *Nabuchodonoſor* de ſtatua, cujus caput ex auro, brachia & pectus ex argento, venter & femora ex ære, tibiæ ferreæ, pedes ex luto ferroque male coagmentari, in quos incidens lapis totam ſtatuam contrivit, & in cinerem vento diſſipandum comminuit. Hoc, inquam, *Nabuchodonoſoris*, Regis Babylonis, ſomnium, dum ad illud explicandum aliis Chaldæis hæreret aqua, interpretatus eſt *Daniel*, dicens, hanc ſtatuam, quam Rex viderat in ſomnio, ſignificare quatuor Monarchias, videlicet Babyloniorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum, uſque ad Chriſti Regnum æternum. Non multo poſt Rex *Nabuchodonoſor*, elatus rebus ſecundis, ſuam ſtatuam auream, cubitorum ſexaginta, eamque ut ſacram effigiem, pœna ignis in rebelles conſtituta, adorari juſſit. Chaldæi, adulatione depravati, Edicto Regis certatim paruerunt, ſed *Ananias*, *Azarias*, & *Miſael*, probe ſcientes, hunc honorem ſoli Deo debitum eſſe, ſtatuam adorare renuerunt, ideoque Regis Edicto in fornacem ardentem vincti pedibus fuerunt conjecti. Sed, o, prodigium! tribus illis Hebræis parcit ignis, & infandi operis miniſtros flamma abſorbet. Tam inſigne miraculum Rex admiratione defixus intuitus eſt, ſeque tres viros in medio ignis deambulantes, & quartum cum illis *Similem Filio Dei*, adſpexiſſe non ſolum teſtatus eſt, ſed, miſſis per omne Imperium ſuum Edictis, miraculum promulgavit, Deum Hebræorum laudavit, & ipſi ſoli cultum & honorem deferendum eſſe, ultro confeſſus eſt, ſicut legitur cap. 3. libri *Danielis*. Aſt, ſicut olim *Pharao*, Ægyptiorum Rex, miraculis, coram ipſo a *Moyſe* patratis, terrebatur, ſed non immutabatur; ita ſuperbus *Nabuchodonoſoris* animus eo miraculo mutatus non eſt, indeque Deus ad ſuperbiam ejus edomandam permiſit, ut in dementiam ac furorem incideret, ita ut, poteſtate Regia abjecta, & procul ab omni ſocietate humana remotus, per ſeptem annos una cum belluis ſub dio degens, herbis tantum vitam ſuſtinuerit, ſicut latius expoſui in Colloquio ſecundo in Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis. Servavit tamen Deus Imperium *Nabuchodonoſori*, & donec imple-

Digitized by Google

pleto pœnitentiæ tempore, & agnito demum Deo, poſt ſeptem annos, & Imperio, & Statui priſtino reſtitutus eſt. Mortuus eſt *Nabuchodonoſor* anno Imperii ſui quadrageſimo tertio, ante Natale Chriſti quingenteſimo ſexageſimo ſexto, ab incæpta captivitate Babylonica trigeſimo ſexto. *Nabuchodonoſori*, Babyloniorum Regi, ſucceſſit ejus filius, dictus *Evilmerodach*, qui ſeſe erga Judæos propenſum exhibuit, dum *Jechoniam*, Regem Juda, quem *Nabuchodonoſorus* captivum Babylonem abduxerat, vinculis exemit, eum inter Reges clientelares præcipuo honore dignatus eſt, eique annonam, & apparatum regium ſuppeditavit. Quot annos regnaverit *Evilmerodachus*, non ſatis liquet. Canon Mathematicus Regum Babyloniorum ei tres annos Regni tribuit. *Severus Sulpicius* lib. 2. *Hiſtoriæ Sacræ*, ait, *Evilmerodachum* anno duodecimo imperii ſui diem functum eſſe. At, mihi longe magis probatur calculus *Beroſi*, inſignis Rerum Babyloniorum Scriptoris, qui in libro tertio Hiſtoriæ Chaldæorum Imperium *Evilmerodachi* duobus annis circumſcribit. Poſtquam igitur *Evilmerodachus*, Babyloniorum Rex, annnis duobus imperaſſet, obiit anno ab incæpta captivitate Babylonica trigeſimo octavo, ante Natale vulgare Chriſti, ſeu ante Æram Chriſtianam, anno quingenteſimo ſexageſimo quarto. *Evilmerodacho* ſucceſſit in Regno Babylonico *Balthaſar* una cum patre ſuo *Nerigliſſare*, genero *Nabuchodonoſoris*, & marito ſororis *Evilmerodachi*, ſicut *Beroſus* apud *Joſephum*, Hebræum, teſtatur.

D. Eſtne ille Rex *Balthaſar*, qui ſicut ſæpius audivi, dum Principibus ac Præfectis, uxoribus, ac concubinis ſuis publicum ac regale daret epulum, ſacra Deo vaſa, quæ Rex *Nabuchodonoſor* e Templo Hieroſolymitano ablata, Babylonem attulerat, quæque in regiis theſauris aſſervabantur, proferri imperavit, dumque ipſe ex eis temulentus hauriret, hiſque per luxum & licentiam convivii promiſcue omnis virilis ac muliebris ſexus, uxores ejus & concubinæ uterentur, illaque prophanis uſibus pollue-rent, ecce ſubito *Balthaſar*, Rex, vidit ex cœnaculi parte manum promicantem, & digitis ſententiam mortis a Deo, ob tantum ſacrilegium prolatam, ſcribentem?

M. Hic *Balthaſar*, Babyloniorum Rex, ipſiſſimus eſt, qui ſacra vaſa in publico, quod inſtruxit, convivio prophanis uſibus polluendo, in pariete conſpexit digitos, hæc verba ſcribentes: MANE. THECEL. PHARES. Hoc ſpectaculo perterritus ſacrilegus Rex, juſſit quamprimum vocari Magos, Chaldæos, & Aruſpices, quibus, ob ignotam ſibi ſcripturam, muſſitantibus, nec quidquam reſpondentibus, Rex, ſuggerente Regina, accerſiri juſſit *Danielem*, qui olim *Nabuchodonoſoris* occulti myſterii ſomnium revelaverat, & tunc, ob illuſtrem, qua donatus erat, ſapientiam, ſummis honoribus præfulgebat. Accitus itaque *Daniel* Scripturam perlegit, & e veſtigio interpretatus eſt, dicens, Regi *Balthaſari*, ob ſacrilegium, quod patrarat, ſacra Deo vaſa temerando, ultimum imminere exitium, totumque Imperium ejus Medis ac Perſis datum iri. *Hæc eſt* (inquit Daniel) *interpretatio ſermonis*, MANE: *Numeravit Deus Regnum tuum, & complevit illud*. THECEL: *Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens:* PHARES: *Diviſum eſt Regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis*, ita legitur cap. 5. libri *Danielis*. Hæc interpretatio *Danielis*, ſuum mox conſecuta eſt exitum. Nam eadem nocte Rex *Baltaſar* interfectus eſt, & Imperium ejus Babylonicum, *Darius*, natione Medus, occupavit, quod ei communi ſuffragio eorum, qui Regem *Balthaſarem* occiderant, delatum, atque traditum eſt, ſicut *Beroſus* apud *Joſephum*, Hebræum, affirmat. Non plures quam quatuor annos *Balthaſar*, dictus etiam *Laboroſardochus*, una cum patre ſuo *Nerigliſſare*, tenuit Imperium Babylonicum, ſicut idem *Beroſus* apud jam citatum, *Joſephum*, Hebræum, auctor eſt; Quapropter, *Balthaſar* Rex interiit anno ab incæpta captivitate Babylonica

quadrageſimo ſecundo, ante Natale Chriſti, ſeu ante Æram Chriſtianam, anno quingenteſimo ſexageſimo. Corrigendus itaque eſt error *Severi Sulpicii*, qui lib. 2. *Hiſtoriæ Sacræ*, ſcribit, *Balthaſarem* regnaſſe annis quatuordecim.

D. Quis eſt iſte *Darius Medus*, qui, poſt Regem *Balthaſarem*, conſpiratione Principum trucidatum, ad ſolium Imperii Babylonici fuit ſublimatus?

D. *Darius* iſte, qui etiam *Nabonidus*, vel *Labynitus*, appellatur, fuit de ſemine, ſeu de genere Medorum, ut legitur cap. 9. lib. *Danielis*. Scribit tamen *Beroſius*, eum a Babylone fuiſſe oriundum. Babylonico Imperio potitus *Darius Medus*, & ſuperiorum Babyloniæ Regum ſecutus judicium, *Danielem* univerſo præfecit Imperio, non ſecus ac Rex *Nabuchodonozor* eum toti Imperio Babylonico præpoſuerat, & Rex *Balthazar* eumdem *Danielem* veſte purpurea, & torque aureo donatum, tertium Imperii Principem conſtituerat. Hunc honorem delatum *Danieli* ægerrime tulerunt Satrapæ Imperii, & in perniciem *Danielis*, qui charus, acceptuſque erat Regi *Dario Medo*, conjurantes, perſuaſerunt huic Regi, ut ſibi diebus proximis triginta divini honores darentur, & promulgato Edicto, nemini per id temporis fas eſſet alium Dominum, quam Regem, deprecari. Annuit Rex, ſed *Daniel*, veri Dei cultor, Regis Edicto obtemperare detrectans, ab æmulis accuſatus, in foveam præceps, ægre tamen conſentiente Rege *Dario Medo*, a leonibus devorandus conjicitur. Quem ſequenti die ille Rex, cum divinitus incolumem illæſumque ſervatum comperiſſet, inde educi juſſit, ejuſque accuſatores in hunc lacum detrudi imperavit, ubi a leonibus confeſtim diſcerpti, lacerati, ac devorati, ferarum famem expleverunt. Imperavit *Darius Medus*, Babyloniorum Rex, annis viginti ſeptem, & tandem anno ultimo Regni ſui victus a *Cyro*, Perſarum Rege, Borſippen ſeſe recepit, ubi a *Cyro* captus, ſeſeque ejus arbitrio permittens, Præfectura Caromaniæ ab eodem *Cyro* victore, donatus eſt. Non me latet, *Joſephum*, Hebræum, poſt *Beroſum* ſcribere, *Cyrum*, Perſarum Regem anno decimo ſeptimo Regni *Darii Medi*, Babyloniorum Regis, e Perſide fuiſſe egreſſum, & univerſa ſubacta Aſia, in Babyloniam impetum feciſſe, devictoque *Dario Medo*, Imperio Babylonico potitum eſſe, eodemque anno Monarchiam Perſicam Babylone inſtituiſſe. Quæ res multos movit Chronologiæ peritos, ut ſibi perſuaſerint, *Darium Medum* Babylone tantum imperaſſe annos ſeptemdecim. Sed ipſe (ut memini, me alibi obſervaſſe) cum *Ludovico Cappello* in ſua *Chronologia Sacra*, multo probabilius eſſe cenſeo, hunc *Joſephi*, Hebræi, locum ſub mendo cubare, & loco decemſeptem annorum, legi debere vigintiſeptem annos, per quos Babylone *Darius Medus* imperavit; ſi quis autem pertendat, nullum in *Joſephi* numero circa annos Regni *Darii Medi* eſſe errorem, non admodum repugnabo ipſe, ſed dicam, *Cyrum*, Perſarum Regem, anno decimoſeptimo Regni *Darii Medi*, Babyloniorum Regis, egreſſum quidem fuiſſe e Perſide, ſicut ex *Beroſo* ſcribit *Joſephus*, Hebræus, illum tamen in ſubigenda Aſia, priuſquam Babyloniam oppugnaret, decennium impendiſſe, adeo ut exeunte duntaxat anno vigeſimo ſeptimo Regni *Darii Medi* Babylonia potitus ſit *Cyrus*, novumque Imperium, debellato ac fugato *Dario Medo*, in Babylonia acceperit, ſeu Perſicam Monarchiam inſtituerit, cœperitque tanquam ſupremus Monarcha Babylone imperare. Poſtquam autem *Cyrus*, Perſarum Rex, Babylonios ſub jugum miſiſſet, imperavit Babylone, tanquam ſupremus totius Orientis Monarcha, tribus annis, & anno primo Monarchiæ Perſicæ, quam Babylone inſtituit, laxavit captivitatem Babylonicam, quæ duravit ſeptuaginta annis. Id autem jam clariſſime prædictum fuerat nominatim de *Cyro* a Propheta *Iſaia* cap. 44. & 45. ſic vaticinante: *Qui dico de Cyro, Paſtor meus, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Hieruſalem: Ædificaberis, & Templo:*

Digitized by Google

fundaberis. Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus Gentes, & dorſa Regum vertam, & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur. Hanc Dei voluntatem *Cyrus*, Perſarum Rex, ſtatim ac Babylonico Imperio potitus eſt, & ſupremus totius Orientis Monarcha evaſit, perfecte adimplevit, & ſingulari erga Judæos captivos benevolentia affectus non tantum pro ipſorum libertate & in patrium ſolum reditu, Templique Hieroſolymitani inſtauratione Edictum promulgavit, verum etiam ſacra vaſa cum aurea, tum argentea, quinque millia quadringenta, quæ *Nabuchodonozor*, Babyloniorum Rex, capta Hieroſolymorum urbe abſtulerat, & in Templo Idoli *Beli* poſuerat, reſtituit. Hæc omnia geſta ſunt anno primo, quo *Cyrus*, Perſarum Rex, Babylone, tanquam ſupremus Orientis Monarcha, imperare cæpit, ſeu anno primo Monarchiæ Perſicæ. Qua de re legeſis cap. 1. lib. *Eſdræ*, & *Joſephum*, Hebræum, lib. 11. *Antiquitatum Judaicarum* cap. 1. Captivitas itaque Babylonica, quæ ab anno undecimo *Joakimi*, Regis Juda, & ab anno octavo *Nabuohodonozoris*, Babyloniorum Regis, initium habuit, duravitque ſeptuaginta annis, fuit tandem ſoluta a *Cyro* anno primo; quo, debellato *Dario Medo*, Babyloniorum Rege, *Cyrus*, Perſarum Rex, Monarchiam Perſicam inſtituit. Id autem clariſſime prædixit Propheta *Hieremias* cap. 25. v. 12. dicens. *Cumque impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo ſuper Regem Babylonis &c.* Et rurſus cap. 29. verſ. 10. Hæc dicit Dominus: *Cum cæperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum iſtum.* Quam Prophetæ vaticinationem fuiſſe anno primo *Cyri* expletam legitur cap. 36. lib. 2. Paralipomenon, & cap. 1. lib. 1. *Eſdræ*. Cave autem ne putes cum quibuſdam antiquis Scriptoribus (quorum ſententiam noſter *Melchior Canus*, vir ceteroquin doctiſſimus, cap. 5. lib. 11. *De Locis Theologicis* amplexus eſt) videlicet ab anno itidem primo Regni *Cyri* petendum eſſe finem annorum ſeptuaginta deſolationis, ſeu vaſtationis Hieruſalem, & Templi Hieroſolymitani, quæ contigit anno undecimo *Sedekiæ*, ultimi Regis Juda, & anno undevigeſimo *Nabuchodonozoris*, Babyloniorum Regis, quæque undecim annis poſterior eſt captivitate Babylonica. Cave, inquam, ne hanc quorumdam antiquorum Scriptorum ſequaris ſententiam, quæ Chronologiæ Sacræ in præfigendis initio & fine tam ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ, quam ſeptuaginta annorum deſolationis, ſeu vaſtitatis urbis Hieruſalem, & Templi Hieroſolymitani, denſiſſimas tenebras offundit, eamque inexplicabili confuſione perturbat. At enim, initium ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ ducendum eſt ab anno undecimo *Joakimi*, Regis Juda, qui concurrit cum anno octavo *Nabuchodonozoris*, Babyloniorum Regis; finis vero ſeptuaginta illorum captivitatis Babylonicæ annorum ſtatuendus eſt anno primo, quo *Cyrus*, Perſarum Rex, tanquam ſupremus Monarcha in Babylonia imperare cæpit, ſicut in Colloquio ſecundo in Hiſtoriam quintæ Mundi Aetatis contra *Melchiorem Canum* oſtendi. At, exordium ſeptuaginta annorum deſolationis urbis Hieruſalem, & excidii Templi Hieroſolymitani peti debet ab anno *Sedekiæ*, Regis Juda, undecimo, qui concurrit cum anno undevigeſimo *Nabuchodonozoris*, Babyloniorum Regis. Finis vero ſeptuaginta illorum annorum deſolationis urbis Hieruſalem & Templi, præfigendus eſt anno ſecundo *Darii Hiſtaſpis*, qui poſt *Cyrum*, *Cambyſem*, & Smerdem Magum, Monarchiam Perſicam Babylone tenuit, ſicut in laudato Colloquio commonſtravi, idque nunc luculentiſſimo Prophetæ *Zachariæ* vaticinio confirmare non abs re erit. Angelus enim, qui cap. 1. verſ. 2. in ipſo *Zacharia*, Propheta, loquebatur: ait: *Domine Exercituum, uſquequo tu non miſereberis Hieruſalem, & urbium Juda, quibus iratus es? Iſte jam*

ſeptua-

ſeptuageſimus annus eſt. Porro, tunc temporis ſecundus Regis *Darii Hyſtaſpis* decurrebat annus, ut conſtat ex verſu primo ejuſdem capitis Prophetiæ *Zachariæ*. Exitus igitur, ſeu finis ſeptuaginta annorum deſolationis urbis & Templi Hieruſalem conſtituendus eſt in anno ſecundo Regis *Darii Hyſtaſpis*. Hoſtes enim Judæorum, occupato Regis *Cambyſis*, qui *Cyro* in Monarchia Perſica ſucceſſit, animo, ædificationem Templi inhibuerunt, ſicque Templi Hieroſolymitani deſolatio & vaſtitas ad annum uſque ſecundum Regis *Darii Hyſtaſpis* perſeveravit, uti narrat ſacer Scriptor lib. 1. *Eſdræ* cap. 4. verſ. 24. ubi hæc habet: *Tunc intermiſſum eſt opus domus Domini in Hieruſalem, & non fiebat uſque ad annum ſecundum Regni Darii, Regis Perſarum*.

D. *Cyrum*, Perſarum Regem, regnaſſe annos triginta, nobiliſſimus quiſque, ut audivi, aſſerit Hiſtoricus. Quorſum ergo dicis, *Cyrum* anno primo Regni ſui laxaſſe captivitatem Babylonicam, eumque annis duntaxat tribus Babylone imperaſſe?

M. Hanc difficultatem memini me præoccupaſſe in Colloquio ſecundo in Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis. Ibi quippe duplicem diſtinxi Regni *Cyri* Epocham. At enim, *Cyrus* regnare cœpit in Perſide anno primo exeunte Olympiadis lv. eodem ſcilicet anno, quo *Darius Medus*, dictus *Nabonidus* & *Labynitus*, occiſo *Balthazare*, Rex a Babyloniis fuit electus. Hæc eſt prima Regni *Cyri* in Perſide initi Epocha, de qua legendus eſt *Diodorus Siculus* in Bibliotheca, *Thallus*, *Caſtor*, *Polybius* in Hiſtoriis, *Phlegon* & *Julius Africanus*, apud *Euſebium* lib. 10. *Præparationis Evangelicæ*. Altera Epocha Regni *Cyri* in Babylonia ſuſcepti exordium habuit anno XXVIII. Regni *Cyri* in Perſide initi. Eo ſiquidem anno *Cyrus*, Perſarum Rex, poſtquam debellaſſet *Darium Medum*, ſeu *Nabonidum*, qui per viginti ſeptem annos Babylonicum tenuit Imperium, poſt captam Babylonem, inſtituit Monarchiam Perſicam, & tanquam ſupremus Monarcha in Babylonia imperare cœpit anno primo Olympiadis ſexageſimæ ſecundæ. Regnavit autem *Cyrus* annos triginta, ſicut ei Hiſtorici omnes conſtanter tribuunt, ſed viginti ſeptem annos regnavit in Perſide, alios vero tres ultimos annos regnavit in Babylonia tanquam ſupremus Monarcha, poſtquam devicto *Dario Medo*, Babyloniorum Rege, Imperio Babylonico potitus fuiſſet. Errant igitur primo nonnulli, qui exiſtimant, *Cyrum* laxaſſe captivitatem Babylonicam anno primo Regni, quod inivit in Perſide, cum tamen eam tantummodo laxarit anno primo Monarchiæ Perſicæ, quam profligato *Dario Medo*, Babyloniorum Rege, inſtituit in Babylonia. Secundo, errant alii Scriptores, qui putant, *Cyrum* triginta annos regnaſſe in Perſide, cum tamen viginti ſeptem tantum annos *Cyrus* regnarit in Perſide, & per tres alios ultimos annos imperaverit, tanquam ſupremus Monarcha, in Babylonia. Hanc duplicem Regni *Cyri* Epocham niſi accurate diſtinguas, Sacræ Hiſtoriæ Chronologiam inexplicabili confuſione perturbabis, ſicut opportunius oſtendam in ſequenti Colloquio, ubi de libro *Eſtheris*, & de ætate *Mardochæi* ſermonem ſumus habituri.

D. Vide, ſi placet, an recte, juxta tuum calculum, ſubducam initium & finem ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ, Anno *Joakimi*, Regis Juda, undecimo, qui concurrit cum anno octavo *Nabuchodonozoris*, Babyloniorum Regis, cœpit captivitas Babylonica. *Nabuchodonozor*, poſtquam Judæos in captivitatem Babylonicam abduxiſſet, regnavit annis triginta ſex, ac ſubinde obiit anno trigeſimo ſexto captivitatis Babylonicæ. *Evilmerodachus*, filius *Nabuchodonozoris*, regnavit duobus annis, & mortuus eſt anno captivitatis Babylonicæ trigeſimo octavo. *Balthazar* una cum patre *Nerigliſſare*, marito ſororis *Evilmerodachi*, imperavit Babylone annis quatuor, & occiſus eſt anno quadrageſimo ſecundo captivitatis Babylonicæ. *Darius Medus*, poſt occiſum *Balthazarem*, fuit a Babylo-

Digitized by Google

byloniis Rex electus, & anno exeunte Regni ſui vigeſimo ſeptimo, qui concurrit cum anno captivitatis Babylonicæ ſexageſimo nono, & cum anno vigeſimo ſeptimo Regni, quod *Cyrus* in Perſide inivit, fuit a *Cyro*, Perſarum Rege, debellatus, & ex Babylonio Imperio dejectus. Denique, *Cyrus*, poſt devictum *Darium Medum* Babyloniorum Regem, poſt captam Babylonem toto Imperio Babylonico potitus, Monarchiam Perſicam, Babylone inſtituit anno Regni ſui in Perſide initi vigeſimo octavo, qui fuit annus primus Monarchiæ Perſicæ, & annus ſeptuageſimus captivitatis Babylonicæ, quam eodem anno primo Monarchiæ Perſicæ *Cyrus* laxavit, & Judæis in patrium ſolum redeundi facultatem conceſſit. Hæc omnia, ni mea me fallat opinio, recte quadrant & cohærent cum eo, quem poſuiſti, calculo de initio & fine ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ.

M. Exordii & finis ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ, accuratum ſubduxiſti calculum, jamque perſpectas habes res præcipuas, quæ Judæis a tempore captivitatis Babylonicæ ſub *Nabuchodonozore*, ejuſque in Imperio Babylonico ſucceſſoribus, acciderunt uſque ad annum primum Monarchiæ Perſicæ, quo *Cyrus* Perſarum Rex, poſt devictum *Darium Nabonidum*, Babyloniorum Regem, toto Imperio Babylonico potitus, cæpit, ut ſupremus Monarcha, in Babylonia imperare, eodemque anno primo Monarchiæ Perſicæ, quam Babylone inſtituit, captivitatem Judæorum Babylonicam laxavit. Nunc continenti ordine ea breviter referre operæ pretium eſt, quæ Judæi, poſt ſolutam a *Cyro* captivitatem Babylonicam, durante Monarchia Perſica, contigerunt. In primis, Judæi, poſtquam a *Cyro* impetraſſent redeundi in patriam, Templique ædificandi facultatem, ſeſe, Ducibus *Zorobabele*, & *Joſue*, ſeu *Jeſu* filio *Joſedech*, Summo Pontifice, ad iter accinxerunt. Ad patriam appulſi Judæi, primam de rebus ſacris curam habuerunt, in quibus primas tenuerunt: ſupremamque poteſtatem habuerunt Summi illorum Pontifices uſque ad Machabæos, qui (teſte *Joſepho*, Hebræo, lib. 11. *Antiq. Judaic.* capit. 4.) Sacram deinde adminiſtrationem cum prophana, ſeu regali auctoritate conjunxerunt. Secundi Templi fundamenta quidem Hieroſolymis jecerunt Judæi, ſed, quamvis, *Cyrus*, Imperator, ad illam ſecundi Templi ſtructuram aggrediendam ſumptus abunde ſuppeditaſſet, non potuerunt tamen Judæi inceptæ Templi ædificationi ultimam admovere manum, quia *Cuthæi*, ſeu Samaritani, eorum opera, vi, minis, armis milleque nocendi artibus impediebant, & quibus repellendis impares omnino erant Judæi, tum quia *Cyrus*, eorum liberator, in Bello Maſſagetico in longinquis Regionibus implicitus erat, tum quia idem *Cyrus* in hoc Bello Maſſagetico una cum ducentis millibus Perſarum trucidatus eſt, ejuſque caput amputatum in utrem, humano ſanguine repletum, coniici juſſit *Tomyris*, Maſſagetarum Regina, cum hac crudelitatis exprobratione: *Satia te ſanguine, quem ſitiſti, cujuſque inſatiabilis ſemper fuiſti*. Hoc pacto Imperator *Cyrus*, de Judæis optime meritus, interiit, poſtquam regnaſſet triginta annos, ſicut teſtantur *Herodotus*, *Cteſias*, & *Dionyſius*, Regum Perſicarum Scriptores, quibus addi debent *Cicero* libr. 1. De Divinatione, *Trogus Pompejus*, *Juſtinus*, ejus breviator, *Euſebius*, *Clemens Alexandrinus*, *S. Hieronymus*, & *Oroſius*. Quod tamen, ſicut jam oſtendimus, juxta duplicem Regni *Cyri* Epocham, intelligi debet, ita ut *Cyrus* viginti ſeptem annis regnarit in Perſide, & per tres annos, tanquam ſupremus Monarcha Babylone imperarit.

D. Quiſnam in Monarchia Perſica ſucceſſit *Cyro*, & quænam ſub illo *Cyri* ſucceſſore extitit Judæorum Reipublicæ forma?

M. In Monarchia Perſica *Cyro* ſucceſſit *Cambiſes*, ejus filius, qui ſororem ſuam non ſolum contra Legem, verum etiam contra mores Perſarum, uxorem accepit, eamque poſtea

calci-

calcibus in utero percuſſam occidit. Ægyptiis bellum intulit, totamque Ægyptum in ſuam poteſtatem redegit, ſed, contra Æthyopes ſuſcepta expeditione, maximam ſui Exercitus partem amiſit. Apud *Cambyſem*, Regem, quem Scriptura Sacra cap. 4. lib. 1. Eſdræ *Aſſuerum*, & *Artaxerxem* vocat, Samaritani, invidia perciti, Judæos accuſarunt, quod urbem Hieruſalem inſtaurarent, quorum expoſtulationem gratam habens *Cambyſes*, eis juſſit, ut urbis Hieruſalem, & Templi ædificationem prohiberent, ut ibidem ait Scriptura Sacra. *Cambyſem* caſu ſe ipſum vulneraſſe, ex eoque ictu periiſſe ſcribit *Sulpitius Severus* lib. 2. *Hiſtoriæ Sacræ*. Sed *Juſtinus* lib. 1. aſſerit, *Cambyſem*, dum in equum inſiliret, gladio ſua ſponte evaginato in femore graviter vulneratum occubuiſſe. Regnavit autem *Cambyſes* ſeptem circiter annis, nullamque prolem reliquit. Ut autem ſcias, qualis ſub *Cambyſe*, Rege, extiterit Judæorum Reipublicæ forma, breviter advertere debes, Judæos, e captivitate Babylonica reverſos, ſuam utcumque Rempublicam inſtauraſſe, nunquam tamen illos deinceps omnimoda libertate potitos eſſe, ſed primum Perſis, tum Græcis, poſtremo Romanis ſerviiſſe, Tributiſque pendendis obnoxios fuiſſe. Hinc Judæorum hoſtes, ſeu Samaritani, volentes illos ab ædificatione Urbis, & Templi Hieroſolymitani arcere, litteras (quæ extant cap. 4. lib. primo, *Eſdræ*) ſcripſerunt ad *Cambyſem*, Perſarum Regem, in quibus hæc habent. *Nunc notum ſit Regi, quia ſi Civitas illa* (ſeu Hieruſalem) *ædificata fuerit, & muri ejus inſtaurati, tributum & vectigal, & annuos redditus non dabunt*. Pendebant ergo Judæi ſingulis annis tributum & vectigal *Cambyſi*, Perſarum Regi, quod ſane evidens eſt eorum, poſt reditum e captivitate Babylonica, ſervitutis argumentum. Poſt obitum *Cambyſis*, Perſarum Regis, quidam *Smerdis*, Magus, (non ille *Smerdis*, quem *Cambyſes*, Perſarum Rex, ejuſque frater, ex invidia interfici juſſit) ſed alter *Smerdis*, dictus *Magus*, & ſimillimus *Smerdi*, fratri Regis *Cambyſis*, Monarchiam Perſicam invaſit, eamque per annum ferme integrum ſe ſe *Smerdim*, filium *Cyri*, & fratrem *Cambyſis* mentiendo, pacifice tenuit. Sed cognita fraude, & comperta hujus *Smerdis Magi* intruſione, ſeptem Principes, facta conſpiratione, ipſum e medio ſuſtulerunt, quorum unus erat *Darius Hiſtaſpis* filius. Inter autem ſeptem illos Principes convenit, ut ſub ortum Solis conſcenſis equis, ille, cujus equus hinnitum primus edidiſſet, Perſicum obtineret Imperium. Quod auſpicium cum *Dario Hiſtaſpis* filio, arte ſui equiſonis, feliciter ceſſiſſet, ceteri ex equis protinus deſilientes, ei Imperium Perſicum ſumma conſenſione detulerunt.

D. Eſtne ille *Darius Hiſtaſpis*, in cujus Regni anno ſecundo, ut antea dicebat, ceſſavit deſolatio ſeptuaginta annorum vaſtitatis, ac excidii Templi Hieroſolymitani, eoque regnante, tandem aliquando Templum Hieroſolymitanum fuit a Judæis reædificatum.

M. Vere in anno ſecundo *Darii Hiſtaſpis*, Perſarum Regis, finem habuerunt ſeptuaginta anni deſolationis, ſeu vaſtitatis, ac excidii Templi Hieroſolymitani, ut ſæpius dixi. Quod quidem ut magis exploratum habeas, accuratum annorum ſeptuaginta, qui ab excidio Templi Hieroſolymitani uſque ad ſecundum *Darii Hiſtaſpis*, Perſarum Regis, annum effluxerunt, hic calculum ponam. Vaſtitatem urbis Hieruſalem, & excidium Templi Hieroſolymitani jam oſtendimus contigiſſe anno *Sedekiæ*, ultimi Regis Juda, undecimo, qui concurrit cum anno undevigeſimo Regni *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis. Porro, *Nabuchodonoſor*, in integrum regnavit annis 43. Cum igitur excidium Templi Hieroſolymitani acciderit anno decimo nono Regni *Nabuchodonoſoris*, palam ſequitur, *Nabuchodonoſorem*, poſt vaſtitatem & deſtructionem Templi Hieroſolymitani, regnaſſe annis viginti quatuor, quibus ſi addas annos ſucceſſorum *Nabuchodonoſoris* in Imperio Babylonico, videlicet *Evilmerodachi* annos duos, *Balthaſaris*

Digitized by Google

una cum patre *Nerigliſſare*, annos quatuor, & annos viginti ſeptem *Darii Medi*, comperies, ab initio excidii Templi Hieroſolymitani, uſque ad finem *Darii Medi* effluxiſſe annos quinquaginta ſeptem. Jam vero his quinquaginta ſeptem annis, qui ab initio excidii Hieroſolymitani Templi uſque ad finem Regni *Darii Medi* effluxerunt, adde annos tres, per quos *Cyrus*, Perſarum Rex, poſt devictum *Darium Medum*, Babyloniorum Regem, tanquam ſupremus Monarcha in Babylonia regnavit; adde inſuper annos ſucceſſorum *Cyri* in Monarchia Perſica, nimirum ſeptem annos *Cambyſis*, unum annum *Smerdis Magi*, & duos annos *Darii Hiſtaſpis* filii: Ex his, inquam, annis ſimul computatis, ſummam colliges ſeptuaginta annorum Urbis & Templi deſolationis, quæ cœpit anno Regni *Sedekiæ* undecimo, qui concurrit cum anno decimo nono *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, & finem habuit in anno ſecundo *Darii Hiſtaſpis* filii, Perſarum Regis. Hoc igitur anno ſecundo *Darii Hiſtaſpis* filii, Perſarum Regis, novam Judæi Templi Hieroſolymitani aggreſſi ſunt ſtructuram. Quæ abſoluta eſt anno ejuſdem *Darii Hiſtaſpis* ſexto, ſicut legitur cap. *6.* libro primo *Eſdræ*. Hallucinantur ergo *Joſephus Scaligerus*, *Calviſius*, *Druſius*, & alii, qui pertendunt, *Darium* illum, Perſarum Regem, ſub quo ſecundi templi Hieroſolymitani fabrica abſoluta eſt; non fuiſſe *Darium Hiſtaſpis* filium, ſed *Darium Nothum*, qui in Monarchia Perſica fuit ſucceſſor *Artaxerxis Longimani*. Quamvis autem ſecundum iſtud Hieroſolymitanum Templum, a Judæis in anno ſecundo *Darii Hiſtaſpis* filii, Perſarum Regis, extructum, non æquaverit prius Templum Salomonicum, quantum ad ſplendorem, ornatum & magnificentiam; attamen ſecundum iſtud Templum, propter præſentiam, qua Jeſus Chriſtus, *deſideratus cunctis Gentibus*, illud dignatus eſt, majorem gloriam habuit quam primum, ſeu Templum Salomonicum, ſicut in proximo Colloquio commonſtrabo ex Oraculo Prophetæ *Aggæi* capit. ſecundo, verſicul. 10.

D. Acciditne, eodem regnante *Dario Hiſtaſpis* filio, aliquid aliud in Republica Judæorum, quod ſit memoria & obſervatione dignum?

M. Sub *Dario Hiſtaſpis* filio, Perſarum Rege, contigiſſe celebrem *Eſtheris* Hiſtoriam, quæ ad Nationem Judaicam attinet, opportunius oſtendemus in proximo noſtro Colloquio, ibidemque contra Hæreticos ſacram huic Hiſtoriæ auctoritatem vindicabimus. Hic briviter obſervare ſufficiat, *Darium Hiſtaſpis* filium imperaſſe annis triginta ſex, eumque anno quarto vel quinto ante ſuum obitum in Græciam potentiſſimum miſiſſe Exercitum, quem Græci, in Campis Marathoniis cum perexigua manu aggreſſi, ita profligarunt, ut Perſarum ſex millia & quadringenti in prælio ceciderint. De hac inſigni Marathonia pugna, quæ Græcis magnum conciliavit decus, & Perſis maximam intulit infamiam, legeſis *Herodotum* lib. *6.* *Juſtum* lib. 2. *Pauſaniam* lib. 4.*Cornelium Nepotem* in vita *Miltiadis*, cujus auſpiciis Græci in hoc prælio Perſas vicerunt, *Valerium Maximum* libr. quinto capit. tertio, *Æmilium Probum* in Miltiade, & *Plutarchum* in vita *Ariſtidis*. Perſarum Regni ſucceſſorem, *Darius Hiſtaſpis* declaravit antequam moreretur, filium ſuum *Xerxem*, quem genuerat ex *Atoſſa*, Regis *Cyri* filia, cum qua, ut regalibus nuptiis Regnum ſuum firmaret, matrimonium inierat.

D. Fuitne Xerxes, Perſarum Rex, felicior patre ſuo *Dario Hiſtaſpis* filio?

M. Quin immo, *Xerxes*, Perſarum Rex, longe fuit infelicior patre ſuo *Dario Hiſtaſpis* filio. Nam, cum *Xerxes* in Græciam expeditionem ſuſcepiſſet, & claſſem inſtruxiſſet, in qua, ut *Plutarchus*, aliique Hiſtorici prophani memoriæ prodiderunt, erant Naves mille & ducentæ, armatorum ſeptingenta millia de Imperio Perſarum, & trecenta millia ex copiis auxiliaribus, non ſolum a Græcis in anguſtis Theſſaliæ faucibus, quæ ab aquis calidis *Thermopylæ* ſunt dictæ, profligatus eſt, ſed etiam in na-

navali prælio, ad *Salaminem* commiſſo, maximam cladem accepit. Victus in hac Salaminia pugna *Xerxes*, Perſarum Rex, ex Græcia trepidus fugit, copiarum parte *Mardonio*, duci, relicta. Sed *Mardonius*, pugna ad Platæas, urbem Bœotiæ, commiſſa, victus a Græcis occubuit, & totus Perſarum Exercitus diſſipatus eſt. Eodem tempore navalem de Perſis victoriam Græci ad *Mycalem* reportarunt, Duce *Leotychida*, Lacedæmonio. Nec multo poſt *Cimon*, filius *Miltiadis*, duas inſignes de Perſis obtinuit victorias, navalem unam juxta Cyprum, terreſtrem alteram ad Eurymedontem, ſicut teſtantur Hiſtorici prophani, *Herodotus* lib. 9. *Diodorus Siculus* libr. 11. *Pauſanias* in Laconicis, & Bœoticis, *Thucydides* lib. 1. *Juſtinus* lib. 2. *Plutarchus* in vita *Ariſtidis*, in vita *Themiſtoclis*, in libello *de gloria Athenienſium*, & *Cornelius Nepos* in vita *Cimonis*. Sic *Xerxes Perſarum Rex, terror antea Gentium, bello in Græciam infeliciter geſto, etiam ſuis contemptui eſſe cœpit*, inquit *Juſtinus* cap. 1. libr. 3. ac tandem in Perſide ab *Artabano* occiſus eſt, poſtquam regnaſſet annos viginti & unum. *Xerxi* in Imperio Perſico ſucceſſit *Artaxerxes Longimanus*, ejus filius, qui annos quadraginta regnavit, quorum initium ſumi debet ab obitu *Xerxis* Perſarum Regis & patris *Artaxerxis Longimani*. Non clam me eſt, *Pererium*, & *Petavium* doctiſſimos Societatis Jeſu Scriptores, Epocham Regni *Artaxerxis Longimani* conjicere in annum duodecimum Regni *Xerxis*, Perſarum Regis, & patris *Artaxerxis Longimani*, quo anno, ajunt laudati illi Scriptores, *Xerxem*, qui ferale bellum adverſus Græcos movit, *Artaxerxem Longimanum*, filium ſuum, in Imperii communionem aſſumpſiſſe, indeque, ſeu ab anno duodecimo Imperii *Xerxis*, putari debere exordium quadraginta annorum, quos regnavit *Artaxerxes Longimanus*. Sed hæc *Pererii*, & *Petavii* non mihi probatur ſententia. Primo, quia ipſe licet non inficias eam, ſolenne fuiſſe olim Perſarum Regibus aliquem Regni ſocium adſciſcere, dum ad bella gerenda, in quibus eorum vita periclitabatur, proficiſcebantur; nullibi tamen legitur Perſarum Reges ſolitos eſſe, dum adhuc in vivis eſſent, aliquem deſignare ſocium, qui ejuſdem Regni particeps eſſet. De ea quippe ad Regni ſocietatem vigente apud Perſas conſuetudine ne minimum quidem verbum fecerunt veteres Hiſtorici, qui de Perſarum Regibus ſcripſerunt. Immo, omnes Hiſtorici initium putandi annos Regni *Artaxerxis Longimani* duntaxat ducunt ab eo anno, quo *Artaxerxes Longimanus*, poſt defunctum patrem *Xerxem*, imperare cœpit. *Euſebius* quippe, Epiſcopus Cæſarienſis, in Chronico aſſerit, *Artaxerxem Longimanum* iniiſſe Regnum anno primo Olympiadis ſeptuageſimæ nonæ, ſeu anno Periodi Julianæ 4250. ante Æram vulgarem anno 463. Quam quidem Chronologiæ rationem in præfigenda Epocha Regni *Artaxerxis Longimani* longe ante *Euſebium* tradiderat accuratiſſimus temporum explanator *Julius Africanus* (cujus quinque Chronologiæ libros laudat idem *Euſebius* libr. 6. Hiſtor. Eccleſ. capit. 31. eoſque ferme integros in Chronicon ſuum convaſavit) juxta ſiquidem *Julii Africani* calculum, quando *Artaxerxes Longimanus*, Perſarum Rex, *vigeſimum Regni ſui habebat annum, erat octogeſimę tertiæ Olympiadis annus quartus*, ut ex *Julii Africani* quinto Volumine refert *Sanctus Hieronymus* in cap. 9. *Danielis*. Hic autem *Julii Africani* calculus aperte ſupponit, annum primum Regni *Artaxerxis Longimani* copulari debere cum anno primo Olympiadis ſeptuageſimæ nonæ, ſeu cum anno Periodi Julianæ 4250. ante Æram vulgarem anno 463. Nam quinque Olympiades, ut notum eſt omnibus, conficiunt annos viginti. Accedit etiam *Diodorus Siculus*, qui libr. 11. *Biblioth.* refert, *Xerxem*, Perſarum Regem, patrem *Artaxerxis Longimani*, occiſum fuiſſe anno quarto Olympiadis ſeptuageſimæ octavæ, ipſumque *Artaxerxem Longimanum*, ejus filium, *Artabano* Regicida interfecto, Imperii Perſici gubernacula tenere cæ-

piſſe anno primo Olympiadis ſeptuageſimæ nonæ, hoc eſt, poſt obitum patris ſui *Xerxis*, Perſarum Regis. Patet itaque, Hiſtoricos initium annorum Regni *Artaxerxis Longimani* non duxiſſe ab anno duodecimo Regni *Xerxis*, ſicut perperam viſum eſt *Pererio*, *Petavio*, & nonnullis aliis, ſed Epocham Regni *Artaxerxis Longimani* fixiſſe poſt obitum *Xerxis*, ipſius patris.

D. Fuitne hic *Artaxerxes Longimanus*, Perſarum Rex, in Judæorum Gentem pronenſus?

M. In Judæorum Gentem benigniſſimus fuit *Artaxerxes Longimanus*, Perſarum Rex. Duo quippe Edicta ad inſtauranda mænia urbis Hieruſalem conceſſit Judæis, unum videlicet anno ſeptimo Imperii ſui, ſicut legitur cap. 7. lib. 1. *Eſdræ*, & alterum anno vigeſimo Imperii ſui, uti ſcriptum legimus cap. 2. lib. 2. *Eſdræ*. Sed, a quonam ex utroque *Artaxerxis Longimani* in gratiam Judæorum conceſſo Edicto auſpicari debeant ſeptuaginta *Danielis* Hebdomadæ, quæ numerum annorum quadringentorum & nonaginta conficiunt? commodius examinabimus in proximo Colloquio, ubi oſtendemus initium lxx. Hebdomadum Prophetæ *Danielis* putari non debere ab eo Edicto, quod *Artaxerxes Longimanus* in gratiam Judæorum conceſſit anno vigeſimo Regni ſui, ſicut opinantur bene multi ſacræ Chronologiæ periti, ſed deſumendum eſſe ab eo Edicto, quod *Artaxerxes Longimanus* in gratiam Judæorum promulgavit anno ſeptimo Regni ſui. Totam Ægyptum ſubegit *Artaxerxes Longimanus*, ſed cum Græcis vario ancipitique marte pugnavit, ac tandem pacem cum illis componere compulſus eſt. Imperavit, ut jam obſervavimus, annis quadraginta, eique in Monarchia Perſica ſucceſſit *Xerxes Secundus*, unicus ejus filius legitimus, quem *Sogdianus*, dictus etiam *Secundianus*, filius ſpurius *Artaxerxis Longimani*, occidit, cum vix quadraginta quinque dies imperaſſet. *Xerxi Secundo*, Perſarum Regi, ſucceſſit ejus parricida *Sogdianus*, ſeu *Secundianus*, qui itidem Imperium Perſicum dum prægustare inciperet, ſublatus ab *Ocho*, altero *Artaxerxis Longimani* filio ſpurio. *Ochus*, ſtatim ac Imperium Perſicum parricidio obtinuiſſet, nomen mutavit, voluitque appellari *Darius*, cui nomini populus addidit cognomen *Nothi*, quod *Artaxerxis Longimani* filius ſpurius eſſet. Babylone mortuus eſt *Ochus*, ſive *Darius Nothus*, Perſarum Rex, cum regnaſſet annos viginti. *Dario Notho* in Monarchia Perſica ſucceſſit filius ejus natu maximus, *Artaxerxes* appellatus, qui a memoriæ felicitate eximia cognomentum *Mnemonis* obtinuit, frequens cum fratre ſuo *Cyro* bellum geſſit, quem tandem in prælio vicit, & in ejus cadaver contumelioſis modis ſæviit. Obiit *Artaxerxes Mnemon*, Perſarum Rex, anno Imperii ſui quadrageſimo tertio, eique filius ſucceſſit dictus *Artaxerxes Ochus*, Princeps crudelis, qui nulla ſanguinis, ſexus, & ætatis miſericordia permotus, promiſcue in omnes cognatos ſuos, & in Principes immanem carnificinam exercuit. Sed *Artaxerxem Ochum*, Perſarum Regem, anno Imperii ſui vigeſimo tertio ægrotantem, *Bagoas*, Eunuchus, militum Tribunus, veneno ſuſtulit, & *Arſen*, filium natu minimum Regis *Artaxerxis Ochi*, occiſis omnibus ejus fratribus, Perſarum Regem conſtituit, quem etiam idem ſceleſtus *Bagoas* interemit, cum imperaſſet annos duos. Occiſo *Arſe*, Perſarum Rege, ad Imperium Perſicum provectus eſt *Darius*, dictus *Codomanus*, in cujus morte finem accepit Monarchia Perſica. Hic autem *Darius Codomanus*, ultimus Perſarum Imperator, continuo bello ab *Alexandro Magno*, Macedonum Rege, appetitus, tribus præliis fuit ſuperatus, quorum primum datum eſt ad Granicum Phrygiæ amnem. Alterum commiſſum eſt ad *Iſſum*, Ciliciæ urbem, ubi *Alexander Magnus* matrem *Darii Codomani*, Perſarum Regis, ejus uxorem, ac filium adhuc puerum, duaſque filias cepit. Tertium denique prælium conſertum eſſe in Gaugamelis ad flumen Bumadum, ſexcen-

tentis circiter ſtadiis ab Arbelis. Hæc pugna, dicta *Arbellana*, decretoria fuit, qua *Darius Codomanus* Perſicum amiſit Imperium, & in Mediam fugere compulſus, a *Beſſo*, Bactrianorum Satrapa, gladio confoſſus eſt anno Imperii ſui ſeptimo. Ejus corpus regio more ſepeliri, & Majorum tumulis inferri juſſit *Alexander Magnus*. Hoc pacto finem habuit Monarchia Perſica, cœpitque ſub *Alexandro Magno* Monarchia Græcorum.

D. Quo facilius percipere poſſim quot annos duraverit Monarchia Perſica, optarem, ut hic Tabulam exhiberes Chronologicam, quæ accurate ab exordio Monarchiæ Perſicæ uſque ad ipſius finem notaret annos, per quos imperarunt Perſarum Reges, & ſimul indicaret annum, quo mortui ſunt.

M. Ducentos & triginta annos Monarchiæ Perſicæ, ſeu Imperio Perſico, tribuit *Q. Curtius*, quia Regno *Cyri*, qui inſtituit Monarchiam Perſicam, dat annos triginta. Verum, quamvis *Cyrus*, ut ſæpius diximus, regnaverit in integrum triginta annos, regnavit tamen in Perſide annos viginti ſeptem, & poſtquam ſub finem anni vigeſimi ſeptimi Regni ſui in Perſide initi viciſſet *Darium Medum*, Babyloniorum Regem, & Imperio Babylonico potitus eſſet, regnavit in Babylone tribus annis tanquam ſupremus Perſarum Monarcha. Quapropter, ſi initium Monarchiæ petatur, ſicut peti debet, ab anno primo, quo *Cyrus*, potitus Imperio Babylonico, tanquam ſupremus Perſarum Monarcha, Babylone imperare cœpit, perſpicuum, & exploratum erit, Monarchiam Perſicam duraſſe duntaxat annos ducentos & duos, non vero ducentos & triginta annos, ſicut te docebit, hæc, quam ſubnecto, Tabula Chronologica.

TABULA CHRONOLOGICA,

Exhibens initium & finem Monarchiæ Perſicæ, per continuam ſucceſſionem Regum, qui ei præfuerunt.

CYrus regnare cœpit in Perſide anno primo exeunte Olympiadis quinquageſimæ quintæ, anno a condita Roma centeſimo nonageſimo quarto, ante Æram Chriſtianam, ſeu ante Natale vulgare Chriſti, anno quingenteſimo ſexageſimo. Regnavit autem *Cyrus* in Perſide annos viginti ſeptem, & anno vigeſimo ſeptimo Regni ſui in Perſide initi devicit *Darium Medum*, Babyloniorum Regem, totoque Imperio Babylonico potitus, Monarchiam Perſicam inſtituit anno primo Olympiadis ſexageſimæ ſecundæ, anno a condita Roma ducenteſimo vigeſimo ſecundo ineunte, anno ante Æram Chriſtianam quingenteſimo trigeſimo ſecundo, & poſtquam in Babylonia, tanquam ſupremus Monarcha, regnaſſet tribus annis, obiit anno exeunte tertio Olympiadis ſexageſimæ ſecundæ, anno a condita Roma ducenteſimo vigeſimo quarto, ante Æram Chriſtianam anno quingenteſimo trigeſimo, Monarchiæ Perſicæ anno tertio.

Cambyſes, filius *Cyri*, ejuſque in Monarchia Perſica ſucceſſor, imperavit ſeptem annis, & mortuus eſt anno ſecundo Olympiadis ſexageſimæ quartæ, anno a condita Roma ducenteſimo trigeſimo primo, ante Æram Chriſtianam anno quingenteſimo vigeſimo tertio, Monarchiæ Perſicæ anno decimo.

Smerdis Magus, poſt obitum *Cambyſis*, Monarchiam Perſicam invaſit, & per annum integrum tenuit, fuitque occiſus anno tertio Olympiadis ſexageſimæ quartæ, anno a condita Roma ducenteſimo trigeſimo ſecundo, ante Æram Chriſtianam anno quingenteſimo vigeſimo ſecundo, Monarchiæ Perſicæ anno undecimo.

Darius Hiſtaſpis filius, poſt mortem *Smerdis Magi*, ad ſolium Monarchiæ Perſicæ provectus, imperavit triginta ſex annis, & obiit anno tertio Olym-

Olympiadis ſeptuageſimæ tertiæ, anno a condita Roma ducenteſimo ſexageſimo octavo, ante Æram Chriſtianam anno quadringenteſimo octuageſimo ſexto, Monarchiæ Perſicæ anno quadrageſimo ſeptimo.

Xerxes Monarchiam Perſicam rexit annis viginti & uno, & e vivis exceſſit anno quarto Olympiadis ſeptuageſimæ octavæ, a condita Roma anno ducenteſimo octuageſimo nono, ante Æram Chriſtianam anno quadringenteſimo ſexageſimo quinto, Monarchiæ Perſicæ anno ſexageſimo ſeptimo.

Artaxerxes Longimanus præfuit Monarchiæ Perſicæ annis quadraginta, & vita functus eſt anno quarto Olympiadis octuageſimæ octavæ, a condita Roma anno trecenteſimo vigeſimo nono, ante Æram Chriſtianam anno quadringenteſimo vigeſimo quinto, Monarchiæ Perſicæ anno centeſimo ſeptimo.

Xerxes, hujus nominis ſecundus, & unicus *Artaxerxis Longimani* filius legitimus, ſucceſſit in Monarchia Perſica patri ſuo, ſed paucos poſt dies a *Sogdiano*, filio ſpurio *Artaxerxis Longimani*, trucidatus eſt eodem anno ante Æram Chriſtianam quadringenteſimo vigeſimo quinto, Monarchiæ Perſicæ centeſimo ſeptimo.

Sogdianus, parricidio potitus Imperio Perſico, paulo poſt occiſus eſt eodem anno ante Æram Chriſtianam quadringenteſimo vigeſimo quinto, Monarchiæ Perſicæ centeſimo ſeptimo.

Darius, dictus *Nothus*, quod eſſet *Artaxerxis Longimani* filius ſpurius, proclamatus eſt Perſarum Monarcha eodem anno, quo ipſius pater abiit e vivis, hoc eſt, anno quarto Olympiadis octuageſimę octavę, a condita Roma anno trecenteſimo vigeſimo nono, ante Aeram Chriſtianam anno quadringenteſimo vigeſimo quinto. Imperavit viginti annis, & e vita migravit anno quarto Olympiadis nonageſimæ tertiæ, a condita Roma anno trecenteſimo quadrageſimo nono, ante Aeram Chriſtianam anno quadringenteſimo quinto, Monarchiæ Perſicæ anno centeſimo vigeſimo ſeptimo.

Artaxerxes, dictus *Mnemon*, id eſt, memoria præditus, poſt *Darium Nothum*, pręfuit Monarchiæ Perſicę annis quadraginta tribus, & obiit anno tertio Olympiadis centeſimę quartę, a condita Roma anno trecenteſimo nonageſimo ſecundo, ante Aeram Chriſtianam anno trecenteſimo ſexageſimo ſecundo, Monarchiæ Perſicę anno centeſimo ſeptuageſimo.

Artaxerxes, dictus *Ochus*, pręfuit Monarchię Perſarum annis viginti tribus, ſuitque veneno ſublatus anno ſecundo Olympiadis centeſimę decimę, a condita Roma quadringenteſimo decimo quinto, ante Aeram Chriſtianam trecenteſimo trigeſimo nono, Monarchię Perſicę anno centeſimo nonageſimo tertio.

Arſes filius *Artaxerxis Ochi*, poſt mortem patris, pręfuit Monarchię Perſicę duobus annis, fuitque occiſus anno quarto Olympiadis centeſimę decimę, a condita Roma anno quadringenteſimo decimo ſeptimo, ante Aeram Chriſtianam trecenteſimo trigeſimo ſeptimo, Monatchię Perſicę anno centeſimo nonageſimo quinto.

Darius, dictus *Codomanus*, ultimus Perſarum Monarcha, imperavit annis ſeptem, & anno ſeptimo Imperii ſuî ab *Alexandro*, *Magno*, Macedonum Rege, victus eſt, dumque perſequentem *Alexandrum Magnum* fugeret, interfectus eſt a *Beſſo* anno tertio Olympiadis centeſimę duodecimę, a condita Roma anno quadringenteſimo vigeſimo quarto, ante Æram Chriſtianam anno trecenteſimo trigeſimo, Monarchiæ Perſicæ anno ducenteſimo ſecundo, eodemque anno finem habuit Monarchia Perſica, quę ſubinde duravit per annos ducentos & duos, non vero per annos ducentos & ttiginta, ſicut per errorem obrepſit *Q. Curtio*.

Ex hac, quam hic attexuî, Tabula Chronologica Regum, qui Monarchiæ Perſicæ pręfuerunt, facili negotio intelliges, Judęos, circa ſeriem Regum, qui Monarchiam Perſicam rexerunt, in craſſa ignorantia verſari, & *Joſephum*, Hebręum, magnî licet apud illos nominis Scriptorem Hiſtoricum, de Perſarum Regum ſerie imperite ſcripſiſſe, ſicut ante me obſervarunt eruditi viri, *Bernardus*

La-

Digitized by Google

Lamy, Congregationis Oratorii Preſbyter, in ſuo Apparatu Chronologico, & *Ferrandus*, in ſupremo Pariſienſi Senatu Cauſidicus, Tom. 1. Libri quem gallice edidit, cuique titulus eſt *Reflexions ſur la Religion Chretienne*. At enim primo, *Joſephus*, Hebræus, in ſerie, quam texit, Regum, qui Monarchię Perſicæ pręfuerunt, aliquos Perſarum Reges alto ſilentio prætermiſit. Memorat *Cyrum*, qui Judæos e captivitate Babylonica in libertatem aſſeruit, recenſet *Cambyſem*, qui Judęis prohibuit, ne Templum Hieroſolymitanum ędificarent; enumerat *Darium Hiſtaſpis* filium, qui Judęis poteſtatem permiſit extruendi Templum Hieroſolymitanum: percenſet *Xerxem*, faventem Judęis, quem tamen non diſtinguit ab *Artaxerxe Longimano*: meminit *Artaxerxis*, quem itidem non diſtinguit ab *Artaxerxe*, *Mnemone*, ſeu Memorioſo, & omiſſis *Smerde Mago*, *Xerxe Secundo*, *Dario Notho*, & *Artaxerxe Ocho*, Perſarum Regibus, protinus diſſerit de *Alexandro Magno*, quaſi iſti Perſarum Reges nunquam fuiſſent in rerum natura. Secundo, *Joſephus*, Hebræus ait, *Nehemiam*, qui ad reędificandos Hieroſolymorum muros a Rege Perſarum litteras obtinuit, veniſſe Hieroſolymorum urbem, regnante *Xerxe*, cum tamen Scriptura Sacra doceat, *Nehemiam* veniſſe Hieroſolymam, regnante *Artaxerxe Longimano*. Tertio, *Joſephus*, Hebręus, aſſerit, *Xerxem*, Perſarum Regem, imperaſſe annos viginti & octo, cum tamen omnes Hiſtorici prophani, qui Hiſtoriam Regum Perſarum litteris prodiderunt, Regno *Xerxis* tribuant tantum annos viginti, vel ad ſummum annos viginti & unum. Poſtremo, *Joſephus*, Hebręus, ſcribit, hunc *Jaddum*, Summum Judęorum Pontificem, qui *Alexandro Magno*, dum Hieroſolymorum urbem ingreſſus eſt, occurrit, eumdem eſſe ac Sacerdotem *Jeddoa*, cui coævus fuit *Nehemias*, quemque idem *Nehemias* libr. 2. *Eſdræ* capit. 12. verſ. 22. recenſet inter Sacerdotes, qui aſcenderunt in Hieruſalem, ut celebrarent dedicationem męnium ejuſdem urbis. Quin, idem *Joſephus* ibidem, ſeu lib. 11. *Antiquit. Judaic.* capit. 7. & 8. affirmat, *Sanaballetem*, Cutæum, ſeu natione Samaritanum, qui *Nehemiam* turbaverat, Hieroſolymorum mænia reficientem, eumdem plane eſſe ac *Sanaballetem* illum, qui caſtra *Alexandri Magni* ſecutus eſt, ei, urbem *Gazam* oppugnanti, ſuppetias tulit cum auxiliari manu octo millium militum, quique dedit *Manaſſi*, fratri *Jaddi*, Judæorum Summi Pontificis, filiam ſuam, nomine *Nicaſo*, in matrimonium. Ex qua *Joſephi*, Hebræi, narratione palam conſequitur, *Nehemiam*, qui ab *Artaxerxe Longimano*, Perſarum Rege, litteras impetravit ad inſtaurandos Hieroſolymorum muros, coævum fuiſſe *Jaddo*, qui tempore *Alexandri Magni* fuit Summus Judæorum Pontifex, & *Sanaballeti*, qui ſecutus eſt caſtra *Alexandri Magni*. Id autem oppidum falſum eſſe, & ad aniles fabulas ablegandum, tam certum eſt, quam quod maxime. Nam, ſi *Nehemias*, qui a Perſarum Rege *Artaxerxe Longimano* litteras ad reficiendos muros urbis Hieruſalem obtinuit, in vivis adhuc fuiſſet tempore *Alexandri Magni*, debuiſſet *Nehemias*, tempore *Alexandri Magni* habere annos centum & ſexaginta. Nam, ut videre eſt in Tabula noſtra Chronologica Perſarum Regum, ab exordio Regni *Artaxerxis Longimani* uſque ad *Alexandrum Magnum*, qui Perſarum Monarchiam evertit, & Græcorum Monarchiam inſtituit, interfluxerunt centum triginta quinque anni. Credibile enim eſt, *Nehemiam*, dum litteras ab *Artaxerxe Longimano*, Perſarum Rege, ad inſtaurandos muros Hieruſalem impetravit, attigiſſe ad minus annum Ætatis ſuæ trigeſimum quintum, ac ſubinde ſi idem *Nehemias* ad tempora *Alexandri Magni* pervenit, ſicut innuit *Joſephus*, Hebræus, neceſſario dicendum eſſet, *Nehemiam*, imperante *Alexandro Magno*, habuiſſe pluſquam centum & ſexaginta annos. Similiter, ſi *Jaddus*, qui tempore *Alexandri Magni* erat Summus Judæorum Pontifex, idem

idem eſſet ac ille *Jedoa*, cujus *Nehemias* cap. 12. lib. 2. *Eſdræ* meminit; ſi etiam ille *Sanaballetes*, qui caſtra *Alexandri Magni* ſecutus eſt, idem eſſet ac ille *Sanaballetes*, qui *Nehemiæ*, inſtaurationem mænium urbis Hieruſalem, ſub *Artaxerxe Longimano*, Perſarum Rege, aggredienti obſtitit, ſequeretur, tam *Jaddum*, Pontificem, quam *Sanaballetem* ſub *Alexandro Magno* attigiſſe annum ætatis ſuæ centeſimum & ſeptuageſimum, & tamen utrumque ea ætate fuiſſe vegetum, fortem ac robuſtum, præſertim *Sanaballetem*, quem *Joſephus*, Hebræus, ait, ad ſubeundos omnes militiæ labores, tempore *Alexandri Magni*, ſtrenuum fuiſſe. Quod quidem ab omni veri ſpecie abhorrere videtur, cum id ætatis nulla ſuppetant tantæ longævitatis exempla. Nam, quod nonnulli dicunt, *Mardochæum*, patruum *Eſtheris*, natum fuiſſe, circa hæc tempora, annos pluſquam centum & quinquaginta, pura putaque fabula eſt, ſicut oſtendemus in proximo noſtro Colloquio. Hæc autem circa errores, in quos *Joſephus*, Hebræus, in texenda ſerie Regum, qui Monarchiæ Perſicæ præfuerunt, impegit, obiter obſervaſſe ſufficiat, quo ab illis erroribus ſedulo caveas, & accuratam, quam tibi exhibui, Tabulam Regum Perſarum Chronologicam abſque ulla animi hæſitatione ſequaris.

D. Jam intelligo, Monarchiam Perſicam per ducentos & duos annos duraſſe, & *Alexandrum Magnum*, filium *Philippi*, Macedonum Regis, devicto *Dario Codomano*, ultimo Perſarum Monarcha, Græcorum Monarchiam inſtituiſſe. At nunc, oſtende, ſi placet, qualis ſub *Alexandro Magno*, ſupremo Græcorum Monarcha, fuerit Judæorum Status? & quæ ſint præcipuæ victoriæ, quas *Alexander Magnus* reportavit, & quibus ſuum nomen reddidit immortale?

M. Intra paucos annos *Alexander Magnus*, Dux militiæ poſt homines natos maximus, Europæ partem non exiguam, totamque Aſiam in poteſtatem ſuam redegit. Triplici prælio, ut jam obſervavi, *Darium Codomanum*, ultimum Perſarum Imperatorem, devicit, ad *Granicum*, ad *Iſſum*, & in *Gaugamelis*, ſeu ad *Arbella*. Tyrum, Gazamque, munitiſſimas urbes, poſtquam expugnaſſet *Alexander Magnus*, recta venit cum Exercitu Hieroſolymam, eique *Jaddus*, Judæorum Pontifex (alius plane ab illo *Jaddo* Sacerdote, cujus meminit *Nehemias* cap. 12. lib. 2. Eſdræ) obviam ivit, Sacerdotalibus indutus Veſtibus, & ſupplicum cinctus Levitarum turba. Summum Sacerdotem ut vidit *Alexander Magnus*, illum conſalutavit, & Nomen Dei, inſcriptum in lamina aurea, quam in capite geſtabat Summus ille Sacerdos, pronus adoravit, & *Parmenioni*, eum interroganti, quorſum ipſe, qui ab omnibus adorabatur, Judæorum Pontificem adoraret? reſpondit *Alexander Magnus* (ſicut refert *Joſephus*, Hebræus, lib. 11. Antiq. Jud. cap. 8.) *Non hunc*, id eſt, Judæorum Pontificem, *ſe adoraſſe, ſed Deo, cujus Pontifex eſſet, honorem eum exhibuiſſe. Hunc enim, inquit, vidi & antea hoc ipſo habitu, cum adhuc eſſem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantem, quomodo Aſiam poſſem ſubigere, hortatus eſt forti eſſe animo, & ſine mora Exercitum trajicere. Nam ſuo ductu potiturum me Perſarum Imperio &c.* Hæc ubi *Parmenioni* dixiſſet *Alexander Magnus*, aſcendit in Templum Hieroſolymitanum, Deo, ex Summi Sacerdotis præſcripto, obtulit Sacrificia, Judæis permiſit, ut patriis ſuis Legibus viverent, eiſque ſeptimo quoque anno conceſſit tributorum immunitatem. Sub *Alexandro Magno*, Græcorum Monarcha, contigit Judæos inter & Samaritanos graviſſimum diſſidium, cui anſam & occaſionem præbuit *Manaſſes*, frater *Jaddi*, Summi Judæorum Pontificis. *Manaſſes* ſiquidem contra Legis Moſaicæ præſcriptum, & patrios Judæorum mores, uxorem duxit filiam *Sanaballetis*, Satrapæ Ethnici, qui *Darii*, Perſarum Regis, nomine Samariam regebat. Ob hanc Legis Moſaicæ tranſgreſſionem *Manaſſes* Sacerdotio abdicatus eſt, ſed prædilectam uxorem ſuam dimittere nolens, confugit ad *Sana-*

bal-

balletem, ſocerum ſuum, a quo præfe-ctus eſt Templo in monte *Garizin* ex-tructo, ibique Pontificem ſe geſſit, & implacabile Judæos inter, & Samaritanos odium concitavit, & dirum ſchiſma, quo jam a tempore *Jeroboami*, Regis Iſrae-lis, erant ſeparati, auxit ac fovit. Infi-nitus eſſem, ſi omnes Gentes, quas ar-mis ſubegit *Alexander Magnus*, & ſin-gulas, quas retulit, victorias hic percen-ſere vellem. Sufficiet, ſi dixerim *Ale-xandrum Magnum* totam Aegyptum ſuo adjunxiſſe Imperio, ibique urbem con-didiſſe, quam de ſuo nomine *Alexan-driam* appellavit; eum Babylone, Suſiſ-que potitum fuiſſe: uno verbo, cum nullo hoſte congreſſum eſſe, quem non vicerit, nullam urbem obſediſſe, quam non expugnaverit, nullam gentem adiiſ-ſe, quam non domuerit, & a fera bel-luinaque vitæ ratione ad humaniores mores non traduxerit. Talem fore *Ale-xandrum Magnum*, Græcorum Monar-cham, prædixit Propheta *Daniel* cap. 11. verſ. 3. dicens: *Surget vero Rex fortis, & dominabitur poteſtate multa, & fa-ciet quod placuerit ei*. Sed, ſi plura de victoriis, quas in Bactriana, Caramania, Indica, Hircania, Gedroſia, in Gente Brachmanum, & in aliis pluribus locis retulit *Alexander Magnus*, ſcire aveas, legeſis *Diodorum Siculum* libr. 17. *Q. Curtium*, *Juſtinum*, *Plutarchum* in vita *Alexandri*, & *Arianum*. *Regnavit Ale-xander annis duodecim*, inquit ſacer Au-ctor libr. 1. Machabæorum. Sed annis ſex regnavit tanquam Macedonum Rex, ſex vero annis regnavit tanquam ſupre-mus Græcorum Monarcha, poſtquam videlicet devicto *Dario Codomano*, ulti-mo Perſarum Monarcha, Babylone po-titus, Monarchiam Græcorum inſtituit, cui per ſex duntaxat annos præfuit, & Babylone, morbo ex nimia compo-tatione contracto, annos natus trigin-ta duos, vel, ut alii volunt, triginta tres inchoatos, præmatura morte rap-tus eſt anno primo Olympiadis centeſi-mæ decimæ quartæ, a condita Roma anno quadringenteſimo trigeſimo, ante Aeram Chriſtianam, ſeu ante Natale Chriſti Domini tercenteſimo vigeſimo quarto. Hic autem velim breviter obſer-ves, ſacrum Auctorem libr. 1. Macha-bæorum recte & citra ullum vel mini-mum errorem cap. 1. verſ. 1. ſcribere, *Alexandrum* primum fuiſſe, qui regnave-rit in Græcia. Quamvis enim certiſſi-me conſtet, plures, ante *Alexandrum Magnum*, ejuſque patrem *Philippum*, regnaſſe in Græcia Reges Macedonum, Lacedæmoniorum, Corinthiorum, Athe-nienſium, ſicut ex Chronico *Euſebii Cæ-ſarienſis* liquido patet, attamen *Alexan-der Magnus* primus fuit, qui, poſt devi-ctum *Darium Codomanum*, ultimum Per-ſarum Monarcham, cæpit cum ſummo Imperio, id eſt, tanquam ſupremus Mo-narcha, regnare in Græcia. Hinc ab *Alexandro Magno*, ut fatentur omnes Hiſtorici, auſpicatur Græcorum Monar-chia, quam ipſemet *Alexander Magnus* inſtituit, & per ſex annos, ut mox di-ximus, tenuit.

D. Mortuo *Alexandro Magno*, perſti-titne Monarchia Græcorum, quæ ab ip-ſo fuerat inſtituta?

M. Poſt obitum *Alexandri Magni*, de-ſiit, & cum ipſo conſepulta eſt Græco-rum Monarchia, quam inter ſe partiti ſunt Duces exercitus *Alexandri Magni*, variaque conſtituerunt Regna, inter quæ præcipua fuerunt Regna Macedoniæ, Ae-gypti, & Syriæ. Seriem itaque, & or-dinem ſucceſſorum *Alexandri Magni* in his tribus Regnis exacte hic deſcribam, prætermiſſis tamen, ne longior ſim, eorum geſtis, bellis, ac victoriis, quæ omnia non ad Hiſtoriam Sacram, ſed ad Prophanam ſpectantia, prolixe tractata invenies apud *Uſſerium* libr. 2. *De Annalibus Veteris Teſtamenti*. Inci-piam porro a ſerie, & ordine ſucceſ-ſorum *Alexandri Magni* in Regno Ma-cedoniæ.

SERIES REGUM,

Qui ſucceſſerunt Alexandro Magno in Regno Macedoniæ.

ARidæus, frater *Alexandri Ma-gni*, ſed ſpurius, quem *Philip-pus* Macedonum Rex, pater *Alexan-dri*

dri Magni, ex ſcorto ſuſceperat, regnare cępit in Macedonia anno primo poſt mortem *Alexandri Magni*, ante Æram Chriſtianam anno tercenteſimo vigeſimo tertio. Regnavit autem ſeptem annis, & obiit ante Æram Chriſtianam, ſeu ante Natale vulgare Chriſti, anno tercenteſimo decimo ſeptimo.

Caſſander regnare cæpit anno ante Æram Chriſtianam tercenteſimo decimo ſeptimo, regnavit novemdecim annis, & mortuus eſt anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo nonageſimo octavo.

Philippus, frater *Caſſandri*, regnare cæpit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo nonageſimo octavo, regnavit uno duntaxat anno, & abiit e vivis anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo nonageſimo ſeptimo.

Antipater, & *Alexander* filii *Caſſandri*, regnare cæperunt anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo nonageſimo ſeptimo. Regnarunt tribus annis, & e vivis exceſſerunt anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo nonageſimo quarto.

Demetrius Poliorcetes regnare cæpit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo nonageſimo quarto. Regnavit ſex annis, & obiit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo octavo.

Pyrrhus regnare cæpit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo octavo. Regnavit ſeptem duntaxat menſes, & mortuus eſt eodem anno.

Lyſimachus regnare cæpit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo octavo. Regnavit ſex annis, & obiit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo ſecundo.

Arſinoe, uxor *Lyſimachi* regnare cæpit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo ſecundo. Regnavit tantum ſeptem menſes, & obiit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo primo.

Ptolomæus Lagi F. regnare cępit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo primo. Regnavit duobus annis, & vita functus eſt anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo ſeptuageſimo nono.

Meleager regnare cæpit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo ſeptuageſimo nono. Regnavit tantum menſes duos, & mortuus eſt eodem anno.

Antipater regnare cæpit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo ſeptuageſimo nono. Regnavit tantum dies quadraginta quinque, & exceſſit eodem anno.

Soſthenes regnare cæpit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo ſeptuageſimo nono. Regnavit duobus annis, & obiit ante Æram Chriſtianam anno ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo.

Antigonus Gonatas regnare cæpit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Regnavit annis triginta ſex, & vitam cum morte commutavit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo quadrageſimo primo.

Demetrius, filius *Antigoni Gonatæ*, regnare cæpit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo quadrageſimo primo. Regnavit decem annis, & migravit e vita anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo trigeſimo primo.

Antigonus regnare cæpit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo trigeſimo primo. Regnavit duodecim annis, & mortuus eſt anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo decimo nono.

Philippus, filius *Demetrii*, regnare cæpit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo decimo nono. Regnavit quadraginta duobus annis, & obiit anno ante Æram Chriſtianam centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo.

Perſeus regnare cæpit anno ante Æram Chriſtianam centeſimo ſeptuageſimo octavo, & poſtquam decem annos regnaſſet (totidem enim Regni annos ei tribuit Euſebius) a Romanis anno ante Æram Chriſtianam centeſimo ſexageſimo octavo victus fuit, ut ſcribit ſacer Auctor lib. 1. Machabæorum, cap. 8. verſ. 5. ubi loquendo de Romanis, hæc habet: *Et Philippum, & Perſen, Ceteorum Regem*, id eſt Macedoniæ, *& cæteros,*

qui

qui adverſus eos, (id eſt Romanos) *arma tulerant*, *contriverunt in bello*, & *obtinuerunt eos*. In prælio, quod cum *Perſeo*, ultimo Macedonum Rege, conſeruit *Aimilius Paulus*, Romanorum Conſul, cæſa ſunt viginti millia Macedonum, & capta decem millia, ſicut teſtantur *Livius* lib. 44. *Vellejus Paterculus* lib. 1. *Plutarchus* in *Aimilio Paulo*, *Juſtinus* lib. 33. *Florus* lib. 2. cap. 12. & *Eutropius* lib. 4. In *Perſeo* itaque ultimo Macedonum Rege, anno ante Æram Chriſtianam centeſimo ſexageſimo octavo, extinctum eſt a Romanis Regnum Macedonum, cui a tempore *Carani*, conditoris Regni Macedonici, uſque ad *Perſen*, ſeu *Perſeum*, ultimum Macedonum Regem, a Romanis victum, præfuerunt triginta novem Reges. A morte vero *Alexandri Magni* uſque ad eumdem *Perſeum*, ultimum Macedonum Regem, a Romanis devictum, Regni Macedonici clavum gubernarunt ſeptemdecim illi Reges, quorum ſeriem hic deſcripſi.

D. Quinam in Regno Ægypti fuerunt ſucceſſores *Alexandri Magni*? & qualis ſub illis Regibus Ægypti fuit Status Judæorum?

M. Antequam ſeriem hic exhibeam Regum, qui mortuo *Alexandro Magno*, in Regno Ægypti ſucceſſerunt, velim primo obſerves, eodem anno, quo objit *Alexander Magnus*, Egyptum, & quidquid Lybiæ, ac Cyrenaicæ *Alexander Magnus* obtinuerat, cum omni illa Arabiæ parte quæ Ægypto adjacet, obtigiſſe *Ptolomæo Lagi* filio. Porro, hic *Ptolomæus Lagi* filius licet initio non Rex, ſed Satrapa, ſive Præfectus appellaretur, neque diadema, nomenque Regium, niſi poſt annos duodecim ab obitu *Alexandri Magni* uſurpaverit, nihilominus annos ipſius Regni in Ægypto numerant *Lucianus in Macrobiis*, *Euſebius in Chronico*, *S. Epiphanius* in lib. *De Ponderibus & Menſuris* ab anno, quo *Alexander Magnus* objit. Præterea, velim obſerves, *Æram Lagidarum*, ſic dictam a *Ptolomæo Lagi* filio, qui primus poſt obitum *Alexandri Magni* regnavit in Ægypto, non auſpicari ab anno, quo mortuus eſt *Alexander Magnus*, ſed ab anno, quo *Alexander Magnus*, poſt celebrem illam ad Arbellam victoriam de *Dario Codomano*, ultimo Perſarum Monarcha, reportatam, cæpit tanquam ſupremus Græcorum Monarcha regnare in Aſia, anno videlicet ante Æram Chriſtianam tercenteſimo vigeſimo nono. Hac Æra, dicta *Lagidarum*, uſi ſunt Græci in putandis annis Regni Græcorum ſub *Ptolomæis* dictis *Lagidis*, qui poſt obitum *Alexandri Magni* regnarunt in Ægypto, ita ut initium Regni Græcorum in Ægypto non deſumerent ab anno, quo *Ptolomæus Lagi* filius, poſt obitum *Alexandri Magni* primus cæpit regnare in Ægypto, ſed Regni Græcorum exordium ducerent ab anno, quo *Alexander Magnus*, devicto *Dario Codomano*, ultimo Perſarum Rege, inſtituit Monarchiam Græcorum, ipſeque, tanquam ſupremus Græcorum Monarcha, in Aſia imperare cæpit, & Monarchiam per ſex annos tenuit. His prælibatis, dabo nunc accuratam ſeriem Regum, qui demortuo *Alexandro Magno* in Regno Ægypti ſucceſſerunt.

SERIES REGUM,

Qui, demortuo Alexandro Magno, in Regno Ægypti ſucceſſerunt.

PTolomæus Lagi filius, anno primo poſt obitum *Alexandri Magni*, ſeu anno ante Æram Chriſtianam tercenteſimo vigeſimo tertio, ſucceſſit *Alexandro Magno* in Regno Ægypti. Hieroſolymorum urbem dolo occupavit, & ad centum hominum millia ex Judæa in Ægyptum traduxit, ſicut teſtantur *Joſephus*, Hebræus, lib. 12. *Antiq. Judaic.* cap. 1. & 2. & *Euſebius* in Chronico. Princeps fuit litterarum amans, & Bibliothecam inſtructiſſimam Alexandriæ inſtituit, eique præfecit *Demetrium Phalereum*, clariſſimum Athenienſem Philoſophum. Duas uxores habuit Rex *Ptolomæus Lagi* filius, videlicet *Euridicem*, & *Berenicem*. Regnavit quadraginta annis, & obiit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo ter-

tertio, & anno Æræ Lagidarum quadrageſimo ſexto.

Ptolomæus Philadelphus, filius *Ptolomæi Lagi*, & conjugis *Berenices*, ſucceſſit patri ſuo in Regno Ægypti anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo tertio. Ejus juſſu lxx. Interpretes Libros Sacros ex Hebraica Lingua in Græcam tranſtulerunt, ſeu celeberrimam illam Scripturæ Sacræ Verſionem Græcam adornarunt, quæ ſex prioribus circiter Eccleſiæ ſæculis fuit in uſu in Eccleſia Catholica, donec in ejus locum ſuffecta fuerit Editio vulgata, a *Sancto Hieronymo* lucubrata. Regnavit *Ptolomæus Philadelphus*, poſt obitum patris ſui triginta octo annos, & exceſſit anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo quadrageſimo quinto, & anno Æræ Lagidarum octuageſimo quarto.

Ptolomæus Evergetes I. filius *Ptolomæi Philadelphi*, ſucceſſit patri ſuo in Regno Egypti anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo quadrageſimo quinto. Univerſam Syriam armis occupavit, & in gratiarum actionem venit Hieroſolymam, ibique multa Sacrificia Euchariſtica Deo obtulit, & donaria dicavit tam inſigni victoria digna teſte *Joſepho*, Hebræo, lib. 2. contra *Apionem*. Patrem ſuum Regem *Philadelphum*, & Litterarum & Bibliothecæ Alexandrinæ amplificandæ ſtudio æmulatus eſt. Regnavit viginti ſex annis, & (teſte *Juſtino* lib. 29. cap. 1.) occiſus eſt a filio ſuo *Ptolomæo Philopatore*, anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo decimo nono, & anno Aeræ Lagidarum centeſimo decimo.

Ptolomæus Philopator, parricida, ſucceſſit patri ſuo *Ptolomæo Evergeti* anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo decimo nono. Sed ſicut ſceleſtus in occupando Regno fuit, ita ſegniter in eo adminiſtrando ſe geſſit, ut fidem faciunt *Juſtinus* lib. 29. cap. 1. *Polybius* lib. 15. *Plutarchus* in *Erotico* & *Cleomene*, aliique. Regnavit *Ptolomæus Philopator* annis ſeptemdecim, & obiit ante Aeram Chriſtianam anno ducenteſimo ſecundo, & anno Aeræ Lagidarum centeſimo vigeſimo ſeptimo.

Ptolomæus Epiphanes, filius *Ptolomæi Philopatoris*, ſucceſſit patri ſuo in Regno Aegypti anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo ſecundo. Regnavit annis viginti quatuor, & veneno ſublatus eſt anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo ſeptuageſimo octavo, & anno Regni Lagidarum centeſimo quinquageſimo primo.

Ptolomæus Philometor, filius *Ptolomæi Epiphanis*, ſucceſſit patri ſuo in Regno Aegypti anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo ſeptuageſimo octavo. Regnavit annis triginta quinque, & in prælio adverſus *Alexandrum Balam*, Syriæ Regem, victor licet, vulneratus, obiit poſt quatriduum, anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo quadrageſimo tertio, & anno Aeræ Lagidarum centeſimo octuageſimo ſexto.

Ptolomæus Evergetes II. ſucceſſit fratri ſuo *Ptolomæo Philometori* anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo quadrageſimo tertio. Fuit a corporis ſagina appellatus *Phyſcon*, ſeu *Ventroſus*. Eum crudeliſſimum fuiſſe ſcribit *Juſtinus* lib. 38. cap. 8. Regnavit *Ptolomæus Evergetes II.* annos viginti novem, & abiit e vivis anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo decimo quarto, & anno Aeræ Lagidarum ducenteſimo decimo quinto.

Ptolomæus Laturus, filius *Ptolomæi Evergetis II.* & *Cleopatræ* conjugis, regnare cæpit una cum matre *Cleopatra* anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo decimo quarto, ſed poſtquam cum matre regnaſſet annos ſeptemdecim, fuit ab eadem matre, ſeu potius noverca, injuſte e Regno expulſus anno ante Aeram Chriſtianam nonageſimo ſeptimo, & anno Aeræ Lagidarum ducenteſimo trigeſimo ſecundo.

Ptolomæus Alexander I. frater junior *Ptolomæi Laturi*, in ejus locum a matre *Cleopatra* ſubſtitutus eſt, cæpitque in Ægypto regnare anno ante Aeram Chriſtianam nonageſimo ſeptimo, dum adhuc frater ipſius *Ptolomæus Laturus* ſuperſtes eſſet, ſed exul Regno. Per decem annos in Aegypto regnavit *Ptolomæus Alexander*, ſed, cum matrem ſuam *Cleopatram*,

quæ-

quę illi exitium moliebatur, interfeciſſet, concurſu populi in exilium actus, ac Regno privatus eſt anno ante Æram Chriſtianam octuageſimo ſeptimo, & anno Æræ Lagidarum ducenteſimo quadrageſimo ſecundo.

Ptolomæus Laturus, frater *Ptolomæi Alexandri*, ab exilio revocatus, ſecundo regnare cæpit in Ægypto anno ante Æram Chriſtianam octuageſimo ſeptimo. Regnavit octo annis, & obiit anno ante Aeram Chriſtianam ſeptuageſimo nono, & anno Aeræ Lagidarum ducenteſimo quinquageſimo.

Ptolomæus Alexander II. nepos *Ptolomæi Laturi*, & filius *Ptolomæi Alexandri I.* Regnum Aegypti obtinuit anno ante Aeram Chriſtianam ſeptuageſimo nono. Sed, cum Alexandrini Regem hunc inſolentius imperantem ferre minime poſſent, eum, poſtquam regnaſſet novemdecim dies, eodem anno interemerunt.

Ptolomæus Alexander III. filius *Ptolomæi Alexandri I.* regnare cæpit in Aegypto anno ante Aeram Chriſtianam ſeptuageſimo nono. Regnavit ſeptemdecim annis, & obiit anno ante Aeram Chriſtianam ſexageſimo ſecundo, & anno Aerę Lagidarum ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo.

Ptolomæus Auletes, *Nothus*, regnare cæpit in Aegypto anno ante Aeram Chriſtianam ſexageſimo ſecundo. Regnavit tredecim annis, & mortuus eſt anno ante Aeram Chriſtianam quadrageſimo nono, & anno Aeræ Lagidarum ducenteſimo octuageſimo.

Ptolomæus, dictus *Dionyſius*, filius *Ptolomæi Auletis*, cæpit poſt mortem patris ſui regnare in Aegypto, una cum ſua ſorore famoſa *Cleopatra* anno ante Aeram Chriſtianam quadrageſimo nono. Regnavit cum ſua ſorore *Cleopatra* quinque annis, & deinde, expulſa ſorore ſua *Cleopatra*, e Regio Solio dejectus eſt anno ante Aeram Chriſtianam quadrageſimo quarto, & anno Aeræ Lagidarum ducenteſimo octuageſimo quinto.

Cleopatra, ſoror *Ptolomæi*, dicti *Dionyſii*, ad Regnum Aegypti, e quo a fratre ſuo fuerat extruſa, revocata eſt, & agente *Julio Cæſare*, a Romanis in Ægyptum miſſo, Regina Aegypti conſtituta, præfuit ſola huic Regno per quindecim circiter annos, hoc eſt, uſque ad annum ante Aeram Chriſtianam trigeſimum, qui fuit annus tercenteſimus Aeræ Lagidarum, quo anno *Octavius Auguſtus*, Romanorum Imperator, qui anno præcedenti *Marcum Antonium*, a quo ſtabat *Cleopatra*, Regina Aegypti, in pugna Actiaca omnino profligaverat, Alexandriam urbem expugnavit, & in ſuam redegit poteſtatem. Tunc enim *Cleopatra*, Regina Aegypti, primum, quaſi mortis ſibi conſciſcendæ cauſa, in monumentum inſiluit, quod ubi reſcivit *M. Antonius*, verumque eſſe putans, necem ſibi intulit, & in ſinu *Cleopatræ* mortuus eſt. Mortem *M. Antonii* confeſtim *Auguſto*, Imperatori, nuntiavit *Cleopatra*, eique Regnum Aegypti dedit. Sed, cum pertimeſceret, ne ab *Auguſto* in triumphum ſervaretur, Romamque duceretur, regio cultu exornata, in aureo lectulo recubuit, ibique, morſu aſpidis, ſiniſtro brachio admotæ, icta, exanimis inventa eſt, ut tradunt *Florus* lib. 4. cap. 2. *Vellejus Paterculus* lib. 2. cap. 87. *Plutarchus* in *Antonio*, *Dio* lib. 51. *Eutropius* lib. 7. & *Oroſius* lib. 6. cap. 19. Sic periit *Cleopatra*, Aegypti Regina, multorum Scriptorum ſermone celebrata, de cujus impotenti ambitione, qua Imperium etiam in Romanos ſperare auſa eſt, & de fædis illius amoribus, præſertim cum *Julio Cæſare*, cui *Cæſarionem* filium peperit, & cum *M. Antonio*, ex quo liberos ſuſcepit, eoſdem Auctores, quos mox laudavi, lactitare poteris. Mortua *Cleopatra*, Regnum Aegypti in poteſtatem Populi Romani redactum eſt, & deinceps Imperii Romani Provincia fuit. Ab exordio autem Regni *Ptolomæi Lagi* filii in Aegypto, poſt obitum *Alexandri Magni*, uſque ad *M. Antonii* & *Cleopatræ* mortem, cum quibus Regnum Aegypti deſiit, & apud *Ptolomæum*, tum in Regum Canone, tum in Operis magni libro tertio & apud *Clementem Alexandrinum* lib. 1. *Stromatum*, numerantur anni

Digitized by Google

anni ducenti nonaginta quatuor, quibus ſi addas annos Monarchiæ *Alexandri Magni*, a cujus exordio incipit Æra Lagidarum, comperies, Regnum Ægypti veniſſe in poteſtatem Romanorum anno tercenteſimo Æræ Lagidarum.

D. Habeo nunc accuratam ſeriem non ſolum Regnum Babyloniæ, quibus Iſraelitæ a tempore *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, a quo in captivitatem Babylonicam fuerunt adducti, daper ſeptuaginta annos prædictæ captivitatis ſervierunt, ſed etiam ſeriem Regum Perſarum, a *Cyro*, qui inſtituit Monarchiam Perſicam, uſque ad *Darium Codomanum*, ultimum Perſarum Monarcham, quem devicit *Alexander Magnus*, & Monarchiam Græcorum per ſexennium tenuit. Habeo inſuper ſeriem Regum, qui, demortuo *Alexandro Magno*, ſucceſſerunt in Regno Macedoniæ uſque ad *Perſeum*, ultimum Macedonum Regem, qui fuit victus a Romanis: denique, ſeriem Regum, qui *Alexandro Magno*, vita functo, ſucceſſerunt in Regno Ægypti uſque ad *Cleopatram*, poſt cujus Reginæ Aegypti obitum Romani in ſuam poteſtatem Regnum Aegypti redegerunt, & inter Provincias Imperii Romani numerare cæperunt. Supereſt nunc, ut hic ſubjicias ſeriem Regum, qui, defuncto *Alexandro Magno*, ſucceſſerunt in Regno Syriæ. Antequam tamen id oneris ſuſcipias, rem mihi gratiſſimam faceres, ſi uberiorem traderes notitiam illius Sacrorum Librorum Veteris Teſtamenti Verſionis Græcæ, quam, regnante in Aegypto *Ptolomæo Philadelpho*, a ſeptuaginta Interpretibus adornatam fuiſſe, memini, te paulo ante in texenda ſerie Regum, qui *Alexandro Magno* in Regno Aegypti ſucceſſerunt, obiter tantum obſervaſſe. In primis itaque ſcire velim, quo pacto hæc Græca Scripturæ Sacræ Verſio, regnante in Aegypto *Ptolomæo Philadelpho*, facta fuerit?

M. Votis tuis ut faciam ſatis, breviter hic referam Hiſtoriam hujuſce Sacrorum Librorum Verſionis Græcæ excerptam ex *Ariſtea* Epiſtola ad *Philocratem*, quæ etiamnum extat, & omnium eruditorum teritur manibus. *Demetrius Phalereus*, inſignis Bibliothecæ *Ptolomæi Philadelphi*, Aegypti Regis, Præfectus, conquiſitis undique libris eam uſque adeo auxerat, ac locupletaverat, ut pluſquam ducenta Voluminum millia complecteretur. Quod cum ſciſcitanti *Ptolomæo Philadelpho*, Aegypti Regi, præſente *Ariſtea*, renunciaret *Demetrius Phalereus*, adjecit, daturum ſe operam, ut brevi Bibliotheca Regia ad quingenta millium librorum numerum pertingeret, eidemque Regi ſignificavit, Judæorum Leges dignas eſſe, quæ ex Hebræa Lingua in Græcam translatæ in ejus Bibliotheca reponerentur. *Demetrii Phalerei* petitioni ultro annuit *Ptolomæus Philadelphus*, Rex Aegypti, ſcripſitque ad Summum Judæorum Sacerdotem *Eleazarum*, qui in gratiam beneficiorum, quæ Judæi ab eodem Rege acceperant, ſex ex ſingulis Tribubus ſenes, honeſtate vitæ, & peritia Legum præſtantes ad interpretandas Scripturas Sacras miſit ad Regem a quo poſtquam perhumaniter fuiſſent excepti, in proximam Inſulam delati ſunt a *Demetrio Phalereo*, & in ſplendida domo locati, in qua ad nonam uſque horam legis interpretationum operam navabant, ſicque collatis Exemplaribus, unaque congregati, ſpatio ſeptuaginta duorum dierum interpretationem abſolverunt. His peractis, *Demetrius Phalereus* totam interpretationem coram Judæis, qui in Aegypto erant, perlegit, qui eam ſummis celebrarunt laudibus, & diras imprecati ſunt his, qui huic Verſioni Scripturæ Sacræ aliquid addere, vel demere, vel quidpiam in ea immutare præſumerent. En tibi, juxta *Ariſtea* Epiſtolam ad *Philocratem*, hiſtoriam Verſionis lxx. Interpretum, qui licet numero fuerint ſeptuaginta duo, hæc tamen Græca Scripturæ Sacræ Verſio, cui concinnandæ incubuerunt, vulgo appellari ſolet numero rotundo Verſio lxx. Interpretum. Porro, veritatem hujus hiſtoriæ Verſionis lxx. Interpretum,

ab

ab *Ariſtea* relatæ, calculo ſuo comprobant Scriptores Ethnici *Ariſtobolus Hecatæus*, *Clearchus*, & apud Judæos *Joſephus*, & *Philo*. Nec *Sanctus Hieronymus*, parum alioqui addictus Verſioni lxx. Interpretum, quæ ipſius ætate vitiata erat, unquam dubitavit de veritate Hiſtoriæ Verſionis lxx. Interpretum, quam litteris prodiderunt *Ariſteas*, & *Joſephus*, Hebræus, ſed potius utrumque Scriptorem citat. Quocirca jure optimo explodi debent vanæ conjecturæ, queis plus æquo indulgent, moderni quidam Critici, quos inter cenſentur *Henricus Valeſius*, *Humfredus Hody* in Opere, quod edidit contra Hiſtoriam *Ariſtea*, *Antonius Van Dale* in Diſſertatione ſupra Hiſtoria *Ariſtea*, *Scaligerus* in Animadverſionibus in Chronicon *Euſebii Cæſarienſis*, aliique non pauci, qui Thalmudis fabulas & ineptias ſecuti, aſſerunt, hanc Verſionem Græcam Scripturæ Sacræ eſſe *Opus quinque ſeniorum*, libereque pronunciant, illos libros, quos nunc habemus, *Ariſtea*, *Ariſtoboli*, *Hecatai*, & *Clearci* nominibus inſcriptos, non eſſe genuinos illorum Scriptorum Ethnicorum fætus, ſed a Judæis Helleniſtis data opera fuiſſe illis affictos, quo facilius ſub illis Scriptorum titulis, quaſi ſub larva latitantes, prædictæ Verſioni Græcę, quam in ſummo pretio habebant, majorem, poſſent conciliare auctoritatem. Verum, iſtorum intemperantioris Critices hominum, qui certiſſima Hiſtoriæ, & Antiquitatis monumenta a locupletiſſimis teſtibus litteris conſignata inficias ire, aut in dubium revocare præſumunt, futiles conjecturas flocci facere debemus, maxime, cum jam a viris eruditis *Uualtono*, & utroque *Voſſio* fuerint ſat ſuperque confutatę. Advertere tamen obiter debes, *Ariſteam*, qui, ut teſtis oculatus, totius rei geſtæ hiſtoriam deſcripſit, aſſerere, lxx. Interpretes in magnam Baſilicam conveniſſe, ut Libros Sacros græce interpretarentur, ac ſubinde ſtare non poſſe ſententiam quorumdam, qui, *S. S. Juſtinum*, *Irenæum*, & *Cyrillum Hieroſolymitanum* ſecuti, affirmant, lxx. Interpretes in totidem cellulis incluſos hanc Græcam Scripturę Sacrę Verſionem perfeciſſe, vel cum *S. Epiphanio*, in libro *De Ponderibus & Menſuris* ajunt, lxx. Interpretes in cellulis binos incluſos hanc Scripturę Sacræ Verſionem adornaſſe. De his quippe ſeptuaginta cellulis, in quibus ſeorſim incluſi lxx. Interpretes univerſam Scripturam Sacram in Grçcum ſermonem verterint, ne minimam quidem mentionem faciunt *Ariſteas*, *Joſephus*, Hebræus, & *Sanctus Hieronymus*, ſed ſolum ajunt lxx. Interpretes in publico quodam loco, ſeu in magna Baſilica, ab omni tumultu & ſtrepitu remota, congregatos, atque invicem conferentes, huic lucubrandæ Scripturæ Sacræ Verſioni operam dediſſe, ultimamque admoviſſe manum. Quod ſane veritati Hiſtoriæ videtur mihi magis conſentaneum. Non nego tamen, ſeptuaginta illos Interpretes habuiſſe ſingulos proprium cubiculum, ſeu cellulam, in qua ſtudiis & orationi vacare, atque Scripturæ Sacrę meditationi incumbere poſſent. Quis enim, amabo, credat, ſeptuaginta illos Interpretes in Inſula *Pharos* ſub dio jacuiſſe, nec ullam habuiſſe cellulam, in quam ſtatis horis ſeſe reciperent? Hoc unum igitur duntaxat nego, videlicet lxx. interpretes in totidem cellulis incluſos univerſam Scripturam Sacram ſeorſim græco idiomate donaſſe, ſicut aperte negat *S. Hieronymus*, qui, ut omnes norunt, ſumma prudentia, & accuratiſſimo criterio verum a falſo ſecernens, incertis opinionibus, falſo rumore ſparſis, aurem nunquam accommodavit.

D. Hæc Grçca lxx. Interpretum Scripturæ Sacræ Verſio, quæ, regnante *Ptolomæo Philadelpho*, Rege Ægypti, prodiit in lucem, complectebaturne omnes Libros Sacros Veteris Teſtamenti in græcum ſermonem tranſlatos?

M. Sunt quidam recentiores Scriptores, *Uſſerius*, videlicet Armachanus, & *Fronto Ducæus*, qui cenſent, duas ante Chriſti Domini adventum extitiſſe Scripturæ Sacræ Ver-

I 2 ſio-

ſiones Græcas, unam ſcilicet, quæ Sacros Libros tantum Pentateuchi *Moyſis* complectebatur, quamque ſub *Ptolomæo Philadelpho*, Aegyptiorum Rege, fuiſſe elaboratam, & Textui Hebræo conſonam aſſerunt, & hanc eſſe ajunt veram Verſionem lxx. Interpretum, quæ ſemper delituit in Bibliotheca Alexandrina, nec lecta unquam, ſcriptave eſt a quoquam, ac demum annis ante Chriſtum quadraginta circiter & octo fuit incendio conſumpta, quando videlicet bello priori Alexandrino a *Julio Cæſare* confecto, ex militum ſeditione celeberrima illa poſt hominum memoriam Bibliotheca conflagratione periit. Alteram Scripturæ Sacræ Verſionem Græcam dictitant illi Scriptores procuſam fuiſſe anno quarto *Ptolomæi Phyſconis*, Aegyptiorum Regis, eamque comprehendiſſe omnes Veteris Teſtamenti libros, quos in ſuo Canone reponunt Judæi, & hanc integram Scripturæ Sacræ Verſionem Grecam negant laudati Scriptores fuiſſe a ſeptuaginta Interpretibus lucubratam. Sed non eſt dubium, quin illi Scriptores fallantur, primo, quia *Joſephus*, & *Philo*, Hebrei, Apoſtoli, & Evangeliſtę, ſancti Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici *Juſtinus*, *Irenæus*, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Epiphanius*, *Hieronymus*, & alii unius duntaxat Verſionis Græcæ Sacrorum Librorum, regnante in Aegypto *Ptolomæo Philadelpho*, lucubratæ, meminere. Hæc autem Græca Scripturæ Sacræ Verſio, quæ ſub *Ptolomæo Philadelpho*, Rege Aepypti, facta eſt a lxx. Interpretibus, complectitur omnes Libros Sacros Veteris Teſtamenti in Græcum ſermonem translatos. Incredibile namque eſt *Ptolomæum Philadelphum*, qui tanto ſtudio omnia antiquitatis monumenta conquirebat, & *Demetrium Phalereum*, ejus Bibliothecæ Præfectum, qui plures Voluminum myriades ex omnibus terræ partibus collegerat, ut, juxta Regis deſiderium, eam innumeris codicibus locupletatam omnium celeberrimam redderet, contentos fuiſſe librorum Legis, ſeu Pentateuchi, greca interpretatione, & ceteras nobiliſſimæ tum temporis Gentis Judaicæ Hiſtorias, & Prophetica Oracula neglexiſſe. Falſum itaque eſt, Verſionem Græcam Scripturæ Sacræ a lxx. Interpretibus, tempore *Ptolomæi Philadelphi*, Regis Aegypti, adornatam, comprehendiſſe tantummodo quinque libros Pentateuchi *Moyſis* in Linguam Græcam translatos. Præterea, nullum ſuppetit antiqui Scriptoris teſtimonium, ex quo evinci poſſit, anno quarto *Ptolomęi Phiſconis*, Regis Aegypti, procuſam fuiſſe Verſionem Scripturæ *Sacræ*, quæ omnes Sacros Libros Veteris Teſtamenti in græcum ſermonem translatos complecteretur. Fictitia ergo eſt illa Verſio Græca, cujus in tota retro antiquitate ne vola quidem ac vel minimum extat veſtigium. Non me fugit, eſſe quoſdam viros eruditos (quos inter principem locum obtinet Illuſtriſſimus *Daniel Huetius*, Epiſcopus Abrincenſis, in ſua *Demonſtratione Evangelica*, Propoſitione 4. c. 12.) qui ſentiunt, ante Verſionem Græcam lxx. Interpretum extitiſſe aliam Scripturæ Sacræ Verſionem Græcam imperfectam, mutilam, & dimidiatam. At, illi viri eruditi, quibus ipſe aſſentior, non confundunt Verſionem hanc Græcam imperfectam & dimidiatam cum illa Verſione Græca, quam lxx. Interpretes, regnante in Aegypto *Ptolomęo Philadelpho*, adornarunt, ſed potius aſſerunt, hanc Græcam Scripturæ Sacræ Verſionem, quæ erat imperfecta & dimidiata, factam fuiſſe non ſolum antequam *Ptolomęus Philadelphus* regnaret in Aegypto, ſed etiam ante Expeditionem *Alexandri Magni* in Aſiam, ſeu ante Imperii Perſici excidium, cumque imperfecta & mutila eſſet illa Græca Scripturæ Sacre Verſio, juſſiſſe poſtea *Ptolomęum Philadelphum*, Regem Aegypti, ut nova omnium Scripturæ librorum Veteris Teſtamenti a lxx. Interpretibus adornaretur Verſio Græca, quæ plena, integra, & omnibus ſuis numeris eſſet abſoluta. Falſum itaque eſt, Verſionem, quam lxx. Interpretes regnante *Ptolomęo Philadelpho* in Aegypto, concinarunt, non fuiſſe comple-

plexam omnes Sacros libros Veteris Teſtamenti, ſed tantum quinque libros Pentateuchi *Moyſis*. Falſum itidem eſt, aliam Verſionem Græcam factam eſſe anno quarto *Ptolomæi Phyſconis*, quæ comprehenderet omnes Libros Sacros Veteris Teſtamenti, quos ſuo Canoni accenſent Judæi, ſicut falſo ſibi perſuaſerunt *Uſſerius*, & *Fronto Ducæus*, mox a me citati.

D. Perſtatne adhuc illa Verſio Græca, quam lxx. Interpretes, regnante *Ptolomæo Philadelpho* in Aegypto, adornarunt, & habetne modo in Eccleſia Catholica vim & auctoritatem ſtabiliendi fidem, & mores bene informandi?

M. Perſtat adhuc hæc Græca lxx. Interpretum Scripturæ Sacræ Verſio, eaque ſemper in maximo honore, ſingularique veneratione fuit in Eccleſia. At enim; hac lxx. Interpretum Verſione uſi ſunt Apoſtoli, & Evangeliſtæ, qui (ſicut obſervant *Sanctus Irenæus* lib. 3. *De Hæreſibus* cap. 25. & *Sanctus Hieronymus* Præfatione in Evangelia) loca citarunt ex Verſione lxx. Interpretum, & per illam inſtituerunt, atque in fide naſcentem Eccleſiam confirmarunt. Oſtendit etiam *Vualtonus* Prolegomeno nono *Apparatus ad Biblia Polygotta Londinenſia*, omnes Scripturæ Sacræ Verſiones, antiquitus ab Eccleſia approbatas (excepta Syriaca) ex Verſione lxx. Interpretum promanaſſe, videlicet Arabicam, Æthyopicam, Armenam, Illyricam, Gothicam, & Latinam Veterem, qua Eccleſia Latina ante *Sanctum Hieronymum* utebatur. Hanc Verſionem etiam lxx. Interpretum, tanquam divino afflatu editam, uno ore laudant ſancti Patres, & quamvis *Sanctus Hieronymus* Verſionem lxx. Interpretum reprehendere interdum videatur, hanc tamen Verſionem reapſe non carpit & improbat, ſed tantum perſtringit vitia & errata, quæ in illa injuria temporum, ut fieri aſſolet, irrepſerant. Hinc ſanctus ille Doctor Præfatione in lib. Paralipomenon hæc habet: *Si ſeptuaginta Interpretum pura, & ut ab eis in Græcum verſa eſt, Editio permaneret, ſuperflue me, Chromati, Epiſcoporum ſanctiſſime, atque doctiſſime, impelleres, ut Hebræa tibi Volumina latino ſermone transferrem .... Nunc vero cum pro varietate regionum diverſa ferantur Exemplaria, & germana illa, antiquaque translatio corrupta ſit atque violata &c.* Idem cum *Sancto Hieronymo* cenſent viri hujus temporis eruditi, qui, licet non inficientur, hanc Græcam lxx. Interpretum Verſionem, inevitabili rebus omnibus fato, maculas aliquas levioris momenti, præſertim in rebus Chronologicis, ex Amanuenſium oſcitantia contraxiſſe, conſtanter nihilominus docent, hanc Verſionem, ubi non diſcrepat ab Editione noſtra vulgata, quam Patres Concilii Tridentini authenticam declararunt, valere adhuc ad ſtabiliendam Catholicam Fidem, & probe inſtituendos mores, tum quia nulla ratione evinci poteſt, Verſionem lxx. Interpretum in his, quæ ſpectant Fidem & bonos mores, fuiſſe aliquando vitiatam: tum quia etiam Eccleſia Catholica uſque ad exortum ſchiſma *Photii*, Patriarchæ Conſtantinopolitani, in octo prioribus Conciliis Generalibus in Oriente celebratis hac Verſione lxx. Interpretum ad profligandas Hæreſes, quæ identidem in Eccleſia Græca emergebant, uſa eſt: tum quia denique dici haud poteſt, hanc lxx. Interpretum Verſionem fuiſſe a Græcis in odium Eccleſiæ Latinæ, poſt enatum *Photii* ſchiſma, corruptam, cum certum ſit, in Conciliis Æcumenicis, jam graſſante *Photii* ſchiſmate, in Occidente, ſeu in Eccleſia Latina, habitis, videlicet Lugdunenſi, & Florentino, nunquam Latinos objeciſſe Græcis hanc Verſionis lxx. Interpretum depravationem, cum quibus tamen in prædictis Conciliis acerrime diſputarunt. Immo, Eccleſia Græca hac Verſione lxx. Interpretum etiamnum utitur, ſciente, nec reclamante Eccleſia Latina. *Sixtus* etiam *Quintus*, Summus Pontifex, Verſionem lxx. Interpretum ſtudio Cardinalis *Caraffæ*, Apoſtolici Bibliothecarii, ex antiquiſſimo Bibliothecæ Vaticanæ Codice priſtino ſuo nitori & integritati reſtitutam ſua auctoritate approbavit, huicque Romanæ

Digitized by Google

Editioni Verſionis lxx. Interpretum, auſpiciis *Sixti V.* elaboratæ, primas tribuit inter Verſiones Scripturæ Sacræ Græcas doctiſſimus *Joannes Morinus*, Congregationis Oratorii Presbyter. Poſtremo, eruditus *Flaminius Nobilius* Editionem Scripturæ Sacræ, dictam *Veterem Italam*, quæ ex Græca lxx. Interpretum Verſione erat expreſſa, & quæ ante Editionem vulgatam, cujus auctor eſt *S. Hieronymus*, per quinque priora ſæcula publice in Eccleſia Latina legebatur, ſed jam a mille, & amplius annis evanuerat, luci denuo reſtituit, eamque in publicam lucem edi curavit Romæ anno MDLXXXVIII. & rurſus eamdem Verſionem *Veterem Italam*, una cum Exemplari Græco Vaticano Pariſiis editam, anno MDCXXVIII. publicavit prælaudatus *Joannes Morinus*. Ex quibus patet, Verſionem Scripturæ Græcam, quam regnante *Ptolomæo Philadelpho* in Ægypto adornarunt lxx. Interpretes, maximo in honore in Eccleſia fuiſſe, & nunc etiam ad ſtabilienda ea, quæ ad fidem & bonos mores attinent, auctoritate pollere.

D. Placet mihi admodum brevis illa hiſtorica, quam tradidiſti, notitia Verſionis Græcæ Sacrorum Veteris Teſtamenti Librorum, quam regnante in Ægypto *Ptolomæo Philadelpho*, concinnarunt lxx. Interpretes, quæque adhuc in his, quæ fidem & bonos mores ſpectant, illibata in Eccleſia Catholica, ſeu Romana, conſervatur. Nunc eam, quam te daturum promiſiſti, exhibe ſeriem Regum, qui defuncto *Alexandro Magno* in Regno Syriæ ſucceſſerunt.

M. Cum Machabæorum Hiſtoria, quam in tertio Colloquio in Hiſtoriam hujuſce ſextæ Mundi Ætatis deſcripturus ſum, implicata ſit cum Regibus, qui mortuo *Alexandro Magno* in Regno Syriæ ſucceſſerunt, operæ pretium eſt illorum Regum ordinem ac ſucceſſionem hic exacte attexere, & in optimo lumine collocare. Quod quidem ut facilius exequi poſſim, velim ut in anteceſſum, breviter obſerves, *Seleucum*, dictum *Nicatorem*, vel *Nicanorem*, id eſt, *Victorioſum*, unum ex *Alexandri Magni* Ducibus, Regnum Syriæ, devicto ac cæſo *Antigono*, obtinuiſſe anno poſt obitum *Alexandri Magni* vigeſimo tertio, ſeu anno IV. Olympiadis centeſimæ decimę nonę, ab urbe Roma condita anno quadringenteſimo quinquageſimo tertio, ante Æram Chriſtianam tercenteſimo primo. Verum, tametſi *Seleucus Nicanor* (ſicut teſtatur *Appianus* in *Syriacis*, & *Plutarchus* in Pyrrho) hoc anno Syrię Regno potiri cęperit, non tamen ab eodem anno duxit exordium Regni ſui in Syria, ſed altius undecim annis, priuſquam Regnum Syrię occuparet, voluit Epocham Regni ſui in Syria eſſe repetendam, id eſt, ab anno, poſt obitum *Alexandri Magni*, duodecimo, anno I. Olympiadis centeſimę decimę ſeptimę, ab urbe Roma condita anno quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo, ante Æram Chriſtianam anno tercenteſimo duodecimo, quo anno *Seleucus Nicanor*, commiſſo apud Gazam, urbem Palæſtinę, pręlio, *Demetrium*, filium *Antigoni*, ſuperavit, profligavit, & Mediam, ac Babyloniam, unde metu *Antigoni* fugerat, & in Ægyptum ſeceſſerat, recuperavit. Ab hoc, inquam, anno, quo *Seleucus Nicanor* Babylonem recuperavit, Epocham Regni ſui in Syria duxit, quamvis undecim duntaxat poſt annos Regnum Syrię obtinuerit, & Regium Diadema, ac nomen uſurpare cęperit. Hęc eſt famoſa, & omnium Scriptorum ſermone decantata Epocha, ſeu *Æra Seleucidarum*, hoc eſt, Regum Syrię poſt obitum *Alexandri Magni*, quę incipit anno I Olympiadis centeſimę decimæ ſeptimæ, ab urbe Roma condita quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo, poſt obitum *Alexandri Magni* anno duodecimo, ante Æram Chriſtianam tercenteſimo duodecimo, & priuſquam *Seleucus Nicanor* Regnum Syrię obtineret, anno undecimo. Falluntur itaque nonnulli Chronologię periti, qui putant, Æram Seleucidarum, ſeu Regum Syrię poſt obitum *Alexandri Magni*, auſpicari eodem anno, quo *Seleucus Nicanor* Regno Syrię potitus ſit, cum tamen certum ſit, *Æram Seleucidarum*, ſeu Regum Syrię,

Digitized by Google

cœpiſſe undecim annis antequam *Seleucus Nicanor* Regnum Syriæ obtineret. Hanc Æram Seleucidarum, ſeu Regnum Syriæ poſt obitum *Alexandri Magni*, uſurparunt non tantum Judæi, ſed etiam omnes Syro-Macedones, ſeu Syriæ populi, a Macedonibus devicti, videlicet *Edeſſeni*, *Apameenſes*, *Damaſceni*, *Emiſſeni*, *Tripolitæ*, *Antiocheni*, *Seleucienſes*, *Laodiceni*, *Gazenſes*, *Gadari*, donec a *Pompejo* ſuis utendi Legibus autonomiam, ſeu libertatem, accepiſſent. Tunc enim illi Populi, antiquata ac relicta hac Seleucidarum Æra, novam, quæ merito appellari poteſt *Aera Pompejana*, in honorem *Pompeii*, quem velut liberatorem ſuum, agnoſcebant, anno ab urbe Roma condita ſexcenteſimo nonageſimo inſtituerunt, ſicut ex multis monumentis, & nummis apud Aſiaticos ſculptis luculenter demonſtrat doctiſſimus Cardinalis *Noriſius* in aureo illo, quod edidit, Opere *De Epochis Syro-Macedonum*. Præmiſſa iſta Hiſtorico-Chronologica obſervatione, exhibebo nunc ſeriem Chronologicam Regum, qui demortuo *Alexandro Magno* in Regno Syriæ ſucceſſerunt. Hic tamen duodecim tantum priores Reges proponam *Alexandri Magni* in Regno Syriæ ſucceſſores, hoc eſt, a *Seleuco Nicanore* uſque ad *Demetrium II. Nicanorem*, *Demetrii Soteris* filium, qui anno ſecundo Regni ſui, ad petitionem *Simonis*, Judæorum Pontificis, fratriſque *Judæ Machabæi*, & *Jonathæ*, abſolutam Judæis pacem, libertatem, atque ab omnibus tributis, & vectigalibus immunitatem, ac perpetuam inter ipſum Regem *Demetrium II.* & Gentem Judæorum ſocietatem conceſſit, ut liquet ex ejuſdem Regis Syriæ *Demetrii II.* Diplomate, directo ad *Simonem*, Summum Judæorum Sacerdotem, & relato lib. 1. Machab. cap. 13. verſ. 41. & 42. *Anno centeſimo ſeptuageſimo* (id eſt, Æræ Seleucidarum) *ablatum eſt jugum Gentium ab Iſrael. Et cæpit populus Iſrael ſcribere in Tabulis & Geſtis publicis: Anno primo ſub Simone, Summo Sacerdote, magno Duce & Principe Judæorum.* Anno itaque ſecundo Regni *Demetrii II. Nicanoris*, filii *Demetrii Soteris* Regis Syriæ, Judæi, qui, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, ſemper ſubditi fuerant, primo *Perſarum*, deinde *Græcorum* Regibus, plenam libertatem conſecuti, non amplius Regibus Syriæ ſubditi fuerunt, ſed ſuos habuerunt Duces, ſeu Principes ac Reges, qui erant ex genere Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum, Summum etiam apud Judæos obtinentes Sacerdotium, quique ſupremam regendæ Reipublicæ adminiſtrationem exercuerunt a tempore *Simonis*, Summi Judæorum Sacerdotis, & *Judæ Machabæi*, ac *Jonathæ* fratris, uſque ad *Antigonum*, qui apud Judæos fuit ultimus Rex ex ſtirpe Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum, quique devictus eſt, & e ſolio Regni Judææ dejectus ab *Herode*, alienigena, qui, conſentiente & approbante Senatu Romano, Rex Judææ fuit declaratus, quo regnante natus eſt JESUS CHRISTUS, ſicut operoſius oſtendemus in Colloquio tertio in Hiſtoriam hujus ſextæ Mundi Ætatis, ubi etiam accuratam dabimus ſeriem aliorum Regum Syriæ, qui *Demetrio II. Nicanori*, filio *Demetrii Soteris*, ſucceſſerunt, uſque ad integram Regum Syriæ, ſeu *Regum Seleucidarum*, extinctionem, factam a *Pompejo*, qui in Aſiam a Populo Romano miſſus, Regnum Syriæ in formam Provinciæ redegit, & poſſeſſionem fecit Populi Romani anno ab urbe Roma condita ſexcenteſimo nonageſimo, ante Æram Chriſtianam ſexageſimo quarto. Hic igitur exhibebo tantum ſeriem duodecim priorum Regum, qui defuncto *Alexandro Magno*, in Regno Syriæ ſucceſſerunt, id eſt, a *Seleuco Nicanore* uſque ad *Demetrium II.* qui fuit *Demetrii Soteris* filius, & cujus Regni anno ſecundo Judæi, plena libertate donati, excuſſerunt jugum Gentium, ſuoſque Principes, & Reges habuerunt, a quibus Reſpublica Judaica cum ſuprema auctoritate regebatur.

SERIES DUODECIM PRIORUM REGUM,

Qui, defuncto Alexandro Magno, in Regno Syriæ ſucceſſerunt.

SEleucus, dictus *Nicator*, vel *Nicanor*, ſeu *Victorioſus*, anno duodecimo poſt obitum *Alexandri Magni*, ſeu anno 1. Olympiadis centeſimæ decimæ ſeptimæ, & anno ante Æram Chriſtianam tercenteſimo duodecimo Regnum in Babylonia, Media, Suſiana, aliiſque Regionibus Orientalibus conſtituit, & ab eodem anno duxit Epocham Regni ſui in Syria, quamvis, ſicut antea obſervavimus, poſt undecim duntaxat annos Regnum Syriæ, devicto ac cæſo *Antigono*, obtinuerit anno videlicet poſt obitum *Alexandri Magni* vigeſimo tertio, anno IV. Olympiadis centeſimæ decimę nonę, ante Æram Chriſtianam anno tercenteſimo primo. Bella contra *Antigonum*, Aſiæ Regem, geſſit, ejuſque copias profligavit. Antiochiam, Laodiceam, Seleuciam, Apameam, Edeſſam, Beroeam, & Pellas, urbes condidit, & in eas tranſtulit Judæos, quibus jus civium, & municipalem ordinem æquali cum Græcis honore conceſſit, ſicut teſtantur *Joſephus*, Hebræus, lib. 12. Antiq. Jud. cap. 3. & *Euſebius* in Chronico. Tandem, poſtquam per triginta duos annos regnaſſet *Seleucus Nicanor*, per inſidias trucidatus eſt anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo; anno Regni Græcorum, ſeu Æræ Seleucidarum, trigeſimo ſecundo.

Antiochus I. dictus *Soter*, id eſt, *Salvator*, ſucceſſit in Regno Syriæ patri ſuo *Seleuco Nicanori* anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo octuageſimo. Regnavit novemdecim annis, & mortuus eſt anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo ſexageſimo primo, anno Regni Græcorum quinquageſimo primo.

Antiochus II. dictus per adulationem Θεὸς, ſeu *Deus*, ſucceſſit patri ſuo *Antiocho Soteri*, anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo ſexageſimo primo. Contra *Ptolomæum Philadelphum*, Ægypti Regem, bella geſſit quam plurima. Duas uxores habuit, videlicet *Laodicem*, & *Berenicem*, filiam *Ptolomæi Philadelphi*, Ægyptiorum Regis. Sed, cum regnaſſet annos quindecim, fuit a priori conjuge ſua *Laodice* veneno interfectus anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo quadrageſimo ſexto, & anno Regni Grçcorum ſexageſimo ſexto.

Seleucus II. dictus *Callinicus*, filius *Antiochi II.* ejuſque prioris conjugis *Laodices* natu major, patri ſucceſſit in Regno Syriæ anno ducenteſimo quadrageſimo ſexto ante Æram Chriſtianam. Bellum acerrimum geſſit cum *Ptolomæo Evergete I.* Ægyptiorum Rege, *Ptolomæi Philadelphi* filio, qui ulciſci voluit ſororem ſuam *Berenicem*, quam uxorem duxerat *Antiochus II.* Rex Syriæ, pater *Seleuci II.* cuique, & ejus filius, *Laodices*, prior conjux *Antiochi II.* necem intulerat. Annos viginti regnavit *Seleucus II.* dictus *Callinicus*, fuitque interfectus anno ante Æram Chriſtianam ducenteſimo vigeſimo ſexto, & anno Regni Græcorum octuageſimo ſexto.

Seleucus III. cognominatus *Ceraunus*, filius *Seleuci II.* dicti *Callinici*, ſucceſſit patri ſuo anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo vigeſimo ſexto. Adverſus *Attalum*, Pergami Regem, militari Expeditione ſuſcepta, dolo appetitus, propinato veneno in Phrygia periit, tribus annis regnavit, & obiit anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo vigeſimo tertio, & anno Regni Græcorum octuageſimo nono.

Antiochus III. dictus *Magnus*, fratri ſuo *Seleuco III.* cognominato *Ceranno*, ſucceſſit, anno ante Aeram Chriſtianam ducenteſimo vigeſimo tertio. Plura geſſit bella contra Reges Aegypti, videlicet *Ptolomæum Philopatorem*, & *Ptolomæum Epiphanem*, eiſque Judæam, & Samariam eripuit. Sed ei contra Romanos in Aſia pugnanti male ceſſit martis alea, & in aliis bellis variam expertus eſt for-

Digitized by Google

fortunam. *Cleopatram*, filiam ſuam, *Antiochus* III. Rex Syriæ, dedit uxorem *Ptolomæo Epiphani*, Regi Aegypti, eique dotis nomine conceſſit Celeſyriam, Phenicem, Judæam, atque Samariam. Demum, poſtquam regnaſſet annos triginta ſex, interfectus eſt anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo octogeſimo ſeptimo, & anno Regni Græcorum centeſimo vigeſimo quinto.

Seleucus IV. dictus *Philopator*, filius *Antiochi Magni*, ſucceſſit patri ſuo ante Aeram Chriſtianam centeſimo octogeſimo ſeptimo: fuit Princeps otio deditus, qui duodecim annos regnavit, & inſidiis cujuſdam *Heliodori* oppreſſus, e vivis ſublatus eſt anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo ſeptuageſimo quinto, & anno Regni Græcorum centeſimo trigeſimo ſeptimo.

Antiochus IV. dictus *Epiphanes*, ſeu *Illuſtris*, ſucceſſit fratri ſuo *Seleuco* IV. dicto *Philopatori*, anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo ſeptuageſimo quinto. Adverſus *Ptolomæum Philometorem*, Aegypti Regem, bella geſſit, & crudelem in Judæos perſecutionem excitavit, quam opportunius referemus in Colloquio tertio in Hiſtoriam hujus ſextæ Mundi Aetatis, ubi Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum, deſcribemus Hiſtoriam, & luctuoſum, quem *Antiochus Epiphanes* habuit, exitum, ſceleſta & impia ejus vita dignum. Regnavit duodecim annis, & obiit anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo ſexageſimo tertio, & anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo nono.

Antiochus V. dictus *Eupator*, filius *Antiochi Epiphanis*, patri ſucceſſit anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo ſexageſimo tertio. Cum *Ptolomæo Philometore*, Aegypti Rege, necnon cum Judæis bellum geſſit, & poſtquam per biennium regnaſſet, a *Demetrio Sotere* filio *Seleuci Philopatoris* peremptus eſt anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo ſexageſimo primo, & anno Regni Græcorum centeſimo quinquageſimo primo.

Demetrius Soter, filius *Seleuci Philopatoris*, Antiocho Eupatori, quem occidit, ſucceſſit anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo ſexageſimo primo. Regnavit duodecim annis, & a quodam infimæ ſortis juvene, dicto *Alexandro Bala*, vita & Regno fuit ſpoliatus anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo quadrageſimo nono, & anno Regni Græcorum centeſimo ſexageſimo tertio.

Alexander Bala, inſititius, Syriæ Regnum, quod *Demetrio Soteri* ademerat, invaſit anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo quadrageſimo nono. Regnavit quinque annis, ſed victus in prælio, a ſuis necatus eſt anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo quadrageſimo quarto, & anno Regni Græcorum centeſimo ſexageſimo octavo.

Demetrius II. dictus *Nicanor*, filius *Demetrii Soteris*, cæſo *Alexandro Bala*, a Syriæ Regum familia penitus alieno, Regno Syriæ potiri cępit anno Regni Græcorum, ſeu Aerę Seleucidarum, centeſimo ſexageſimo octavo, & ante Aeram Chriſtianam anno centeſimo quadrageſimo quarto. Fuit duodecimus, poſt obitum *Alexandri Magni*, Rex Syriæ, & in Regno ancipitem habuit fortunam, variiſque fuit agitatus procellis, ſicut in Colloquio tertio in Hiſtoriam hujuſce Mundi Aetatis, texendo Hiſtoriam Machabæorum, opportunius oſtendemus; ibidemque ejuſdem *Demetrii* II. Regis Syriæ, ſucceſſores referemus uſque ad ultimam Regum Syriæ extinctionem, factam a *Pompejo*, in Aſiam a Populo Romano miſſo, qui anno ante Aeram Chriſtianam ſexageſimo quarto, Regnum Syriæ in formam Provinciæ Imperii Romani redegit. Obſervaſſe hic igitur ſufficiat, hunc *Demetrium* II. dictum *Nicanorem*, Regni ſui anno ſecundo, qui concurrit cum anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo quadrageſimo ſecundo, & cum anno Regni Gręcorum, ſeu Aeræ Seleucidarum, centeſimo ſeptuageſimo, conceſſiſſe Judæis, ſub Pontificatu *Simonis Machabęi* abſolutam a tributis immunitatem, & liberum munitio-

nitionum Hieroſolymis & in reliqua Judæa extructarum dominium, indeque factum eſſe, ut Gentium jugum a Judæis ablatum ſit anno Regni Græcorum, ſeu Æræ Seleucidarum, centeſimo ſeptuageſimo, ac deinceps ipſi Judæi fuerint Regum Syriæ amici, ſed non amplius ſubditi, novaque Epocha Reipublicæ ſuæ libertatem teſtati ſint, in Tabulis & Actis publicis ſcribentes: *Anno primo ſub Simone Summo Sacerdote, Magno Duce, & Principe Judæorum*. Sed de his plura, auxiliante Deo, in Colloquio tertio in Hiſtoriam hujuſce ſextæ Mundi Ætatis dicemus.

D. Bene multi illuſtres, & toto Orbe celeberrimi, ſicut nuperrime audivi, prodierunt ſub Regibus Perſarum, ſub *Alexandro Magno*, ejuſque in Regnis Ægypti & Syriæ ſucceſſoribus, ſeu Græcorum Regibus, Philoſophi, & Oratores, quorum nomina & Sectas eo lubentius audiam, quod memini, te in præcedentibus noſtris Colloquis oſtendiſſe, Ethnicos Philoſophos, Poetas, & Oratores legiſſe libros *Moyſis*, & ex his multa defloraſſe, hauſiſſe, excerpſiſſe, atque in ea, quæ procuderunt, Opera convaſaſſe.

M. Quamvis certum ſit, in ſexta Mundi Ætate, cujus Hiſtoriam deſcribimus, fuiſſe multis Nationibus viros, humanarum diſciplinarum, & Artium Liberalium cultores, Hebræis quidem *Rabbinos*, ſeu *Scribas*, & *Legis Doctores*: Babyloniis & Aſſyriis, *Chaldæos*; Perſis, *Magos*; Indis, *Brachmanes*, ſeu *Gymnoſophiſtas*; Romanis, *Pontifices*; Gallis, *Druidas*; immo in extremis Orientis oris apud Sinas floruiſſe *Litteras*, quos inter maxime celebratur *Confucius*, qui ideo *Sinenſis Philoſophus* appellatur, & denique, apud Ægyptios extitiſſe *Hierophantes*; nemo tamen inficias ire poteſt, Philoſophiæ ſtudium in Græcia potiſſimum viguiſſe. Porro, primi Græcorum Philoſophi in duas præcipuas Sectas dividuntur, videlicet in *Dogmaticam*, & *Academicam*. Secta Dogmatica itidem duplex eſt, *Jonica* nimirum & *Italica*. Sectæ *Jonicæ* Dux fuit *Thales Mileſius*, qui Miletum, quæ urbs eſt Joniæ caput, patriam habuit. Illum natum eſſe anno 1. Olympiadis trigeſimæ quintæ, hoc eſt, anno ſexcenteſimo trigeſimo nono ante Æram Chriſtianam, memorat *Apollodorus* apud *Diogenem Laertium* in ejus vita. *Thaletem Mileſium* ſectati ſunt *Anaximander*, *Anaximenes*, *Anaxagoras*, *Xenophanes*, *Heraclitus*, *Democritus*, & alii. Sectæ Dogmaticæ *Italicæ* Princeps fuit *Pythagoras*, Samius, diſcipulus *Pherecydis*, Syri, qui in Italiam tempore *Servi Tullii*, Romanorum Regis, ſeſe recepit, & Crotoniæ non longe a Tarento per viginti circiter annos Philoſophiæ operam dedit, indeque Metapontum profectus, diem ibi ſupremum obiit anno IV. Olympiadis ſeptuageſimæ, teſte *Euſebio* in Chronico. *Pythagoræ* dogmata inter ceteros amplexi ſunt *Timæus*, Locrenſis, *Archytas*, Tarentinus, *Philolaus*, Crotoniata. *Parmenides*, & *Zeno*, ambo Eleatæ, ac *Meliſſus*, Samius. Alterius Philoſophorum Sectæ, ſeu Academicæ, Princeps fuit *Socrates*, in Attica natos anno IV. Olympiadis ſeptuageſimæ ſeptimæ, uti teſtatur *Diogenes Laertius* in ejus vita. Illius Sectæ diſcipuli aſſenſum omnem cohibebant, nihil affirmabant, ſed omnia in dubium revocabant, indeque dicti ſunt *Sceptici*, ſeu *Inquiſitores*, appellati ſunt etiam *Pyrrhonici a Pyrrhone* Academico; vel *Acaleptici*, quaſi diceres, qui nihil omnino comprehendere ſe poſſe profiterentur. *Socratis* diſcipuli fuerunt *Crito*, *Ariſtippus*, *Cebes*, *Zenophon*, *Euclides &c.* Sed inter illos præcipue eminet *Plato*, cujus Philoſophia, etiam poſt Chriſti Domini adventum, primas obtinuit ad octavum circiter Eccleſiæ ſæculum. Mortuo *Platone*, ceteri *Socratis* ſucceſſores triplicem conſtituere Sectam, *Peripateticorum*, *Stoicorum*, & *Epicureorum*. Sectæ Peripateticæ originem dedit *Ariſtoteles*, Stagyra, oppido Macedoniæ oriundus anno primo Olympiadis nonageſimæ nonæ. Fuit diſcipulus *Platonis*, & Præceptor *Alexandri Magni*. Quamvis autem *Ariſtotelis* Phi-

Digitized by Google

Philoſophia variam diverſis temporibus fortunam ſit experta, ut videre eſt apud *Joannem Launojum*, in libro, quem edidit, *De varia Ariſtotelis fortuna*, viget tamen adhuc in tribus illuſtrioribus Scholis, *Thomiſtarum* ſcilicet, *Scotiſtarum*, & *Nominalium*. Sectæ *Stoicorum* Auctor fuit *Zeno*, e Cittio, Cypri oppido, ortus, qui Philoſophiæ dogmata magna cum ſui nominis commendatione Athenis docuit circa Olympiadem centeſimam trigeſimam. Poſtremo, Sectæ Epicureorum Auctor fuit *Epicurus*, Sectator *Democriti*, & *Philoſophiæ Mechanicæ* cultor, qui obiit anno ſecundo Olympiadis centeſimæ vigeſimæ ſeptimæ. Hanc Philoſophiam Mechanicam, a *Democrito*, & *Epicuro* olim excultam, ſed multis poſtea ſæculis derelictam, ſæculo proxime elapſo multis in locis reformarunt, eamque in Scholas invexerunt *Petrus Gaſſendus*, & *Renatus Carteſius*, ambo natione Galli, ex quibus duę propagatę ſunt Sectę, *Gaſſendiſtarum* nempe, & *Carteſianorum*. Sed de Philoſophis, qui in ſexta Mundi Ætate floruerunt, & de eorum Sectis pluſquam ſatis dictum ſit. Veniamus nunc ad Poetas & Oratores Gręcos, qui ante adventum Chriſti celebres fuerunt, quoſque, brevitatis ergo, hic indicare abunde ſufficiet. Iiſdem, quibus Philoſophus *Pythagoras*, temporibus claruere *Simonides Ceus*, Poeta Lyricus, & *Anacreon*, cujus exquiſitum ingenium, ſed mores corruptiſſimos, Lyrici verſus, adhuc ſuperſtites, aperte indicant. Circa Olympiadem ſeptuageſimam primam floruerunt inſignes Poetę, *Æſchylus*, Poeta Tragicus, *Sophocles*, Tragicorum Princeps, *Pindarus*, qui inter Lyricos Poetas maxime excelluit. In deſcribenda Hiſtoria magnam ſibi laudem circa Olympiadem octogeſimam quartam ſibi compararunt, *Dionyſius Halicarnaſſenſis*, & *Thucydides*, ut videre eſt apud *Voſſium* in lib. *De Hiſtoricis Græcis*. His Hiſtoricis coęvi fuerunt *Euripides*, Poeta Tragicus: & *Protagoras*, non ſolum Philoſophus, ſed etiam Orator eximius. Inter egregios Oratores locum etiam habere debet *Iſocrates*, qui anno tertio Olympiadis nonageſimę tertiæ elegantem Orationem Panegyricam habuit. Sed omnes Oratores longo poſt ſe intervallo reliquerunt *Æſchynes* & *Demoſthenes*, Oratores præſtantiſſimi, qui Athenis Olympiade centeſima octava floruerunt. Regnante *Alexandro Magno*, filio *Philippi*, Macedonum Regis, claruit *Diogenes*, Philoſophus Cynicus, qui dolium pro domo habuiſſe fertur. Iiſdem temporibus floruit *Calliſthenes* Olynthius, *Ariſtotelis* diſcipulus, Philoſophus, Hiſtoricus, & Orator præſtantiſſimus. Sub Rege Syriæ *Antiocho I.* dicto *Sotere*, celebris fuit *Cleanthes*, qui *Zenoni*, Stoicorum Philoſophorum Principi, ſucceſſit, & Scholam *Chryſippo* reliquit. Regnante in Ægypto *Ptolomæo*, filio *Lagi*, floruerunt *Polemo*, & *Crantor Solenſis*, diſcipuli *Xenocratis*. His ſuppares, ſeu coævi fuerunt *Hieronymus Cardianus* vitæ, *Alexandri Magni*, ejuſque ſucceſſorum, Scriptor Hiſtoricus, *Megaſthenes*, nobilis itidem Hiſtoricus; *Euhemerus Meſſenius*, Hiſtoricus etiam, qui de *Jove*, & *Diis* ſcripſit Hiſtoriam, quam latine vertit *Ennius*. Ad eamdem Epocham pertinent *Menedemus*, Philoſophus Eretrienſis, *Menander*, Athenienſis, novæ Comœdiæ Poeta, & *Arceſiles*, ſive *Arceſilaus*, qui, circa Olympiadem centeſimam vigeſimam, ſecundæ, ſeu mediæ Academiæ Princeps fuit appellatus. Hic autem *Socratis* opinioni addidit, ut non modo nihil ſciri cum *Socrate* affirmaret, ſed ne poſſe quidem ullam rem ſciri pertenderet. *Arceſilæ* ſuffragati ſunt *Lacydes*, novæ, ſeu tertiæ Academiæ, auctor, *Evander*, & præcipue *Carneades*, qui Romę magna cum eloquentia novorum Academicorum doctrinam expoſuit, ibidemque diſcipulos habuit *Clitomachum*, *Philonem*, & *Antiochum*, a quibus eruditus eſt *Cicero*, qui & ipſe Academicus fuit. Denique, temporibus *Ptolomęi Philadelphi*, Ægyptiorum Regis, floruerunt *Lycophron*, Poeta Chalcidenſis, *Theocritus*, Poeta Syracuſanus, *Callimachus*, Poeta Cyrenæus, *Aratus*,

Poe-

Poeta in Cilicia natus, *Zoilus*, Amphipolitanus, qui, ob ſtylum mordacem, quo in ſummos vitos, præſertim *Iſocratem*, *Platonem*, & *Homerum*, ſcripſit, *Canis Hiſtoricus* fuit appellatus. *Ptolomæo Philadelpho*, Regi Ægypti, *Manetho Sebennyta*, Heliopolites, Hiſtoriam Ægyptiacam, quam in ſermonem Græcum tranſtulit, nuncupavit, teſte *Voſſio* lib. 1. *De Hiſtoricis Gręcis* cap. 13. quem, ſi de Scriptoribus Gtæcis plura ſcire deſideres, adire poteris. Ipſe vero huic Colloquio noſtro finem imponam, opportunius de viris illuſtribus Latinis, qui ſexta Mundi Ætate litteraturæ laude claruerunt, dicturus in Colloquio tertio in Hiſtoriam hujus ſextæ Mundi Ætatis, ubi Res Romanorum compendioſa narratione referemus. Interim, age curam valetudinis tuæ, & fac, ut in proximo Colloquio, quod poſtridie habituri ſumus, te lætum ac nitidum videamus.

D. Aegre profecto a te divellor: ſed Sol nos relinquit, & humeſcit cœlum. Præſtat itaque imitari aviculas, tectoque ac lecto nos condere. Dabo autem operam, ut domi jacturam temporis non faciam, ſed in lectione Scripturæ Sacræ aſſiduus ſim, quo voris tuis pro virili reſpondere, & non imparatus ad proximum noſtrum Colloquium accedere poſſim. Tu vero, colendiſſime Magiſter, cuta viciſſim per id temporis valetudinem tuam, qua nihil mihi in vita, ſecundum Deum, carius & antiquius etit.

COLLOQUIUM SECUNDUM,

In quo proponuntur ac diluuntur Dubia, quæ circa Hiſtoriam ſextæ Mundi Ætatis, tam Theologi, quam Scripturæ Sacrę Interpretes agitare ſolent.

M. HIſtoria Sacra ſextæ Mundi Aetatis, quam pro modulo noſtro in ſuperiori Colloquio deſcripſimus, tota quanta eſt, continetur in libro *Danielis*, unius e quatuor Prophetis Majoribus, qui tempore captivitatis Babylonicæ vaticinatus eſt; in duobus itidem libris *Eſdræ*, qui Hiſtoriam litteris mandavit rerum omnium, quæ Judæis poſt ſolutam captivitatem Babylonicam contigerunt; in libro pariter *Eſtheris*, ac demum in libris Prophetarum Minorum *Aggæi*, *Zacharię*, & *Malachię*, qui, poſt laxatam captivitatem Babylonicam, Vaticinia fuderunt. Ut igitur Sacræ Hiſtoriæ ſextæ Mundi Aetatis ſua conſtet veritas, operæ pretium eſt, omnia Dubia, quæ vel circa ejuſmodi librorum auctoritatem, vel circa illorum Auctores, vel tempus, quo fuetunt exarati, vel denique circa Hiſtorias, & Vaticinia, quæ in his continentur, proponi ſolent, breviter quidem, ſed accurate in iſto Colloquio dilucidare, quo ſemel ſingulis iſtis Dubiis liquido explanatis, nullam in Hiſtoria Sacra ſextæ Mundi Aetatis nanciſcaris difficultatem, quæ tibi vel minimum poſſit faceſſere negotium. Inquiremus itaque primo, quis & qualis fuerit iſte *Daniel*, qui, durante captivitate Babylonica, vaticinatus eſt? Quænam ſint præcipua illius Geſta? Quam auctoritatem in Eccleſia Catholica obtineat liber, qui ejus nomine inſignitur? Et an rerum, quas prædixit *Daniel*, veritatem eventus comprobaverit? Præterea, expendemus omnia, quæ geſſit *Eſdras*, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, & duobus libris, qui ejus nomen præferunt, ſacram auctoritatem vindicabimus. Tertio, præfigemus tempus, in quo ſacra *Eſtheris* Hiſtoria contigit, & librum, in quo hæc Hiſtoria refertur, divina pollere auctoritate oſtendemus. Denique, examinabimus illuſtriora Vaticinia, quæ, poſt captivitatem Babylonicam, tres Prophetæ Minores, *Aggæus*, *Zacharias*, & *Malachias* ediderunt, eaque in Jeſu Chriſto fuiſſe omni ex parte completa commonſtrabimus. Ad iſta igitur quatuor potiſſimum capita præſens noſtrum revocabitut Colloquium. Nunc ſatagere debes, ut me, juxta ordinem rerum, appoſite interroges, nihilque eorum, quæ ad plenam & abſolutam Hiſtoriæ ſextæ Mundi Aetatis notitiam conducere poſſunt, prætermittas.

D. Incipiamus, ſi placet, a *Daniele*, uno e Prophetis Majoribus, qui, durante captivitate Babylonica, Pro-

Digitized by Google

phetiæ dono fuit inſignis, & oſtende, quis & qualis fuerit iſte *Daniel*?

M. Ex ſemine regio ortus *Daniel*, cum adhuc adoleſcens eſſet, Babylonem a Rege Nabuchodonoſore translatus eſt. Aſpectu fuit decorus, mente humilis, corpore caſtus, perfectus in fide, egregius in opere; in virtute ſummus, in prodigiis clarus, inſignis cognitor ſecretorum cæleſtium, præſcius futurorum, & continuis jejuniis & orationis aſſiduitate meruit futura prædicere Sacramenta. Singularem, qua præditus erat, ſapientiam, palam demonſtrat illud, quod tulit, judicium, & quo perfidiam duorum impudicorum ſenum detexit, ac condemnavit, & caſtam *Suſannam* ab iniqua illorum accuſatione ſtrenue vindicavit. Scio, nonnullos eſſe Scriptores, qui aſſerunt, illum *Danielem*, qui fuit caſtæ *Suſannæ* vindex, alium prorſus eſſe a *Daniele*, Propheta, eo quod Scriptura Sacra cap. 13. libri *Danielis*, ubi deſcribitur Hiſtoria *Suſannæ*, perſpicue dicat, *Danielem*; vindicem *Suſannæ*, fuiſſe juvenem: *Cumque duceretur ad mortem* (id eſt, *Suſanna*) *ſuſcitavit Dominus Spiritum Sanctum pueri junioris*, *cujus nomen Daniel*. At, *Danielem*, Prophetam, fuiſſe ante captivitatem Babylonicam virum jam maturum, grandævum, & multorum liberorum parentem, teſtatur vates *Ezechiel*, qui ante captivitatem Babylonicam, ſeu anno ſexto *Joakimi*, Regis Juda, Prophetæ munus obiens, ait: *Si fuerint tres viri*, *Noe*, *Daniel*, *& Job*, *nec filios*, *nec filias liberabunt*. Ex quibus Prophetæ *Ezechielis* verbis colligunt quidam Scriptores, *Danielem*, Prophetam, ante captivitatem Babylonicam fuiſſe jam grandem natu, utpote liberorum parentem, ac ſubinde *Danielem*, Prophetam, eſſe plane diverſum ab illo *Daniele*, qui *Suſannam* liberavit, quemque Scriptura Sacra, loco mox laudato, appellat *Puerum juniorem*, id eſt, ex ephebis necdum egreſſum. Hoc præſertim argumento nituntur illi Scriptores, qui duos diſtinguunt *Danieles*. Sed non eſt dubium, quin fallantur. Nam primo, ſancti Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici *Origenes* in Epiſtola ad *Julium Africanum*, *S. Athanaſius* in Epiſtola ad *Marcellinum*. *S. Joannes Chryſoſtomus* Sermone *De Suſanna*, *S. Ambroſius* lib. 3. *De Spiritu Sancto* cap. 7. & *Severus Sulpitius* lib. 2. *Hiſtoriæ Sacræ*, nullum diſcrimen agnoſcunt inter *Danielem*, Prophetam, & *Suſannæ* vindicem, immo diſerte aſſerunt *Danielem*, *Suſannę* patronum ac liberatorem, eſſe ipſummet *Danielem*, Prophetam. Præterea, quando Propheta *Ezechiel*, qui ante captivitatem Babylonicam vaticinatus eſt, ait, *Danielem non liberaturum filios ſuos*, non loquitur abſolute, quaſi *Daniel* ante captivitatem Babylonicam fuiſſet jam ætate provectus, jamque liberos ſuſcepiſſet; ſed Propheta *Ezechiel* loquitur tantum hypotetice; perinde ac ſi diceret: *Si Daniel filios haberet*, *eos non liberaret*. Nec ſane aliter de *Daniele*, Propheta *Ezechiel* loqui potuit, cum *Danielem*, Prophetam, improlem obiiſſe, id eſt, nullos procreaſſe liberos, longe veroſimilius cenſeant doctiſſimi Scripturæ Sacrę Interpretes. Legeſis *S. Hieronymum* libr. 1. contra *Jovinianum*, ubi primo ait, Prophetam *Ezechielem* tantum hypotetice locutum eſſe, quando de *Daniele* dicit, eum, ſi fuiſſet in terra peccatrice, non liberaturum filios ſuos, & filias, quia, inquit ſanctus ille Doctor, *perpiſcue comprobatur*, *eo tempore*, *quo hęc dicebantur de Noe*, *Daniel*, *& Job*, *adhuc puerum fuiſſe Danielem*, *nec potuiſſe habere filios & filias*, *quos ſua juſtitia liberaret*. Secundo, obſervat ibidem ſanctus ille Doctor, *Danielem*, licet adhuc puer eſſet, quando *Ezechiel* vaticinabatur, anno ſcilicet ſexto *Joakimi*, Regis Juda, notum tamen populo fuiſſe, *vel propter Suſannę liberationem*, *& occiſionem Presbyterorum*; & eam ob cauſam, *Danielem* inter grandævos homines, jamque vita functos, videlicet, *Noemum*, & *Jobum*, fuiſſe ab *Ezechiele*, Propheta, collocatum. Cur autem nonnulli Scriptores ſibi falſo perſuaſerint, *Danielem*, Prophetam,

tam,

Digitized by Google

tam, non eſſe vindicem & liberatorem *Suſannæ?* non aliam ſane rationem invenio, niſi quia, exiſtimarunt, hanc *Suſannæ* liberationem contigiſſe ſub finem captivitatis Babylonicæ, quæ per ſeptuaginta annos duravit, quo tempore *Daniel*, Propheta, non erat certe puer, ſed pluſquam octogenarius, unde inferunt, *Danielem*, Prophetam, non fuiſſe liberatorem *Suſannæ*, quia perhibet Scriptura Sacra, *Suſannam* liberatam fuiſſe a *Daniele*, qui adhuc puer erat. Verum, futilis eſt hæc quorumdam Scriptorum conjectura. Liberatio quippe *Suſannæ* contigit tempore Regis *Nabuchodonoſoris* ſub initium captivitatis Babylonicę, quando *Daniel*, Propheta, adhuc puer erat, non vero ſub finem captivitatis Babylonicæ, vel ſub imperio *Cyri*, Perſarum Regis. Hinc doctiſſimi Scripturę Sacræ interpretes aſſerunt, verſiculum ſexageſimum quintum capitis 13. libri *Danielis*, in quo leguntur hæc verba: *Et Rex Aſtyages appoſitus eſt ad patres ſuos, & ſuſcepit Cyrus Perſes Regnum ejus*, non pertinere ad Hiſtoriam *Suſannæ*, quæ eodem in capite decimo tertio narratur, ſed attinere ad Hiſtoriam *Beli*, quę immediate poſt deſcribitur, & cum qua connectitur verſiculus ille ſexageſimus quintus capitis 13. libri *Danielis*. Id etiam liquido patet ex contextu & diſpoſitione Græcorum Codicum, præſertim Editionis Græcæ *Sixti V.* Pontificis Maximi, in qua verſiculus ille ſexageſimus quintus capitis 13. libri *Danielis* connectitur cum Hiſtora *Beli*, non vero cum Hiſtoria *Suſannæ*, quæ longo tempore præceſſit Hiſtoriam *Beli*. Non igitur ad finem captivitatis Babylonicę, vel ad tempora *Cyri*, Perſarum Regis, referenda eſt *Suſannæ* Hiſtoria, quę revera contigit ſub exordium captivitatis Babylonicę, quo tempore *Daniel*, Propheta, *Suſannæ* liberator, adhuc juvenis erat. Denique, in antiquis Scripturę Sacrę Verſionibus Hiſtoria *Suſannę* erat præfixa fronti libri *Danielis*, eo quod in exordio captivitatis Babylonicę revera contigiſſet, & longe ante Hiſtoriam *Beli*: quamvis in Editione noſtra vulgata, quę a Sacro Concilio Tridentino jure optimo Authentica fuit declarata, hęc *Suſannæ* Hiſtoria capite duntaxat decimo tertio libri *Danielis* legatur.

D. Paucis verbis, rogo te, deſcribe *Suſannę* Hiſtoriam, & quo pacto Propheta *Daniel*, adhuc juvenis, eam ab iniqua duorum impudicorum ſenum accuſatione vindicarit?

M. *Suſanna*, filia *Hilciæ*, & uxor *Joachimi*, viri honeſtiſſimi & opulentiſſimi, non minus pulchritudine, quam pudicitia clara, magnum tempore captivitis Babylonicæ præbuit, & ſuæ caſtimoniæ, & in Deum confidentiæ ſingulare exemplum, omnium Hiſtoriarum monimentis, & omnium mortalium linguis celebrandum. Dum enim *Suſanna* in horto corpus ſuum ſola æſtivo tempore lavaret, ecce duo ſalaciſſimi ſenes, qui ejus pudicitiæ inſidiantes in eumdem hortum furtive irrepserant, e latebris prodeuntes, illico ad eam accurrerunt, & dixerunt: *Ecce oſtia pomarii clauſa ſunt, & nemo nos videt, & nos in concupiſcentia tui ſumus, quam ob rem aſſentire nobis, & commiſcere nobiſcum. Quod ſi nolueris, dicemus contra te teſtimonium, quod fuerit tecum juvenis*. Hæſit quidem attonita caſtiſſima *Suſanna*, videns, ni duorum illorum ſenum petitioni ſuccumberet, certiſſimam ſibi imminere mortem cum dedecore conjunctam; nihilominus malens mori, quam fædari, plus apud ipſam Dei, quam mortis & honoris cogitatio valuit. Reſtitit, clamavit, ejuſque clamoribus excitati advolarunt multi, qui fidem adhibentes verbis duorum iſtorum ſenum, quos, utpote Presbyteros, & Populi Judices, putabant eſſe teſtes locupletiſſimos & omni exceptione majores, innocentem *Suſannam* dignam morte judicarunt. ſed, dum ad ſupplicium duceretur, commodum adfuit *Daniel*, Propheta, qui tam accuſatores, quam *Suſannam*, & Populum ad judicium retraxit, ſedenſque pro tribunali puer ille judex, juſſit, duos iſtos propudioſos ſenes ſeparari, & interrogavit primum, ſub qua arbore *Suſanna* adulterium, cujus eam inſimulabat, cum adoleſcente admiſiſſet, illoque reſpondente, vidiſſe *Suſannam* peccantem

ſub

ſub arbore, qnam Græcus libri *Danielis* Interpres ait fuiſſe *Schinum*, ſtatim *Daniel*, alludens ad verbum σχίζειν quod græce ſignificat *ſcindere*, ait: *Recte mentitus es in caput tuum, ecce enim Angelus Domini, accepta ſententia ab eo, ſcindet te medium*. Rurſus altero ſene, dicente, ſe vidiſſe *Suſannam* peccantem ſub arbore, quam Græcus libri *Danielis* Interpres ait fuiſſe *Prinum*, confeſtim *Daniel* allndens ad vocem πρίζειν, quod idem eſt ac *Secare*, protinus hanc in eum tulit Sententiam: *Recte mentitus es in caput tuum, manet enim Angelus Domini gladium habens, ut ſecet te medium*. Obiter tamen advertere debes, *Danielem* in iſto jndicio, quo *Suſannam* ab iniqua duorum illorum ſenum accuſatione vindicavit ac liberavit, uſum non eſſe his vocibus Græcis, nec iſtis ad voces Græcas allnſionibus, quippe qui Græcam Linguam non callebat. Sed eum alias voces Linguæ Chaldaicæ, cnjus notitia juſſu Regis *Nabuchodonoſoris* imbutus erat, proprias uſurpaſſe, qnas poſtea Græcus libri *Danielis* Interpres mutavit in voces Græcas, & ad eas aptas adhibuit allnſiones Græcas; qnod ſane in optimo interpretandi genere fieri ſolenne eſt. Hoc pacto a *Daniele* Propheta, caſtiſſima *Suſanna* liberata fnit, ſarta tecta manente ejus pudicitia, pro cujus defenſione totis viribus reſtitit, &, ut legitur cap. 13. lib. *Danielis*: *Exclamavit voce magna*, vitamque ſuam commendans ac devovens divinæ providentiæ, dixit impudicis ſenibus: *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini*. Ex quo patet, quale judicinm ferendum ſit de hac Propoſitione cujuſdam recentioris Auctoris, cujuś, nomini parco: „ In „ hac vi, & metu infamiæ mortiſque „ poterat Suſanna dicere: Non con„ ſentio actui, ſed patiar & tacebo, „ ne me infametis & adigatis ad mor„ tem ..... Forte Suſanna, id neſcie„ bat, vel non cogitabat: ſic enim „ honeſtæ caſtæque virgines putant ſe „ eſſe reas, ſeque conſentire lenoni„ bus, ſi non clamore, manibus, to„ tiſque viribus reſiſtant. Potuiſſet „ Suſanna in tanto periculo infamiæ „ & mortis negative ſe habere, & per„ mittere in ſe eorum libidinem, modo „ interno actu in eam non conſenſiſſet, „ ſed eam deteſtata & execrata fuiſſet, „ quia majus eſt bonum vita & fama, „ quam pudicitia, unde hanc pro illa „ exponere licet. Iſtam Propoſitionem „ Coventus Generalis Cleri Gallicani „ anno MDCC. tanquam *temerariam, ſcandaloſam, caſtarum aurium offenſivam, erroneam*, & *Legi Dei contrariam* proſcripſit, & merito quidem, quia Lex Dei cap. 22. verſ. 23. & ſeq. lib. *Deuteronomii* jubet, nt puella, quæ non clamaverit, cum poſſet, ad implorandum domeſticorum ant vicinorum auxilium contra violentum ipſius pudicitiæ aggreſſorem, lapidibus una cum eo, qui eam conſtupravit, obruatnr. Et ſanctus *Ambroſius* lib. *de Lupſu virginis conſecrata* cap. 3. his verbis excuſationem illius virginis, Deo ſacræ, quæ a quodam adoleſcente fuerat deflorata, refellit: *Sed dicis: Nolui hoc malum, violentiam paſſa ſum: Reſpondebit tibi fortiſſima illa Suſanna, cujus tu nomen fallaciter bajulas: Ego inter duos utique Judices populi, ſola inter ſylvas paradiſi conſtituta, vinci non potui, quia nec volui. Tu ab ineptiſſimo adoleſcente, & in media civitate quomodo vim potuiſti perferre, niſi quia ultro vitiari voluiſti? Quis denique tuas voces audivit? Quis obluctationes ſenſit?* Sed ſatis hactenus dictum ſit de *Suſannæ* Hiſtoria, quæ licet ab aliquot antiquis ſanctis Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis, atque ab aliquibus Eccleſiis non fuerit olim tanquam ſacra & canonica recepta, adeoque non extiterit in primo Scripturarum Sacrarum Canone, conſtat attamen, Hiſtoriam *Suſannæ* ab Eccleſiarum parte maxima, & majoris auctoritatis, doctiſſimiſque Patribus tanquam ſacram ac divinam fuiſſe habitam, & ut talem, poſt ſolemnem Eccleſię definitionem, in Eccleſia Catholica recipi, id eſt, ut partem libri *Danielis* eodem ſpiritu dictatam, & in eadem canonicę auctoritatis arce poſitam ac cetera, quę in ſacro

Da-

Digitized by Google

Danielis libro narrantur. Extabat etiam olim in antiquis Codicibus Hebræis hæc *Suſannæ* Hiſtoria, quam, poſtea Judæi, teſte *Origene* in Epiſtola ad *Julium Africanum*, eraſerunt, deleverunt, expunxerunt.

D. In quo ſita eſt Hiſtoria *Beli*, quæ, ſicut antea obſervaſti, deſcribitur in libro *Danielis* poſt Hiſtoriam *Suſannæ*?

M. Hiſtoria *Beli* deſcribitur cap. 14. libri *Danielis*, eique annectitur altera Hiſtoria, ſeu *Draconis*, quem Babylonii, ceu Numen, colebant, quemque *Daniel* interfecit. Incipiam autem ab Hiſtoria *Beli*, quam cultiſſimus Scriptor *Sulpicius Severus* lib. 2. *Hiſtoriæ Sacræ* narrat his verbis: „ Erat, inquit, ea tempeſtate apud Babylonios Beli ex ære Simulacrum, quod ſuperſtitione hominum conſecratum Cyrus quoque (qui Monarchiam Perſicam Babylone inſtituit) adorare erat ſolitus, antiſtitum ejus dolo illuſus, qui veſci effigiem illam atque potare affirmabant; cum diurnam penſitationem, quæ Idolo inferebatur, clam ipſi abſumerent. Igitur Cyrus cum Daniele familiariter uteretur, quærit ab eo, cur ſimulacrum non adoraret, cum manifeſtum viventis Dei eſſet indicium, abſumentis ea, quæ inferebantur? Daniel, ridens hominis errorem, negare id poſſe fieri, ut æs illud, id eſt, bruta materies, cibo uteretur, aut potu. Acceſſit ergo Rex Sacerdotes, qui ſeptuaginta erant, adhibitoque eos terrore increpitat, quis impenſa conſumeret, cum Daniel, vir prudentia inſignis, minime id ab inſenſibili ſimulacro poſſe fieri contenderet. Tum illi, confiſi parato dolo, inferre & obſignari a Rege Templum depoſcunt, uti, niſi omnia poſtero die abſumpta deprehenderentur, morte pœnas perſolverent; dum eadem conditio Danielis maneret. Itaque ſigno Regis Templum obſignatur, cum prius Daniel, Sacerdotibus inſciis, pavimentum cinere aſperſiſſet, ut introeuntium occultos aditus veſtigia proderent. Igitur poſtero die Rex Templum ingreſſus, animadvertit abſumpta, quę Idolo apponi juſſerat. Tum Daniel occultam fraudem veſtigiis prodentibus referat, Sacerdotes cum uxoribus & filiis ſubfoſſo foramine ingreſſos, ea, quæ Idolo appoſita fuerant, devoraſſe. Ita omnes juſſu Regis interfecti, Templum ac ſimulacrum Danieli in poteſtatem datum, atque ejus arbitrio dirutum. Hoc modo ſe habuit *Beli* Hiſtoria, ad quam Scriptura Sacra eodem in capite decimo quarto libri *Danielis* aliam adjungit Hiſtoriam, ſeu *Draconis*, quem adorabant Babylonii, quemque *Daniel*, injecta in os maſſa ex pice adipe & pilis compacta, interfecit, & eam ob cauſam in lacum leonum conjectus eſt, ubi ſex dierum ſpatio illæſus manſit, eumque ibidem *Habacuc*, ex Judęa in Babylonem ab Angelo translatus, prandio, quod meſſoribus paraverat, recreavit. Septimo die, poſtquam *Daniel* in lacum leonum fuerat projectus, Rex *Cyrus*, qui tum Babylonico potiebatur Imperio, illuc venit, videnſque *Danielem* in medio leonum tranquille ſedentem, admiratione defixus exclamavit: *Magnus es Domine, Deus Danielis!* Inde Rex ſalvum, & incolumem *Danielem* eduxit, & illos, qui ei inſidias ſtruxerant, in eamdem foſſam conjici imperavit, qui, adſpectante Rege, confeſtim a leonibus diſcerpti ac devorati ſunt. Obiter tamen advertere debes, *Danielem* bis in lacum, ſeu foſſam leonum, fuiſſe immiſſum. Primo fuit in foſſam leonum miſſus tempore *Darii Medi*, Babyloniorum Regis, eo quod, contra ejuſdem Regis Mandatum, Deum precatus fuiſſet, & tunc in foſſa leonum una tantum nocte manſit recluſus, ſicut dicitur cap. 5. v. 21. libri *Danielis*. Deinde, *Daniel* in lacum leonum denuo miſſus fuit, a *Cyro*, Perſarum Rege, qui Babylonicum obtinuit Imperium, & tunc in foſſa leonum per ſex dies integros ſtetit *Daniel*, ſicut legitur cap. 14. libri *Danielis*. Advertere etiam debes, Hiſtorias *Belis*, & *Draconis*, perinde ac Hiſtoriam *Suſannæ*, deſiderari quidem in Codicibus Hebræis, nec extare in primo Sacrarum Scripturarum Canone, quem antiqui ſancti Patres texuerunt, illas tamen repe-

Digitized by Google

reperiri in noſtra Scripturæ Sacræ Vulgata Verſione, quæ a Concilio Tridentino fuit declarata authentica, & in Verſione lxx. Interpretum, in Verſione *Theodotionis*, & in aliis vetuſtiſſimis Verſionibus Græcis. Quo fit, ut illæ Hiſtoriæ ſacra ac divina polleant auctoritate. Nec enim ullo pacto credibile eſt, Providentiam divinam permiſiſſe unquam, ut Eccleſia Catholica ejuſmodi Hiſtorias, ſi veræ, & a Spiritu Sancto dictatæ non eſſent, approbaret, & reciperet tanquam divinas revelationes in Editione vulgata, qua nunc ubique terrarum utitur. Sed de Hiſtoriis *Beli*, & *Draconis*, quæ aperte produnt res præclare geſtas *Danielis*, ſat dictum ſit. De ſomniis vero *Nabuchodonoſoris*, & *Balthaſaris*, Babyloniorum Regum, quæ ſapientiſſime interpretatus eſt *Daniel*, cum jam in ſuperiori Colloquio dixerim, non eſt quod plura hic addam. Paululum tamen hic immorabor in tribus confutandis erroribus, in quorum primo verſantur Judæi, qui negant, *Danielem* fuiſſe Prophetam eo potiſſimum nomine, quod *Daniel* non Prophetico, ſed Aulico more vixerit. Sed, quis non videat, frivolam hanc eſſe planeque nugatoriam rationem. Vixit quidem in Aula *Daniel*, vitæ tamen ſanctimonia ceteris Prophetis impar non fuit, orationibus, vigiliis, jejuniis, gloriæ divinæ, ſalutis animarum zelo, conſtantia in adverſis, rerum terrenarum contemptu, nemini Prophetarum inferior. Præterea, numquid, amabo, *Samuel*, & *David* in Aula fuerunt? Et tamen illos Prophetas eſſe non inficias eunt Judæi. Denique, *Daniel* res futuras clare, & diſtincte prænovit, ac prædixit, futuras videlicet rerum converſiones, Imperiorum interitus, Chriſti adventum, mortem, & Regnum æternum prænunciavit, temporibus etiam accurate notatis, quibus Vaticinia ſua exitum habitura eſſent, eorumque veritatem eventus Sole clarius comprobavit. Nemo itaque ſanæ mentis negare poteſt, *Danielem* fuiſſe vere & proprie Prophetam. Alter error eſt *Porphyrii*, Philoſophi Ethnici, qui in duodecimo libro ex quindecim libris, quos adverſus Chriſtianos ſcripturivit, negat, *Danielem* eſſe auctorem illius libri, qui ejus nomine inſcriptus eſt, pertenditque hunc librum editum fuiſſe in Judæa *Antiochi Epiphanis*, Regis Syriæ temporibus, a quodam Scriptore, qui non tam futura prædixit, quam narravit præterita. Sed hic impii Philoſophi error facile convellitur. Primo, quia *Daniel* ſæpius in libro, qui ejus inſignitur nomine, loquitur in propria perſona, ſcilicet cap. 7. v. 2. *Videbam in viſione mea nocte*. Et cap. 8. v. 26. *Et ego Daniel langui*. Et cap. 12. v. 4. *Et vidi ego Daniel*. Deinde, Chriſtus Dominus *Matthæi* capit. 24. v. 15. diſerte teſtatur, librum *Danielis* nomine inſcriptum, germanum eſſe ipſius fœtum, dicens: *Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto &c.* Denique, *Danielem*, Prophetam, eſſe auctorem hujus libri, qui ejus nomen præfert, palam evincit perpetua, ſibique ſemper conſtans Synagogæ Judęorum, & Catholicę Eccleſię traditio, quam adverſus *Porphyrium* teſte *S. Hieronymo* in Proęmio Commentariorum, ſtrenue defenderunt *Methodius*, *Apollinarius*, & *Euſebius*, Epiſcopus Cæſarienſis. Quę certe ſufficere debent non ſolum ad impium *Porphyrium* confutandum, verum etiam ad refellendos duos recentiores Scriptores, ſua temeritate & impietate notos, quorum primus, ſcilicet *Hobbeſius*, Anglus, cap. 33. libri *Leviathan* aſſerit, certo ſciri haud poſſe, an ipſe *Daniel* Vaticinia ſua litteris mandaverit. Alter vero, ſeu *Benedictus Spinoſa* in Tractatu *Theologico-Politico* ariolatur, librum *Danielis*, ſaltem quoad priora ſeptem capita, editum fuiſſe poſt inſtauratum a *Juda Machabæo* Templi Hieroſolymitani cultum. Tertius denique error eſt Hęreticorum noſtri temporis, qui non ſolum *Suſannæ*, *Beli*, & *Draconis* Hiſtorias, tanquam a Græculo quodam Scriptore de induſtria confictas explodunt, ſed etiam velut apocryphum reijciunt Canticum *Benedicite*,

quod tres pueri, *Sidrach*, *Miſach*, & *Abdenago*, juſſu *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, in ardentem fornacem conjecti decantarunt, ſicut legitur cap. 3. libri *Danielis*. Ajunt quippe Hæretici, Canticum iſtud non reperiri in Codicibus Hebræis, & veroſimile non eſſe, tres illos pueros Hebręos tantum otii habuiſſe, ut in camino ignis verſibus luderent, & omnes Dei creaturas ad concinendas Dei laudes provocarent; ſed hæc inepta Hæreticorum facile exſufflatur dubitatio. Quamvis enim iſtud Canticum *Benedicite &c.* non extet in Codicibus Hebræis, integrum tamen reperitur in Verſione Græca *Theodotionis*, & in Verſione Vulgata, quam Eccleſia Catholica in Concilio Tridentino authenticam declaravit. Creditu etiam facile eſt, Deum, qui, ad manifeſtandam omnipotentiam ſuam, tres illos pueros a flammis illæſos ac immunes voluit ſervare, virtutem itidem eis contuliſſe ad certatim excitandas in hoc Cantico omnes creaturas, ut divinas laudes ordinatim decantarent. Apage itaque hunc Hęreticorum errorem, qui excuſſo omni obedientiæ jugo, ſolemni Eccleſiæ judicio pervicaciter parere detrectant contra Oraculum Chriſti Domini, dicentis cap. 18. v. 17. Matthęi: *Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.*

D. Cum *Daniel*, Suſannę vindex, Prophetiæ dono fuerit inſignis, lubenti animo auſcultabo illuſtriora, quę fudit, Oracula.

M. Præcipuus *Danielis* Prophetæ, in eo, quem edidit, libro, ſcopus eſt futurum Chriſti Regnum deſcribere. Licet enim in ſex prioribus ſui libri capitibus Hiſtoriam texat *Nabuchodonoſoris*, Babyloniorum Regis, uſque ad everſum per Medos & Perſas Babyloniorum Imperium, multaque narret de quatuor Monarchiarum viciſſitudine, attamen ea, quam Propheta *Daniel* deſcribit, deſtructio quatuor Orbis Monarchiarum, puta Chaldęorum, deinde Medorum, & Perſarum, poſtmodum *Alexandri Magni*, & Græcorum, poſtremo Romanorum, eo pertinet, ut intelligamus omnia iſta Imperia finem aliquando habitura, & ſolum Chriſti Regnum fore æternum ac nunquam periturum. Sic enim cap. 2. loquitur Daniel: *In diebus autem Regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cœli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & Regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem & conſumet univerſa Regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum. Secundum quod vidiſti, quod de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & comminuit teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum &c.* Hoc *Danielis* vaticinium *S. Hieronymus* luculento iſto illuſtrat commentario: *In fine autem horum omnium Regnorum, abſciſſus eſt lapis Dominus atque Salvator, ſine manibus, id eſt, abſque coitu, & humano ſemine, de utero virginali, & contritis omnibus Regnis, factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram.* Confirmat Propheta *Daniel* perpetuam Chriſti Domini, quem cap. 9. nomine *filii hominiss* deſignat, durationem Regni, dicens: *Et ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniens, & uſque ad antiquum dierum pervenit, & dedit ei poteſtatem & honorem, & Regnum, & omnes populi, Tribus, & linguæ ipſi ſervient, poteſtas ejus, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus non corrumpetur.* Denique, Propheta *Daniel* cap. 9. prædicit, univerſum genus humanum per Chriſtum, verum Meſſiam, liberatum iri a peccatis ſuis poſt hebdomades ſeptuaginta, quibus adventum, vitam, & mortem Meſſiæ ita circumſcribit, tamque clare prænuntiat, ut res non futuras, ſed tanquam jam geſtas oculis ſubjicere videatur. Sic enim habet *Danielis* vaticinium: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte: ab exitu ſermonis ut iterum ædificetur Hieruſalem, uſque ad Chri-*

Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt, & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum ..... Confirmavit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium, & erit in Templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſumationem & finem perſeverabit deſolatio. In hoc porro *Danielis* vaticinio accurate notantur circumſtantiæ, quæ in ſolum Jeſum Chriſtum quadrare poſſunt. Is etenim venturus prænuntiatur, in cujus adventu ceſſabunt viſiones & Prophetiæ; certum autem eſt, Prophetas a tempore adventus Chriſti omnino in Synagoga ceſſaſſe, ſicut ipſimet Judæi vel inviti fatentur. Is rurſus prænuntiatur venturus, quo ſemel occiſo, civitas Hieruſalem, & Sanctuarium diſſipari debebant. At, utrumque, mortuo Chriſto, diſſipatum eſſe ſub Imperatoribus Romanis *Veſpaſiano*, & *Tito* inficiari haud poſſunt Judæi. Is etiam prædicitur venturus, quo mortuo, deficiet hoſtia & Sacrificium. At, utrumque jam defeciſſe, velint nolint, experiuntur Judæi, qui everſo Templo Salomonico, ſeu Hieroſolymitano, in quo ſolo, juxta Legem Moſaicam, Sacrificia peragere poterant, nullum amplius queunt offerre Sacrificium. Is denique hoc Danielis vaticinio prænunciatur venturus, quo mortuo, futura erat in Templo abominatio deſolationis uſque ad conſumationem & finem duratura. At, id ſuis oculis uſurpant Judæi, quippe qui a tempore, quo Templum Hieroſolymitanum ſolo æquatum eſt, ſunt omnibus nationibus exoſi, hac illac diſperſi, abjecti, miſeri extorres, ſine Patria, ſine Principe, ſine Sacerdote, ſine Templo, ſine Sacrificio, ſicut in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis fuſius oſtendimus. Hoc igitur *Danielis* vaticinium recta collimare in Chriſtum Dominum verum Meſſiam, tam certum eſt, quam quod maxime.

D. Quid ſibi volunt iſtæ ſeptuaginta hebdomades, quibus, ut ais, *Daniel*, Propheta, adventum, vitam, & mortem Meſſiæ circumſcripſit?

M. Convenit inter omnes Chronologos, hebdomades, de quibus cap. 9. ſermonem habet *Daniel*, non eſſe hebdomades dierum, aut menſium, aut decenniorum, aut Jubilæorum, aut ſæculorum, ſed eſſe hebdomades annorum, juxta morem numerandi Hebræorum. Dicitur enim cap. 25. lib. *Levitici*: *Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomades annorum, id eſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt quadraginta novem annos*. Omnes itaque Chriſtiani Chronologi, & inter Judæos R. *Aben Eſra*, R. *Abarbanel*, aliique periti Rabini, hunc *Danielis* locum explicantes, ultro conſenriunt, hebdomades, quarum Propheta *Daniel* cap. 9. meminit, eſſe hebdomades annorum, ſubindeque ſeptuaginta hebdomades ſimul collectas conficere numerum quadringenrorum & nonaginta annorum.

D. Si ſeptuaginta hebdomades, quibus Propheta *Daniel* adventum, vitam & mortem Meſſiæ circumſcripſit, ſimul collectæ efficiant duntaxat numerum quadringentorum nonaginta annorum, non eſt dubium, quin iſtud *Danielis* de lxx. hebdomadibus vaticinium jam pridem ſuum habuerit exitum, adeoque fruſtra Judæi venturum adhuc præſtolentur Meſſiam. Nec enim adeo vecordes exiſtimo eſſe Judæos, ut dicant, ſeptuaginta illas hebdomades, Prophetę *Danieli* revelatas, quæ numerum duntaxat quadringentorum & nonaginta annorum efficiunt, nec noſtro quidem effluxiſſe ſæculo, quo bis mille ducentos ſeptnaginta & amplius annos ab eo *Danielis* vaticinio numeramus. Sed dicas, obſecro te, quandonam ſeptuaginta illæ *Danielis* hebdomades duxerint exordium?

M. In præfigendo exordio ſeptuaginta *Danielis* hebdomadum variæ circumferuntur eruditorum opiniones. *S. Hieronymus* jam tum ſuo ſæculo octo recenſet opiniones. Sed *Benedictus Pererius* quindecim enumerat, eiſque adjicit decimam ſextam opinionem, quam ipſe probabiliorem putat. Tam variorum ac inter ſeſe diſcrepantium opinionum examen operoſum nimis

Digitized by Google

ac moleſtum eſſet. Quamobrem, ab illis diſcutiendis ac refellendis in præſentia ſuperſedebo, maxime cum ea de re plura jam dixerim in Paragrapho primo Diſſertationis xv. Tractatus, quem edidi, *De myſteriis & annis Jeſu Chriſti, Servatoris noſtri*. Sed ne jejunum te omnino dimittam, breviter hic proponam eam, quæ mihi magis probatur, ſententiam, quamque in prædicto Paragrapho multis argumentis adſtruere ſtudui. Antequam tamen mentem meam circa exordium & finem lxx. *Danielis* hebdomadum aperiam, tria velim accurate obſerves, ex quorum notitia pendet plena hujuſce difficultatis dilucidatio. In primis præſtat ut obſerves, quatuor a Regibus Perſarum data eſſe Edicta in gratiam Judęorum. Primum Edictum Judæis datum eſt a Rege *Cyro*, qui laxavit captivitatem Babylonicam, ſicut legitur c. 1. l. 1. *Eſdrę*. Alterum Edictum Judæis conceſſum eſt a Dario Hyſtaſpis filio, Perſarum Rege, ut legitur cap. 6. lib. 1. *Eſdrę*. Tertium Edictum Judæis indultum eſt ab *Artaxerxe Longimano* Perſarum Rege, anno ipſius Regni ſeptimo, uti refert *Eſdras* cap. 7. l. 1. Poſtremum Edictum in gratiam Judæorum dedit idem Rex *Artaxerxes Longimanus* anno vigeſimo Regni ſui, ſicut ſcriptum legimus cap. 2. lib. 2. *Eſdrę*. Cum igitur Prophęta *Daniel* aſſerat, initium lxx. harumce hebdomadum ducendum eſſe *ab exitu ſermonis*, id eſt, ab illo Edicto, quo Judęis permittenda ęrat poteſtas iterum ædificandi męnia & plateas urbis Hieruſalem, hinc quęrunt Theologi, ſacræ Chronologiæ periti, a quo Edicto, ex his quatuor mox a me memoratis, & a Regibus Perſarum in gratiam Judęorum conceſſis, petendum ſit exordium lxx. *Danielis* hebdomadum. Bene multi perdocti recentiores Scriptores initium lxx. *Danielis* hebdomadum arceſſendum eſſe autumant ab illo Edicto, quod Rex Perſarum *Artaxerxes Longimanus* in gratiam Judæorum conceſſit anno vigeſimo Regni ſui, quia, inquiunt, in illo Regio Edicto diſerta & expreſſa fit mentio de poteſtate conceſſa Judęis reędificandi muros, & plateas urbis Hieruſalem. At, ipſe, habita ratione Chronologię, quę cum iſta recentiorum Scriptorum ſententia conciliari minime poteſt, ſicut mox evincam, probabilius cum aliis eruditis cenſeo, ſeptuaginta *Danielis* hebdomades habuiſſe initium a promulgatione illius Edicti, quod *Artaxerxes Longimanus*, Perſarum Rex, conceſſit Judęis anno ſeptimo Regni ſui. At enim, quamvis in hoc Edicto, quod Rex *Artaxerxes Longimanus* anno ſeptimo Regni ſui conceſſit Judæis, non fiat aperta, expreſſa, & explicita mentio de facultate inſtaurandi mœnia & plateas urbis Hieruſalem, prædicta tamen facultas cingendi mænibus Hieroſolymorum urbem in iſto Regio Edicto implicite ſat ſuperque continetur. Legimus quippe c. 7. lib. primi *Eſdræ*, Regem *Artaxerxem Longimanum* dediſſe anno ſeptimo Regni ſui *Eſdrę* omnem petitionem ejus: *Ipſe Eſdras aſcendit de Babylone ..... Et dedit ei Rex ſecundum manum Domini Dei ejus ſuper eum omnem petitionem ejus*. Quis autem credat, *Eſdram* ab illo Perſarum Rege *Artaxerxe Longimano* non poſtulaſſe & impetraſſe facultatem inſtaurandi mænia Hieruſalem? Fateor tamen ultro, hanc facultatem reædificandi muros Hieruſalem, quam *Eſdras* anno ſeprimo Regni *Artaxerxis Longimani* obtinuit, non fuiſſe executioni mandatam, quia Samaritani, aliique infenſiſſimi Judæorum hoſtes, ægre admodum ferentes, quod Judęi Hieroſolymorum urbem muris cingerent, facta conſpiratione in arma ruerunt, eoſque, ad mænium urbis reparationem ſe accingentes, ſive aperto marte, ſive clandeſtinis molitionibus interturbarunt. Quo factum eſt, ut Judęi coacti fuerint aliud Edictum a Rege *Artaxerxe Longimano* (anno ſcilicet Regni ejus vigeſimo) poſtulare, quo Perſarum ille Rex diſertis & expreſſis verbis confirmaret poteſtatem reædificandi muros Hieruſalem, quam ipſis jam anno Regni ſui ſeptimo indulſerat, ſed verbis non ita apertis & expreſſis.

Prę-

Digitized by Google

Præterea, obſervare debes, ſeu potins in tuam revocare memoriam ea, quæ in ſuperiori Colloquio diximus, videlicet *Artaxerxem Longimanum*, Perſarum Regem, cœpiſſe duntaxat poſt mortem patris ſui *Xerxis*, regnare, hoc eſt, anno primo Olympiadis ſeptuageſimę nonę, ſeu anno periodi Julianæ 4250. ante Æram vulgarem, ſeu Chriſtianam 463. Quo fit, ut annus ſeptimus Regni *Artaxerxis Longimani* inciderit in annum tertium Olympiadis octogeſimę, ſeu in annum Periodi Julianę 4256. & ante Æram vulgarem, ſeu Chriſtianam 457.

Poſtremo, advertere debes, annum primum Æræ vulgaris, ſeu Chriſtianæ, quæ initinm ducit a vulgari natalitio Chriſti Domini, concurrere cum anno periodi Julianæ 4714. Quamvis enim periti Chronologi de anno proprii & veri natalitii Chriſti inter ſe digladientur, apud illos tamen in confeſſo eſt, annum natalitii vulgaris Chriſti (juxta Æram vulgarem, ſeu Chriſtianam, cujus auctor eſt *Dionyſius Exiguus*) connecti debere cum anno periodi Julianæ 4713. adeo ut primus annus Ærę vulgaris, ſen Chriſtianæ, cœperit Kalendis menſis Januarii anni periodi Julianæ 4714. in hoc, inquam, conſentiunt omnes Chronologiæ periti, ſicut copioſe oſtendi in Tractatu *De Myſteriis & annis Chriſti* Diſſertatione ſexta *De anno proprii Natalis Chriſti*.

His præmiſſis obſervationibus, nunc hac unica, ſed invicta ratione demonſtro, initium lxx. *Danielis* hebdomadum putandum eſſe ab anno ſeptimo Regni *Artaxerxis Longimani*. Chriſtus, juxta Prophetæ *Danielis* vaticinium, occidi debuit in medio hebdomadis ſeptuageſimę, hoc eſt, anno qnadringenteſimo octogeſimo ſexto ab exordio lxx. *Danielis* hebdomadum, atqui ab anno ſeptimo Regni *Artaxerxis Longimani* uſque ad obitum Chriſti effluxerunt anni quadringenti octuaginta ſex, ab anno itaque ſeptimo Regni *Artaxerxis Longimani* peti debet initium lxx. *Danielis* hebdomadnm. Minorem propoſitionem, in qua vertitur totius difficultatis cardo, ſic probo: Annus ſeptimus Regni *Artaxerxis Longimani* concurrit, ſicut mox diximus, cum anno periodi Julianę 4256. ſeu cum anno ante Æram, dictam vulgarem, aut Chriſtianam, qnadringenteſimo quinquageſimn ſeptimo. Ab hoc igitur anno ſeptimo Regni *Artaxerxis Longimani* uſque ad Ærę vulgaris, ſeu Chriſtianę annum primum, qui ſicut fatentur omnes Chronologiæ periti, connecti debet cum anno periodi Julianæ quater milleſimo ſeptingenteſimo decimo qnarto, effluxerunt anni 457. quibus, ſi addas annos viginti novem Ærę vulgaris, ſeu Chriſtianæ (Chriſtus enim, ut late oſtendi in Tractatu *De Myſteriis & annis Chriſti*, Paragrapho ſecundo, Diſſertationis 15. mortuus eſt anno Æræ vulgaris, ſeu Chriſtianæ, vigeſimo nono) comperies, ab anno ſeptimo Regni *Artaxerxis Longimani* uſque ad obitum Chriſti Domini interfluxiſſe annos 486. ac ſubinde Chriſtum occiſum fuiſſe in medio hebdomadis ſeptuageſimæ, ſicnt prædictum eſt a *Daniele* Propheta. Porro, ſemel fixo ac conſtituto ſeptuaginta *Danielis* hebdomadum initio, proclive eſt earum finem atque exitum ſtabilire. Nam lxx. *Danielis* hebdomades efficiunt, ut jam diximus, annos quadringentos nonaginta. Cum ergo ab anno ſeptimo Regni *Artaxerxis Longimani* uſque ad mortem Chriſti, elapſi fuerint anni 486. manifeſto conſequitur, lxx. *Danielis* hebdomades quadriennio poſt mortem Chriſti Domini finem, exitumque habuiſſe. In hac ſententia de exordio & fine lxx. *Danielis* hebdomadum, quam ambabus manibus amplector, omnia ſibi optime cohærent. At, ſententia eorum, qui lxx. *Danielis* hebdomadum exordium repetunt ab anno vigeſimo Regis *Artaxerxis Longimani*, inſuperabiles habet difficultates, cumque illius ſententiæ aſſertores nullo pacto oſtendere poſſint, effluxiſſe ab anno vigeſimo Regni *Artaxerxis Longimani* uſque ad obitum Chriſti annos 486. ſed ſolum annos 477. coguntnr aſſerere primo, annos Regni *Artaxerxis Longimani* putari non debere poſt mortem patris ſui

ſui *Xerxis*, ſed illos numerandos eſſe ab anno duodecimo Regni ipſius patris *Xerxis*, qui hoc anno, ut inquiunt, filium ſuum *Artaxerxem Longimanum* ad Regni conſortium adſcivit. Sed hoc oppido falſum eſt, quia, ſicut in ſuperiori Colloquio oſtendimus, fictitia plane eſt hæc Regni *Artaxerxis Longimani* cum patre ſuo *Xerxe* communio, & tantum poſt mortem patris ſui regnare cœpit *Artaxerxes Longimanus*. Secundo ejuſdem ſententiæ defenſores coguntur annos ſolares hebdomadum ſeptuaginta *Danielis* contrahere in annos lunares, in quibus nullus reperitur menſis embolimus, ſeu intercalaris, quique ſubinde breviores ſunt annis ſolaribus. Sed huic inani effugio omnem aditum præcluſimus in Paragrapho primo, Diſſertationis 15. Tractatus *De Myſteriis & annis Chriſti*, ubi commonſtravimus, hujuſmodi hebdomades annorum lunarium, quales ſunt apud Arabes, ſine menſe embolimo, ſeu intercalari, nunquam in uſu fuiſſe apud Hebræos, quibus ſolenne ſemper fuit, ad lunarem annum civilem, quo utebantur, ſolari anno coæquandum, intercalare, more Græcorum, quolibet biennio, vel triennio menſem, vel quolibet octennio tres menſes embolimos, ſeu intercalares, adjicere, ſicut teſtatur *Julius Africanus*, tum apud *Euſebium*, Epiſcopum Cæſarienſem, lib. 8. *Demonſtrationis Evangelicæ*, tum apud S. *Hieronymum* in cap. 9. libri *Danielis*, & apud *Georgium Syncellum*, in ſua Chronographia; idque a *Moyſis* temporibus apud Hebræos uſitatum fuiſſe tradit *Aben Eſra*, inter Rabbinos doctiſſimus. Sed ſat hactenus dictum ſit de rebus præclare geſtis, & de vaticiniis *Danielis*, qui, ſicut legitur cap. 1. v. 21. & cap. 6. v. 28. libri *Danielis*, vixit uſque ad annum primum Regis *Cyri*, Perſæ, a quo laxata eſt captivitas Babylonica.

D. Perſpicua ſunt iſthæc, quæ protuliſti, *Danielis* vaticinia, & in Jeſum Chriſtum, verum Meſſiam, optime competunt. Age nunc, & continenti ordine trium Prophetarum Minorum *Aggæi*, *Zachariæ*, & *Malachiæ*, qui poſt captivitatem Babylonicam res futuras prædixerunt, & de quibus in præſenti noſtro Colloquio dicturum te, ut bene memini, ſpopondiſti, geſta ac præcipua percenſe vaticinia.

M. Incipiam ab *Aggæo*, qui inter Prophetas Minores decimus eſt, & cujus extat inſigne de Jeſu Chriſto vaticinium, quod quidem ut clarius intelligas, rem altius repetam, pauciſque exponam, ut argumenti, quod inde Chriſtiani adverſus Judæos eliciunt, vim facilius perſpicere poſſis. Everſa primitus Hieroſolymorum urbe, dirutoque *Salomonis* auguſtiſſimo Templo, Judæos captivos in Babylonem deportaverat Rex Nabuchodonoſor. Annos ſeptuaginta perduravit hæc Judæorum captivitas, quibus demum exactis, Judæi a *Cyro*, Perſarum Rege, libertate donati ſunt, veniamque inſtaurandi Templi obtinuerunt. In hanc operam potiſſimum intenderunt *Zorobabel*, filius *Salathiel*, & *Jeſus*, filius *Joſedech*, & hanc novam Templi Hieroſolymitani fabricam anno ſecundo *Darii Hyſtaſpis*, filii, Perſarum Regis, abſolverunt, ſicut in ſuperiori Colloquio oſtendimus. Verum, quia hæc inſtaurati Templi Hieroſolymitani moles, ſeu ſtructura eſſet amplitudine, ornatu & decore, pompa, majeſtate, & magnificentia longe inferior priori Templo Hieroſolymitano, a Rege *Salomone* extructo, Judæi, qui levem aliquam priſtini Templi Salomonici memoriam retinebant, ad aſpectum iſtius inſtaurati Templi a lacrymis abſtinere haud poterant. Lacrymantem populum ſolatus eſt Deus Optimus Maximus, inſtaurati hujus Templi prærogativas, quibus prius Templum Salomonicum ſuperaret, commendando ac celebrando his verbis quæ leguntur cap. 2. verſ. 7. & ſequentibus libri *Aggæi*, Prophetæ: *Adhuc modicum eſt, & commovebo cœlum, terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum... Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ, pluſquam primæ, dicit Dominus exercituum, & in loco iſto dabo* pa-

pacem. Hoc Dei Oraculum, prolatum per *Aggæum*, Prophetam, fuit in Chriſto omni ex parte adimpletum. Ipſe quippe eſt *deſideratus cunctis gentibus*, quem Patriarcha *Jacob* cap. 49. libri Geneſis prædixit, fore *expectationem Gentium*. Ipſe hoc ſecundum Templum Hieroſolymitanum (antequam a Romanis ſub *Veſpaſiano*, & *Tito*, Imperatoribus, everteretur) præſentia ſua, miraculis, adhortamentis, orationibus illuſtravit, & conſecravit, eique majorem gloriam, ea, quam habebat prius Templum Salomonicum, conciliavit, quia Chriſtus eſt Rex Regum, & *Salomone* major. Ipſe denique Chriſtus in hoc ſecundo Templo Hieroſolymitano ſalutarem animarum pacem, reconciliato hominibus Deo, fidelibus dedit, qui ideo in ſacris litteris appellatur *Princeps pacis*, & *pax noſtra*. Hæc ſiquidem pax, quam Deus per *Aggæum*, Prophetam, daturum ſe in iſt ſecundo Templo Hieroſolymitano promiſit, debebat eſſe tantum ſpiritualis, nec intelligi poteſt de pace temporali, cum certum ſit, hoc ſecundum Templum Hieroſolymitanum creberrimis bellis fuiſſe appetitum ab *Antiocho*, *Seleuco*, *Pompejo*, & ab Imperatoribus Romanis, *Cajo*, qui illud ſacrilege Idolis, & ſuo præſertim ſimulacro dehoneſtare, ac prophanare præſumpſit; & a *Veſpaſiano* ac *Tito*, qui in illud ferociter exarſerunt, ac tandem poſt multas horrendas calamitates, quas *Joſephus*, Hebræus, lib. 7. *De Bello Judaico* cap. 16. accurate deſcribit, illud ſolo æquarunt. Has itaque omnes iſtius vaticinii Prophetæ *Aggæi* circumſtantias, ſi abdicatis, ut par eſt, præjudiciis, expendere haud graventur Judæi, fateri cogentur, Jeſum Chriſtum, qui ſecundum illud Templum Hieroſolymitanum, a *Zorobabele* reſtitutum, præſentia ſua decoravit, illuſtravit, conſecravit, verum eſſe Meſſiam; vel, ſi perfricta fronte id inficientur, compellentur, velint nolint, dicere, hoc Prophetæ *Aggæi* vaticinium necdum impletum eſſe, nec unquam impletum iri, cum iſtud ſecundum Templum Hieroſolymitanum, a *Zorobabele* inſtauratum, penitus a Romanis ſub Imperatoribus *Veſpaſiano*, & *Tito*, fuerit exciſum, nec unquam amplius inſtaurabitur, ſicut in Colloquiis noſtris in Hiſtoriam quintæ Mundis Ætatis ex Prophetarum Oraculis evicimus.

D. Nunc profecto argumenti, quod ex iſto Prophetæ *Aggæi* vaticinio adverſus Judæos eruunt Chriſtiani, vim perſpectam exploratamque habeo. Etenim *Aggæus* clare prædixit, venturum intra breve tempus *deſideratum cunctis Gentibus*, id eſt, Meſſiam a Deo promiſſum, eumque ſecundum Hieroſolymitanum Templum, a *Zorobabele*, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, inſtauratum, gloria impleturum. Venit autem Jeſus Chriſtus, dum adhuc ſtaret ſecundum iſtud Templum Hieroſolymitanum, illudque præſentia ſua, miraculis & doctrina cohoneſtavit, nec amplius extat prędictum Templum Hieroſolymitanum, quod a Romanis paulo poſt mortem Chriſti ab imis fundamentis everſum eſt abſque ulla ſpe futuræ aliquando iſtius inſtaurationis. Chriſtus itaque verus eſt Meſſias, utpote qui Mundo illuxit, ea temporis periodo, qua venturum Meſſiam prædixit *Aggæus* Propheta. Hoc certe Chriſtianorum argumentum jugulum Judæorum petit, cui ſolvendo miſeri illi homines, quamvis in omne latus ſeſe vertant, ſemper impares erunt. Sed veniamus, ſi placet, ad vaticinia *Zachariæ*, qui non ſecus ac Propheta *Aggæus*, poſt laxatam captivitatem Babylonicam, in Republica Judæorum futura prædixit.

M. Propheta *Zacharias*, filius *Barachiæ*, filii *Addo*, qui inter Prophetas Minores undecimum obtinet locum, vaticinatus eſt poſt captivitatem Babylonicam, ideoque *Jeſum Joſedech*, Sacerdotem Magnum, & *Zorobabelem*, quos ſub ſymbolo duarum olivarum deſignat, ad fabricam Templi Hieroſolymitani quamprimum abſolvendam vehementer adhortatur. Viſiones ſibi objectas exponens, ſub figuris quatuor quadrigarum, & quatuor ventorum, repræſentat quatuor Monarchias, quas Propheta *Daniel* proſpexerat,

rat, & quæ per conſequentes ætates ſibi ordine ſucceſſerunt, ſeque mutuo everterunt, videlicet Monarchias Babylonicam, Perſicam, Græcam, & Romanam, ſub qua poſtrema naſciturus erat Chriſtus, cujus Vitam, & Paſſionem, inſtar Evangeliſtæ, deſcribit idem Propheta. Ad Chriſtum enin primo pertinet iſtud, quod cap. 2. Prophetiæ *Zacharię* legitur vaticinium: *Lauda, & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus, & applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & ſcies, quia Dominus Exercituum miſit me ad te*. Hoc vaticinium mire convenit Chriſto, qui verus Deus ac Dei filius, a Deo patre in mundum miſſus eſt, factuſque homo, ſtetit medius noſtrum, & habitavit in nobis: cujus etiam incarnationis fructus fuit converſio Gentium plurimarum ad Dominum. Præterea, inſignis itidem eſt ejuſdem Prophetæ de Chriſto, ſeu de illius triumphali ingreſſu Hieroſolymam prædictio, quæ c. 9. Prophetiæ *Zachariæ* legitur, his verbis concepta: *Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Hieruſalem: Ecce Rex tuus venit tibi juſtus & ſalvator: Ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinę &c.* Quod certe vaticinium de Meſſia a Judæis intellectum, nulli aptari poteſt niſi uni Chriſto. Ille quippe ſedit ſuper aſinam, cum triumphantis more, ſed in habitu pauperis, Hieroſolymorum urbem ingreſſus eſt, ut videre eſt apud ſacros Evangeliſtas, *Matth.* cap. 21. & *Joan.* cap. 12. Tertio, ad Chriſtum quoque ſpectat iſtud vaticinium, quod erat in eodem cap. 9. *Zachariæ* Prophetæ: *Tu quoque in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos de lacu, in quo non eſt aqua*. Chriſtus etenim in triduo mortis ſuæ deſcendit ad Inferos, ubi Patriarchæ, Prophetæ, & alii juſti Veteris Teſtamenti tenebantur concluſi, donec per Paſſionem Chriſti reſerato cælo, conſcenderunt in cœlum cum Chriſto, qui *ſolutis doloribus inferni, & expolians Principatus, & Poteſtates, traduxit confidenter, palam, triumphas illos in ſemetipſo*. Quarto, venditionem Chriſti, cujus pretio ager figuli emptus eſt, idem Propheta *Zacharias* cap. 10. verſ. 12. & 13. ſuæ Prophetiæ clariſſime prædicit his verbis: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus ad me: Projice illud ad ſtatuarium, decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis, & tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad ſtatuarium*. Quæ omnia (ut videre eſt c. 27. Evangeliſtæ *Matthæi*) in Chriſto, Servatore noſtro, ita impleta ſunt, ut Prophetam *Zachariam* potius Hiſtoriam deſcripſiſſe, quam rem futuram prædixiſſe videatur. Poſtremo, *Zacharias*, Propheta, Spiritus Sancti Miſſionem, Chriſti Jeſu Crucifixionem & plagas, diſperſionem Diſcipulorum, Idolorum everſionem, & Dæmoniorum exterminationem, ita clare vaticinatur, ut nullus ſit, niſi excæcatus Judæus, qui ejuſmodi prædictiones, eventu, ſole meridiano coruſcante clariori, in Chriſto Jeſu fuiſſe adimpletas, ultro non fateatur. Hæc ſiquidem cap. 12. verſ. 10. & ſeq. nomine Dei prædicit *Zacharias*, Propheta: *Et effundam*, inquit Deus, *ſuper Domum David, & ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum: & aſpicient ad me, quem confixerunt. Et plangent eum planctu quaſi ſuper Unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte Primogeniti*. Et c. 13. verſ. 1. & ſeq. ſubdit idem Propheta: *in die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatę. Et erit in die illa, dicit Dominus Exercituum: Diſperdam nomina Idolorum de terra, & non memorabuntur ultra, & Pſeudo-Prophetas & ſpiritum immundum auferam de terra ...... Et dicetur ei: Quid ſunt plagę iſtæ in nedio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me: Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus Exercituum: Percute paſtorem, & diſpergentur oves &c.* Sed de Vaticiniis *Zacharię* hæc pauca

præ-

Digitized by Google

prælibaſſe ſufficiat. Si tamen plura de illis ſcire aveas, legeſis, modo tibi per otium liceat, doctiſſimos in hunc Prophetam Commentarios *S. Hieronymi*, & *Theodoreti*, qui Zachariana iſta, quæ laudavi, Oracula Chriſto Domino vindicant.

D. Supereſt *Malachias*, qui poſt captivitatem Babylonicam, Prophetę munus obivit, quemque de Jeſu Chriſti, veri Meſſię, adventu multa fudiſſe Oracula non dubito.

M. *Malachias*, qui, ut notum eſt, ultimum inter Prophetas Minores locum tenet, inſignia de Jeſu Chriſto, vero Meſſia, edidit vaticinia. Enim vero, *Malachias*, qui, inſtaurato jam per *Zorobabelem* Templo Hieroſolymitano, Prophetiam ſuam adornavit, eo videlicet tempore, quo Judæi, ſecundi ædificii Templi Hieroſolymitani mole inſpecta, a lacrymis temperare haud poterant, quod prioris Templi a *Salomone* conſtructi comparatione vilius & inferius videretur; *Malachias*, inquam, Judæos non aliter quam Propheta *Aggæus* ſolari aggreſſus eſt, futurum ſpondens, ut ad Templum Hieroſolymitanum, a *Zorobabele* inſtauratum, propediem Meſſias, tamdiu expectatus, accederet, qui ei ſuo adventu ac præſentia nomen, dignitatem, & gloriam conciliaret: *Ecce ego*, inquit Deus Malachiæ cap. 3. verſ. 1. *mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad Templum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus Exercituum*. Ad illud itaque ſecundum Templum Hieroſolymitanum, a *Zorobabele* poſt captivitatem Babylonicam inſtauratum, venturus erat Meſſias, atque adeo antequam *Veſpaſianus*, & *Titus* obtinerent Imperium Romanum, a quibus prædictum Templum Hieroſolymitanum penitus everſum eſt. Certum autem eſt, Jeſum Chriſtum ad hoc Templum Hieroſolymitanum, antequam ab illis Imperatoribus Romanis ſolo æquaretur, veniſſe, illudque orationibus, doctrina, & miraculis plurimum illuſtraſſe. Verus ergo Meſſias, qui alius non eſt quam Jeſus Chriſtus, Mundo jam illuxit. Hinc Chriſtus Dominus hoc Prophetæ *Malachiæ* vaticinium de ſe, & de ſuo prodromo, ſeu præcurſore, *Joanne Baptiſta*, interpretatur c. 11. v. 10. *Matthæi* dicens: *Hic eſt* (id eſt, Joannes *Baptiſta*) *de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante te*. Neminem autem Judæorum fore exiſtimo, qui nomine *Dominatoris*, & *Angeli*, ſeu Nuncii Teſtamenti, ab Hebræis tamdiu expetiti, alium a Meſſia ſignificari pertendat, cum ſæpius Prophetæ Meſſiam appellent *Dominatorem*, *Angelum*, ſeu Teſtamenti Nuncium, qui a Deo mittendus erat, ut cum hominibus novum ſanciret fœdus, illudque ſempiternum. Hoc itaque argumentum nunc intorqueo adverſus pervicaces Judęos: Verus Meſſias, juxta vaticinium *Malachiæ*, naſciturus erat, ſtante adhuc ſecundo *Salomonis* Templo, ſeu, ut clarius dicam, ſtante *Salomonis* Templo, quale a *Zorobabele*, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, ſub *Cyro*, Perſarum Rege, inſtauratum erat, nec ultra poſt ſecundi Templi hujus excidium protrahi poteſt Meſſiæ adventus: Atqui inſtauratum illud a *Zorobabele* ſecundum Templum Salomonicum fuit funditus deſtructum ac dirutum, ab Imperatoribus Romanis *Veſpaſiano*, & *Tito* triginta ſeptem circiter annis poſt Aſcenſum Chriſti Domini in Cœlum, conſequens ergo eſt, Meſſiam ante *Veſpaſiani*, & *Titi* Imperium adventaſſe, ac proinde ſalutaris illius adventus epocham in Jeſu Chriſti, Domini noſtri, ætatem incidiſſe, fruſtraque Judæos ſuum etiamnum expectare Liberatorem, qui jam dudum advenit. Ab hoc certe peremptorio argumento ſeſe, ſi poſſint, extricent Judæi: Ipſe vero alia *Malachiæ* vaticinia, quæ Jeſum Chriſtum ſpectant, breviter referre pergam. Redarguit Propheta *Malachias* cap. 1. verſ. 10. & ſeq. ſuę Prophetiæ Sacerdotum Gentis Judaicæ negligentiam, ſocordiam, & im-

impietatem; minatur ipſis egeſtatem, maledictionem, & infamiam, quia Sacrificia, quæ ab illis Sacerdotibus offerebantur, Deo non placebant, ſed potius odio & faſtidio ei erant. Quocirca, aliud Sacrificium longe excellentius Deo oblatum iri prædicit *Malachias* his verbis: „ Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus Exercituum, munus non ſuſcipiam de manu veſtra. „ Ab ortu enim Solis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus. Hoc *Malachiæ* vaticinio palam indigitari incruentum novi fœderis Sacrificium corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti, quod *Miſſam* appellare Catholicæ Eccleſiæ uſus obtinnit, quodque ubique locornm, & gentium, tota, qua late patet, Eccleſia, Deo offertur, concors eſt omnium ſanctorum Patrum ſententia. Hoc quippe Sacrificium incruentum, a Chriſto Domino pridie quam mortem oppeteret, inſtitutum, vere eſt oblatio munda, grata, & accepta Deo, cnm ſit Deus ipſe, qui Deo offertur, & idem ſanguis, qui effuſus eſt in totius generis humani redemptionem. Denique, Propheta *Malachias* non tantum prędixit primum adventum Meſſiæ, verum etiam prępnunciat ſecundum illius adventum, in quo judicaturus omnes omnino homines veniet. Sic enim cap. 3. verſ. 1. & ſeq. ſuę Prophetię habet: „ Ecce veniet Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis ſtabit ad videndum eum? ipſę enim quaſi ignis conflans &c. Et capit. 4. v. 5. ait, Deum, ante ſupremi judicii diem, miſſurum *Eliam*, Prophetam, ut Judęorum corda ad pęnitentiam flectat, & ad Deum convertat: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*. De vaticiniis *Malachiæ* non plura addam, ſed hic duntaxat velim obiter advertas, erraſſe quoſdam veteres Hebręos, & *Jonathanem*, Chaldæum Paraphraſten, qui *Malachiam* cum *Eſdra*, qui ei coævus ac ſuppar fuit, inſcite confundunt, cum tamen Scriptura Sacra utrumque accurate diſcernat, & *Malachiam* appellet *Prophetam*, nunquam vero *Eſdram* nuncupet *Prophetam*, ſed *Scribam*, & *Sacerdotem*. *Origenes*, & *Tertullianus*, *Malachiam* non fuiſſe verum hominem, ſed reipſa Angelum incarnatum, falſo opinati ſnnt; nam licet *Malachias* a *Clemente Alexandrino* lib. 1. *Stromatum*, & a quibuſdam aliis Patribus, nec non a lxx. Interpretibus nomine *Angeli* decoretur, ipſumque nomen Hebræum *Malachiæ* idem ſonet ac *Angelus meus*, conſtat attamen, *Malachiam* hoc *Angeli* nomine ratione officii, non naturæ, fuiſſe donatum, quia Sacerdotes, Prophetæ, & quicumqne Dei mandata hominibus ſignificant, interdum in ſacris litteris *Angeli* appellantur, tametſi eos fuiſſe veros homines compertum atque exploratum ſit. Hoc ſenſu ipſe Propheta *Malachias* cap. 2. verſ. 7. ait: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini Exercituum eſt*. Et cap. 3. verſ. 1. *de Joanne Baptiſta* Dominus dicit: *Ecce ego mitto Angelum meum*. Ceterum, *Malachiam*, Prophetam fuiſſe verum hominem, & non reipſa Angelum, diſerte probat iſta Sacri Libri Eccleſiaſtici capit. 49. verſ. 12. Sententia: *Et duodecim Prophetarum oſſa pullulent de loco ſuo*, hęc, inquam, Sacri illius Libri Scriptoris ſententia probat, *Malachiam*, Prophetam, ejuſdem plane naturæ fuiſſe, ac undecim reliquos Prophetas Minores, quos certe veros homines fuiſſe nemo inficias ire poteſt.

D. Expone, quæſo uberius, quis ſit iſte *Eſdras*, quem, ut mox ajebas, veteres Hebræi cum *Malachia*, Propheta, perperam confuderunt?

M. Fuit *Eſdras*, ut jam diximus, *Malachię*, Prophetę coævus, Sacerdos, & Legis Moſaicæ Scriba peritiſſimus, ſive, ut ipſe de ſe ait cap. 7. v. 6. lib. *Eſdræ*, *Scriba velox in Lege Moyſis*. Solnta Edicto *Cyri*, Perſarum Regis, Babylonica Judæorum captivitate, man-

manſit *Eſdras* Babylone ad annum uſque ſeptimum *Artaxerxis Longimani*, Perſarum Regis, indeque Hieroſolymam cum Regiis mandatis, & magno cum Judæorum comitatu reverſus, ſacros ritus, politiamque Judaicam reſtituit. Duo extant Sacri Libri & in Canone recepti, qui Eſdræ nomine ſunt inſigniti, quique complectuntur Hiſtoriam rerum omnium, quæ, poſt laxatam captivitatem Babylonicam, in Republica Judæorum acciderunt temporibus *Cyri*, & *Artaxerxis Longimani*, Perſarum Regum. In primo libro *Eſdræ* exhibetur numerus ſacrorum Templi Salomonici Vaſorum, quæ Rex *Nabuchodonozor* tranſtulerat Babylonem, & a *Cyro*, Perſarum Rege, fuerunt reſtituta. Recenſentur etiam Judæi, qui, Duce *Zorobabele*, Hieroſolymorum urbem reverſi ſunt. Præterea, deſcribuntur graviſſima incommoda, quæ in conſtructione Templi Hieroſolymitani paſſi ſunt Judæi a Samaritanis, qui clandeſtinis molitionibus, & mille nocendi artibus hanc ſecundi Templi Hieroſolymitani fabricam impedire aggreſſi ſunt. Poſtremo, narratur, quo pacto *Eſdras*, zelo Dei ſuccenſus, matrimonia, quæ Iſraelitæ cum alienigenis contraxerant, diſſolverit, & prophanas uxores, atque liberos ex eis ſuſceptos abjici præceperit. Quod ſtatim, conſentientibus omnibus ad unum Judæis, executioni mandatum eſt. Continet hic primus liber, nomine *Eſdræ* inſcriptus, Hiſtoriam liberationis Judæorum e captivitate Babylonica, eorumque in Judæam reditus ab anno primo *Cyri*, Perſarum Regis, uſque ad annum vigeſimum *Artaxerxis Longimani*, Perſarum itidem Regis. Alter liber, qui itidem nomen *Eſdræ* præfert, Hiſtoriam exhibet rerum, quæ Reipublicæ Judæorum acciderunt ab anno vigeſimo *Artaxerxis Longimani*, Perſarum Regis, uſque ad *Darium*, dictum *Nothum*, Perſarum pariter Regem. Et in primis, in eo ſcripta legitur expreſſa ac diſerta facultas, quam *Artaxerxes Longimanus*, Perſarum Rex, anno vigeſimo Regni ſui conceſſit *Nehemiæ* redeundi Hieroſolymam, eamdemque urbem mænibus cingendi. Deinde, referuntur judicia, & Sanctiones ejuſdem *Nehemiæ* pro regimine populi, & recenſentur Judæi, qui primum Hieroſolymorum urbem aſcenderunt. Tertio, deſcribitur, quomodo *Eſdras* coram univerſo populo Legem Moſaicam perlegit, & hi numerantur, qui pro obſervanda hac Lege fœdus inierunt, & inito fœderi ſua manu ſubſcripſerunt. Denique, leguntur nomina illorum, qui Hieroſolymorum urbem, & ceteras Judææ civitates incolebant, fitque accurata enumeratio officiorum Sacerdotum, & Levitarum, qui Duce *Zorobabele* in patrium ſolum reverſi ſunt, omneſque mulieres alienigenæ, lecto ſemel libro *Deuteronomii*, repudiatæ, penituſque ejectæ feruntur. Hi ſunt duo libri, qui nomine *Eſdræ* inſigniuntur, & quibus ſemper Eccleſia Catholica, ſancti Patres, pleraque Concilia ſacram ac divinam vindicant auctoritatem. Obſervat tamen *S. Hieronymus*, hos duos libros nomine *Eſdræ* inſcriptos, olim apud Hebræos pro uno tantum libro habitos, & recenſitos fuiſſe.

D. Eſtne *Eſdras* verus ac legitimus Auctor horumce duorum librorum, qui ejus nomine inſigniuntur?

M. Valde probabiliter, mea quidem ſententia, aſſerit Illuſtriſſimus Abrincenſis Epiſcopus *Daniel Huetius* in ſua ſæpe laudata *Demonſtratione Evangelica*, ſex priora libri primi *Eſdræ* capita non ab ipſo *Eſdra*, ſed a ſacro Auctore librorum Paralipomenon fuiſſe ſcripta. Enim vero, ea, quæ in calce libri ſecundi Paralipomenon leguntur, iiſdem omnino verbis initio libri primi *Eſdræ* repetita inſeruntur. Præterea, Auctor ſex priorum capitum libri primi *Eſdræ* aperte innuit, ſe jam e Babylone reverſum eſſe Hieroſolymam regnante *Dario Hyſtaſpis* filio Perſarum Rege, præſentemque Hieroſolymis fuiſſe, atque reſpondiſſe Syriæ Præfectis, qui Templi ædificationem (quæ facta eſt regnante *Dario Hyſtaſpis* filio) præpedire volebant. Sic enim ait: *Ad quod reſpondimus eis, quæ eſſent nomina Auc-*

to-

ſtorum ædificationis illius: Atqui certiſſime ex capite ſeptimo ejuſdem libri primi *Eſdræ* conſtat, *Eſdram* non fuiſſe e Babylone Hieroſolymam reverſum regnante *Dario Hyſtaſpis* filio, ſed duntaxat haud paucos poſt annos, hoc eſt, anno ſeptimo *Artaxerxis Longimani*, illum e Babylone Hieroſolymam aſcendiſſe: non ergo *Eſdras* auctor eſt ſex priorum capitum libri primi, qui ejus nomine inſignitur. Scripſit tamen *Eſdras* caput ſeptimum, & tria alia capita, quæ ſequuntur in libro primo *Eſdræ*, quia in his quatuor capitibus *Eſdras* loquitur in propria perſona. Ait quippe cap. 7. verſ. 27. & 28. *In me inclinavit* (Deus) *miſericordiam ſuam coram Rege*. Et cap. 9. v. 5. *Curvavi genua mea, & expandi manus meas ad Dominum Deum meum*. Negari igitur non poteſt, *Eſdram* eſſe auctorem quatuor poſtremorum capitum libri primi, qui inſcribitur nomine *Eſdræ*. Ceterum, quamvis incertus ſit auctor ſex priorum capitum libri primi, inſcripti nomine *Eſdræ*, ſicut & duorum librorum Paralipomenon, ut jam oſtendimus in Colloquio ſecundo in Hiſtoriam quintæ Mundi Ætatis, vere tamen dici poteſt, *Eſdram* eſſe auctorem duorum librorum Paralipomenon, ſicut & libri primi, nomine ejus inſcripti, quia, ut obſervavimus, *Eſdras*, poſt laxatam captivitatem Babylonicam, duos libros Paralipomenon, ab incerto auctore exaratos, digeſſit, & ſex priora libri primi, ſibi cognominis, capita ſubnexuit, iiſque alia quatuor poſtrema ejuſdem libri capita, a ſe ipſo ſcripta, addidit.

Alterum quod attinet librum, nomine etiam *Eſdræ* inſcriptum, convenit inter omnes viros eruditos, & Scripturæ Sacræ Interpretes, auctorem iſtius ſecundi libri non eſſe *Eſdram*, ſed *Nehemiam*. Fuit autem *Nehemias*, Hebræus, *Artaxerxis Longimani* Perſarum Regis, Pincerna, qui anno vigeſimo Regni ejuſdem *Artaxerxis Longimani*, ab hoc Rege poteſtatem & expreſſam impetravit facultatem Hieroſolymorum urbem inſtaurandi, eamque mænibus, turribus, propugnaculis, portiſque muniendi. Ea facultate a Rege donatus *Nehemias*, Hieruſalem venit, eam muris cinxit, Judæorum hoſtibus fruſtra repugnantibus, eorumque dedicationem magna cum ſolemnitate inſtituit. Sunt plerique, qui exiſtimant, hunc *Nehemiam* fuiſſe Sacerdotem, negnant alii cum *Euſebio*, *Sulpitio Severo*, & *S. Iſidoro Hiſpalenſi*. Sed, utut ſit de Sacerdotio *Nehemiæ*, certiſſime conſtat, ſecundi libri, qui nomine *Eſdræ* inſcribitur, verum ac genuinum parentem eſſe *Nehemiam*, cum res a ſe geſtas eo in libro deſcribat, in propria perſona loquatur, ſeque hujus libri auctorem capite 1. verſ. 1. diſerte profiteatur his verbis: *Verba Nehemiæ, filii Helchiæ*. Poſſet quis objicere, *Nehemiam* non eſſe auctorem hujus ſecundi libri, qui inſcribitur nomine *Eſdræ*, quia capite 11. verſ. 22. iſtius libri fit mentio de *Jeddoa*, qui imperante *Alexandro Magno*, Summus fuit Judæorum Pontifex, huicque Græcorum Monarchiæ, Hieroſolymam venienti, obviam ivit. Cum igitur ab anno Regis *Artaxerxis Longimani*, Perſarum Regis, vigeſimo, quo florebat *Nehemias*, & ad minus annos triginta quinque tunc natus erat, uſque ad Imperium *Alexandri Magni* fluxerint centum & amplius anni, veroſimile non videtur, *Nehemiam* ad tempora *Alexandri Magni* perveniſſe, ac ſubinde mentionem facere potuiſſe de *Jeddoa*, qui regnante *Alexandro Magno*, fuit Summus Pontifex Judæorum. Verum, hanc objectionem jam in ſuperiori Colloquio occnpavimus, nbi contra *Joſephum*, Hebræum, oſtendimus, iſtum *Jeddoam*, Pontificem, cujus meminit *Nehemias*, loco mox a me laudato, eſſe plane diverſum ab illo *Jaddo*, qui, imperante *Alexandro Magno*, Judæorum Pontifex erat, ibidemque obſervavimus, hunc *Sanaballetem*, qni *Nehemiæ*, murorum urbis Hieruſalem ſtructuram aggredienti, reſtitit, alium itidem eſſe ab illo *Sanaballete*, qui caſtra *Alexandri Magni* ſecutus eſt. Sed, ab iſto diverticulo redeamus ad *Eſdram*, de quo Scripturæ Sacræ Inter-

ter-

Digitized by Google

terpretes ſolent tres movere quæſtiones, quas hic breviter expendemus. In primis, inquirere ſolent, an *Eſdras* ſacros libros in excidio Hieroſolymitano, & in captivitate Babylonica amiſſos, aut neglectos, in integrum reparaverit, ac divino afflatus Numine memoriter dictaverit? Deinde, utrum *Eſdras* auctor ſit Hebraicæ Punctationis, & Maſoræ? Denique, utrum *Eſdras* ſit auctor illius *Cabalæ*, qua Judæi recentiores utuntur, ut ex litteris Scripturæ Sacræ & earum figura, permutatione, aut arithmetica ſupputatione, arcana quædam eruant Legis Myſteria?

D. Has tres quæſtiones, quas de *Eſdra* movere ſolent Scripturæ Sacræ Interpretes, ſingillatim, obſecro te, dirime, juxta probabiliorem, quæ tibi videtur, ſententiam.

M. De modo, quo, *Eſdras*, ſacros libros, poſt laxatam a *Cyro*, Perſarum Rege, captivitatem Babylonicam, reparaverit, necdum ſatis convenit inter peritos. Alii ſiquidem exiſtimant, *Eſdram*, Spiritu Sancto afflatum, Scripturæ Sacræ libros, qui vel in excidio Hieroſolymitano combuſti ſunt, vel in captivitate Babylonica interierunt, ex memoria ad verbum dictaſſe. Ita ſentit auctor libri quarti inſcripti nomine *Eſdræ*, qui commentitiam hujus rei hiſtoriam deſcribit capite decimo quarto. Sed illius libri auctor, quiſquis ille ſit, nullam plane meretur fidem, tum quia Eccleſia Catholica hunc quartum *Eſdræ* librum, ceu apocryphum, reijcit, tum quia etiam hic liber multis næniis & fabulis ſcatet. In eamdem auctoris libri quarti *Eſdræ* ſententiam deſcendunt aliquot antiqui Patres, *Irenæus* lib. 3. adverſus Hæreſes cap. 25. *Clemens Alexandrinus* lib. 1. Stromatum, *Baſilius* in Epiſtola ad *Chilonem*, eiſque nonnulli recentiores ſuffragantur. Alii vero ſecuti ſanctos Patres *Hieronymum* adverſus *Helvidium*, *Hilarium*, in Præfatione in Pſalmos, *Chryſoſtomum* Homilia octava in Epiſt. ad Hebræos, docent, libros ſacros nec in excidio Hieroſolymitano, nec in captivitate Babylonica periiſſe, ſed in eos tantum, ſive ob injuriam temporum, ſive ob incuriam & negligentiam Judæorum, irrepſiſſe menda, quæ ab *Eſdra*, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, fuerunt emendata atque repurgata. Hæc poſtrema ſententia mihi longe probabilior videtur, primo, quia credibile non eſt, tantam eſſe potuiſſe cladem, vaſtitatem, & ſocordiam Judæorum erga libros ſacros, ut nulla apud ipſos fuerint aſſervata ſacrorum codicum Exemplaria, iiſque omnino caruerint illi ſaltem Judæi, qui undecim annis ante excidium Hieroſolymitanum, una cum *Joachimo*, Rege Juda, in captivitatem Babylonicam fuerunt a Rege *Nabuchodonoſore* deportati. Præterea, incredibile etiam eſt, *Jeremiam*, Prophetam, quem, Regis *Nabuchodonoſoris* juſſu, *Nabuzardan*, militiæ Præfectus, ab omni injuria Hieroſolymis tutum permanere voluit, nullum penes ſe conſervaſſe Scripturæ Sacræ codicem, maxime, cum teſtetur Scriptura Sacra capite ſecundo lib. 2. Machabæorum, Prophetam *Jeremiam* ex incendio Hieroſolymitano Tabernaculum, & Arcam, & Altare Incenſi eripuiſſe & abſcondiſſe, ne venirent in poteſtatem hoſtium. Potuit ergo *Jeremias*, hac data opportunitate uſus, unum ſaltem ſacrorum librorum Exemplar, ab incendio Hieroſolymitano vindicare. Tertio, etiamſi darem, Prophetam *Jeremiam* nullo pacto potuiſſe aliquod ſacrorum codicum Exemplar ab incendio Hieroſolymitano liberare, attamen funeſtam illam cladem, ac conflagrationem pati minime potuiſſet Pentateuchus *Moyſis* Samaritanus, eaſdemque ſacrilegas flammas omni procul dubio evaſiſſent illi Scripturæ Sacræ codices, quos, ut mox diximus, illi Judæi, qui una cum *Joachimo*, Rege Juda, in Babylonem undecim annis ante excidium Hieroſolymitanum fuerunt abducti, ſecum aſportarunt. Quarto, *Danielem*, Prophetam, in captivitate Babylonica ſacros codices penes ſe habuiſſe facile colligitur ex capite nono verſiculo decimo tertio ipſius libri, ubi ait: *Sicut ſcriptum eſt in Lege Moyſi*, om-

omne hoc malum venit ſuper nos. Quinto, legimus capit. 8. lib. 2. *Eſdræ*, Judæos, ſtatim ac in Judæam, laxata captivitate Babylonica, reverſi ſunt, petiiſſe ab *Eſdra*, *ut offerret librum Legis Moyſi*, *quam præceperat Dominus Iſraeli*, eumque librum fuiſſe ab eodem *Eſdra* lectum in conſpectu totius populi. Librum itaque Legis *Moyſis* penes ſe aſſervaverat *Eſdras* tempore captivitatis Babylonicæ. Poſtremo, *Joſephus*, Hebræus, capite 1. lib. 11. Antiquit. Jud. refert, oſtenſum fuiſſe *Cyro*, Perſarum Regi, vaticinium *Iſaiæ*, quo ipſius nomen exprimebatur, victoriæ prædicebantur, ipſique ampliſſimum promittebatur Imperium, quod *Cyrum* promovit, ut Judæis libertatem, Templique Hieroſolymitani reparandi poteſtatem concederet. Evaſit ergo flammas incendii Hieroſolymitani Prophetia *Iſaiæ*, idemque de aliorum Prophetarum libris, & de ceteris Scripturæ Sacræ partibus credere par eſt. His itaque adductus rationibus cenſeo, libros ſacros nec incendio Hieroſolymitano, nec in captivitate Babylonica omnino interiiſſe, ac ſubinde non fuiſſe ab *Eſdra* ex integro & memoriter dictatos, ſed *Eſdram* in hoc duntaxat curam & induſtriam poſuiſſe, ut ſacros codices, quos plura menda invaſerant, emendaret, repurgaret, caſtigaret, in unum corpus & canonem redigeret. Antiquos etiam characteres hebraicos immutavit *Eſdras*, iiſque ſuffecit characteres Chaldaicos, tum quia Judæi hiſce Chaldaicis characteribus, ob diuturnam captivitatem Babylonicam, magis erant aſſueti; tum quia etiam voluit *Eſdras*, ut Judæi hoc pacto a Samaritanis evidentius diſtinguerentur. Samaritani ſiquidem characteres Hebraicos uſurpabant, ſicut ex communi Hebræorum Traditione probat *Vualtonus* Prolegomeno tertio *in Biblia Polyglotta Londinenſia*. Lingua etiam Judæorum, poſt reditum ex captivitate Babylonica mutationem ſubiit. Nec enim tunc Judæis Lingua pure Hebraica vernacula fuit, nec etiam pure Chaldaica Lingua, ſeu Aramæa vetus; ſed Lingua vulgaris, qua poſt captivitatem Babylonicam uſi ſunt Judæi, mixta fuit ex Hebræa veteri, quæ Syriaca dicta eſt, ſenſim Linguarum peregrinarum admixtione corrupta. Hinc capite octavo lib. *Nehemiæ* legimus, *Eſdram*, & Levitas, cum Legem Moſaicam populo prælegerent, eandem expoſuiſſe, & ſenſum dediſſe (Lingua ſcilicet vulgari) ut populus, Linguæ puræ Hebraice oblitus, intelligeret. Hinc etiam fluxit origo earum, quas etiamnum habemus, Paraphraſium Scripturæ Sacræ Chaldaicarum, quas adornarunt *Onkeloſus*, & *Jonathas Ben Uziel*, qui Legem & Prophetas, poſtquam in Synagogis legerant, explicationem Lingua vulgari dederunt.

D. Exiſtimaſne, *Eſdram* eſſe auctorem illorum punctorum vocalium, & accentuum, cum quibus Judæi Sacra Biblia deſcribere ſolent?

M. Judæi hanc punctorum vocalium, & accentuum originem, cum quibus Biblia Hebraica ſunt exarata, referunt vel ad *Moyſem*, vel ad *Eſdram*, ſed perperam. Primo, quia, ut mox diximus, Samaritani characteres iidem plane fuerunt cum antiquis characteribus Hebraicis ante captivitatem Babylonicam, idque diſerte teſtatur *S. Hieronymus* in Prologo Galeato: Antiqui Samaritani puncta vocalia nulla habent in ſuis Bibliis, nec ulla punctorum vocalium apparent veſtigia, ſive in ipſorum libris manuſcriptis, ſive in antiquis eorum ſiclis, qui a Regibus Iſraelis percuſſi ſunt; punctorum itaque vocalium, quæ nunc in Hebræorum Bibliis affixa ſunt, origo, nec ad *Moyſem*, nec ac *Eſdram* referenda eſt. Præterea, Judæi hodierni, indivulſe adhærentes conſuetudini, quæ ab omni retro antiquitate in eorum Synagogis fuit jugiter obſervata, Sacra Volumina in ſuis Synagogis publice legunt ſine punctis vocalibus, ſine accentibus, & ſine Verſuum diſtinctionibus, ut morem antiquis temporibus uſitatum, ſive ipſum *Moyſis* autographum Exemplar, quod in Arca repoſitum erat, quodque punctis & accentibus, necnon Verſuum diſtinctionibus deſtitutum erat, adumbrent: Qua de re legeſis *Buxtorfium* lib. *De Punctorum*

An-

Antiquitate. Tertio, *Elias Levita*, apud Judæos Grammaticus doctiſſimus, probat, puncta vocalia excogitata fuiſſe a Judæis poſt confectum Talmudem, hoc eſt, citra quintum ab ortu Chriſti ſæculum, citatque in hanc rem eruditos Rabbinos. Hinc eſt, quod in Talmude tam in *Miſchna*, quam in *Gemara*, nulla prorſus fit punctorum mentio, nec ullius offenditur accentus nomen, aut figura. Quarto, ex Verſione Græca lxx. Interpretum, Chaldaica Paraphraſi, Syriaca, & ex aliis antiquis Scripturæ Sacræ Verſionibus, perſpicuum eſt, quaſdam voces, ob defectum punctorum vocalium, quæ necdum ſacro Textui erant affixa, ambiguitate laboraſſe. Quo factum eſt, ut aliter interpretati ſint Verſionum iſtarum auctores, quam hodie in punctatis Codicibus legimus, qui ſi olim punctati fuiſſent, nulla extitiſſet ambiguitas. Quinto, Linguæ Orientales, præſertim Samaritana, Chaldaica, Syriaca, Arabica, quæ maximam cum Lingua Hebraica affinitatem habent, aut nulla puncta vocalia habent, aut in eas recens invecta ſunt, ſicut teſtantur viri harum Linguarum peritiſſimi. Nulla quippe puncta vocalia ad hanc uſque diem habent Samaritani; Chaldæos vero, Syros, & Arabes nulla antiquitus puncta vocalia habuiſſe, ſed illa poſtea ad facilitatem lectionis, vel ad ambiguitatem tollendam, uſurpare cæpiſſe, evincunt *Golius*, *Erpenius*, *Andreas Maſius*, & *Buxtorfius* cap. 1. lib. 1. *Grammaticæ Syriacæ & Chaldaicæ*: peritis autem in arte credendum eſt. Cum igitur Linguæ Orientales, quæ cum Lingua Hebraica, ex qua, utpote omnium Linguarum primigenia, ceu dialecti propagatæ ſunt, maximam affinitatem habent, nulla olim puncta vocalia habuerint, & ſi quæ nunc habent, recens in eas inducta ſint, idem plane de Lingua Hebraica dicendum eſſe cenſeo. Denique, *Origenes*, Linguæ Hebraicæ peritiſſimus, & *Sanctus Hieronymus*, rerum Judaicarum indagator ſolertiſſimus, nullam omnino de punctis vocalibus ſacro Textui Hebraico affixis mentionem fecerunt, eorumque altum ea de re ſilentium argumento eſt, ejuſmodi puncta vocalia ipſis ignota fuiſſe, eaque ſæculis, quibus floruerunt, necdum in Sacra Biblia Hebraica eſſe invecta. Hæc ſunt in ſumma præcipua argumenta, quibus nituntur doctiſſimi Critici, ut probent, nec *Moyſem*, nec *Eſdram* eſſe auctores punctorum vocalium, quæ nunc Sacris Bibliis Hebraicis ſunt affixa. Confutandis autem argumentis, queis punctorum vocalium antiquitatis Aſſertores pugnant, non hic immorabor. Hæc enim pauca ex Operibus Scriptorum, qui in Lingua Hebraica ſunt verſatiſſimi, atque eruditionis Rabbinicæ laude præſtant, defloraſſe ſufficiat, & quantum tibi ſatis eſſe debet, ut his prænotionibus, quæ ad Sacræ Scripturæ lectionem utiles eſſe poſſunt, omnino non careas.

D. Intelligo quidem, originem punctorum vocalium, quæ Sacris Bibliis Hebraicis ſunt affixa, nec a *Moyſe*, nec ab *Eſdra* eſſe repetendam, ſed cuinam hæc punctorum vocalium inventio accepta referri debeat? me prorſus adhuc latet.

M. Sacer Scripturæ Veteris Teſtamenti Textus diu abſque punctis vocalibus, & accentibus fuit exaratus, ſed circa quintum ab ortu Chriſti ſæculum, vel ut cenſet doctiſſimus *Thomaſſinus*, Congregationis Oratorii Presbyter, in ſuo *Gloſſario Hebraico*, circa octavum a Chriſto nato ſæculum Judæi Scholæ Tiberiadis puncta vocalia, & accentus ſacro Textui Hebraico addiderunt, & ea de cauſa dicti ſunt *Maſarothæ*, atque Opus ab illis conflatum, *Maſora* fuit appellatum. Quod Opus apud Judæos tanto in pretio erat, ut illud *Sajeg la tora*, ſeu *Septimentum Legis*, vulgo nuncuparent. Opus autem illud *Maſora* dictum, nihil aliud eſt, quam *Critica* quædam ſacra, qua diligenter annotantur variæ ſacrorum Codicum lectiones, & alia, quæ ſub nomine *Kerib*, & *Ketib* comprehenduntur; ſimulque determinatur, quoties, quo loco, & qua forma, quæque dictio in Textu Hebræo legatur, ut hoc pacto genuina Scripturæ Sacræ lectio ab omni corruptione ſervetur immunis. Hinc celebres

bres illi Critici Judæi Scholæ Tiberiadis, dicti *Maſorethæ*, herculeo & indefeſſo plane labore percenſent omnia capita, verſus, vocabula, radices, & litteras, quæ in ſacro Hebraico Textu continentur, & accurate notant diverſa loca, in quibus eadem vox in ſacro illo Textu repetita legitur. Judæis ergo Scholæ Tiberiadis, dictis *Maſorethis*, accepta referri debet accentuum, verſuum diſtinctionis, & punctorum vocalium, quæ Sacris Bibliis affixa ſunt, Inventio. De utilitate *Maſoræ*, ſeu illius *Criticæ Sacræ*, quam Judæi illi, dicti *Maſorethæ*, adornarunt, legere poteris *Ludovicum Capellum* in *Critica Sacra*, & in libro *De Punctationis Arcano Revelato*, *Buxtorfium* in Tiberiade, *Vualtonum* Prolegomeno octavo in Biblia Polyglotta Londinenſia, *Thomaſſinum* in ſuo *Gloſſario Hebraico*, *Joannem Morinum* lib. 2. Exercitationum *De Textus Hebraici*, *Græcique ſinceritate*, & *Richardum Simonium* in ſua *Critica*. Ad fontem digitum intendiſſe ſufficiat, nec enim patiuntur noſtrorum Colloquiorum anguſtię, ut de his copioſius diſſeramus.

D. Ecquid, amabo te, ſibi vult iſta *Cabala*, cujus, ut mox dicebas, inquirunt Scripturę Sacræ Interpretes, an *Eſdras* ſit auctor?

M. *Cabalam* ſic a *Maſora* diſtinguunt Judæi, ut velint *Maſoram* nihil aliud eſſe quam Criticam, ſeu Traditionem Grammaticam de punctis vocalibus, accentibus, ſyllabis, verſibus, & de aliis iſtiuſmodi minutiis: *Cabalam* vero dicunt verſari circa profunda Legis Myſteria, quæ ex litteris, & verbis Scripturæ Sacræ eruuntur. Hanc *Cabalam* magnificant Judæi, eam æquiparant Legi, ajuntque, ore traditam eſſe a *Moyſe*, & ab *Eſdra*, atque ad hæc uſque tempora ſolicite conſervatam. At, quia Judæi, qui vento & chymęris paſcuntur, multa de cabala, qua nunc utuntur, venditare ſolent, quę falſa ſunt, & ſępe impia ac ſuperſtitioſa, non abs re erit, ut obiter obſerves, quod ſi per cabalam intelligant Judęi myſticas interpretationes, ſeu quoſdam ſenſus reconditos, qui ex verbis Scripturę Sacræ exculpi, & hauriri poſſunt, nullum dubium eſt, quin cabala ſic intellecta teſte noſtro *Sixto Senenſi* lib. 2. *Bibliothecæ ſanctæ*, bona ſit, vera, & pia, atque *Moyſem*, Prophetas, & *Eſdram* habeat auctores, qui Scriptis & ore docuerunt, Chriſtum eſſe plenitudinem Legis, & omnia in ejus typos fieri, quique reconditorum ſenſuum Legis, & Myſteriorum notitiam a Deo acceperunt, & eam ad ſequentium ætatum ſapientes ſucceſſiva, & nuſquam interrupta Traditione de ore in os, de aure in aurem tranſmiſerunt. Quin, & ſanctos Patres cum Græcos, tum Latinos, & interpretes Catholicos expoſuiſſe multos latentes Myſticos Scripturæ Sacræ ſenſus certiſſime conſtat. *Cabala* igitur, eo in ſenſu accepta, bona eſt, & nunquam ab Eccleſia Catholica fuit damnata. At, ut ingenue dicam, ex hodierna cabala, cui Judæi toti ſunt addicti, nihil ſani hauriri poteſt. Vana quippe myſteria in ſyllabis, punctis & apicibus Sacrarum Scripturarum venantur, expiſcantur, ſeu potius oleum & operam perdunt otioſi Judæi. Ex variis permutationibus, combinationibus litterarum, abbreviaturis, vel ex litterarum figura, aut vi Arithmeticæ, arcanos ſenſus & intelligentias extundunt, &, inſtar Chymicorum Doctorum, miris verborum involucris obvolvunt, pleraque arcana obtrudunt, quæ falſa ſunt, & inepta, quæque ſubinde riſum moverent, ſi circa ambages proponerentur. Qua in re Judæi imitantur Philoſophos Pythagoræos, qui olim obſcuris ſymbolis myſteria ſua offerebant, ut reconditam, & aliorum mentibus imperviam ſapientiam oſtentarent, & clariſſimorum ingeniorum excitarent curioſitatem, atque auriti vulgi admirationem, quod ut plurimum ſuſpicit, quidquid intelligentia aſſequi haud poteſt. Hæc cabala appellatur a Judæis *Practica*, quæ optimo jure a Chriſtianis tanquam magica & illicita damnatur, quia illius cabalæ ope, Judæi ex litteris, vel verbis Scripturæ Sacræ detortis, & arcanis quibuſdam, ſed impiis & ſuperſtitioſis inde elicitis ſenſibus, op-

opinantur, ſe ſe Angelis familiares reddere, miracula poſſe patrare, morbos ſanare, & Dæmones expellere. Quam perſuaſionem ineptam, ridiculam, & ſuperſtitioſam eſſe, nemo eſt, qui ſtatim non videat. Hac tamen cabala mirum, quantum delectentur hodierni Judæi, qui tres illius diſtinguunt ſpecies. Primam appellant *Gematriam*, quæ vox eſt origine græca, & qua Cabaliſtici Judæorum Doctores utuntur ad denotandam arithmeticam litterarum Scripturæ Sacræ ſupputationem, ut inde ſenſus myſticos pro ſuo arbitrio eliciant, ſed ineptos plane, & ſuperſtitioſos. Alteram cabalæ ſpeciem appellant *Notaricon*, cujus beneficio, per compendium litterarum Scripturæ Sacrę, ſingulæ litteræ alicujus dictionis totidem verba ſignificant, quæ eaſdem litteras initiales, vel finales habent. Tertiam denique cabalæ ſpeciem vocant *Temuram*, id eſt, *permutationem*, qua, eodem litterarum Scripturæ Sacræ retento numero, eas, eodem ordine manente, aliter componunt, vel per certam Alphabeti combinationem cum aliis permutant, ſicque (ut in Anagratiſmo fieri aſſolet) mutant quadrata rotundis, & rotunda quadratis. Sed ex his, quæ hactenus ſtrictim diximus, ſat ſuperque compertum te habere puto, temerarium & ridiculum omnino eſſe, aſſerere, *Moyſem*, vel *Eſdram*, alioſve ſpiritu Dei afflatos homines cabalæ auctores & inventores fuiſſe. Faceſſant itaque Cabaliſtici Judæorum Doctores, qui neglecto ſenſu litterali Scripturæ Sacræ, ingenii ſui figmenta plenis ac crepitantibus buccis venditant pro magnis & abſtruſis myſteriis, quæ tamen reapſe ſunt puerorum ludi, nugæ nugarum, aniles fabulæ, quæ ad Scripturæ Divinæ, Fideique corruptionem recta tendunt, tantum abeſt, ut ad Scripturæ Divinæ intelligentiam, & ad Fidei Dogmata propugnanda, aut illuſtranda viam aperiant. Hinc appoſite *Aben Eſra*, perdoctus apud Judæos Rabbinus, Præfatione in Legem, hos Cabaliſticos Doctores *Noctuis* aſſimilat, *qui in litteralis ſenſus ſplendore cęci ſunt, in myſteriorum tenebris perſpicaces*, ſeu valde oculati.

D. De *Eſdra*, ſacrorum librorum, poſt laxatam captivitatem Babylonicam inſtauratore, non plura ſcire deſidero, ſed optarem, ut diſtinctius explicares, quis, qualiſve fuerit iſte *Zorobabel*, qui, ut ſuperius dicebas, Judæos e Babylone, poſt ſolutam a *Cyro*, Perſarum Rege, captivitatem, in patrium ſolum reduxit?

M. Iſte *Zorobabel* fuit filius *Salathielis*, & a *Cyro*, Perſarum Rege, Dux ac Princeps Populi Judaici conſtitutus, ut eum e captivitate Babylonica liberatum in Judæam reduceret. Ad Judæam appulſus *Zorobabel*, magno ſtudio una cum *Jeſu*, ſeu *Joſue*, Pontifice, filio *Joſedechi*, fabricam ſecundi Templi Hieroſolymitani aggreſſus eſt, divinumque opus urgere cœpit. Sed eamdem Templi fabricam, quam propter hoſtiles Cuthæorum, ſeu Samaritanorum, incurſus, ac molitiones, ſub Regibus Perſarum, *Cyro*, *Cambyſe*, & *Smerde Mago*, intermittere coactus fuerat *Zorobabel*, poſtea, regnante *Dario*, *Hyſtaſpis* filio, Perſarum Rege, hoc eſt, anno ſecundo ejus Regni, intrepido animo reſumpſit, eamque feliciter abſolvit anno ſexto Regni ejuſdem *Darii*, *Hyſtaſpis* filii, illiuſque fabricæ dedicationem, magna cum ſolemnitate & lætitia peregit, cui ſucceſſit Feſti Paſchalis celebratio die decima quarta menſis primi, ſicut legitur cap. 6. lib. 1. *Eſdræ*. Hic autem *Zorobabel*, qui ſecundi Templi Hieroſolymitani fabricam inſtauravit, ſuam originem a *Davide*, Rege, per lineam *Nathanis*, filii ejuſdem Regis, ducebat, ut teſtatur Evangeliſta *Lucas* cap. 3. ubi recenſendo avos, proavos, & tritavos Jeſu Chriſti a *Davide*, Rege per *Nathanem* deſcendentes, reponit inter illos *Zorobabelem*, quo fit, ut iſte *Zorobabel*, cujus in ſtemmate Chriſti meminit *Lucas*, diſtingui omnino debeat ab altero *Zorobabele*, cujus Evangeliſta *Matthęus* capite 1. in deſcribenda genealogia Chriſti mentionem facit. At enim, hic *Zorobabel*, quem in ſtemmate Chriſti Do-

Domini reponit *S. Matthæus*, deſcendit a *Davide*, Rege per lineam *Salomonis*. Præterea, avi, proavi, & tritavi, quos *Lucas* tribuit *Zorobabeli*, ſunt plane diverſi ab avis, proavis, & tritavis, quos *Matthæus* aſſignat *Zorobabeli*, quem inſeruit genealogiæ Chriſti. Tertio, *Zorobabel*, cujus meminit *Matthæus*, diu poſt captivitatem Babylonicam, genitus fuit; *Salathiel* quippe, ipſius pater, fuit duntaxat genitus in captivitate Babylonica, ſic enim habet S. Matthæus. *Et poſt transſmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel*. At, ille *Zorobabel*, quem in genealogia Chriſti exhibet *S. Lucas*, fuit vel ante captivitatem Babylonicam, vel ſaltem primis annis ejuſdem captivitatis genitus, ut pote qui jam annis maturus erat, quando, annuente *Cyro*, Perſarum Rege, Populum Judaicum e captivitate Babylonica ad patrium ſolum reduxit. Denique, a *Zorobabele*, quem refert Evangeliſta *Matthæus*, uſque ad *Joſephum*, virum *Mariæ*, novem duntaxat putantur generationes, ſed a *Zorobabele*, quem producit Evangeliſta *Lucas*, ſeptemdecim numerantur generationes, ex quibus liquet, utrumque *Zorobabelem*, non unum (ſicut multi falſo ſibi perſuaſerunt) ſed duos plane diverſos homines extitiſſe. Ad *Zorobabelem*, qui Judæos e captivitate Babylonica, in patrium ſolum reduxit, pertinere vaticinium Prophetæ *Michææ* cap. 5. v. 2. de proditur Duce e Bethleem, qui dominator eſſet in Iſrael, magnis animis pertendunt Hebræi. Sed dubium non eſt, quin in detorta hujuſce vaticinii interpretatione fallantur. Primo, quia *Zorobabel* nec in Judæa, nec Bethleemi natus eſt, ſed, ut mox diximus, in captivitate Babylonica. Dux autem ille, de quo loquitur Propheta *Michæas*, naſci debebat in Bethleem. Secundo, *Zorobabeli* convenire haud poteſt hæc vaticinii *Michææ* pars: *Egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. Denique, Paraphraſtes Chaldæus *Jonathan*, auctores Talmudis, Rabbi *Salomon*, & Rabbi *Kimki*, hoc *Michææ* vaticinium non de *Zorobabele*, ſed de Meſſia intelligendum eſſe ultro fatentur. At, quamvis *Zorobabel*, qui Populo Judaico, e captivitate Babylonica in patriam revertenti, præfuit, non ſit ille Dux, qui, juxta *Michææ* vaticinium, Bethleemi naſciturus erat, typum tamen geſſit Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, qui Bethleemi natus eſt. Sicut enim *Zorobabel*, Judæorum, e captivitate Babylonica in patriam redeuntium, Dux fuit, ita Jeſus Chriſtus homines Mundi hujus captivitate liberatos in patriam cœleſtem, nempe Hieruſalem, deduxit. *Zorobabel* Templum Hieroſolymitanum inſtauravit: Jeſus Chriſtus Eccleſiam toto Orbe diffuſam ex vivis lapidibus extruxit. *Zorobabeli* Judæorum hoſtes Cuthæi, ſeu Samaritani, negotium faceſſiverunt: Chriſto Domino Satanas, & Mundus perpetuum bellum indixerunt. Denique, *S. Hieronymus* Comment. in cap. 1. *Aggai*, Prophetæ, hæc habet: *Unus atque idem eſt Dominus noſter atque Salvator, Rex & Magnus Sacerdos, cujus typum, ſecundum id quod Rex erat, portabat Zorobabel, ſecundum id autem quod Pontifex erat, portat cognominis ejus Jeſus*, ſeu *Joſue*, Pontifex, *Joſedechi* filius, qui una cum *Zorobabele* Judæo e captivitate Babylonica in patriam reduxit, & extruendæ ſecundi Templi Hieroſolymitani fabricæ egregiam operam navavit.

D. Supereſt, ut ſub finem hujuſce Colloquii diſſeramus de *Eſtheris* Hiſtoria, quæ, ſicut me jam præmonuiſti, contigit poſt captivitatem Babylonicam; necnon de auctoritate Libri, qui *Eſtheris* nomine inſignitur. Hanc igitur *Eſtheris* Hiſtoriam compendioſe quidem, ſed accurate primum deſcribe.

M. Hiſtoriæ *Eſtheris* ſummam tibi exhibebo, quam deinde in libro, qui ejuſdem *Eſtheris* nomen præfert, latius deſcriptam, aliquando lectitare poteris. *Aſſuerus*, Perſarum Rex, ut oſtentaret gloriam Imperii ſui, potentiam, opes, magnificentiam, dedit anno tertio Imperii ſui ſplendidum convivium per dies centum & octoginta Suſis, Regia Urbe, Principibus & Sa-

Digitized by Google

Satrapis Provinciarum ſuarum, & ne populus Suſanus a communi excluderetur lætitia, invitavit poſtea omnem populum, qui inventus eſt in Urbe Regia Suſan, a maximo uſque ad minimum, & juſſit, ut per ſeptiduum ei lautiſſimum pararetur convivium in veſtibulo horti, & nemoris, quod regio cultu & manu conſitum erat. Contigit autem ſeptimo convivii die, ut Rex *Aſſuerus*, vino (ficut in iſtis *Baccho* conſecratis epulis fieri ſolenne eſt) nimium incaleſcens, juſſerit ut vocaretur Regina *Vaſthi*, miræ pulcritudinis fœmina, cujus formam ipſe maritus Rex omnibus prædicabat, quamque (licet præter mores Perſarum) convivio adeſſe volebat, ut Principibus ac populis uxoris ſuæ pulcritudinem demonſtraret. At, Regina *Vaſthi*, ſtulto Rege conſultior, nolens virorum oculis publicum ſpectaculum ſuæ pulcritudinis præbere, venire recuſavit. Hac contumelia permotus barbarus Rex & nimio furore ſuccenſus, conſilio *Manuchan*, unius e ſeptem Perſidis & Mediæ Ducibus, qui Regi ſemper aderant, & legum peritia præſtabant, Reginam *Vaſthi* venire detrectantem repudiavit, Regnoque actutum abdicavit. E Regia itaque depulſa *Vaſthi*, in ejus locum quæſita eſt puella, quæ pari pulcritudine decorata eſſet, & Regis conjugio digna. In hunc puellarum forma præſtantium delectum adſcita eſt *Eſther*, puella Hebræa, *Abihailis* Beniaminitæ filia, *Mardochæi* ex fratre neptis, quæ ceteras puellas, ad conjugium Regis ſelectas, ſpecie vincebat. Anno itaque ſeptimo Regni *Aſſueri* ad eum introducta eſt *Eſther*, prius tamen a ſuo Patruo *Mardochæo* diligenter admonita, ut genus ſuum, & patriam occultaret, caveretque, ne paternarum traditionum immemor, Gentilium cibis veſceretur, Regi licet alienigenæ nupta. Juncta itaque *Eſther* matrimonio Regi, confeſtim ſuæ pulcritudinis illecebris totum ejus animum ita cepit, ſibique devinxit, ut eam Rex præ reliquis mulieribus adamatam, Imperio æquatam, inſigni regio & veſte purpurea donarit. At, in Aula ejuſdem Regis *Aſſueri*, erat ea tempeſtate quidam, dictus *Aman*, Aulicorum potentiſſimus, regique adeo carus & acceptus, ut populus, juſſu ejuſdem Regis, illum, juxta morem Perſarum Regum, adorare compelleretur. Id *Mardochæus*, Judæus patruus Reginæ *Eſtheris*, facere renuens, in ſe concitavit odium *Amanis*, qui vindictæ cupidus, & tam *Mardochæi*, quam Gentis judaicæ exitium meditatus, adiit Regem, eique Auctor fuit, ut Judæos, qui ſua in ejus Regno domicilia fixerant, omnes ad annum exterminaret, ut pote genus hominum pravis ſuperſtitionibus imbutum, peregrinis legibus vivens, & Deo hominibuſque inviſum. Conſilium *Amanis* gratum habuit Rex *Aſſuerus*, & anno duodecimo Regni ſui ferale de omnibus Judæis internecione delendis emiſit Edictum, per omne Regnum ſuum ab India uſque ad Æthyopiam promulgandum, & executioni mandandum. Id ubi compertum habuiſſet *Mardochæus* pergit ad *Eſtherem* Reginam, eique lacrymis perfuſus, aperit indignum facinus, quo immerita gens judaica perire debebat. Agnovit Regina *Eſther* ſummum, in quo tota ſua Gens judaica verſabatur, periculum, & poſtquam per triduum fletibus, jejuniis, & orationibus Deo ſupplicaſſet, Aulam Regis magnifico apparatu ingreditur, ipſumque & *Amanem* ad convivium invitat. Hoc honore elatus *Aman*, ad perniciem *Mardochæi* animum intendens crucem ei paravit. Sed, dum *Aman*, inſidias vitæ *Mardochæi* ſtrueret, opportune accidit, ut Rex *Aſſuerus*, fugiente per noctem ſomno, Annales relegens, didicerit, duos Aulæ ſuæ Spadones, ſeu Eunuchos, contra ipſius vitam conſpiraſſe, eamque conjurationem a *Mardochæo* proditam, ipſique Regi fuiſſe revelatam. Tunc Rex tam inſigne beneficium, quod a *Mardochæo* acceperat, regiis honoribus præmiare volens, juſſit *Amani*, ut *Mardochæus* per plateas civitatis equo impoſitum præcederet, atque clamaret: *Sic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare*. His peractis,

actis, venit Rex *Aſſuerus* una cum *Amano* ad cœnam Reginæ *Eſtheris*, dumque Rex lætus poſt convivium vino inter bibendum incaluiſſet, ad illius genua Regina *Eſther* advoluta gentis ſuæ judaicæ perniciem deprecata eſt; cumque Rex reſpondiſſet, nihil ſe petenti negaturum, tum ipſa opportunam nacta favendi genti ſuæ periclitanti occaſionem, ſceleſtum *Amanem*, in ultionem Judæorum, quos perditos cupierat, ad necem poſtulavit, ejuſque petitioni ultro annuit Rex, juſſitque, ut *Aman* Genti judaicæ infeſtus, eidem cruci, altitudinis quinquaginta cubitorum, quam *Mardochæo* paraverat, affigeretur, & omnia ejus bona eidem *Mardochæo* darentur. Reſcidit etiam Rex Edictum, quod adverſus Judæos, inſtigante *Amane*, ediderat, aliudque promulgavit, quo Judæis tam in Regia Urbe *Suſa*, quam in ceteris Provinciis Regni poteſtatem permittebat defendendi ſeſe armis, & omnes hoſtes, vim tentantes, occidendi, qua facultate pro ſuo jure uſi ſunt Judæi, & trucidatis inimicis, qui in eorum perniciem incumbebant, præſertim decem filiis *Amanis* in patibulis ſuſpenſis, plenam libertatem ſunt aſſecuti. In perennem vero memoriam hujus liberationis Populi Judaici ab excidio, quod decreverat *Aman*, diem feſtum ſingulis annis peragendum decima quinta die menſis *Adar*, conſtituerunt *Mardochæus*, & Regina *Eſther*, huncque diem feſtum appellarunt *Phurim*, ſeu *Sortium*. Quam feſtivitatem etiamnum Judæi ſingulis annis celebrare ſolent ſtatis diebus decima quarta, & decima quinta menſis *Adar*, qui apud illos eſt anni ſextus menſis civilis, & duodecimus Eccleſiaſticus, caditque in partem menſium noſtrorum Februarii, & Martii. Ex illius autem Feſti religione, & anniverſaria celebritate, quæ ſemper viguit apud Judæos, facile confutatur error Anabaptiſtarum, qui impie aſſerunt, hanc *Eſtheris* Hiſtoriam eſſe commentitiam, aut puram putamque Tragicomædiam, cui Hæreticorum errori plane conſentire videtur Auctor Scripti Gallici, cui titulus eſt: *Sentimens de quelques Theologiens de Hollande, lettres* 8. *&* 11. Hic, inquam, facile refellitur error. Quis enim ſanæ mentis ſibi perſuadeat, hunc diem feſtum (quem Judæi maxima olim cura & religione ſingulis annis obſervarunt, ut videre eſt capite XV. lib. 2. Machabæorum, & in Codice Theodoſiano L. *Judæos* Tit. *De Judæis*) ex figmento, aut ex Tragicomædia originem habuiſſe? Quis etiam credat, lxx. Interpretes, qui eos duntaxat Libros Sacros græce interpretati ſunt, quos Hebræi in ſuo Canone reponebant, voluiſſe hanc *Eſtheris* Hiſtoriam ex Hebræo in Græcum ſermonem vertere, ſi hæc Hiſtoria fictitia eſſet, & mera Tragicomœdia, ſicut illos hæreticos effutire non pudet? Quin, ante Verſionem lxx. Interpretum, Epiſtola *Phurim*, quæ totam complectitur Hiſtoriam Reginæ *Eſtheris*, jam Græce interpretatus eſt *Lyſimachus*, regnantibus in Ægypto, *Ptolomæo*, & *Cleopatra*, ſicut legitur initio undecimi Capitis Libri *Eſtheris*, Editionis tam Græcæ, quam Latinæ: *Anno quarto, regnantibus Ptolomæo, & Cleopatra, attulerant Doſitheus, qui ſe Sacerdotem & Levitici generis ferebat, & Ptolomæus, filius ejus hanc Epiſtolam Phurim, quam dixerunt interpretatum eſſe Lyſimachum, Ptolomæi filium in Hieruſalem*. Incertum quidem eſt, quiſnam fuerit ille *Ptolomæus*, qui tum temporis regnabat in Ægypto? an videlicet fuerit *Ptolomæus Philometor*, qui (ſicut oſtendimus in Tabula Chronologica Regum Ægypti, quam in ſuperiori Colloquio exhibuimus) fuit ſextus poſt *Alexandrum Magnum*, Rex Ægypti? vel an fuerit *Ptolomæus Philadelphus*, quo regnante in Ægypto, lxx. Interpretes ſuam Sacrorum Librorum adornarunt Verſionem Græcam? Quamvis, inquam, id non omnino certum ſit, vero tamen quam ſimillimum eſt, Verſionem Græcam Hiſtoriæ *Eſtheris*, factam a *Lyſimacho*, vetuſtiorem eſſe Verſione Græca lxx. Interpretum, eamdemque Hiſtoriæ *Eſtheris* Verſionem Græcam, a *Lyſimacho* concinnatam, poſtea magna ex parte a lxx. Interpretibus in illam, quam ejuſdem

Hi-

Digitized by Google

Hiſtoriæ *Eſtheris* Verſionem Græcam lucubrarunt, fuiſſe convaſatam. Poſtremo, incredibile omnino eſt, Deum permiſiſſe unquam, ut Eccleſia Catholica, quam ſemper ſpeciali aſſiſtentia regit, Hiſtoriam *Eſtheris*, tanquam veram, ſinceram, ſacram ac divinam reciperet, ſi hæc Hiſtoria eſſet commentitia, aut pura Tragicomœdia, ſicut falſo dictitant Hæretici. Negari igitur non poteſt, aut in dubium ullo pacto revocari, Hiſtoriam *Eſtheris* veram & genuinam eſſe, atque divina pollere auctoritate.

D. Sed quid cenſes de ſeptem poſtremis Libri *Eſtheris* Capitibus, quæ, ſicut nuperrime ajebat mihi vir eruditus, non extant in Textu Hebræo, eaque tanquam ſpurias Appendices, ſeu apocrypha, & adſcititia Additamenta ex Libro *Eſtheris* reſecanda, & expungenda eſſe affirmant etiam quidam doctiſſimi Scriptores Catholici?

M. Cenſeo, ſeptem poſtrema Libri *Eſtheris* Capita perinde a Deo eſſe inſpirata, divinamque habere auctoritatem, ac cetera novem ejuſdem Libri præcedentia Capita. At enim, Vetera Concilia, & omnes Sancti Patres cum Græci, tum Latini, qui Librum *Eſtheris* Scripturæ Sacræ Canoni accenſuerunt, eo de Libro loquuntur, quo univerſa Eccleſia, tam Græca, quam Latina, illorum temporibus utebatur; atqui certo certius eſt, Eccleſiam univerſam temporibus illorum Patrum, in legendis libris Sacris Veteris Teſtamenti, uſam fuiſſe Editione *Itala*, quam *S. Hieronymus* paſſim appellat *Vulgatam*, *quæ Græcorum Lingua & litteris continetur*. Porro, in illa Editione Itala continebantur ſeptem poſtrema Libri *Eſtheris* Capita. Hæc quippe Editio *Itala* exacta erat ad normam Verſionis lxx. Interpretum, in qua itidem habentur ſeptem illa poſtrema libri *Eſtheris* Capita, quæ lxx. Interpretes ex Textu Hebræo in ſua Verſione Græca fuiſſe interpretatos, probat ſumma ipſorum in vertendo fides. Igitur in Exemplaribus Hebraicis fuerunt ſeptem illa Libri *Eſtheris* poſtrema Capita, quæ, ut teſtatur *Origenes* in Epiſtola ad *Julium Africanum*, ex Hebraicis Exemplaribus fideliter in ſuis Verſionibus Græcis lxx. Interpretes, & *Theodotion* expreſſerunt. Sed tametſi darem, hæc ſeptem poſtrema Libri *Eſtheris* Capita nunquam extitiſſe in Textu Hebræo, inde tamen hoc unum tantum inferri poſſet, duo Hiſtoriæ *Eſtheris* a Sacro Scriptore Libri, qui hujus Reginæ nomen præfert, edita fuiſſe Exemplaria, unum videlicet, quod erat preſſius, ſeu magis compendioſum, quale eſt illud, quod deſcriptum eſt in Textu Hebræo; & alterum paulo auctius, & locupletius, in quo exarata erant ſomnium *Mardochæi*, Reginæ *Eſtheris* Oratio, necnon Regis *Aſſueri* Epiſtolæ, quæ omnia repræſentantur in ſeptem poſtremis Libri *Eſtheris* Capitibus, quæ extant in Verſionibus Græcis, & in Editione Vulgata. Nec enim novum & inſolens eſt, ut idem Auctor duas ejuſdem Hiſtoriæ texat narrationes, unam nimirum compendioſiorem, in qua aliquam Hiſtoriam perſtringat; Alteram, quæ ſit diffuſior, & in qua eamdem Hiſtoriam adjectis novis quibuſdam circumſtantiis, & publicis annexis Inſtrumentis illuſtret, exornet, amplificet. Certe, ne longius ad id confirmandum accerſam exempla, legimus Capite nono Libri *Eſtheris* duas deſcriptas Epiſtolas *Mardochæi* ad Judæos miſſas, in quarum prima fuſiori ſtylo deſcripta eſt Hiſtoria Reginæ *Eſtheris*, in altera vero Epiſtola breviori modo eadem Hiſtoria narratur, ſervata tamen in utraque Epiſtola Sacræ Hiſtoriæ veritate. Hinc *Joſephus*, Hebræus Epiſtolas Regis *Artaxerxis*, quæ habentur cap. 13. & 16. Libri *Eſtheris*, agnoſcit tanquam veras & genuinas, eaſque refert cap. 6. Libri XI. *Antiquit. Jud.* Quod manifeſto probat, hunc apud Judæos magni nominis Scriptorem non exiſtimaſſe, ſeptem poſtrema Libri *Eſtheris* Capita eſſe Apocrypha & adſcititia Additamenta, ſicut blaterant Hæretici, qui pluſquam dictitatoriam ſibi arrogantes auctoritatem, non verentur in Sacros Libros virgam cenſoriam exerere. Poſtremo, Oecumenicum Concilium Tridentinum Libros omnes Scripturæ Sacræ, quos

quos Seſſione quarta ſuo in Decreto complectitur, ſuſcipiendos eſſe ſanxit ut Canonicos, cum omnibus ſuis partibus, *prout in Eccleſia legi ſolent*, & *in Vulgata Editione habentur*. Conſtat autem ſeptem poſtrema Libri *Eſtheris* Capita extare in Editione Vulgata, qua a tempore *S. Hieronymi*, qui illius Editionis Vulgatæ Auctor eſt, utitur univerſa Eccleſia Latina. Conſtat etiam, ex iis ſeptem verſionis Libri *Eſtheris* Capitibus plures deſumi Lectiones, quæ in Sacris Eccleſiæ Officiis, Miſſarumque ſolemniis canuntur; nemo igitur poſt decretorium Synodi Tridentinæ judicium affirmare poteſt, ſeptem poſtrema Libri *Eſtheris* Capita non eſſe ab Eccleſia recepta ceu Canonica, eaque Apocrypha & aſſuta eſſe Additamenta. Non me latet, fuiſſe quoſdam doctiſſimos Scripturæ Sacræ Interpretes, quos inter cenſentur *Lyranus*, *Dionyſius* Carthuſianus, & noſter *Hugo*, Cardinalis, qui ſeptem poſtrema Libri *Eſtheris* Capita, tanquam ſpuria & inſititia, rejecerunt, & ex Libro *Eſtheris* reſecanda, & expungenda eſſe putarunt; ſed venia donandi ſunt eruditi illi Scripturæ Sacræ Interpretes, quippe qui ſcripſerunt ante Concilium Tridentinum, in quo iſta controverſia pleniſſime fuit eliquata. Culpandus tamen jure optimo venit noſter *Sixtus Senenſis*, vir alioqui doctiſſimus, qui poſt Concilium Tridentinum floruit, quique lib. I. & VIII. *Bibliothecæ Sanctæ* aſſerit, hæc ſeptem poſtrema Libri *Eſtheris* Capita tanquam intruſa, & Apocrypha, vel ceu pannoſa Additamenta, negligi ab Eccleſia Catholica, & Interpretes multa Libro *Eſtheris* addidiſſe vel ex *Joſepho*, Hebræo, vel ex quopiam alio, vel etiam ſumpto, ut in Scholis fieri ſolenne eſt, narrationis themate, multa proprio marte, ideſt, ex ſuo ingenio, admiſcuiſſe. *Sixto* noſtro *Senenſi* ſuffragatur *Hugo Grotius*, Scriptor quidem naris emunctæ, & acerrimi judicii, ſed in Sacrorum Librorum interpretatione ſuis conjecturis plus æquo indulgens. Ille etenim Scriptor non veretur appellare ea ſeptem poſtrema Libri *Eſtheris* Capita, *Additamenta*, cenſetque ea a quodam Proſelyto fuiſſe inſerta, vel eſſe Rhetorica exercitia piorum Helleniſtarum, ſeu Græcorum, qui ornandis veris Hiſtoriis ea ſcripſerunt, quæ illis temporibus probabiliter fieri, dici, aut ſcribi potuerant. Fatetur tamen, hæc ſeptem ultima Capita Libro *Eſtheris* addita, quia nihil mali, aut falſi continebant, progreſſu temporis auctoritatem accepiſſe. Sed hæc *Grotii* conjectura tanquam vana, futilis, & falſa jure explodi debet. Quis enim ſuum in animum inducere unquam poterit, Eccleſiam Catholicam voluiſſe ſeptem illis poſtremis libri *Eſtheris* Capitibus Sacram, Canonicam ac Divinam aſſerere auctoritatem, ſi revera ſeptem illa Capita, ut perperam ait *Hugo Grotius*, fuiſſent duntaxat Rhetorica exercitia piorum Helleniſtarum, qui ad ornandam *Eſtheris* Hiſtoriam, ea ſcripſerunt, quæ illis temporibus veroſimiliter fieri, dici, aut ſcribi potuerant? Procul hinc ille error, quem Catholicorum aures nec audire, nec ſuſtinere poſſunt.

D. Quamvis hanc vanam, & falſam *Grotii* conjecturam flocci facium, ſimulque deteſter errorem Hæreticorum, qui ſeptem poſtrema libri *Eſtheris* Capita, tanquam apocrypha rejiciunt: optarem tamen, quo facilius prædicta illa Capita vindicare poſſim, ut hic inſereres ea, quibus ad ſuum adſtruendum errorem nituntur Hæretici argumenta, eaque breviter dilueres.

M. Pluma, & aranea tela leviora ſunt, millieſque jam a noſtris Polemicis Scriptoribus eliſa argumenta, quibus Hæretici canonicam ſeptem poſtremorum libri *Eſtheris* Capitum auctoritatem impetere ſolent. Ea tamen, ut votis tuis annuam, breviter hic proponam, eademque opera diluam. In primis dictitant, ſeptem ultima libri *Eſtheris* Capita non extare in Textu Hebræo. Verum, huic argumento jam abunde fecimus ſatis, pluraque nunc dicere ſuperſedebo. Præterea, ajunt, ſeptem poſtrema libri *Eſtheris* Capita pugnare cum novem prioribus capitibus, quia capite ſecundo hujus libri dicitur, *Mardochæum*, cujus neptis erat *Eſther*, inſidias Eunuchorum con-

contra Regem *Aſſuerum* detexiſſe anno ſeptimo Regni ejuſdem *Aſſueri*, Perſarum Regis, nihilque muneris & præmii *Mardochæum*, ob detectas illas inſidias, a Rege accepiſſe narratur capite ſexto ejuſdem libri; & tamen his omnino oppoſita referuntur capite ejuſdem libri duodecimo, quod unum eſt ex ſeptem ultimis libri *Eſtheris* capitibus. In eo ſiquidem capite duodecimo legitur, *Mardochæum* detexiſſe Eunuchorum inſidias anno ſecundo Regni *Aſſueri*, & data ei fuiſſe pro delatione, ſeu pro inſidiarum detectione, munera, quæ ſane, inquiunt Hæretici, recta fronte pugnant, & evidenti antilogia inter ſe colliduntur. Sed vehementer hallucinantur hæretici, dum fictitiam illam ſeptem poſtrema capita inter & novem priora libri *Eſtheris* capita antilogiam obtrudunt. Somnium quippe, quod habuit *Mardochæus*, contigit anno ſecundo Regni *Aſſueri*, ſicut legitur cap. 2. libri *Eſtheris*. Narrantur quidem cap. XI. ejuſdem libri ſomnium *Mardochai*, & cap. XII. detectio inſidiarum, ſed tamen hæc inſidiarum detectio, facta a *Mardochæo*, non ad eumdem refertur annum, quo contigit ſomnium *Mardochęi*, quia, ut mox diximus, ſomnium *Mardochęi* incidit in annum ſecundum Regni *Aſsueri*, detectio autem inſidiarum in annum ſeptimum Regni ejuſdem *Aſsueri*. Quod igitur Sacer Auctor libri *Eſtheris* referat capite 12. ſtatim poſt ſomnium *Mardochęi*, inſidias ab ipſo detectas, hoc facit per anticipationem, quoniam hæc inſidiarum detectio pertinet ad eventum ſomnii. Recte autem ait idem Auctor cap. 22. illius libri, *Mardochęum* pro inſidiis detectis anno ſeptimo Regni *Aſſueri* accepiſſe munera, quia revera *Mardochęus*, poſt detectionem inſidiarum, aliquid præmii a Rege *Aſſuero* accepit cum ſpe, & promiſſione majoris honoris, & dignitatis conferendæ, quam tamen reapſe non eſt conſequutus niſi anno duodecimo Regni *Aſſueri*, quemadmodum narrat idem Auctor cap. 6. libri *Eſtheris*, ubi ſcribit, *Mardochęum* poſt inſidiarum detectionem, quæ accidit anno ſeptimo Regni *Aſſueri*, nihil muneris, & honoris accepiſſe, ideſt, publice, licet aliquod munuſculum *Mardochęus* privatim acceperit, ſtatim ac hoc anno ſeptimo Regni *Aſſueri* inſidias, quas contra hunc Regem moliebantur duo perfidi Eunuchi, detexit ac propalavit. Nullam ergo ſeptem poſtrema capita inter & novem priora libri *Eſtheris* offendes antilogiam, ſi cum peritis Scripturæ Sacræ Interpretibus advertas, ſeptem poſtrema capita libri *Eſtheris* non eſſe revera poſtrema, ſed quædam ex his pertinere vel ad initium, vel ad medium, vel ad finem libri *Eſtheris*. Capita enim undecimum, & duodecimum pertinent ad initium libri *Eſtheris*. Capita vero decimum quartum, decimumquintum, & decimumſextum pertinent ad medium ejuſdem libri. Caput autem decimum pertinet ad finem ejuſdem libri, ut videre eſt in Græcis codicibus, in quibus omnia hæc capita ſuo loco, & ordine ſunt digeſta & collocata. Hinc inferunt doctiſſimi Scripturæ Sacræ Interpretes, hæc verba, quæ leguntur cap. XI. *Eſtheris* libri: *anno ſecundo, regnante Artaxerxe*, extendi haud debere ad inſidiarum detectionem a *Mardochęo* factam, quæ narratur cap. 12. ejuſdem libri *Eſtheris*, quæque contigit tantum anno 7. Regni *Aſſueri*, quemque Scriptura Sacra appellat etiam *Artaxerxem*, ſed referri duntaxat debere ad ſomnium, quod vidit *Mardochęus* anno ſecundo Regni, *Aſſueri*, antequam ille Rex *Eſtherem*, neptim *Mardochęi*, ſibi matrimonio copularet. Patitur tamen Eccleſia, inquit *Bellarminus*, ea ſeptem poſtrema capita ad finem libri *Eſtheris* permanere, ubi illa *S. Hieronymus* collocavit, ut videamus quid ad integritatem libri *Eſtheris* pertineat, & quid etiam non ſit in Codicibus Hebræorum. Eliſa hac priori Hæreticorum objectione, ab alia, nihilo præcedenti ſolidiori, breviter me expedio. Ajunt enim, Auctorem priorum novem capitum libri *Eſtheris* aſſerere capite nono, *Amanem*, qui conſpiraverat contra Judæos, oriundum eſſe ex ſtirpe *Agag*, Regis Amalecitarum, ſeu illum genere eſſe Amalecitam, ſed in ſeptem poſtre-

Digitized by Google

mis libri *Eſtheris* capitibus, nimirum capite XVI. v. x. legi, *Amanem* eſſe gente Macedonem. Quæ varietas, inquiunt hæretici, aperte innuit, ſeptem poſtrema capita fuiſſe altera manu compoſita, & eſſe quaſi Appendicum lacinias libro *Eſtheris* aſſutas. Sed facile hæc altera Hæreticorum difflatur objectio. In primis, dici poteſt, *Amanem* ex paterno genere duxiſſe originem ex ſtirpe *Agag*, Regis Amalecitarum, adeoque Amalecitam fuiſſe, ſed ex materno genere Macedonem fuiſſe. Præterea, dici poteſt, *Amanem* patria quidem Macedonem fuiſſe, ſcilicet Græcum, ſed origine prodiiſſe ex ſtirpe *Agag*, Amalecitarum Regis, & in hoc ſenſu Amalecitam dictum eſſe. Credibile quippe eſt, aliquos ex profligatis Amalecitis ad Græcorum partes profugiſſe, & ex his ortum *Amanem* potuiſſe Gente Græcum, ſeu Macedonem, appellari ab Interprete libri *Eſtheris*, quia ejus tempore, Macedonum nomine, tanquam ſub nobiliori, & potiori parte comprehendebantur ceteri alii Græci. Denique, dici poteſt, hunc *Agag*, ex quo dicitur cap. 9. lib. *Eſtheris* ſuam *Amanem* originem traxiſſe, non fuiſſe Regem Amalecitarum, ſed fuiſſe quemdam Græcum, ſeu Macedonem dictum *Agag*. Et hinc eſt, quod nec Hebraicus Textus, nec ulla libri *Eſtheris* verſio hunc *Agag*, ex cujus ſtirpe ortus eſt *Aman*, appellet Amalecitam. Sed in his confutandis Hæreticorum argutiis non eſt quod diutius immoremur.

D. Quis eſt iſte *Aſſuerus*, Rex, dictus etiam *Artaxerxes*, quo regnante contigit Hiſtoria *Eſtheris*.

M. Graviſſimam ſane proponis difficultatem, quæ omnibus Critices Sacræ peritis crucem figit, eoſque cogit in varias abire ſententias. Alii ſiquidem cenſent, hunc *Aſſuerum*, Perſarum Regem, dictum etiam *Artaxerxem* in libro *Eſtheris*, fuiſſe *Cambyſem*, filium *Cyri*; alii *Darium*, *Hyſtaſpis* filium; alii *Artaxerxem Longimanum*; alii *Artaxerxem Mnemonem*; alii *Artaxerxem Ochum*. Ipſe brevitati, quantum fieri poteſt, ſtudens, probabiliorem, quæ mihi videtur, opinionem indicabo, eaque ſemel ſtabilita, facile perſpicies, ceteras, quæ ſuper hac re circumferuntur, ſententias probabilitate carere. Sed prius advertas velim, nomen *Aſſueri*, & *Artaxerxis* eſſe nomen non Perſarum, ſed Regiæ dignitatis, quo fit, ut id nominis variis Perſarum Regibus tribuatur, ideoque ille Perſarum Rex, qui fuit maritus *Eſtheris*, in novem prioribus libri *Eſtheris* capitibus appelletur *Aſſuerus*, & in ſeptem poſtremis ejuſdem libri capitibus vocetur *Artaxerxes*. Hac præmiſſa obſervatione, dico, probabilius eſſe, Hiſtoriam *Eſtheris* ad tempora *Darii*, *Hyſtaſpis* filii, Perſarum Regis, eſſe referendam, illumque Regem fuiſſe *Eſtheris* maritum. At enim, *Aſſuerus* ille Perſarum Rex, ſub quo contigit *Eſtheris* Hiſtoria, quique fuit maritus *Eſtheris*, *regnavit*, ſicut legitur capite primo libri *Eſtheris*, *ſuper centum viginti ſeptem Provincias, & tertio anno Imperii ſui fecit grande convivium cunctis Principibus, & Pueris ſuis fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclytis, & Præfectis Provinciarum coram ſe*. Id autem apprime convenit *Dario*, *Hyſtaſpis* filio, qui ut ait *Herodotus* lib. 4. cap. 44. Indos ſubegit, & ſicut legitur capite 3. lib. 3. *Eſdræ*, *fecit cœnam magnam omnibus vernaculis ſuis, & omnibus Magiſtratibus Mediæ, & Perſidis, & omnibus Purpuratis, & Prætoribus, & Conſulibus, & Præfectis ſub illo ab India uſque Æthyopia centum viginti ſeptem Provinciis*. Porro, liber tertius, & quartus *Eſdræ*, quamvis canonicam non habeant auctoritatem, æquali tamen auctoritate pollent ac libri editi ab Hiſtoricis prophanis, ubi Scripturæ Sacræ non repugnant. In hanc autem ſententiam ipſe, ut candide fatear, eo lubentius deſcendo, quod, ea ſemel admiſſa, ſolvatur inextricabilis pene illa difficultas de ætate *Eſtheris*, & *Mardochæi*, qui a *Nabuchodonoſore*, Babyloniorum Rege, in captivitatem Babylonicam fuit cum aliis Judæis abductus, ſicut legitur capite ſecundo, & cap. 11. libri *Eſtheris*. Verum, ut magis perſpectum habere poſſis modum, illum expeditiſſimum, quo iſthæc difficultas de æta-

ætate *Mardochæi* enodari poteſt, neceſſe eſt, ut in memoriam revoces ea, quæ in ſuperiori Colloquio diximus de annis, per quos regnavit *Cyrus*, Perſarum Rex. Ibi quippe oſtendimus, *Cyrum* regnaſſe triginta annos, ſicut ei conſtanter omnes Hiſtorici tribuunt, ſed tamen viginti ſeptem annos regnaſſe in Perſide, & per tres ultimos annos regnaſſe in Babylone, poſtquam, devicto *Dario Medo*, ultimo Babyloniorum Rege, tanquam ſupremus Perſarum Monarcha, in Babylone regnare cæpit. Quando igitur Scriptura Sacra dicit, *Cyrum* anno primo Regni ſui laxaſſe captivitatem Babylonicam, id non eſt intelligendum de anno primo Regni, quod Rex *Cyrus* iniit in Perſide, ſed de anno primo Regni, quod idem *Cyrus* auſpicatus eſt in Babylone, dum Perſarum inſtituit Monarchiam, & per tres annos tanquam ſupremus Perſarum Monarcha in Babylone imperavit. Hac autem ſemel præmiſſa ſummi momenti obſervatione chronologica, facile ſolvitur difficultas de ætate *Mardochæi*, ejuſque neptis *Eſtheris*. Subducamus itaque annos, & ſupponamus, *Mardochæum*, annos quinque natum, in captivitatem Babylonicam a *Nabuchodonoſore*, fuiſſe abductum. Fluxerunt poſtea ſeptuaginta anni captivitatis Babylonicæ. *Cyrus* regnavit in Babylone, tanquam ſupremus Perſarum Monarcha, tribus annis: *Cambyſes*, filius *Cyri* ac ſucceſſor regnavit ſeptem circiter annis. *Smerdes Magus* ſucceſſit *Cambyſi*, & regnavit ſeptem menſibus, eique ſucceſſit *Darius*, *Hyſtaſpis* filius, quo regnante, contigit Hiſtoria *Eſtheris*. Hi porro anni, quos ſubduximus, ſimul collecti efficiunt ſummam annorum octoginta ſex, quos natus erat *Mardochæus* initio Regni *Darii Hyſtaſpis* filii. Experientia autem conſtat, multos ea ætate ſenes adhuc robuſtos & vegetos eſſe. *Eſther* vero, neptis *Mardochæi*, initio Regni *Darii Hyſtaſpis* filii, admodum juvenis erat, quippe quæ filia fratris *Mardochæi*, longe ipſo junioris, & nata jam ex patre grandævo. Hoc pacto facile ſolvitur hæc de ætate *Mardochæi*, ejuſque neptis *Eſtheris* difficultas, a qua ut ſeſe expediant illi Scriptores, qui *Cyro*, Perſarum Regi, tribuunt annos Regni viginti novem poſt laxatam captivitatem Babylonicam, coguntur aſſerere primo, *Mardochæum* dici translatum in captivitatem Babylonicam, non quod jam natus eſſet, ſed quia in captivitate Babylonica natus eſt ex illis familiis, quæ tempore Joakimi, Regis Judæ, in hanc captivitatem fuerunt abductæ. Quod certe merum effugium eſt, falſique palam convincitur ex cap. 2. & cap. 11. libri *Eſtheris*, ubi diſerte legitur, *Mardochæum* fuiſſe revera, & in propria perſona abductum in captivitatem Babylonicam. Secundo, iidem Scriptores fateri tenentur, *Mardochæum* initio Regni *Darii Hyſtaſpis* filii ultra centeſimum ætatis ſuæ annum fuiſſe provectum, nec tamen imbecillum, ingraveſcentem, ſeniove confectum, ſed ſolidum, robuſtum, ac valentem, in rebus magnis præclariſque gerendis fuiſſe verſatum, quod ſane nulla ratione fit veroſimile. At, quid dicam de *Scaligero*, & de *Petavio*, viris alioqui ſacræ prophanæ Chronologiæ peritiſſimis; quorum prior Hiſtoriam *Eſtheris* refert ad tempora *Xerxis*, Perſarum Regis, & filii *Darii Hyſtaſpis*; alter vero, ſeu *Petavius* cenſet, Hiſtoriam *Eſtheris* contigiſſe, regnante *Artaxerxe Longimano*, Perſarum Rege, & filio *Xerxis*? Profecto, ſi mihi hac in re liceat meum interponere judicium, libere dicam, utramque ſententiam penitus abludere a vero. Si enim *Xerxes*, Perſarum Rex, eſſet maritus *Eſtheris*, ut putat *Scaligerus*, ſequeretur, *Mardochæum*, tempore *Xerxis*, natum fuiſſe annos centum & quinquaginta juxta ejuſdem *Scaligeri* annorum calculum, ac ſubinde *Eſtherem*, neptim *Mardochæi*, annoſam fuiſſe, ſenio confectam, quando nupſit *Xerſi*, Perſarum Regi. Quod ſane, ut nemo non videt, abſurdum eſt, & abſurdius adhuc apparet in ſententia *Petavii*, qui Hiſtoriam *Eſtheris* refert ad tempora *Artaxerxis Longimani*, Perſarum Regis, qui fuit filius *Xerxis*.

Sed

Digitized by Google

Sed nullo pacto audiri debent quidam Scriptores, qui Hiſtoriam *Eſtheris* ablegant vel ad tempora *Artaxerxis Mnemonis*, ſeu *Memoris*, vel ad Regnum *Artaxerxis Ochi*, qui ambo fuerunt Perſarum Reges longe poſteriores his, quos mox laudavimus, Perſarum Regibus, *Dario Hyſtaſpis* filio, *Xerxe*, & *Artaxerxe Longimano*. In eorum ſiquidem Scriptorum ſententia, *Mardochæus* exceſſiſſet ætatis ſuæ annum pene ducenteſimum, quod tam abſurdum eſt, quam quod maxime. Hiſtoria igitur *Eſtheris*, ut oſtendimus, removeri haud debet a temporibus *Darii Hyſtaſpis* filii, qui vere fuit maritus *Eſtheris*, & in quem, ſicut legitur cap. 16. verſ. 10. libri *Eſtheris*, conſpiravit *Aman*, voluitque ejus Regnum transferre ad Macedones. Quamvis enim Macedonum Regnum maxime inclaruerit tempore *Philippi*, patris *Alexandri Magni*, cujus Imperium concurrit cum Imperio *Artaxerxis Ochi*, Perſarum Regis, & *Dario Hyſtaſpis* filio poſterioris; certum tamen eſt, regnante *Dario Hyſtaſpis* filio, jam Perſis notos fuiſſe Macedones, utpote qui bellicis facinoribus, & variis pugnis, atque victoriis tam de Thracibus, quam de aliis hoſtibus, illorum gloriæ æmulis, feliciter reportatis, inclyti erant, ut videre eſt apud *Juſtinum* lib. 7. Hiſt.

D. Suſcepitne *Eſther* ex marito ſuo *Dario Hyſtaſpis* filio, Perſarum Rege, aliquam prolem?

M. Tres uxores *Darius Hyſtaſpis* filius, Perſarum Rex, habuit, teſte *Herodoto* initio libri octavi. Primam uxorem, quæ erat filia *Gobriæ*, duxit *Darius Hyſtaſpis* filius antequam Perſarum Imperio potiretur, & ex ea tres filios ſuſcepit. Altera uxor, quam *Darius Hyſtaſpis* filius, poſtquam ad Perſarum Imperium fuiſſet provectus, ſibi matrimonio copulavit, dicta eſt *Atoſſa*, filia *Cyri*, Perſarum Regis, cujus regalibus nuptiis voluit *Darius Hyſtaſpis* filius Imperium Perſarum, ſibi adjudicatum firmare, ut non tam in extraneum tranſlatum, quam in *Cyri* familiam reverſum videretur. Ex hac ſecunda uxore, dicta *Atoſſa*, quatuor filios procreavit *Darius Hyſtaſpis* filius, Perſarum Rex, quorum primogenitus fuit *Xerxes*, qui patri ſuo in Perſarum Imperio ſucceſſit. Hæc ſecunda *Darii Hyſtaſpis*, Perſarum Regis, uxor, appellabatur etiam *Vaſthi*, quam idem Rex, ut antea diximus, repudiavit. Tertiam denique *Darii*, *Hyſtaſpis* filii, Perſarum Regis, uxorem appellat *Herodotus Ariſtonam*, ſeu *Artiſtonam Virginem*, quam ait idem Hiſtoricus fuiſſe a *Dario Hyſtaſpis* filio præ ceteris ſuis fœminis adamatam, eamque duos peperiſſe filios, ſeu *Arſamen*, & *Gobriam*. Hanc tertiam *Darii Hyſtaſpis* filii, Perſarum Regis, uxorem, dictam *Artiſtonam*, multi Scripturæ Sacræ periti volunt *Eſtherem*, neptim *Mardochæi*, quæ Hebræis *Hadaſſa* dicitur, vulgatus vero Interpres *Ediſſam* vocat. Aſſerit quidem *Herodotus*, hanc *Ariſtonam*, tertiam *Darii Hyſtaſpis* filii Perſarum Regis, uxorem, fuiſſe filiam *Cyri*, & ſororem *Atoſſæ*, quod certe non convenit *Eſtheri*, nepti *Mardochæi*. Verum reſpondent viri eruditi, id ita viſum eſſe Hiſtorico *Herodoto*, vel quia Perſicas Genealogias non ſatis exploratas habuit, vel quia conſulto Perſæ per invidiam genus *Eſtheris* diſſimularunt, ac *Cyri* filiam eſſe commenti ſunt, maxime cum *Eſther*, jubente patruo ſuo *Mardochæo*, genus ſuum non ſtatim indicaverit, ſicut legitur cap. 2. verſ. 20. libri *Eſtheris*. Hac ſemel admiſſa peritorum Scripturæ Sacræ Interpretum ſententia, ſequitur, *Darium Hyſtaſpis* filium, ex Regina *Eſthere*, conjuge ſua, quæ eadem eſt ac *Artiſtona*, duos ſuſcepiſſe filios, *Arſamen*, & *Gobriam*. Qua de re conſule *Auguſtinum Calmet*, doctiſſimum Benedictinum, in ſuo *Commentario Litterali* in librum *Eſtheris*, ubi etiam refellit errorem ſive Hebræorum, qui putant, Reginam *Eſtherem* eſſe matrem *Darii Hyſtaſpis* filii, Perſarum Regis, ſive aliorum, qui aſſerunt, Reginam *Eſtherem* eſſe matrem vel *Holofernis*, vel *Xerxis*, qui patri ſuo, *Dario Hyſtaſpis* filio, in Imperio Perſico ſucceſſit,

quæ omnia ſunt putida commenta, quæ Hiſtoriæ cum ſacræ, tum prophanæ omnino adverſantur.

D. Quis eſt auctor libri *Eſtheris*, cujus hiſtoriam hactenus deſcripſiſti, & tempus, quo eadem hiſtoria contigit, accurate præfixiſti?

M. Circa auctorem libri *Eſtheris* non una eſt Scriptorum ſententia. Alii volunt, auctorem libri *Eſtheris* eſſe *Eſdram*, alii *Mardochæum*, alii *Joachimum*, Summum Pontificem, alii exiſtimant, librum *Eſtheris* eſſe genuinum magnæ Judæorum Synagogæ fœtum, alii denique putant, libri *Eſtheris* auctorem eſſe omnino incertum. Narrat quidem *Mardochæus*, avunculus *Eſtheris*, ſe librum ſcripſiſſe, illumque ad Judæos miſiſſe. Sed ille liber nihil aliud fuit, quam epiſtola a *Mardochæo* miſſa ad Judæos, & eo fine ſcripta, ut Judæi *Phurim* ſolemnitatem, ſeu feſtivitatem ſortium, ſingulis annis ſtata die celebrarent, uti ex cap. 9. & ex initio capitis 10. libri *Eſtheris* facile colligitur. Quocirca, mihi magis probatur ſententia Illuſtriſſimi *Danielis Huetii*, Abrincenſis Epiſcopi, qui in ſua *Demonſtratione Evangelica*, Propoſitione 14. pag. 174. & 175. aſſerit, Judæorum Synagogam magnam, ad quam ex officio pertinebat rationem & cæremonias hujus ſortium ſolemnitatis explicare, hunc *Eſtheris* librum ad majorem Judæorum inſtructionem & fructum edidiſſe, eique inſeruiſſe non ſolum integram *Mardochæi* jam citatam epiſtolam, una cum epiſtola *Eſtheris*, cujus eodem in capite nono verſicul. 29. fit mentio, ſed etiam edidiſſe nonnullas circumſtantias, quæ ad lucem huic *Eſtheris* hiſtoriæ conciliandam neceſſariæ videbantur. Certiſſime autem conſtat, hunc *Eſteris* librum temporibus *Eſdræ* jam fuiſſe conſcriptum, nec ad poſteriora tempora referri poſſe, quia prædictus liber relatus eſt in Canonem Hebræorum, quem, teſte *Joſepho*, Hebræo, *Eſdras* poſt laxatam captivitatem Babylonicam texuit, & clauſit ſub *Artaxerxe Longimano*, Perſarum Rege.

D. Quid intelligis per illam Synagogam magnam Judæorum, cujus juſſu & auctoritate ſcriptus & approbatus eſt *Eſtheris* liber?

M. Vox *Synagoga* Græca eſt, quæ idem ſonat ac Congregatio. Per Synagogam itaque magnam Judęorum nihil aliud intelligitur quam Congregatio, ſeu Synodus generalis Judæorum, penes quam ſumma reſidebat poteſtas Decretorium de libris ſacris, & de his, quæ Judęorum Religionem ſpectabant, proferendi judicium. Hæ autem Congregationes, ſeu Synodi generales Judęorum appellabantur *Synagogæ Magnæ*, ut diſcernerentur a peculiaribus, & privatis Congregationibus, quas Judęi olim habebant, & etiamnum habent ad orationem deſtinatas, quęque abſolute *Synagogæ* appellari ſolent. De illis Synagogis, quas Judæi, orationis ergo, frequentant, de illarum antiquitate, de Judæorum Doctoribus, ſeu Rabbinis, qui in Synagogis præſunt, necnon de illorum officiis, brevem ſermonem ſub finem hujuſce Colloquii habebo, ut aliquam de his ſingulis notitiam habere poſſis. Synagogæ itaque Judæorum ſunt domus orationis & doctrinę, quæ nullam formam peculiarem habent, niſi quod in illis eſt ſpecies Altaris, ſive Menſæ, in quam explicatur & evolvitur Legis Moſaicę Volumen. Juxta quamlibet Synagogam extat cubiculum, ex quo mulieres proſpiciunt in Synagogam virorum, nec enim licet mulieribus intrare, nec a viris proſpici. In omnibus etiam Judæorum Synagogis eſt quædam ad Orientem arca, ſeu armarium, in quo reponitur, & ſumma cura aſſervatur Legis Moſaicæ Volumen, quod abſque accentibus, punctis vocalibus, & Verſuum diſtinctionibus deſcriptum eſſe debet. Plures quoque in Synagogis Judæorum pendent e laqueari lucernæ, quæ in Sabbato accenduntur. Has Synagogas inſtituerunt Judæi, dum eſſent in captivitate Babylonica, jamque Templum Hieroſolymitanum, a *Salomone* extructum, penitus a *Nabuchodonoſore*, Babyloniorum Rege, fuiſſet everſum. Non poterant tamen Judæi in his Synagogis Sacrificia Deo offerre, & ma-

mactare Agnum Paſchalem, ſed id duntaxat in Templo Hieroſolymitano ſive ante, ſive poſt captivitatem Babylonicam, juxta Legem Moſaicam, præſtare potuerunt, ita ut illi Judæi, qui, poſt captivitatem Babylonicam, aliud Templum, præter Hieroſolymitanum, Deo erexerunt, habiti fuerint ac rejecti tanquam Schiſmatici, & Legis Moſaicæ tranſgreſſores. Quod quidem, ut clarius intelligas, obiter advertere debes, duo Templa poſt captivitatem Babylonicam, præter Templum Hieroſolymitanum, fuiſſe extructa, in quibus verus Deus Iſraelitarum coleretur quidem, ſed falſa Religione. *Sanaballetes* enim, ſicut in præcedentibus noſtris Colloquiis jam me obſervaſſe memini, venia petita a *Dario*, Perſarum Rege, cujus erat Præfectus, & deinde ab *Alexandro Magno*, Græcorum Monarcha poſt mortem *Darii*, Regis, extruxit in monte *Garizin* Templum Samariæ in gratiam *Manaſſis* generis ſui. In hoc Templo *Garizin* Samaritani, qui jam diro Schiſmate a Judæis erant divulſi, primum Deo vero Sacrificia offerebant, ſed poſtea *Antiochus Epiphanes*, Rex Syriæ, non ægre conſentientibus Samaritanis, *Jovi Hoſpitali* hoc Templum conſecravit. Poſt annos autem ducentos, quam fuerat conditum iſtud Templum in monte *Garizin*, Joannes Hircanus, Summus Judæorum Pontifex, illud una cum urbe Samariæ evertit. Hanc Samariæ urbem denuo excitavit *Herodes*, a Senatu Romano Rex Judææ declaratus, eamque *Sebaſtem* de nomine *Cæſaris Auguſti* appellavit, & in ea Templum extruxit, cui tamen Samaritani montem Garizin prætulerunt. Aliud, poſt captivitatem Babylonicam, fuit in Ægypto extructum vero Deo Iſraelis Templum ab *Onia*, qui fuit *Oniæ Tertii* Pontificis filius natu minimus. Hic quippe, fervente perſecutione, in qua *Antiochus Epiphanes*, Rex Syriæ, crudeliter ferro flammaque ſæviit in Judæos, fugit in Ægyptum ad Regem *Ptolomæum Philometorem*, & uxorem ejus *Cleopatram*, atque ab his ſtruendi Templi, Hieroſolymitano Æmuli, facultatem obtinuit, & illud *Leontopoli* in Præfectura Heliopolitana erexit, ſeque ejuſdem Templi Summum Pontificem conſtituit, Sacerdotes etiam & Levitas creavit, qui Sacra Ritu Judaico peragerent. Iſtud ſecundum Schiſmaticum Judæorum Templum duravit uſque ad excidium Hieroſolymitanum, poſt quod a *Paulino*, Alexandriæ Præfecto, dirutum eſt anno Æræ Chriſtianæ ſeptuageſimo primo, cum ſtetiſſet ultra ducentos annos. Hæc autem obiter annotanda eſſe duxi, ut inde intelligas, Judæos, juxta Legem Moſaicam, in ſolo Templo Hieroſolymitano, ſive a *Salomone* extructo, ſive a *Zorobabele* poſt captivitatem Babylonicam inſtaurato, potuiſſe Deo offerre Sacrificia, & Agnum Paſchalem immolare, non vero in Synagogis, nec in Templis, quæ extra Hieroſolymorum urbem condita erant, etiamſi vero Deo Iſraelis eſſent erecta, & omnia Sacra Ritu Judaico in his celebrarentur. Hinc eſt, quod illa Templa, extra Hieroſolymorum urbem conſtructa, a Deo Iſraelis, licet conſecrata, pro legitimis veri Dei Templis in Sacro Codice non agnoſcantur. Sed redeamus nunc ad Synagogas Judæorum. Moris erat apud Judæos in unaquaque hebdomada, ſeu ſingulis diebus Sabbathi ſuas Synagogas frequentare, ſive ad orandum, ſive ad audiendam a ſuis Doctoribus explicationem Legis, & ab illis accipiendam correctionem morum, ſicut teſtatur *Philo*, Judæus, quem morem Judæi etiamnum obſervant ſingulis Sabbathis in ſuis Synagogis, in quibus Rabbini, ſeu Legis Doctores, explicant Legem Moſaicam, & delinquentium corrigunt mores. Nullis titulis olim inſigniebantur Judæorum Doctores, ſed circa ortum Chriſti Domini amaverunt vocari *Rabbi*, a radice *Rabab*, id eſt, *multiplicatus fuit*, volentes inde ſignificare, eos, qui dicebantur *Rabbi*, varia & multiplici doctrina eſſe inſtructos. Quin, & iſti Judæorum ſupercilioſi & ſuperbi Doctores tantum Rabbino deferendum eſſe ſanciebant, ut dicerent, Rabbinum præferendum eſſe Regi, Regem vero Pontifici Summo, ſicque Rabbinum

Digitized by Google

binum eſſe omnibus anteponendum. Cathedris diſtinctis ſedebant Rabbini, & primas cathedras ambiebant, eorumque faſtum graphice deſcribit Chriſtus Dominus cap. 23. verſ. 5. & ſequent. *Matthæi* dicens: *Dilatant enim phylacteria ſua & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi*. Verum, licet inſolito facto inſuperbirent Rabbini, Judæorum Doctores, illos tamen manibus laboraſſe probat exemplum Apoſtoli *Pauli*, qui, præceptore *Gamaliele* uſus, Legem Moſaicam didicerat, & manibus, nequem gravaret, laborabat, Scenefactoriam, ut ipſemet teſtatur, artem exercens. Confundi tamen non debent iſti Rabbini cum illis Legis Doctoribus, qui antiquitus apud Judæos vocabantur *Sopherim*, id eſt, *Scribæ*, vel *Expoſitores Legis*. Obſervant enim viri rerum Judaicarum periti, debuiſſe primitus Judæorum Sacerdotes ex officio Legem populum edocere, idque colligunt ex his verbis, quæ cap. 10. verſ. 8. & ſeq. L. Levit. leguntur: *Dixit quoque Dominus Aaron: Vinum, & omne, quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonii ne moriamini, quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras, & ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceatiſque filios Iſrael omnia legitima, quæ locutus eſt Dominus ad eos per manum Moyſis*. At, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, hoc eſt, circa illud tempus, quo Prophetiæ donum apud Judæos in Propheta *Malachia* expiravit, cœperunt Sacerdotes plus negotiis politicis, & gubernationi civili vacare, quam meditationi Legis, & inſtitutioni plebis, indeque factum eſt, ut hæc Sacerdotum miniſterii pars, quæ in inſtructione populi, & explicanda Lege ſita erat, reſervata & concredita fuerit certo hominum generi, qui apud Judæos dicebantur *Sopherim*, ſeu *Scribæ*. Certe negari non poteſt, antiquiſſimum eſſe apud Judæos *Scribarum* nomen, cum ſæpius in Scriptura Sacra *Eſdras*, qui, poſt captivitatem Babylonicam, Prophetis, *Zachariæ*, *Aggæo*, & *Malachiæ* coætaneus fuit, diſerte appelletur *Scriba*. Munus autem, quod illis *Scribis* obeundum incumbebat, erat Sacras Scripturas exponere, vindicare a corruptelis, illas prælegere populo in Templo & in Synagogis, interpretationem obſcuriorum locorum, ubi opus erat, adjicere, populum ad probos mores informare, & inſtituere; Dubia ex libris *Moyſis*, & Prophetarum objecta dilucidare, & ſolvere; emergentes perpexas quæſtiones enodare, Genealogias Tribuum, maxime Sacerdotalis, & regiæ ſtirpis, ſedulo aſſervare, & alia id genus Sacra obire munia. Paulo antequam Chriſtus Dominus prodiret in lucem, duæ celebres fuerunt Doctorum Judæorum Scholæ, nimirum *Hillelis*, & *Schammai*. Domus *Hillelis*, ut loquuntur Judęi, ideſt, Schola *Hillelis*, prima fuit, & in ea cum *Hillel*, illius caput, ſingulares doceret ac teneret opiniones, actutum ſeſe illi oppoſuit alter Judęorum Doctor, ſeu *Schammai*, qui aliam inſtituit Scholam, & diſcipulis ſuis contrarias inſtillavit opiniones. Utriuſque Doctoris ſententiæ frequenter apud Talmudicos recenſeri ſolent, ſed *Sanctus Hieronymus* in caput 8. *Iſaię* vocat Doctorem *Scammai*, *Diſſipatorem*, & Doctorem *Hillelum* appellat *Prophanum*, eo quod ambo illi Judæorum Doctores per δευτερώσεις, ſeu per traditiones ſuas, Legis Moſaicæ præcepta diſſipaverint, atque omnino maculaverint. Denique, Rabbini, & Judæorum Doctores occupabantur circa *Miera*, hoc eſt, circa Textum Bibliorum; circa *Miſchna*, id eſt, circa Traditiones, circa *Midras*, hoc eſt, circa ſtudium Sacrarum Scripturarum, ut eas vel myſtice, vel allegorice explicarent. Doctores vero illi Judæorum, qui Legem ſcriptam profundius interpretabantur, *Agadici* dicebantur a verbo *Nagad*, id eſt, *Narrare*.

D. Abeant in malam crucem, malumque cruciatum iſti Rabbini, cęcique Judæorum Doctores, qui ſuis, quas ven-

vendicant, quiſquilis, ſeu vanis traditionibus, & ſiniſtris interpretationibus Sacras Scripturas corruperunt, & Jeſum Chriſtum, quem *Moyſes*, & omnes Prophetæ verum Meſſiam prædixerunt, audire detrectarunt, eumque tanquam impoſtorem & Legis tranſgreſſorem, in crucem egerunt. Hanc certe Judæorum blaſphemiam, qua nulla execrabilior proferri poteſt, ferre minime poſſum.

M. Viſne Rabbinis, ceteriſque judæorum Doctoribus, Jeſum Chriſtum, tanquam impoſtorem, & Legis tranſgreſſorem blaſphemantibus, os occludere? audi, & alte memoriæ tuæ ſemper infixum habeto iſtud egregium *S. Chryſoſtomi* Oratione 3. adverſum Judæos egregium ratiocinium: *Agedum*, ait Judæis Sanctus ille Doctor, *dicite mihi, etiamne poſthac ſuſtinebitis illum*, ſeu Jeſum Chriſtum, *vocare impoſtorem ac tranſgreſſorem Legis, & non potius aliquo ſecedentes vos ipſos occultabitis, qui coram oculis obtueamini tam manifeſtam, & evidentem veritatem? Etenim, ſi impoſtor erat Jeſus, quemadmodum dicitis, Legiſque tranſgreſſor, par erat, ut hanc etiam laudem ferretis, qui talem occideretis. Nam ſi Phinees, unico tantum perempto homine, totam Numinis iram adverſus Populum exardeſcentem ſedavit* (*ſtetit enim*, inquit Scriptura Sacra Pſ. lv. *Phinees, & placavit, & ceſſavit quaſſatio*) *temque multos homines eripuit ab ira divina unius hominis cæde, multo magis hæc vobis oportuit accidere, ſi Legis transgreſſor erat, quem vos crucifixiſtis. Cur igitur, quæſo, Phinees, viro Legis tranſgreſſore perempto, juſtus habitus eſt, & Sacerdotio honoratus; vos autem, quum in Crucem egeritis virum impoſtorem, ut dicitis, Deoque adverſantem, qui fit ut non ſolum non feratis laudem & honorem, verum etiam acerbiora paſſi ſitis, quam tum, quum filios veſtros mactaretis? An non iſtud perſpicuum eſt, etiam vehementer tardis & hebetibus, quod poſteaquam adverſus Servatorem ac Principem Orbis impie egiſtis, talis vindicta de vobis ſumpta ſit? Et nunc ſane abſtinetis a nefario ſanguine, & Sabbata ſervatis, tum vero ipſum etiam Sabbati diem violabatis, &c.* Hoc invicto *S. Joannis Chryſoſtomi* ratiocinio, quod Judæorum jugulum petit, eoſque ad incitas redigit, præſenti noſtro Colloquio finem impono.

COLLOQUIUM ULTIMUM.

In quo produntur res præclare geſtæ a Machabæis, qui, poſt Captivitatem Babylonicam, ſumma apud Judæos auctoritate potiti ſunt uſque ad Herodem, *alienigenam, quo in Judæa regnante, natus eſt Jeſus Chriſtus, ibidemque attexuntur variæ Judæorum Sectæ, aliquot Hiſtoriæ Romanæ monumenta, & Canon Chronologicus annorum, qui a captivitate Babylonica uſque ad Natale Chriſti Domini interfluxerunt.*

D. FIne Hiſtoriæ Sacræ Veteris Teſtamenti, & initio Salutis, per ortum Jeſu Chriſti, veri Meſſiæ, toti generi humano allatæ, appropinquantibus, neceſſe eſt, ut res præcipuæ, quæ in ſexta Mundi Ætate uſque ad Natale Chriſti Domini geſtæ ſunt, & ad Hiſtoriam Judæorum pertinent, aut cum ea aliquam agnationem habent, ſervato ordine temporum, breviter nunc referas, ut plenam & integram aſſequar Sacræ Hiſtoriæ Veteris Teſtamenti notitiam.

M. Hiſtoria rerum, quas Judæi ſub finem Sextæ Mundi Ætatis præclare geſſerunt, texitur in duobus Libris Machabæorum, in quibus accurate narrantur egregia facinora, quibus inclaruerunt, totoque Orbe celebres ſeſe reddiderunt quatuor inſignes Judæorum Principes, nimirum *Matathias*, ejuſque filii, dicti Machabæi, *Judas*, *Jonathas*, & *Simon*, qui omnes Reipublicæ Judæorum profuerunt, & pro tuenda, vel recuperanda Populi Judaici libertate ſtrenuam navarunt operam contra Aegypti, & Syriæ Reges, quibus illi famoſi Judæorum Duces, divinæ Legis zelo accenſi, arreptis armis conſtanter reſtiterunt, bella feliciter confecerunt, hiſque Regibus ſæpius devictis ac profliga-

Digitized by Google

ſligatis, Populum Judaicum in libertatem vindicarunt. Sed quia Hæretici, a vera Chriſti Eccleſia extorres, ad labefactandam duorum librorum Machabæorum auctoritatem, multa opponere ſolent, præſtat ut in anteceſſum ea Hæreticorum objecta diluamus, quo Ducum Machabæorum Hiſtoriæ, quam poſtea deſcripturi ſumus, ſua conſtet indubitata veritas.

D. Quænam ſunt præcipua argumenta, quibus Hæretici impetunt duorum librorum Machabæorum auctoritatem?

M. Argumenta, quibus Hæretici duorum librorum Machabæorum auctoritatem labefactare moliuntur, petuntur vel ex antiquorum Sacrorum librorum Canone, quo olim utebatur Eccleſia, vel ex quibuſdam diſſonantiis Chronologicis, quæ (ut ipſis videtur) reperiuntur inter primum librum & ſecundum Machabæorum; vel denique ex nonnullis circumſtantiis Hiſtoriæ, quæ in iſtis duobus Machabæorum libris narratur; quas circumſtantias cum veritate Hiſtoriæ nullo pacto cohærere poſſe magnis animis pertendunt. Incipiamus nunc a primo argumento, quod Hæretici accerſunt ex antiquo Sacrorum librorum Canone, quo olim utebatur Eccleſia. Ajunt, *Melitonem Sardenſem*, *Origenem*, & Laodicenam Synodum in Canone, quem texuere Sacrorum Librorum, non repoſuiſſe duos libros Machabæorum, eique antiquo Sacrorum librorum Catalogo adhæſiſſe Sanctos Patres *Athanaſium* in Epiſtola ſua Feſtali, Auctorem Scripturæ Sacræ Synopſeos, *Cyrillum Hieroſolymitanum* Catecheſi quarta, *Hilarium* Præfatione in Pſalmos, *Amphilochium* in Epiſtola ad *Seleucum*, relata a Balſamone, *Gregorium Nazianzenum*, *Epiphanium*, *Hieronymum*, *Joannem Damaſcenum*, utrumque *Nicephorum*, & multos alios veteres, doctrina & pietate conſpicuos. Inde inferunt Hæretici, duobus Machabæorum libris, ex antiquo Sacrorum librorum Canone rejectis, Sacram & Canonicam auctoritatem adjudicari non debere. Sed hæc ineptiſſima eſt Hæreticorum conſecutio. Potuerunt quippe antiquitus aliquæ particulares Eccleſiæ, & aliquot Sancti Patres, ac Scriptores Eccleſiaſtici ſalva & inculpata fide dubitare, an duo Machabæorum libri eſſent Canonici? quia id temporis univerſa Eccleſia ſuum decretorium judicium ſuper hac controverſia necdum protulerat. Nunc autem, cum univerſalis Eccleſia in Concilio Tridentino congregata, propter procacem Hæreticorum in repudiandis, vel infirmandis libris Canonicis audaciam & temeritatem, Sacrorum librorum tam Veteris, quam Novi Teſtamenti texuit Catalogum, in quo repoſuit duos Machabæorum libros, poſt hanc, inquam, propalatam ſolemnem Eccleſiæ definitionem, nemini Catholico integrum eſſe poteſt negare, aut in dubium revocare Sacram & Canonicam duorum librorum Machabæorum auctoritatem. In texendo autem Sacrorum Librorum Canone ſecuta eſt Oecumenica Synodus Tridentina *Innocentium I.* Pontificem Maximum, in Epiſtola 3. ad *Exuperium*, Epiſcopum Toloſanum, *Gelaſium*, Romanum itidem Pontificem, in Concilio Romæ habito anno 494. *S. Auguſtinum* lib. 2. *De Doctrina Chriſtiana* capite octavo, & multos antiquos Patres. Uno verbo, indivulſe adhæſit Synodus Tridentina illibatæ ab ipſis Apoſtolorum temporibus traditioni nobiliſſimarum Eccleſiarum, Romanæ in primis, quæ eſt omnium Eccleſiarum Mater & Magiſtra, cujus definitionibus refragantur ſoli Hæretici & Schiſmatici, qui a Catholica Eccleſia, extra quam nulla eſt ſalus, vita, & gratia ſanctificans, ſunt ſeparati.

D. Quænam ſunt iſtæ Chronologicæ diſſonantiæ, quas in duobus Machabæorum libris reperiri dictitant Hæretici?

M. Aliquot in duobus libris Machabæorum diſſonantias Chronologiæ producunt Hæretici, quas non veras & reales eſſe, ſed duntaxat apparentes, eaſque facili negotio conciliari poſſe, hic paucis commonſtrabo. In primis, ajunt, legi cap. 1. libri 1. Machabæorum, Regem Syriæ *Antiochum Epiphanem*, ſeu *Illuſtrem*, regnare cœpiſſe anno Regni Græcorum centeſimo

tri-

Digitized by Google

trigeſimo ſeptimo, quem tamen tardius regnaſſe, ſeu anno Regni Græcorum centeſimo quinquageſimo tertio conſtat ex *Euſebio* in Chronico, & ex prophanis Scriptoribus Græcis. Hæc eſt prima Chronologica diſſonantia, quæ facile ſolvi poteſt, attenta duplici Æra, qua utebantur Græci, videlicet Æra Græcorum, qui dicebantur *Lagidæ* a *Ptolomeo Lagi* filio, qui primus poſt obitum *Alexandri Magni* regnavit in Ægypto, & alia Æra Græcorum, qui appellabantur *Seleucidæ*, a *Seleuco Nicatore*, qui primus, poſt obitum *Alexandri Magni*, regnavit in Syria. Græci, dicti *Lagidæ*, annos Regni Græcorum computabant ab initio Monarchiæ *Alexandri Magni*, qui, devicto ad Arbella *Dario Codomano*, ultimo Perſarum Rege, tanquam ſupremus Græcorum Monarcha per ſex annos Babylone imperavit. Aſt, Græci, dicti *Seleucidæ*, annos Regni Græcorum numerabant ab exordio Regni *Seleuci Nicatoris*, qui annis duntaxat undecim poſt obitum *Alexandri Magni* obtinuit Regnum in Syria. Ex quo ſequitur, Æram *Lagidarum*, qua utebantur Græci, dicti *Lagidæ*, in numerandis annis Regni Græcorum, antevertiſſe ſexdecim annis Æram *Seleucidarum*, quam nimirum in putandis annis Regni Græcorum uſurpabant Græci, dicti *Seleucidæ*. Porro, hanc Seleucidarum Æram, quæ in numerandis annis Regni Græcorum poſterior eſt ſexdecim annis Æra Græcorum Lagidarum, ſequebantur Judæi, eaque ſubinde in numerandis annis Regni Græcorum uſus eſt Auctor duorum priorum Librorum Machabæorum. Hac præmiſſa obſervatione, liquet, nullam in duobus prioribus Machabæorum libris offendi in numerandis annis Regni Græcorum Chronologicam diſſonantiam. Nam verum eſt, *Antiochum Epiphanem*, juxta Æram Seleucidarum, regnare cæpiſſe in Syria anno Regni Græcorum centeſimo trigeſimo ſeptimo. Verum quoque eſt, eumdem *Antiochum Epiphanem*, juxta Æram Lagidarum, ſuum in Syria iniiſſe Regnum anno Regni Græcorum centeſimo quinquageſimo tertio. Dilucidata prima illa apparenti Chronologica diſſonantia, ad aliam venio, quam objiciunt Hæretici. Dicunt enim, Auctorem lib. 1. Machabæorum aſſerere capite ſexto, *Antiochum Epiphanem*, Regem Syriæ, mortuum eſſe anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo nono. At vero c. XI. libri ſecundi Machabæorum legitur, *Antiochi Epiphanis*, Syriæ Regis, filium, ſcripſiſſe, poſt mortem patris ſui, litteras anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo octavo. Qua in re, ajunt hæretici, in duobus prioribus Machabæorum libris reperitur Chronologica diſſonantia, ſeu in conſignandis temporibus unius anni diverſitas. Sed hanc, quam opponunt Hæretici, unius anni diverſitatem facile explicabis, ſi ſemel advertas, Judæos in numerandis annis Regni Græcorum ſequutos quidem fuiſſe Æram Seleucidarum, eos tamen auſpicatos fuiſſe annum a menſe *Niſan*, hoc eſt, a menſe Martio, verno tempore, Græcos vero annum incepiſſe a menſe Septembris in Autumno. Hæc igitur apparens in duobus prioribus Machabæorum libris diverſitatis unius anni Chronologica diſſonantia, ex eo profecta eſt, quod Auctor libri 1. Machabæorum in conſignandis temporibus priorem, juxta morem Judæorum, ſequatur ſupputationem anni a menſe *Niſan*, indeque vere ſcribat, *Antiochum Epiphanem*, Regem Syriæ, mortuum eſſe anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo nono; Auctor vero ſecundi libri Machabæorum ſectetur conſuetudinem Græcorum incipiendi annum a menſe Septembris, adeoque vere itidem dicat, *Antiochum Epiphanem*, Regem Syriæ, vita functum eſſe anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo octavo. Quo fit, ut hæc conſignandi tempora diverſitas, quæ reperitur in duobus prioribus Machabaicis libris, nullo pacto eorum officiat auctoritati, ſed eam potius commendet, illorumque antiquitatem prodat. Tertiam denique Chronologicam diſſonantiam in duobus prioribus Machabæorum libris notant Hæretici, in hoc ſitam, quod Auctor

Digitized by Google

ctor lib. 1. Machabæorum cap. 9. ait, *Judam Machabæum* fuiſſe occiſum anno Regni Græcorum centeſimo quinquageſimo ſecundo; ſed Auctor libri ſecundi Machabæorum inquit, *Judam Machabæum* ſcripſiſſe Epiſtolam anno Regni Græcorum centeſimo octogeſimo octavo, hoc eſt, ſex & triginta annis poſt obitum *Judę Machabęi*. Qua in re, ajunt Hæretici, in conſignandis temporibus non ſibi conſtant Auctores duorum priorum librorum Machabæorum, ſed putidis anachronyſmis, atque manifeſta ſeſe implicant contradictione. Verum, turpiſſime falluntur Hæretici, eorumque objectioni triplex a viris eruditis ſolet adhiberi Reſponſio. In primis dicunt, incuria librariorum irrepſiſſe mendum in notas numerales, & ſcriptum fuiſſe annum 188. loco anni 148. Secundo, diſtinguunt duplicem Epiſtolam, unam videlicet ſcriptam a *Juda Machabæo* anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo octavo, quo anno adhuc vivebat *Judas Machabęus*. Sed hæc Epiſtola, a *Juda Machabęo* ſcripta, duntaxat poſt ejus obitum, hoc eſt, regnante in Judæa *Joanne Hyrcano*, directa fuit ad Judæos in Ægypto commorantes, eidemque Epiſtolæ, a *Juda Machabæo* anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo octavo ſcriptæ, brevem aliam Epiſtolam Judæi Hieroſolymitani, tempore *Hyrcani*, Summi Pontificis, adjunxerunt, & annum quo ſcribebant, ſeu centeſimum octogeſimum octavum Regni Græcorum præfixerunt. Hæc autem Epiſtola, quam totus Judæorum Populus, Duce *Joanne Hyrcano*, anno Regni Græcorum centeſimo octogeſimo octavo ſcripſit, præmittitur ab Auctore lib. 2. Machabæorum capite 1. ante Epiſtolam a *Juda Machabęo* ſcriptam, quamvis prædicta illa Epiſtola poſterior ſit Epiſtola *Judę Machabæi*, quippe quæ ſcripta eſt anno Regni Græcorum centeſimo octuageſimo octavo; Epiſtola vero *Judę Machabęi*, ſcripta eſt anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo octavo. Hinc doctiſſimi Scripturæ Sacræ Interpretes jure optimo inferunt, hæc verba: *Anno centeſimo octogeſimo octavo* non eſſe exordium Epiſtolæ, quam ſcribit *Judas Machabęus*, quamque poſteriori loco Auctor libri 2. Machabæorum cap. 1. reponit, ſed eſſe finem alterius pręcedentis Epiſtolæ, quam ibidem priori loco deſcribit idem Sacer Auctor, a toto Judæorum Populo *Hyrcani* temporibus ſcriptam, quę licet capite 1. libri 2. Machabęorum pręcedat ordine Epiſtolam a *Juda Machabæo* ſcriptam, revera tamen tempore ea poſterior eſt, utpote ſcripta anno Regni Gręcorum centeſimo octogeſimo octavo. Teſtatur *Bellarminus*, hanc poſteriorem Epiſtolam, quę a *Juda Machabęo* ſcripta eſt, in Codicibus Gręcis non incipere ab illis verbis: *Anno centeſimo octogeſimo octavo*, ſed ab iſtis: *Populus, qui eſt in Judæa & Hieroſolymis*. Denique, reſpondent viri eruditi, hanc poſteriorem Epiſtolam (facta hypotheſi quod incipiat ab illis verbis: *Anno centeſimo octogeſimo octavo*) non fuiſſe ſcriptam a *Juda Machabęo*, ſed ab altero *Juda*, qui an fuerit *Judas Eſſenus*, magna tum temporis apud Judæos, teſte *Joſepho*, Hebręo, auctoritate pollens? vel alius *Judas*, nobis incognitus? incertum eſt, ſicut pariter incertum eſt, quiſnam fuerit ille *Ariſtobolus*, qui in prędicta Epiſtola appellatur *Magiſter Ptolomæi*, Ægyptiorum Regis; an videlicet fuerit *Ariſtobolus*, Philoſophus Peripateticus? an aliquis alius ejuſdem ętatis? Sed de Chronologicis diſſonantiis, quas in duobus prioribus Machabęorum libris reperiri effutiunt Hęretici, plura in pręſentia non dicam.

D. Suntne majoris momenti alia argumenta, quę Hęretici ad elevandam duorum priorum librorum Machabęorum auctoritatem proponere ſolent?

M. Ut intelligas, quam levia ac futilia ſint cetera Hęreticorum argumenta, ea ſummatim hic perſtringere, ac ſigillatim diluere non pigebit. Dicunt enim primo, in Epiſtola *Judę Machabęi*, quę cap. 1. libri 2. Machabæorum deſcripta eſt, legi, *Antiochum Epiphanem*, Syriæ Regem, fuiſſe percuſſum & membratim diſcerptum in Templo Naneæ, quod erat *Veneri*, aut *Dianę* dicatum (utraque enim Dea in

in Perſide colebatur.) Sed capite 9. ejuſdem libri dicitur, eumdem Regem *Antiochum* a Perſepoli fugatum, dum omnes ad unum Judæos internecione delendi nefarium volveret conſilium, maximis fuiſſe viſcerum doloribus excruciatum, & e corpore ſcaturientibus cum fœtore intolerabili vermibus, poſt criminum ſuorum ſeram agnitionem, & fucatam vitæ promiſſam emendationem, miſerabili morte in montibus occubuiſſe. Quæ diſcrepantia in deſcribenda morte *Antiochi Epiphanis*, Regis Syriæ, non poteſt, inquiunt Hæretici, cum Hiſtoriæ veritate cohærere. Sed plane commentitia eſt hæc diſcrepantia, quam Auctori libri 2. Machabæorum in deſcribenda morte *Antiochi Epiphanis*, Regis Syriæ, objectant Hæretici. At enim, capite primo libri ſecundi Machabæorum non expreſſe dicitur *Antiochum Epiphanem*, Syriæ Regem, occiſum fuiſſe in Templo Naneæ, at patet e ſerie horumce verborum, quæ ibidem leguntur: *Clauſerunt Templum, cum intraſſet Antiochus, apertoque occulto aditu Templi, mittentes lapides percuſſerunt Ducem, & eos, qui cum eo erant, & membratim diviſerunt, & capitibus amputatis, foras projecerunt*. In his, inquam, verbis, percuſſio quidem reſpicit Ducem (tametſi ambiguum etiam videatur, an ille Dux, qui percuſſus eſt, fuerit *Antiochus Epiphanes*, Rex Syriæ, vel alius ex ejus Optimatibus?) At, membrorum diſcerptio, cujus in his verbis mentio fit, referenda non eſt ad Ducem, ſed reſtringi debet ad eos, qui cum Duce erant. Quocirca, cum ex hac clade, facta in Templo Naneæ in Perſide, evaſiſſet, fugamque arripuiſſet *Antiochus Epiphanes*, Rex Syriæ, mœrore poſtea vermibuſque corroſus, fœtidam animam in montibus exhalavit, quemadmodum legitur capite 9. lib. 2. Machabæorum, ſicque in fumum abit ea diſcrepantia, in quam auctorem libri 2. Machabæorum in deſcribenda morte *Antiochi Epiphanis*, Regis Syriæ, impegiſſe mentiuntur hæretici. Sed alteram antilogiam in duobus prioribus Machabæorum libris expiſcantur Hæretici, ajuntque, Auctorem libri primi Machabæorum recta fronte pugnare cum Auctore lib. 2. Machabæorum, quia Auctor libri primi Machabæorum cap. 4. narrat, purificationem Templi fuiſſe a *Juda Machabæo* celebratam paulo ante obitum *Antiochi Epiphanis*, Regis Syriæ. Auctor vero ſecundi libri Machabæorum capite 10. refert, eamdem Templi purificationem factam eſſe biennio poſt mortem ejuſdem Regis *Antiochi*. Quæ narrationes, inquiunt Hæretici, ſunt e diametro oppoſitæ, & ſecum manifeſta antilogia colliduntur. Verum, ut candide dicam, deploranda ſane eſt cæcitas Hæreticorum, qui in Scriptura Sacra vident ea, quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt, & ea, quæ in illa ſunt, tanquam ea, quæ non ſunt. Nullum etenim extat veſtigium illius, circa purificationem Templi a *Juda Machabæo* factam, antilogiæ, quam in duobus prioribus Machabæorum Libris ſe videre dictitant Hæretici: narratur quidem capite 9. libri 2. Machabæorum mors *Antiochi Epiphanis*, Regis Syriæ poſt ejus e Perſide fugam; ſed tamen non dicitur capite decimo, ſicut falſo ſibi perſuadent Hæretici, Templum fuiſſe a *Juda Machabæo* repurgatum biennio poſt ejuſdem Regis *Antiochi* obitum. Hæc ſiquidem verba, quibus Sacer Auctor lib. 2. Machabæorum capite 10. verſ. 3. utitur: *Et purgato Templo poſt biennium*, non referuntur ad mortem Regis *Antiochi Epiphanis*, ita ut ſenſus ſit, purgationem Templi factam eſſe a *Juda Machabæo* biennio poſt mortem Regis *Antiochi Epiphanis*; ſed illud *poſt biennium*, denotat temporis intervallum, quod effluxit a profanatione Templi, uſque ad ejus purgationem, a *Juda Machabæo* factam, ita ut ſenſus ſit, Templum biennio poſt illum diem, quo fuerat a Gentibus prophanatum, repurgatum eſſe a *Juda Machabæo*. Purificatio igitur Templi, quod fuerat prophanatum anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo ſexto, facta eſt anno Regni Græcorum centeſimo quadrageſimo octavo, die vigeſima quinta menſis *Caſleu*, qui noſtro men-

menſi Novembri reſpondet, hoc eſt, inter fugam Regis *Antiochi Epiphanis*, & ejus mortem in montibus circa Babyloniam. Alia momenta quæ Hæretici ad infirmandam ſacram duorum librorum Machabæorum auctoritatem obtrudere ſolent, tanti non ſunt, ut in his ſolvendis diutius immorari debeamus. Sufficiat obiter annotare primo, narrari cap. 12. lib. 2. Machabæorum, *Judam Machabæum*, juſſiſſe, ut Hieroſolymis offerrentur Sacrificia pro illis Judęis, qui fuerant interfecti in prælio, & ſub quorum tunicis inventa fuerant donaria Idolorum, non quod iſti Judæi eſſent cultores Idolorum, ſed quia prædæ aviditate ejuſmodi donaria ex Templis Idolorum ſuſtulerant, & in hoc peccaverant, ſed ante mortem de peccato ſuo doluerant, quæ ratio movit *Judam Machabæum*, ut, abſque ulla pietatis violata regula, juſſerit, pro illis Judæis offerri preces & Sacrificia. Deinde, advertere debes cum *S. Auguſtino*, facinus *Razię*, qui ſibi necem conſcivit, laudari quidem cap. 13. libri 2. Machabæorum, tanquam *generoſum & audax*, ſed non tanquam *juſtum & ſanctum*. Id autem ideo aſſerit *S. Auguſtinus*, quia Hęretici Donatiſtæ, contra quos diſputabat Sanctus ille Doctor, Hiſtoriam *Raziæ*, ſe ipſum occidentis, jactare ſolebant, ut quorumdam ſuę Sectæ furorem, qui violentas ſibi inferebant manus, *Raziæ* inſtigati exemplo, defendere & laudibus celebrare poſſent. Si tamen cum nonnullis Scripturę Sacræ Interpretibus dicatur, *Raziam*, non ſecus ac *Samſonem*, divino inſtinctu impulſum, ſe ipſum occidiſſe, eo in caſu nulla omnino reprehenſione dignum videbitur *Razię* facinus. Vindicata hactenus contra Hęreticos ſacra duorum priorum librorum Machabæorum auctoritate (nam duos alios Machabæorum libros, videlicet tertium & quartum, ad Apocryphorum claſſem ablegat Catholica Eccleſia, eoſque Scripturę Sacræ Canoni nunquam accenſuit) pauca nunc circa Auctores duorum priorum librorum Machabæorum obſervare non abs re erit. Quiſnam porro ſit Auctor libri primi Machabęorum? incertum plane eſt. Sunt tamen nonnulli, qui *Joannem Hyrcanum*, Summum Judæorum Pontificem, & *Simonis*, fratris *Judę Machabęi*, filium, qui diu apud Judęos Imperio & Pontificatu potitus eſt, putant eſſe hujuſce libri Auctorem. Hinc primus Machabęorum liber, quem *Joſephus*, Hebræus, ferme integrum in ſuam Hiſtoriam *de Antiquit. Judaic.* convaſavit, primum Hebraica lingua fuit exaratus, ſed primigenium iſtius libri Exemplar Hebraicum omnino periit, & nunc duntaxat ſupereſt Græcum. Alterum Machabæorum librum fuiſſe Græce ſcriptum, ex ipſa phraſi colligit S. *Hieronymus* in Prologo Galeato. Hujus ſecundi Machabæorum libri Auctor ignoratur, nec ſolidæ ſunt conjecturæ, quibus alii *Philoni*, alii *Joſepho*, alii *Judæ Eſſæo* hunc librum adjudicant. Hæc duo certiſſima apud omnes eſſe debent, primo hunc ſecundum librum Machabæorum eſſe præcedentis libri repetitionem, ſeu eorum, quę in eo aut omiſſa, aut nimis compendioſe dicta fuerant, expoſitionem, ſimul & Epitomen cujuſdam magni Voluminis a *Jaſone Cyrenæo* conſcripti. Quis autem ſit *Jaſon* iſte *Cyrenęus*? incompertum eſt, quia Auctor libri 2. Machabęorum verſ. 24. ait duntaxat, ſe in Epitomen redegiſſe Hiſtoriam a *Jaſone Cyrenæo* quinque libris comprehenſam: *Ab Jaſone Cyrenæo quinque libris comprehenſa, tentavimus nos uno Volumine breviare.* Præterea, certum itidem apud omnes eſſe debet, Auctorem libri 2. Machabæorum fuiſſe Spiritu Sancto afflatum, adeoque jure optimo Facultates Lovanienſem, & Duacenſem inter ceteras propoſitiones, quas in ſuis Cenſuris anno MDLXXXVI. proſcripſerunt, iſtam damnaſſe his verbis conceptam: *Liber aliquis (qualis forte eſt ſecundus Machabęorum liber) humana induſtria ſine aſſiſtentia Spiritus Sancti ſcriptus, ſi Spiritus Sanctus poſtea teſtetur, ibi nihil eſſe falſum, efficitur Sciptura Sacra.* Veniam quidem a Lectore deprecatur Auctor libri 2. Machabæorum; ſed id non probat, hunc librum fuiſſe ab ipſo ſcriptum

M 2 hu-

humana induſtria, & abſque ſpeciali aſſiſtentia Spiritus Sancti, quia ut optime reſpondet *Bellarminus* lib. primo *De verbo Dei* capite vigeſimo quinto: *Deus eſt Auctor omnium Scripturarum, ſed diverſa ratione. Nam Prophetæ non alium habuerunt laborem, quam ſcribendi quæ ſibi erant revelata. Aliis non ſemper Deus revelabat verba, ſed excitabat eos ut ſcriberent, & aderat ne fallerentur in ſcribendo. Et quidem hujus libri* (ſeu ſecundi Machabæorum) *nullam deprecatur culpam contra Hiſtoriæ veritatem, ſed de ſcribendi ratione tantum loquitur. Aliud eſt vere, aliud diſerte dicere. Deus autem ſic auctores Sacros regebat, ut iis ſtyli libertatem, & ſcribendi modum relinqueret.*

D. Facile nunc intelligo, quam levia ac futilia ſint argumenta, quibus Hæretici Sacram duorum priorum librorum Machabæorum auctoritatem fruſtra oppugnare moliuntur. Age modo, ſi placet, & ſummatim perſtringe præclara Machabæorum facinora, quæ in duobus prioribus Machabæorum libris deſcripta leguntur.

M. Cum rerum, quas præclare geſſerunt preſtantiſſimi apud Judeos Duces, dicti *Aſſamonæi*, ſeu *Machabæi*, narratio divelli nequaquam poſſit ab hiſtoria Regum Syrię, quibus ſtrenue reſtiterunt Machabęi, & periclitantem Judęorum libertatem, multis confertis pręliis, egregie defenderunt; præſtat ut in memoriam tuam revoces eam, quam in primo Colloquio in Hiſtoriam ſextæ hujus Mundi Ætatis dedimus, ſeriem duodecim priorum Regum, qui poſt obitum *Alexandri Magni* in Syria regnarunt. Hic autem deſcribemus Hiſtoriam Machabęorum, qui ſumma apud Judęos poteſtate potiti ſunt uſque ad Natale Chriſti Domini, eademque opera breviter referemus res geſtas ab aliis Regibus, qui temporibus Machabæorum, regnarunt in Syria, uſque ad *Pompejum*, qui miſſus a Romanis in Aſiam, Regnum Syrię armis ſubegit, occupavit, illudque in formam Provinciæ redactum Romano Imperio ſubjecit. Hiſtoria porro Machabæorum, quos ad defenſionem & liberationem Reipublicæ & Eccleſiæ Judaicæ excitavit Deus Optimus Maximus, incipit a *Mathatia*, Sacerdote, filio *Joannis*, & patre quinque filiorum, videlicet *Joannis*, *Simonis*, *Judæ*, *Eleazari*, & *Jonathę*, qui *Aſſamonęi*, ſeu *Machabęi* dicti ſunt, & a patris ſui fortitudine, avitaque religione non degenerarunt. Floruit *Mathatias*, regnante in Syria *Ptolomęo IV.* dicto *Epiphane*, ſeu *Illuſtri*, Rege in Judæos iniquiſſimo, quippe qui ab Ægyptiaca Expeditione, quam in Regem Ægypti ſuſceperat, irrito conatu juſſu Senatus & populi Romani reverti coactus, efferato in Judæos animo, in eos vertit arma, Hieroſolymam hoſtiliter adiit, ingentem Civium ex omni ætate & ſexu ſtragem edidit, &, deducente *Menelao*, Judæorum Pſeudo-Pontifice, Templum & Sanctuarium ingreſſus, ſacra Vaſa ſacrilegis manibus contaminavit, comminuit, diripuit, prædamque talentorum mille & octoginta e Templo ſuſtulit, indeque Antiochiam reverſus eſt. Sed poſt biennium miſit impius ille Rex *Apollonium*, Ærario & Tributis Præpoſitum, qui viginti duorum millium armatorum Exercitu ſtipatus, Hieroſolymorum urbem proditorie, ſimulata pace, ingreſſus eſt, eamque multis & promiſcuis cædibus vaſtavit. Neque hic ſubſtitit immanis Tyranni furor. Nam, ut ſacram Legem penitus everteret Rex ſceleſtiſſimus, Edictum promulgavit, ut omnes Judæi, ad Deorum cultum adigerentur, & relictis Sacrificiis, circumciſione, Sabbatorum obſervantia, aliiſque Moſaicæ Legis Ritibus, ac traditionibus, Gentilium more viverent. Tum vero, proh pudor! per univerſam Hieroſolymorum urbem palam in plateis Diis impune litabatur, ſacri libri combuſti, Templum Hieroſolymitanum juſſu nequiſſimi illius Regis prophanatum, & *Jovi Olympio* dicatum; Templum vero Garizitanum fuit *Jovi Hoſpitali* conſecratum. Sed dum crudeliſſimus ille Tyrannus exquiſitiſſimis tormentorum generibus ſæviret in Judæos, qui

Le-

Digitized by Google

Legem Moſaicam obſervarent, emicuit zelus Sanctiſſimi Senis *Eleazari*, qui nec carnes porcinas manducare conſentiens, nec ſimulatione uti volens, glorioſam pro Dei Lege mortem oppetiit anno ætatis ſuæ nonageſimo. *Saloma* pariter heroici animi fœmina, cum ſeptem filiis ſuis Machabæis, ob eamdem cauſam, Martyrii palmam tulit, poſtquam illos ad mortem pro patriis Legibus conſtanter ſubeundam ipſamet impavida, aſpectante Tyranno, fuiſſet adhortata. Hac igitur truculentiſſima *Antiochi Epiphanis*, Regis Syriæ, graſſante in Judæos perſecutione, quæ cap. 1. lib. 1. Machabæorum deſcribitur, excitavit Deus ad Judæorum Reipublicæ defenſionem & liberationem *Mathathiam*, qui una cum filiis & aliis Judæis in oppidum Modin confugit, ibique a Præfecto Regis *Antiochi Epiphanis* ad Dei Legem ejurandam blanditiis & promiſſis tentatus, tantum abfuit ut ei morem gereret, ut divino zelo accenſus, & egregia conſtantia prophanum Regis Edictum contemnens, Judæum, Idolis ſacrificantem, ſuper ipſam Aram actutum trucidaverit, & regium Præfectum occiderit. Poſtea, *Mathathias* collegit Exercitum Judęorum, queis omnibus deſtinatum erat, religionem & libertatem armis tueri, adverſus prophanum Imperium fortiter dimicare; incurſiones in hoſtes agere, prophanas Aras evertere, & in bello potius occumbere, quam impias cæremonias exercere. Obiit *Mathathias*, Heros religioſiſſimus, poſtquam per annum prętuiſſet Reipublicæ Judæorum, filioſque ſuos propediem moriturus ad Religionem ac Rempublicam ab hoſtibus vindicandam eſſet adhortatus.

D. Quis, poſt mortem *Mathathiæ*, Principatum obtinuit in Republica Judæorum?

M. Moriens *Mathathias* Exercitui, quem paraverat, Ducem ſubſtituit filium ſuum *Judam*, dictum *Machabęum*, qui adverſus Populi Judęi hoſtes frequentibus præliis proſpere pugnavit, & *Antiochi Epiphanis*, Syrię Regis, fortiſſimos Duces, *Appollonium*, *Seronem*, *Lyſiam*, *Nicanorem*, & *Gorgiam*, qui contra ipſum magnis copiis in conflictum deſcenderant, exigua militum manu delevit, profligavit, victorque Templum Hieroſolymitanum, quod ab eodem Rege *Antiocho* everſum, prophanatumque a Gentibus fœdam ſui præbebat ſpeciem, ab Idolis purgavit, muro circumdedit, militeſque conſtituit, qui excubias agentes perpetuum pręſidium armati agitarent. Dein, *Judas Machabæus* aggreſſus Idumæos, Sidonios, Ammonitas, Syros, & Samaritanos, qui conglomerato agmine contra Judæos conſpiraverant, illos cum omni Exercitu delevit, multas illorum urbes occupavit, męnia & turres diruit, prophanas Aras evertit, Idola ſuccendit, & opimis hoſtium onuſtus ſpoliis in Terram Judæ reverſus. eſt. Interea, Rex *Antiochus Epiphanes*, qui Templum *Naneæ* in Perſide opulentiſſimum, multoque auro refertum, diripere conatus, confluente undique ad defenſionem loci multitudine turpiter fugatus fuerat, acerbiſſimum accepit nuntium cladis ſuis Ducibus, & Exercitibus a *Juda Machabæo* illatæ, indeque ſummo mærore confectus, & e curru, in quo vehebatur, nimio impetu agitato, cadens, inſanabili plaga a Deo percuſſus eſt, diro ſcilicet viſcerum dolore, & ſcaturientibus ex ejus corpore vermibus, paucos poſt dies mortuus eſt. Notat quidem Scriptura Sacra lib. 2. Machab. cap. 9. v. 12. Regem *Antiochum*, paulo antequam moreretur, malorum, quibus populum Dei vexaverat, reminiſcentem, exclamaſſe: *Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire*. Sed eadem Scriptura verſ. ſequenti ſubdit: *Sed orabat ſceleſtus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*, quia ex ſolo pęnę timore, non ex amore juſtitiæ pænitentia illius Regis proficiſcebatur, quæ ſubinde falſa fuit. Moriens *Antiochus Epiphanes*, Rex Syriæ, Imperium filio ſuo *Antiocho V.* dicto *Eupatori*, reliquit. Regnante in Syria *Antiocho V.* dicto *Eupatore*, ſtrenue admodum ſe geſſit *Judas Machabæus*,

bæus, quippe qui *Lyſiam*, *Gorgiam*, & *Timotheum*, Exercituum Regis *Antiochi Eupatoris* Duces, Deo pro Judęis pugnante, fudit, Gentes finitimas expugnavit, ipſumque Regem *Antiochum Eupatorem* cum ingenti Exercitu Hieroſolymam venientem, tot cladibus affecit, ut tandem Rex, ſuadente *Lyſia*, ſupremo Regni Adminiſtro & Exercituum Duce, pacem Judæis conceſſerit. Periit tum temporis *Eleazarus*, Judæi Machabæi frater, qui Elephantem, quo Regem *Antiochum Eupatorem* vehi exiſtimabat, interficiens, beſtię ſuper ſe cadentis mole oppreſſus eſt, & ob egregiam fortitudinem in Hiſtoria Sacra, & a Sanctis Patribus maxime commendatur. Non diu regnavit *Antiochus V.* Rex Syrię, dictus *Eupator*. Nam anno ſecundo Regni ſui occiſus eſt a *Demetrio Sotere*, Regis Syriæ, *Seleuci IV.* dicti *Philopatoris*, filio, qui, perempto *Antiocho V. Eupatore*, Regnum Syriæ occupavit. Hoc regnante in Syria *Demetrio Sotere*, Judæi, præeunte Duce *Juda Machabæo*, Legationem ad Senatum Populumque Romanum miſerunt, ut cum illis fœdere, & amicitia jungerentur, ſicque Rex Syriæ *Demetrius Soter* a Judęorum infeſtatione, & a bellis, quæ contra illos per ſuos Duces gerebat, tandem aliquando cohiberetur. Ter autem cum *Juda Machabæo* per ſuos Duces prælium commiſit Rex *Demetrius Soter*. Primum per *Bacchidem*, & *Alcimum*, perfidum Judæum, ſummi Pontificatus apud Judæos obtinendi cupidum, quos Duces *Judas Machabæus*, divino fretus præſidio, vicit ac ſuperavit. Deinde, alterum Exercitum contra *Judam Machabæum* miſit Rex *Demetrius Soter*, eique præfecit *Nicanorem*. Sed collatis ſignis, hoſtilis ille Exercitus a *Juda Machabæo* profligatus eſt, triginta quinque hoſtium millia cæſa ſunt, *Nicanor* ipſe in prælio occubuit, ejuſque caput ac dexteram amputari, & ad Arcem Hieroſolymitanam ſuſpendi, linguam etiam blaſphemam præcidi, & avibus in eſcam dari præcepit *Judas Machabęus*. Mortem *Nicanoris*, Ducis Exercitus, ægerrime tulit Rex *Demetrius Soter*, & ad eam vindicandam bellum redintegravit, miſitque in Judęam cum novo Exercitu *Bachidem*, & *Alcimum*, qui reſumptis viribus, auctiſque copiis contra *Judam Machabæum* conflixerunt, & in ea pugna, proh dolor! *Judas Machabæus*, multarum palmarum Dux, qui tot pericula evaſerat, toties e medio igni & ferro victor redierat, cecidit, magnumque poſt mortem reliquit in Republica Judæorum ſui deſiderium. In demortui *Judæ Machabæi* Principatum, ſummumque Sacerdotium ſucceſſit *Jonathas*, ejus frater, qui, collectis copiarum reliquiis, Rempublicam Judæorum adverſus *Bacchidem*, Exercitus Regis *Demetrii Soteris* Ducem, ſtrenue tutatus eſt. Contigit autem id temporis, ut quidam adoleſcens, Rhodi educatus, nomine *Alexander*, cognomento *Bala*, qui ſe Regis Syriæ *Antiochi IV.* dicti *Epiphanis*, ſeu *Illuſtris* filium, falſo jactabat, Ptolomaidem occuparit, & Exercitum ducens in Syriam, Regem *Demetrium Soterem* occiderit, & Regnum Syriæ obtinuerit. Hic *Alexander Bala*, priuſquam Regem *Demetrium Soterem* interimeret, *Jonatham* in ſuas partes allexerat, & fœdus cum ipſo pepigerat, eique fidem datam adeo conſtanter ſervavit, ut per quinquennium, quo Rex *Alexander Bala*, quamvis inſititius, rerum in Syria potitus eſt, res Judæorum fuerint omnino tranquillæ. Cæſo *Alexandro Bala*, Rex Syrię ſalutatus fuit *Demetrius II.* dictus *Nicanor*, filius Regis *Demetrii Soteris*. Sed contra illum inſurrexit *Tripho*, unus ex Ducibus Regis *Alexandri Balæ*, & *Antiochum*, ejuſdem *Alexandri Balæ* filium, debellato Rege *Demetrio II.* dicto *Nicanore*, eoque in Ciliciam fugato, Regem Syriæ conſtituit, quem paulo poſt occidit, &, ut facilius, extincto illo *Antiocho*, quem Regem conſtituerat, Regnum Syriæ ipſe invaderet, *Jonatham* & duos ejus filios, quos nefariis illius conſiliis obſtituros probe norat, per ſummam perfidiam interfecit. Poſt *Jonathæ* ejuſque filiorum cędem, a ſce-

leſto

leſto *Triphone* perpetratam, *Simon*, frater *Jonathę*, & ultimus e *Mathathiæ* filiis ſuperſtes, totius Populi Judaici conſenſu, Principatum, ſummumque Sacerdotium conſecutus eſt, & ſtatim, ut *Tryphonem*, Tyrannum, & totius Gentis Judaicæ crudeliſſimum hoſtem, in ordinem redigeret, fœdus inivit cum *Demetrio II.* dicto *Nicanore*, legitimo Syriæ Rege, qui in Aſia ſuperiori agebat, e Syria, ut mox diximus, pulſus. Hic eſt *Demetrius II. dictus Nicanor*, qui, ut oſtendimus ſub finem Colloquii primi in Hiſtoriam hujuſce ſextę Mundi Ætatis, fuit duodecimus, poſt obitum *Alexandri Magni*, Rex Syrię, quique anno ſecundo Regni ſui, id eſt, anno Regni Græcorum Seleucidarum centeſimo ſeptuageſimo, plenam Judęis conceſſit libertatem, & a Tributis immunitatem, in cujus rei perenne monumentum Populus Judaicus, nova inſtituta Epocha libertatem Reipublicæ ſuę teſtatus eſt, cępitque in Actis publicis ſcribere: *Anno primo ſub Simone Sacerdote, magno Duce, & Principe Judęorum*. Porro, *Simon*, Princeps, ac Summus Judæorum Sacerdos anno Regni Græcorum centeſimo ſeptuageſimo primo urbem Gazam expugnavit, & Arcem Hieroſolymitanam, quam a contaminationibus mundavit, munivit, & in ea habitavit, ſicut legitur cap. 13. lib. 1. Machabæorum. Putabat *Demetrius I.* dictus *Nicanor*, Rex Syrię, ſe facile Tyrannum *Tryphonem* e Regno Syrię exturbaturum, ſed amiſſo ingenti, quem collegerat, Exercitu, vivus in poteſtatem hoſtis venit, & cuſtodiæ mancipatus eſt. Eo Rege captivo, *Antiochus* appellatus *Sidetes*, ejus frater, poſtquam *Cleopatram*, uxorem fratris ſui captivi *Demetrii II.* dicti *Nicanoris*, matrimonio ſibi copulaſſet, venit in Syriam, eumque Exercitus Regem Syriæ proclamavit, *Tryphon* vero Tyrannus, qui in Syria regnabat, derelictus eſt ab omnibus fere copiis. Quocirca *Doram*, finitimam Phæniciæ urbem fuga ſeſe recepit, dein, ad populares ſuos *Apamæam*, ubi interfectus eſt, ſicut teſtatur *Joſephus*, Hebræus, lib. 13. *Antiquit. Jud.* cap. 12. & *Appianus* in Syriacis pag. 132. Interea temporis *Antiochus Sidetes*, Rex Syriæ, contra *Phraatem*, Parthorum Regem, bellum movit, fratrem ſuum *Demetrium II.* dictum *Nicanorem*, captivum repetens, victorque tribus prælijs Babyloniam occupavit, ſed poſtea a ſuis deſertus eſt, & in alio pręlio a Parthis occiſus eſt, ejuſque frater *Demetrius II.* dictus *Nicanor*, dimiſſus e captivitate Parthica, in Regnum Syriæ, a quo a Tyranno *Tryphone* extruſus fuerat, reſtitutus eſt. Sacer Auctor libri 1. Machabæorum cap. 16. ſcribit, *Simonem*, Principem ac ſummum Judæorum Pontificem, a genero ſuo *Ptolomæo* fuiſſe proditorie occiſum anno Regni Græcorum centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, additque *Simonis* filium *Joannem*, qui, ob devictos Hyrcanos, dictus eſt *Hyrcanus*, Pontificatum eodem anno cæpiſſe. Præfuit Reipublicæ Judaicæ *Simon* annis circiter novem, ſicut colligitur ex Hiſtoria Machabæorum, cujus primus liber, qui quadraginta annorum Hiſtoriam complectitur, hoc anno Regni Græcorum, ſeu Seleucidarum, centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo abſolvitur. Reſtitutus in Regnum Syriæ *Demetrius II.* dictus *Nicanor*, ita, propter mores improbos, ſeſe inviſum reddidit Syris, ut ad *Ptolomæum Phiſconem*, Ægypti Regem, Legationem miſerint, rogantes, ut aliquem ex *Seleuci* genere eis daret, quem poſſent ſibi Regem præficere. Annuit quidem ille, ſed compoſita fabula, miſit ad Syros juvenem quemdam Ægyptium, dictum *Alexandrum*, cognomento *Zabinam*, quaſi eſſet Regis *Antiochi Sidetis* filius, qui, devicto ac cæſo *Demetrio II.* dicto *Nicanore*, vero Syriæ Rege, obtinuit Syriæ Regnum. Sed, mortuo *Demetrio II.* dicto *Nicanore*, ejus filius, *Seleucus*, injuſſu matris ſuæ *Cleopatræ*, diadema ſumpſit, quo paulo poſt a matre ſua, ambitionis & iræ impotentis fæmina, exutus eſt, ejuſque juſſu ſagitta tranſfixus occubuit. Alterum filium ſuum

Regina *Cleopatra* ex Rege *Demetrio II.* dicto *Nicanore*, ſuſceptum, Regem Syriæ conſtituit, videlicet *Antiochum Grypum*, qui prælium cum ſuo Regni æmulo *Alexandro Zabina* commiſit, in quo victus *Alexander Zabina*, Antiochiam profugit, & a latronibus captus, perductuſque ad *Antiochum Grypum*, interfectus eſt. Verum, poſtquam *Antiochus Grypus* per octo annos ſolus & tranquillus Regno Syriæ potitus eſſet, in eum inſurrexit alter Regni æmulus, ſcilicet *Antiochus*, *Cyzicenus*, ejus frater, & filius Regis *Antiochi Sydetis* ex eadem *Cleopatra*. Conſerto inter utrumque fratrem prælio, *Antiochus Cyzicenus* victor evaſit, fratremque ſuum *Antiochum Grypum*, Regno expulit. Bellum tamen *Antiocho Cyziceno* intulit *Seleucus*, filius *Antiochi Grypi*, eumque in prçlio vicit, & occidit. Sed non diu *Seleucus*, filius *Antiochi Grypi*, Regnum Syriæ obtinuit. Nam *Antiochus Euſebes*, ipſius patruelis, & filius *Antiochi Cyziceni*, impoſito ſibi diademate bellum ei intulit, eumque uno prælio victum e tota Syria fugavit. At, *Antiocho Euſebe* occiſo in prælio, quod cum *Galadenorum* Regina contra Parthos commiſit, Syriæ Regnum penes duos fratres *Antiochi Grypi* filios, videlicet *Philippum*, & *Demetrium Eucærum*, quem poſtremum *Ptolomæus Lathurus*, Ægypti Rex, jam Regem Damaſci conſtituerat, remanſit. Denique Syri, variorum bellorum & certaminum, quibus Reges Syriæ occaſionem dabant, omnino pertęſi; relictis Seleucidis, *Tigranis*, Armeniæ Regis, Imperio ſe ſubjecerunt, ſicut initio libri 40. ſcribit *Juſtinus*: Quapropter, ipſe hic cum *Euſebio*, Epiſcopo Cæſarienſi, in Chronico, ſeriem Seleucidarum, Syriæ Regum, claudam. Velim tamen advertas, Syriæ Regnum perſtitiſſe uſque ad *Pompejum*, qui anno urbis Romę conditę ſexcenteſimo nonageſimo, & ante Chriſtum anno ſexageſimo quarto, miſſus a Populo Romano in Aſiam, Iturços, Arabeſque perdomuit, & poſtea deſcendens in Syriam, eam, juſto Rege vacantem, in formam Provinciæ redegit, poſſeſſionemque fecit Populi Romani, ut videre eſt apud *Strabonem* lib. 16. pag. 755. Nunc vero, ſi Tabulam Chronologicam, quam in primo Colloquio in Hiſtoriam hujuſce ſextæ Mundi Ætatis exhibui, duodecim priorum Regum Seleucidarum, qui, poſt obitum *Alexandri Magni*, in Syria regnarunt, prę oculis habeas, eidemque Tabulæ Chronologicæ, quæ incipit a *Seleuco Nicanore*, qui poſt mortem *Alexandri Magni*, fuit primus Syriæ Rex, quęque producitur uſque ad *Demetrium II.* dictum *Nicanorem*, qui fuit, poſt obitum *Alexandri Magni*, duodecimus e Seleucidarum genere Rex Syriæ; ſi, inquam, huic Tabulæ Chronologicę duodecim priorum Syriæ Regum adjicias alios Reges e genere Seleucidarum, quos mox percenſui, quique, poſt *Demetrium II.* dictum *Nicanorem*, duodecimum ab obitu *Alexandri Magni* Regem Syriæ; Regnum Syriæ occuparunt, accuratam ſeriem habebis Regum e genere Seleucidarum qui ab obitu *Alexandri Magni* regnarunt in Syria, donec Syri dominii illorum pertæſi ob varia, quæ frequenter excitabant, bella, eis parere detrectarunt, ſeque *Tigranis*, Armeniæ Regis, Imperio ſubdiderunt.

D. Memoria jam teneo ſeriem Regum Seleucidarum, qui, poſt obitum *Alexandri Magni*, regnarunt in Syria. Proſequere nunc, quæſo, Hiſtoriam Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum, qui ſub Regibus Syriæ, ad tutandam Judæorum Reipublicæ libertatem ac Religionem, res præclaras geſſerunt.

M. Mortuo, ut antea diximus, *Simone*, qui *Judæ Machabæi*, & *Jonathæ* frater erat, ſimulque Princeps ac Summus Judæorum Sacerdos, in ejus locum, ad regendam Judaicam Rempublicam, ſuffectus eſt ipſius filius, dictus *Joannes Hyrcanus*, hujus nominis primus, qui ducto in Syriam Exercitu, aliquas Urbes occupavit, & præcipue Urbem *Garizim*, ubi, ſicut alibi diximus, Templum erat, inſtar Hieroſolymitani, a *Sanaballete* in gratiam *Manaſſis* ipſius generis, *Alexandro*

dro Magno permittente, extructum. Hoc Templum, quod jam ducentis ab hinc annis fuerat excitatum, penitus evertit *Joannes Hyrcanus*, Princeps ac Summus Iudæorum Sacerdos. Deinde, Idumæos debellavit, eoſque ad Circumciſionem recipiendam, & ad Moſaicæ Legis obſervantiam compulit, ut pote poſteros *Abrahami*, ab *Eſau* progenitos. Denique, *Joannes Hyrcanus* Romam Legatos miſit, ut fœdus cum Populo Romano renovaret, obtinuitque, ut Actis *Antiochi Sydetis*, Regis Syriæ, jam demortui, reſciſſis, omnia, quæ Judæis ab illo Rege fuerant ablata, in integrum reſtituerentur, omniaque Tributa, & onera, quæ impoſuerat, tanquam inconſulto Romanorum Senatu, Sociis indicta, Senatusconſulto tollerentur, ſicut teſtatur J*oſephus* libri decimi tertii *Antiquit.* J*ud.* capite decimo ſeptimo. Hunc J*oannem*, filium *Simonis*, ideo fuiſſe appellatum *Hyrcanum*, quod adverſum Hyrcanos, gentem validiſſimam, egregie pugnaſſet, ſuperius obſervavimus, idque contra *Druſium*, qui hoc in dubium revocat, confirmare poſſumus teſtimonio J*oſephi*, Hebræi, qui lib. 13. *Antiq.* J*udaic.* cap. 16. ait, hunc J*oannem*, filium *Simonis*, ſecutum fuiſſe cum auxiliaribus copiis *Antiochum Sydetem*, Syriæ Regem, quando ille Rex Expeditionem ſuſcepit in Parthos, in quorum Exercitu erant Hyrcani: *Antiochus* (inquit *Ioſephus*) *erecto trophæo ad Lychum fluvium, ubi Idantem, Parthorum Ducem, profligaverat, hæſit ibi per biduum ad preces Hyrcani Iudæi, quod in id tempus forte quædam Iudæorum feſtivitas incurrerat, per quam non licebat iter facere*. Obiit *Ioannes Hyrcanus* anno Principatus ſui trigeſimo, non vero (ut recte obſervat *Uſſerius* in Annalibus veteris Teſtamenti) anno trigeſimo tertio, ſicut perperam legitur in antiqua operum *Ioſephi*, Hebræi, verſione, quam adornavit *Rufinus*, vel anno trigeſimo primo, ſicut nunc in editis ejuſdem *Ioſephi* libris legitur. Mortuo *Ioanne Hyrcano*, filius ejus natu maximus *Iudas*, alio nomine *Ariſtobolus* dictus, Principatum ſimul & Pontificatum obtinuit. Sed nec Principis, nec Summi Pontificis appellatione contentus, Regium nomen & inſignia ſumpſit, primuſque, poſt reditum e captivitate Babylonica diademate ſibi impoſito, Principatum apud Judæos in formam Regni tranſtulit, ſicut fidem facit *Joſephus* lib. 1. *De Bello Judaico* capite tertio, & lib. 13. *Antiquit. Judaic.* cap. 19. & lib. 20. cap. 8. Fuit quidem hic *Ariſtobulus* vir bellicoſus, quippe qui, illato *Itureæ* bello, Gentem illam Iſmaelitici generis debellavit, & ad Circumciſionem, & ad Legis Moſaicæ obſervantiam coegit; ſed in ſuos crudelis admodum fuit. Nam primo; Matrem ſuam, Principatus æmulam, quam ſcilicet *Hyrcanus* pater rerum Dominam conſtituerat, in carcerem conjecit, eoque crudelitatis progreſſus eſt, ut eam fame necarit. Præterea fratrem ſuum *Antigonum*, quem ſibi in Regni Socium adſciverat, per ſicarios occidi juſſit; tres vero reliquos fratres ſuos in vinculis tenuit. Non diu tamen belluinam illam crudelitatem impune tulit. Anno ſiquidem duntaxat uno Regni ſui elapſo, exhauſtus continuo ſanguinis vomitu, & diris conſcientiæ ſtimulis noctes dieſque miſere exagitatus ac dilaniatus, migravit e vita, ut refert *Joſephus* lib. 1. *De Bello* J*ud.* cap. 3. & lib. 13. *Antiq.* J*ud.* cap. 19. Poſt obitum *Ariſtobuli*, Regina *Salome*, ejus uxor, quam Græci *Alexandram* nuncupant, e carcere ſolvit mariti fratres, quos ipſe, dum viveret, in vinculis habuerat, eorumque natu maximum, *Alexandrum Jannæum*, Regem ac Pontificem conſtituit. At ille ſemel Regno ſummaque rerum potitus, in Principatus ſui exordio alterum fratrem, ſibi inſidiantem, peremit; Alterum, contentum privata & otioſa vita, in honore habuit, ut aſſerit *Joſephus* lib. 13. *Antiq.* J*ud.* cap. 20. Bellum geſſit *Alexander Jannæus* cum *Ptolomæo Lathuro*, Ægypti Rege, qui ira percitus, quod *Alexander Jannæus* fœdus, quod cum ipſo percuſſerat, violaſſet, & *Cleopatram*, Reginam Ægypti, quam filio ſuo eidem Regi *Ptolomæo Lathuro* inſen-

inſenſam noverat, clam ad bellum concitaſſet, in Judæam, hac fraude retecta, cum Exercitu venit, collatiſque cum *Alexandro Jannæo* ſignis, magnam ei intulit cladem, triginta Judæorum millia in prælio cæcidit, Judæam devaſtavit, &, ut omnia terrore impleret, juſſit promiſcua cæde pueros jugulari, in fruſta concidi, ac in ollis coqui, quaſi ejus milites carnibus humanis veſcerentur. Poſt barbaram illam Expeditionem, Cyprum reverſo *Ptolomæo Lathuro*, Ægypti Rege, animum non deſpondit *Alexander Jannæus*, ſed immanitate illius Regis Ægypti audacior factus, Urbem *Gazam* oppugnavit, cepit, in prædam dedit, omneſque cives trucidavit. Deinde, vicit Arabes, Moabitas, & Galaaditas, eiſque tributa impoſuit. Reverſus Hieroſolymam *Alexander Jannæus*, odium ſibi conflavit Judæorum, eorumque variis factionibus fuit exagitatus, quos viciſſim crudeliter ultus eſt. Nam civili bello per ſex annos a Judæis vexatus, quinquaginta illorum millia interfecit. Quod facinus ita Judæorum odia accendit, ut ab *Alexandro Jannæo* penitus alieni, in auxilium advocarint *Demetrium Eucærum*, Syriæ Regem, qui, conſerto prælio, *Alexandrum Jannæum* ad fugam in montes capeſſendam compulit, eumque omni procul dubio in ordinem redegiſſet, niſi Judæi, miſeram Regis ſui *Alexandri Jannæi* fortunam dolentes, ei opem tuliſſent, quorum ſubinde metu *Demetrius Eucærus*, deſperato belli eventu, terga vertit, ſicque ejus auxiliaribus copiis deſtitutus perduellium Judæorum Exercitus, ab *Alexandro Jannæo* debellatus eſt. Denique, *Alexander Jannęus*, poſtqnam per annos viginti ſeptem cum ſumma fortunę viciſſitudine regnaſſet, abiit e vivis. Regni adminiſtrationem moriturus reliquit uxori ſuę *Alexandrę*, eique unum e filiis, quem vellet, eligendi in Pontificem, arbitrium permiſit; ipſa vero filium ſuum *Hyrcanum* majorem natu, otio deditum, Pontificem declaravit: *Ariſtobolum*, alterum filium, ferventiori præditum ingenio, & rerum novarum cupidum, a Regni adminiſtratione callide ſemovit, & privatum agere voluit. Regnavit *Alexandra* pacifice per novem annos, eo potiſſimum nomine apud populum gratioſa, quod Phariſæos, quibus vulgus fidem maxime habebat, ſibi arctiſſime conciliaſſet. Sed hujus Reginæ gratia & auctoritate abuſi Phariſæi, in illos qui, regnante *Alexandro Jannæo*, eis moleſti fuerant, crudeliter ſævierunt, & plures e medio ſuſtulerunt.

D. Mortua Regina *Alexandra*, obtinuitne tandem Regnum *Hyrcanus*, ejus filius, qui toto eo tempore, quo in Judea regnavit *Alexandra*, mater, Pontificatum duntaxat geſſit?

M. Poſt Reginæ *Alexandræ* obitum, ejus filius *Hyrcanus*, hujus nominis II. Rex quidem Judæorum fuit ſalutatus, ſed *Ariſtobolus*, ejus frater, qui, ut mox diximus, ad res novandas propenſiſſimus erat, bellum ei intulit acerrimum, quod eleganter *Severus Sulpicius* libr. 2. *Hiſtoriæ Sacræ* deſcribit his verbis: *Poſt hujus* (ſeu Reginæ *Alexandræ*, matris) *obitum*, *fœda inter fratres* (nempe inter *Hyrcanum II.* & *Ariſtobulum*, *filios Reginę Alexandræ*) *de Regno certamina orta. Ac primum Hyrcanus Imperium obtinebat, mox ab Ariſtobulo, fratre, pulſus, confugit ad Pompejum, ſum tum Mithridatico bello confecto, pacataque Armenia & Ponto, Victor omnium gentium, quas adierat, ultrorſum pergere, & vicina quæque Romano Imperio adjungere cupiens, cauſas belli & materiam vincendi quærebat. Igitur Hyrcanum libens excepit, ductuque ejus Judæos aggreditur; Urbe capta atque Arce, templo pepercit. Ariſtobulum vinctum Romam mittit, Hyrcano jus Pontificatus reſtituit, impoſitoque Judæis ſtipendio, Procuratorem eis Antipatrum quemdam Aſcaloniten præpoſuit.* Huic *Antipater*, cujus hic meminit *Sulpicius Severus*, quemque genere *Aſcaloniten* fuiſſe ait, pater eſt *Herodis*, qui poſtea fuit Judæorum Rex, & quo regnante in Judæa, natus eſt Chriſtus Dominus. *Antipatrum* tamen non genere Aſcalonitam fuiſſe, ſed Idumæum,

mæum, probabilius aſſerunt bene multi Sancti Patres. *Hyrcanum* itaque hujus nominis II. Regem Judæorum denuo a *Pompejo* conſtitutum tentarunt quidem e ſolio deturbare *Ariſtobulus*, ejus frater, Judæorum Regno privatus, & filii ejuſdem *Ariſtobuli*, ſcilicet *Alexander*, & *Antigonus*. Sed *Ariſtobulus* veneno extinctus eſt, *Alexandrum*, ejus filium, quod arma contra Romanos non ſemel cepiſſet, *Scipio*, juſſu Pompeji, Antiochię ſecuri percuti curavit. Denique *Antigonus*, alter *Ariſtobuli*, Iudęorum Regno privati, filius, ad *Cæſarem*, tunc in Syria degentem, venit, queſtuſque eſt de infortunio patris ſui *Ariſtobuli*, & *Hyrcanum*, patruum ſuum, atque *Antipatrum* accuſavit, quod per vim Regnum Iudaicæ gentis gererent, nec ab ejus injuriis abſtinerent. Verum, nihil apud *Cæſarem* ſuis queſtubus promovere potuit *Antigonus*. Audita quippe Oratione, quam *Antipater* ad diluenda ſibi ab *Antigono* impacta crimina habuit, confeſtim *Cæſar* declaravit *Hyrcanum* Summum Iudæorum Pontificem, & *Antipatro* Dynaſtiam, quamcumque ipſe optaret, obtulit, eumque Procuratorem Iudææ conſtituit, ſicut prodit *Joſephus*, Hebræus, libro primo, *De Bello Judaico* cap. 8. & lib. 14. *Antiquit. Judaic.* cap. 15. Tum *Antipater* unum e liberis ſuis, natu videlicet maximum, dictum *Phaſaelum*, Hieroſolymis & circumjacenti Regioni Ducem conſtituit, & *Herodi*, filio ſuo ſecundo genito, viginti quinque annos nato (qui poſtea fuit Rex Iudæorum, eoque Regnante in Iudęa, natus eſt Chriſtus, Servator noſter) Galilęam curandam commendavit, ſicut legere eſt apud *Ioſephum* libr. 1. *De Bello Judaico* cap. 8. & lib. 14. *Antiq. Iud.* cap. 16. & 17.

D. Pervenimus tandem ad *Herodem*, Antipatris filium, quo in Iudæa regnante, natus eſt Chriſtus Dominus. De hoc autem *Herode* in primis ſcire velim, quo pacto Iudææ Regnum obtinuerit?

M. Seriem rerum, quas ad obtinendum Iudææ Regnum geſſit *Herodes* breviter hic deſcribam. Regnante in Judæa, ſicut mox diximus, *Hyrcano II.* omnem Regiam auctoritatem ad ſe traxit *Herodes*, cui pater ipſius *Antipater* Galilæam adminiſtrandi curam demandaverat. Id *Antigonus*, Hyrcani II. nepos, & cujus pater *Ariſtobulus* Regno Judææ privatus fuerat, ægerrime tulit, atque, ut paternum Regnum recuperaret, *Pacorum*, Parthorum Regem, multis promiſſis allexit. *Pacorus*, Rex, ſciens, *Hyrcanum II.* Judææ Regem, ſtare a partibus Romanorum, actutum ſuppetias *Antigono* tulit, & in Judæam cum duplici Exercitu venit. *Antigonus* vero cum copiis, quas privata pecunia collegerat, Hieroſolymam itidem perrexit, atque a civibus, quibus exoſum erat, regimen *Herodis*, intra urbem facile admiſſus eſt, Regiam tamen occupare haud potuit, quod & ſitu munita, & valido inſtructa Exercitu ab *Herode* teneretur. At, poſtquam *Pacorus*, Parthorum Rex, *Hyrcanum II.* Judææ Regem, ſubdole in Colloquium vocatum, in vincula conjeciſſet, *Antigonus* Judæis Rex impoſitus eſt, & *Herodes*, qui in Regia remanſerat, accepto nuncio de captivitate Regis *Hyrcani*, relictis protinus Hieroſolymis, ſuos ſecum milites cum tota familia ducens, primum *Maſſadam*, munitiſſimum Oppidum, ſe ſe recepit, mox magnis itineribus in Arabiam ſeceſſit, dein in Ægyptum iter intendens, venit Peluſium; poſtea Alexandriam, ubi Regina *Cleopatra* vicem ejus dolens, voluit illum Alexandriæ detinere. Sed *Herodes*, diuturnæ moræ impatiens, Romam properavit, quo ſtatim ac appuliſſet, narravit *M. Antonio*, quomodo *Antigonus* Palæſtinam invaſiſſet, & a *Pacoro*, Parthorum Rege, fuiſſet Judææ Regno donatus: *Hyrcanus* vero, legitimus Judææ Rex, e ſolio deturbatus eſſet, & in vincula conjectus: Quomodo etiam ipſe variis jactatus procellis Romam veniſſet, ut ejus pro afflicta atque ab hoſte obſeſſa familia patrocinium imploraret, atque, poſt tot adverſos fortunę caſus, meliora fata ſperare poſſet. *M. Antonius* miſeratione mutatæ fortunæ, *Herodis*, permo-

motus, re cum Collega, Triumviro, ideſt, *Cæſare Octaviano Auguſto*, communicata, communi conſilio declaraverunt Ambo, *Herodem* inſtituere Judææ Regem. Itaque, convocato Senatu, Regnum Paleſtinæ, ſeu Judææ, *Herodi* delatum eſt anno quinto Imperii *Cæſaris Octaviani Auguſti*, ſeu anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo decimo quarto, & anno periodi Julianæ quater milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto, a quo anno putari debent anni Regni *Herodis*, quemadmodum illos computarunt *Ioſephus*, Hebræus, qui *Herodis* temporibus valde proximus fuit, *Philo*, etiam Judæus, qui *Herodis* temporibus fuit proximior, & *Nicolaus Damaſcenus*, qui *Herodi* coævus, ac familiariſſimus fuit, eidemque ſuperſtes. Regia dignitate auctus *Herodes*, Roma in Judæam reverſus eſt, &, poſtquam cum *Antigono* bellum toto triennio geſſiſſet, tandem una cum *Soſio* Hieroſolymorum Urbem Kalendis Ianuarii, ſicut videtur *Uſſerio*, vel, ut putat *Bucherius* ſub finem menſis Iunii anni Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimi decimi ſeptimi, & periodi Iulianæ quater milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi ſeptimi, *M. Agrippa*, & *Caninio Gallo* Conſulibus, expugnavit, hoc eſt, tribus annis, poſtquam ipſemet *Herodes* fuit a Senatu Romano Rex Iudææ declaratus. Capta ab *Herode* Hieroſolymorum Urbe, *Antigonus* Romam ad *M. Antonium*, unum Triumvirum Collegam, vinctus ductus eſt, quem *Herodis* ambitioni mactavit, & Antiochiæ ſecuri percuti juſſit. Fuit iſte *Antigonus* ex ſtirpe Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum, apud Iudæos ultimus Princeps, & in ipſo deſiit Machabæorum Principatus, qui, teſte *Joſepho*, Hebræo, duravit centum viginti ſex annis. Ab hac Hieroſolymorum Urbis expugnatione, & ab obitu *Antigoni*, ultimi Aſſamonæorum Principis, numerat etiam *Ioſephus* annos Regni *Herodis* lib. 1. *De Bello Iudaico* cap. ultimo, ubi ait, *Herodem in Iudæa annos quatuor ac triginta ab interfecto Antigono Regno potitum eſſe*. Duplex itaque diſtingui debet Epocha Regni *Herodis*. Prima cœpit anno Urbis conditæ ſeptingenteſimo decimo quarto, anno quinto Imperii *Octaviani Auguſti* Conſulibus *CN. Domitio Calvino*, & *C. Aſinio Pollione*, in Autumno, ſeu menſe Octobri, ſicut multis momentis evincit doctiſſimus Cardinalis *Noriſius in Cenotaphiis Piſanis* Diſſertatione ſecunda. Iuxta hanc primam Regni *Herodis* Epocham, regnavit *Herodes* in Iudæa triginta ſeptem annis, ut teſtatur *Joſephus*, Hebræus, lib. 1. *De bello Iud.* cap. ultimo, ubi ait, *Herodem regnaſſe in Iudæa annos triginta ſeptem, poſtquam a Romanis Rex Iudææ deſignatus eſt*. Altera Regni *Herodis* Epocha ducit exordium ab anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo decimo ſeptimo, hoc eſt, ab obitu *Antigoni*, ultimi Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum Principis, qui occiſus eſt triennio poſtquam *Herodes* fuiſſet a Romanis Rex Iudææ declaratus, & juxta hanc ſecundam Regni *Herodis* Epocham, regnavit *Herodes* in Iudæa triginta quatuor annis. *Regnavit Herodes in Iudæa*, inquit *Ioſephus*, loco mox a me laudato, *annos triginta quatuor ab interfecto Antigono*. Advertere tamen debes, *Herodem*, Iudææ Regem, ubi primum intellexiſſet, *M. Antonium*, Patronum ac Mœcenatem ſuum, qui ſpreta *Octavia*, Sorore Imperatoris *Octaviani Auguſti*, quam, pace apud Brunduſium facta, uxorem duxerat, & deinde cum *Cleopatra*, Regina Ægypti, matrimonium inierat, profligatum fuiſſe ab eodem Imperatore *Octaviano Auguſto* in pugna Actiaca, quæ data eſt anno Imperii ejuſdem *Auguſti* decimo quarto, ſeu anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo vigeſimo tertio, advertere, inquam, debes, *Herodem*, Iudææ Regem, poſt illam pugnam Actiacam veniſſe ad Victorem Imperatorem *Octavianum Auguſtum*, tum temporis Rhodi degentem, & ab eo in Regno Judææ fuiſſe confirmatum. *Herodes* (inquit *Ioſephus* cap. 10. lib. 15. *Antiq. Iudaicarum*) *properavit Rhodum, ut illic Cæſari occurrat. Quo poſtquam appulit, poſito tantum diademate, de cetero apparatu Re-*

gio

Digitized by Google

gio nihil mutavit; admiſſuſque ad colloquium, tum maxime oſtendit animi ſui magnitudinem, neque ad ſupplicationes (ut in tali forma mos eſt) verſus, neque preces adhibens, quaſi rogandi veniam, ſed facti ſui (quod videlicet partes *M. Antonii* tuitus eſſet) *intrepide reddens*. Pertendit Eminentiſſimus Annalium parens Cardinalis *Baronius in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos*, *Herodem*, poſt obtentam ab Imperatore *Octaviano Auguſto* confirmationem Regni ſui in Judæa, numeraſſe annos Regni ſui, ab inſigni illa victoria, quam Imperator *Auguſtus* anno decimo quarto Imperii ſui, ſeu anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo vigeſimo tertio, de *M. Antonio* in pugna Actiaca reportavit, multaſque ibidem doctiſſimus ille Cardinalis adducit conjecturas ad fidem elevandam *Joſephi*, Hæbrei, qui annos triginta ſeptem Regni *Herodis* in Judæa numerat ab anno quinto Imperii *Octaviani Auguſti*. Sed, has Eminentiſſimi illius Annalium parentis conjecturas nec ſolidas eſſe, nec ullo probatæ fidei Scriptoris teſtimonio fultas, ſat copioſe oſtendi in Tractatu *De Myſteriis & annis Chriſti*, Diſſertatione ſexta *De anno Natalis proprii Chriſti*, ubi pluribus momentis probavi, nullam rationem proferri poſſe, cur *Herodes* annos Regni ſui numerarit ab illo anno, quo Imperator *Auguſtus* in pugna Actiaca *M. Antonium* expugnavit, ſubindeque ſtandum eſſe teſtimonio *Joſephi*, Hebræi, qui, poſt clariſſimos Scriptores *Nicolaum Damaſcenum*, intimum Regis *Herodis* Conciliarium, & *Philonem*, Judęum, annos Regni *Herodis* numeravit ab anno quinto Imperii *Auguſti*. *Joſephum*, Hebręum, in hac Epocha Regni *Herodis* ſequuntur omnes periti hujus ætatis Chronologi, *Antonius Pagius*, *Tilmontius*, *Natalis Alexander*, *Bernardus l' Amy*, *Cardinalis Noriſius*, & alii. Fateor tamen, *Joannem Harduinum* tam in ſua *Chronologia Veteris Teſtamenti*, quam in Proluſione *De Nummis Herodiadum*, fidem omnem *Joſepho*, Hebręo, in deſcribenda Hiſtoria Herodiana abrogare pro viribus tentaſſe. Sed hic nuperrimus Scriptor *Joannes Harduinus*, qui non ſolum Hiſtorici *Joſephi*, Hebræi, fidem, ſed & Sanctorum Patrum, & Hiſtoricorum auctoritatem abolere, atque nobiliſſima cum ſacræ, tum prophanæ Antiquitatis monumenta aut negare, aut in dubium revocare auſus eſt, male audit apud omnes viros eruditos, quorum plerique innumera & a ſæculis hactenus inaudita illius paradoxa, præclaris editis lucubrationibus, egregie confutarunt, indeque tandem compulſus eſt *Harduinus* palinodiam canere in publica Declaratione, quam dedit die vigeſima ſeptima menſis Decembris anni milleſimi ſeptingenteſimi ſeptimi, quęque inſerta eſt Tomo XVIII. *Bibliothecæ Selectæ Joannis Clerici* a pag. 252. uſque ad paginam 257.

D. Calculo *Joſephi* Hebræi, in præfigenda utraque Regni *Herodis* Epocha lubentiſſime ſubſcribo. Sed quodnam jus ad Regnum Judææ haberet *Herodes?* nunc a te ſcire percupio.

M. Nullum omnino jus ad Regnum Judææ habebat *Herodes*, quia eum non fuiſſe genere Judæum, ſed alienigenam, multis, iiſque invictis momentis demonſtrari poteſt. Primo, quia mater *Herodis*, dicta *Cypros*, oriunda erat ex Arabia, ut fatentur omnes Hiſtorici, eratque Ethnicorum Religioni addicta. Præterea, *Joſephus* paſſim libris 14. *Antiquit. Jud.* & libro primo, *De bello Judaico* cap. 5. diſerte aſſerit, *Herodem* non fuiſſe genere Judęum, ſed Idumæum. Tertio, omnes ſancti Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici *Herodem* fuiſſe *allophylum*, ſeu alienigenam, & extraneum a Gente Judaica, ſummo conſenſu pronuntiant, quamvis quidam illum Aſcalonitam fuiſſe, quidam vero Idumæum affirment. Quarto, *Herodes* nec poſtulato, nec expectato Judæorum conſenſu, ſed ſolumſavore *M. Antonii*, & *Octaviani Auguſti*, atque ope Romanorum adjutus, Judææ Regnum anno quinto Imperatoris *Auguſti* obtinuit. Quinto, ea, quæ geſſit *Herodes*, poſtquam a Senatu Romano fuiſſet Rex *Judæę* declaratus, manifeſto pro-

Digitized by Google

probant, illum non fuiſſe genere Judæum. Nam (teſte *Joſepho* libr. 15. *De Antiq. Jud.* cap. 11.) Inſtituta Judęorum peregrinis ritibus violavit, Athletica inſtituit certamina, quinto quoque anno, in honorem Imperatoris *Octaviani Auguſti*. Teatrum etiam in urbe, & Amphiteatrum in campo extruxit; urbem Samariam, dictam *Sebaſten*, Imperatoris *Auguſti* honori dicatam voluit; *Sacerdotio* aut abdicavit, aut ad illud, quos voluit promovit; *Davidis*, Regis, ſepulcrum recluſit; eos omnes interemit, quos ſciebat ex ſtirpe regia eſſe oriundos, &, ne familiæ ſuæ Herodianæ, quæ nec ex *Davidis*, Regis, proſapia, nec ex judaico genere prodierat, aditus ad Regnum Judęę præcluderetur, juſſit omnes libros, qui de Regum Judææ genealogiis erant conſcripti, ſedulo conquiri & comburi, hoc pacto *exiſtimans* (inquit Euſebius, libro primo, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capit. 6.) *ſe nobilem videri poſſe, ſi novitius eſſet & advena Iſraelitici generis nullis conſcriptionum Faſtis urgeretur*. Poſtremo, *Herodem*, non ex genere judaico ortum eſſe, ſed alienigenam, extraneum, & peregrinum fuiſſe, ſubindeque nullum plane jus ad Regnum Judææ ſibi aſſerere ac vindicare potuiſſe, probat non ſolum conſtans illa reſiſtentia Judæorum, quorum bene multi adduci nunquam potuerunt, ut in fidem *Herodis* jurarent, plurimi etiam tormentis & minis ad juramentum illud præſtandum fuerint compulſi; verum etiam illud odium, quo Rex *Herodes* ſemper Judæos proſecutus eſt, ita ut etiam in illos ultra funus ſuum ſævire voluerit, dum *Salomæ*, ſorori ſuæ, & *Alexæ*, marito ejuſdem *Salomæ*, ferale propediem moriturus mandatum dedit occidendi, poſtquam obiiſſet, omnes nobiles Judæos, quos in hunc finem crudeliſſimus ille poſt homines natos Rex in Circo concludi juſſerat. Si plura de Regis *Herodis* genere ſcire deſideres, legeſis Opuſculum, quod *Serarius* edidit *De Herode*. Lege etiam eruditum librum, quem gallice ſcripſit *Cl. Ferrandus*, in ſupremo Senatu Pariſienſi Cauſidicus, cujus titulus eſt: *Reflexions ſur la Religion Chretienne*, ſed præſertim ejuſdem libri tom. primo, qui complectitur doctiſſimam explanationem prophetię *Jacobi*: *Non auferetur ſceptrum de Juda &c.* & Prophetię *Danielis* de ſeptuaginta hebdomadibus, quibus circumſcribitur tempus de adventu & morte Meſſiæ. Hic autem duo duntaxat velim breviter obſerves, primo, Regem *Herodem*, licet genus ſuum, ſeu originem non traxerit ex Judæis, ſed fuerit alienigena, ſicut mox oſtendimus, Religionis tamen profeſſione Judæum fuiſſe; erat quippe Rex *Herodes* genere Idumæus. Porro, Idumæi (quamvis in Scriptura Sacra appellentur *alienigenæ* reſpectu Judæorum: *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ amici facti ſunt*) ab eo tamen tempore, quo ab *Hyrcano* hujus nominis Primo Summo Judæorum Pontifice ac Rege, debellati ac expugnati fuerunt, ad circumciſionem, & ad obſervantiam Legis Moſaicæ fuerunt obſtricti. Cum igitur Rex *Herodes*, genere Idumęus eſſet, vere quidem reſpectu Judæorum erat alienigena, more tamen judaico vivebat, id eſt, Ritus Moſaicę Legis obſervabat, ſicut colligitur ex celebri illo Dicto Imperatoris *Octaviani Auguſti*, qui (ſicut refert *Macrobius* lib. ſecundo *Saturn.* cap. 4.) poſtquam audiviſſet, Regem *Herodem* filio ſuo *Antipatro* necem intuliſſe, ait: *Melius eſt porcum Herodis eſſe, quam filium*. Eo namque Dicto alludere voluit Imperator *Auguſtus* ad Legem Moſaicam, quam obſervabat Rex *Herodes*, & ab eſu porcorum aliorumque id genus animalium, quę ab ea Lege prohibita erant, abſtinebat. Prętερea, velim obſerves, regnante in Judæa *Herode*, cui, utpote alienigenæ, nullum jus ad Regnum Judææ aſſertum erat, impletum fuiſſe illud Oraculum Patriarchæ *Jacobi* cap. 49. lib. Geneſis: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de ſamore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium*. Regnante ſiquidem in Judæa *Herode*, natus eſt Jeſus Chriſtus, Dominus ac Servator noſter, ſicut late probavi

Digitized by Google

bavi in Diſſertatione ſexta, & in Paragrapho primo Diſſertationis ſeptimæ, Tractatus, quem edidi, *De Vita, Myſteriis, & annis Jeſu Chriſti*. Certe, Judæi, velint nolint, inficiari hand poſſunt, regiam poteſtatem e tota Gente Judaica, regnante ſemel in Judæa *Herode*, fuiſſe ad peregrinum, ſeu alienigenam, omnino translatam, ſeque deinceps eam nullo pacto recuperare potuiſſe, ſed potins poſt cladem Hieroſolymitanam, factam ab Imperatoribus Romanis, *Veſpaſiano*, & *Tito*, fuiſſe qnoquo verſum miſere diſſipatos, alienis parere coactos Legibus, nihil eorum prorſus habentes, quibns conſtat regia poteſtas, puta monetam endendi, Leges ferendi, Arces conſtruendi, belli denunciandi ac gerendi: id, inquam, inficias ire non poſſunt Judæi, quia tota Gens Judaica tempore Paſſionis, ſeu mortis Chriſti Domini palam exclamavit: *Non habemus alium Regem, niſi Cæſarem*, id eſt, Romanorum Imperatorem; cumque *Pilatus* Judæis, Chriſtum magnis clamoribus ad mortem poſtulantibus, dixiſſet: *Accipite eum vos, & ſecundum Legem veſtram judicate eum*, incunctanter reſponderunt Judæi: *Nobis non licet interficere quemquam*. Addo etiam, fateri ultro ipſoſmet Judæos in Talmude, Tractatu *Sanhedrin* cap. 5. quadraginta annis ante everſionem, ſeu devaſtationem Templi Hieroſolymitani, *judicium animarum*, ut loquuntur, ſeu poteſtatem judicandi in cauſis criminalibus Synedrio fuiſſe ablatam. Porro Templum Hieroſolymitanum a Romanis everſum eſt anno Æræ Chriſtianæ ſeptuageſimo. Unde manifeſtum eſt, Judæos, ſemel nato Jeſu Chriſto, vero Meſſia, ſuprema poteſtate jndicandi fuiſſe penitus exutos, nec aliam, ſi quam eis Romani permiſerunt, niſi umbratilem & precariam exercere potuiſſe.

D. Jam ſciebam, Jeſum Chriſtum, regnante in Judæa *Herode*, natum eſſe, cum expreſſe dicat Evangeliſta *Matthæus* cap. 2. *natum eſſe Jeſum in Bethleem Juda in diebus Herodis Regis*. At, quoto anno Regni *Herodis* natus ſit Chriſtns Dominus, necdum ſatis compertum ac exploratum habeo.

M. Duplex Jeſu Chriſti Natale a Chronologis diſtingni ſolet, videlicet Natale Chriſti, quod dicitur *Vulgare, Comune*, ac *Dionyſianum*; & aliud Natale Chriſti, quod appellatur *Verum* ac *Proprium*. Natale *Vulgare* Chriſti, dictum etiam *Dionyſianum* a *Dionyſio*, Abbate cognomento *Exiguo*, natione Scytha, qui circa initium ſexti ſæculi flornit, & auctor eſt Æræ Vulgaris, ſeu Chriſtianæ, præfigitnr ad diem vigeſimam quintam menſis Decembris anni qnadrageſimi quarti Imperii *Octaviani Auguſti*, qui annus concurrit cnm anno a creatione Mundi 4138. a condita Roma anno 753. Periodi Julianæ anno 4713. & anno quarto Olympiadis 194. Conſulibus *Coſſo Cornelio Lentulo* & *L. Calpurnio Piſone*. Natale autem Chriſti, qnod dicitur *verum* & *proprium*, illud eſt, quod revera contigit, dum adhuc *Herodes* regnaret in Jndæa, qnandoquidem jam a te landatus Evangeliſta *Matthæus*, conceptis verbis dicat, *natum eſſe Jeſum in Bethleem Juda in diebus Herodis Regis*. Hinc concors eſt omnium Chronologiæ peritornm ſententia, erraſſe Abbatem *Dionyſium* cognomento *Exiguum*, auctorem Æræ Vulgaris, ſeu Chriſtianæ, dum ſibi perſnaſit, Chriſtum natum eſſe die 25. menſis Decembris anni quadrageſimi quarti Imperii *Auguſti*, cnm certum ſit, *Herodem*, Regem, jam e vivis exceſſiſſe anno quadrageſimo quarto Imperii *Octaviani Auguſti*. Conſtat autem, Chriſtum Dominum natum eſſe, regnante adhuc in Judæa *Herode*. Quod autem *Herodes*, Rex Judææ, mortuus ſit ante annum quadrageſimum quartum Imperii Octaviani Auguſti, memini, me id multis iiſque invictis momentis probaſſe in Tractatu *De Myſteriis, & annis Chriſti*, Diſſertatione ſexta, ubi oſtendi, *Herodem*, poſtquam regnaſſet annis triginta ſeptem, ex quo a Romanis fuerat declaratus Rex Judæorum, vel poſtquam a devicto *Antigono* regnaſſet in Ju-

Digitized by Google

Judæa triginta quatuor annis, mortuum eſſe anno quadrageſimo primo Imperii *Auguſti*. Erravit itaque Abbas *Dionyſius Exiguus*, Auctor Æræ Vulgaris, ſeu Chriſtianæ, dum putavit, Chriſtum Dominum natum eſſe anno quadrageſimo quarto Imperii *Auguſti*, quo anno non ſolum jam e vivis exceſſerat *Herodes* Rex, ſed etiam immenſum in Germania erupit bellum, in quo *Cajus Cæſar* pugnavit adverſus Parthos, ſicut ex *Vellejo Paterculo* evincunt Cardinalis *Noriſius* in Cenotaphiis Piſanis, & *Antonius Pagius* ſub finem *Apparatus Chronologici ad Annales Baronii*. Porro, anno, quo Chriſtus natus eſt, totum orbem fuiſſe in pace compoſitum, in confeſſo eſt apud omnes. Chriſtus igitur natus non eſt anno quadrageſimo quarto Imperii *Octaviani Auguſti*, ſicut perperam viſum eſt Abbati *Dionyſio*, cognomento *Exiguo*. Ex eadem Epocha mortis Regis *Herodis*, præfixa, uti præfigi debet, anno quadrageſimo primo Imperii *Auguſti*, manifeſtum itidem eſt, hallucinatum eſſe Eminentiſſimum Annalium parentem *Baronium*, qui aſſerit, Chriſtum Dominum natum eſſe die 25. menſis Decembris anni quadrageſimi ſecundi Imperii *Octaviani Auguſti*, quo tamen anno jam vita functus erat Rex *Herodes*, ut pote qui obiit, ut mox diximus, anno quadrageſimo primo Imperii *Octaviani Auguſti*, Chriſtum autem natum eſſe dum adhuc in Judæa regnaret *Herodes*, nemo, teſtante Evangeliſta *Matthæo*, inficias ire poteſt. At, quoto anno Regni *Herodis* illigari debeat verum & proprium Natale Chriſti Domini? non convenit inter viros Chronologiæ peritos, qui, ſicut commonſtravi in prælaudata Diſſertatione ſexta, in varias ſuper hac re ſcinduntur ſententias. Ipſe, æqua lance libratis omnibus ſententiis, longe probabilius arbitror, verum & proprium Natale Chriſti præfigendum eſſe ad annum quadrageſimum Imperii *Auguſti*, qui annus concurrit cum anno Regni *Herodis* trigeſimo ſexto, poſtquam a Romanis conſtitutus fuit Rex Judeę. Eo ſiquidem anno quadrageſimo Imperii Auguſti adhuc in vivis erat *Herodes* Rex, quippe qui abiit duntaxat e vivis anno quadrageſimo primo Imperii *Auguſti*, ſeu anno trigeſimo ſeptimo, poſtquam a Romanis fuiſſet Rex Judææ declaratus, & anno, poſt devictum *Antigonum*, trigeſimo quarto. Præterea, eodem anno quadrageſimo Imperii *Auguſti* totus Orbis erat in pace compoſitus, Templumque *Jani* clauſum fuit ab Imperatore *Auguſto*, ſicut teſtantur Hiſtoriæ Romanæ Scriptores, quorum teſtimonia laudavi in Paragrapho ſecundo Diſſertationis ſeptimæ Tractatus *De Myſteriis & annis Chriſti*, ibidemque oſtendi contra *Joannem Maſſonum*, Presbyterum Anglicanum, nullum anno quadrageſimo Imperii *Auguſti*, quo Jeſum Chriſtum natum eſſe affirmo, erupiſſe bellum, ſed per totum Orbem altiſſimam pacem floruiſſe. Has itaque Diſſertationes Tractatus *De annis & Myſteriis Jeſu Chriſti*, quas mox indicavi, ſi legere haud graveris, planiſſime probatum invenies, verum & proprium Natale Chriſti Domini incidiſſe in diem vigeſimum quintum menſis Decembris anni quadrageſimi Imperii *Octaviani Auguſti*, qui annus concurrit cum anno trigeſimo ſexto Regni *Herodis*, ex quo fuit a Romanis Rex Judææ declaratus, & cum anno trigeſimo tertio Regni ejuſdem *Herodis* poſtquam *Antigonum*, ultimum apud Judæos ex ſtirpe Aſſamonæorum, ſeu Machabæorum, Principem, deviciſſet.

D. Nondum, ut candide fatear, intelligo, quid ſibi velit iſta Æra Vulgaris, ſeu Chriſtiana, quam a *Dionyſio*, Abbate, cognomento *Exiguo*, excogitatam fuiſſe, mox ajebas.

M. Æra Vulgaris, ſeu Chriſtiana, dicta etiam Dionyſiana, a ſuo auctore Abbate *Dionyſio*, ea eſt, quam Eccleſia Latina in numerandis annis, qui effluxerunt ab Incarnatione Chriſti Domini, uſurpat, dum hunc, quem auſpicamur, annum ait eſſe ab Incarnatione Chriſti milleſimum ſeptingenteſimum vigeſimum ſeptimum, cum enim, ut mox diximus, Abbas

bas *Dionyſius*, cognomento *Exiguus*, imputarit, Chriſtum natum eſſe die 25. menſis Decembris anni quadrageſimi quarti Imperii *Octaviani Auguſti*, inde annum primum ſuæ Æræ quæ dicitur *Vulgaris*, ſeu *Chriſtiana*, incepit Kalendis menſis Januarii anni ſequentis, ſeu anni quadrageſimi quinti Imperii *Auguſti*, Conſulibus *Caio Cæſare*, nepote Imperatoris *Auguſti*, & *L. Æmilio Paulo*. Ab anno autem quadrageſimo quinto Imperii *Auguſti*, (cui anno *Dionyſius*, Abbas, annum primum Æræ ſuæ, dictæ *Vulgaris*, ſeu *Chriſtiana*, illigavit) numerantur uſque ad præſentem, quem decurrimus, annum, mille ſeptingenti & viginti ſeptem anni. At, fatentur omnes hujus temporis periti Chronologi, Abbatem *Dionyſium* in aſſignando anno natalitio Chriſti Domini erraſſe quadriennio ſolido, ac ſubinde novam illam, quam ab Incarnatione Chriſti Domini excogitavit, Aeram, quæ dicitur *Vulgaris*, & *Chriſtiana*, non eſſe accuratam. Chriſtus enim, ut antea diximus, natus non eſt die 25. menſis Decembris anni quadrageſimi quarti Imperii *Auguſti*, ſicut falſo ſibi perſuaſit Abbas *Dionyſius*, ſed natus eſt die 25. menſis Decembris anni quadrageſimi Imperii *Auguſti*. Quo fit, ut verum & proprium Natale Chriſti Domini antevertat quadriennio ſolido Aeram Vulgarem, ſeu Chriſtianam, cujus auctor eſt Abbas *Dionyſius*; Eccleſia tamen Latina hanc Aeram Dionyſianam in numerandis annis ab Incarnatione Chriſti Domini in communem uſum tranſtulit, non quod putet Eccleſia Latina, hanc Aeram Dionyſianam eſſe accuratam, ſed quia hæc Aera Dionyſiana communi Chriſtianorum uſu inducta & recepta fuit. Nec enim ejuſmodi temporum minutias moratur Eccleſia, ſed eas Chronologis diſcutiendas ac dirimendas permittit. Addo etiam, morem illum ſubducendi annos ab Incarnatione Chriſti Domini, juxta hanc Aeram Dionyſianam, non ſemper in Eccleſia obtinuiſſe. Nam, ante Abbatem *Dionyſium*, mos in Eccleſia vigebat notandi annos per Olympiades Græcorum, per annos Imperatorum, & Conſulum Romanorum, ſed potiſſimum per Aeram Alexandrinorum Martyrum, ſeu per Aeram crudeliſſimi Imperatoris *Diocletiani*, qui maximam Chriſtianorum ſtragem edidit. Tardius autem invaluit uſus numerandi annos ab Incarnatione Chriſti Domini juxta Aeram Dionyſianam. Obſervat quippe doctiſſimus *Antonius Pagius* in ſua Diſſertatione *De Periodo Græco Romana*, in Galliis, prima duntaxat ſtirpe Francorum Regum deficiente, hanc Aeram Dionyſianam in vulgarem uſum fuiſſe vocatam, ſicut videre eſt in *Capitularibus* Regum Francorum ab erudito *Baluzio* publicatis, & quorum multa etiam exhibet *Cl. P. Mabillonius* in doctiſſimo, quem edidit, libro *De Re Diplomatica*. Hiſpani quoque & Luſitani nonniſi paucis abhinc ſæculis Aeram, quam ſectantur, Hiſpanicam antiquarunt, & in ejus locum Aeram Dionyſianam, ſeu Vulgarem, & Chriſtianam, ſuffecerunt. Quin, & Summi Pontifices hac Aera Dionyſiana tardius in ſuis Diplomatibus uſi ſunt. *Eugenius* quippe *IV.* Pontifex Maximus ſæculo Eccleſiæ decimo quarto ſuaſu *Blondi* Aeram Dionyſianam, adhibere cœpit. Denique, circa hanc Aeram Dionyſianam, advertere debes, Cardinalem *Baronium*, virum alioqui de Hiſtoria Eccleſiaſtica optime meritum, biennio erraſſe in præfigendo exordio Aeræ Dionyſianæ. At enim, *Baronius* exiſtimans, ſicut antea diximus, Chriſtum natum eſſe die 25. menſis Decembris anni quadrageſimi ſecundi Imperii *Auguſti*, orſus eſt annum primum Aeræ Dionyſianæ Kalendis menſis Januarii anni ſequentis, ſeu anni quadrageſimi tertii Imperii *Auguſti*, Conſulibus *Cæſare Auguſto XIII.* & *M. Plautio Silvano*, cum tamen fateantur omnes ad unum periti Chronologi annum primum Aeræ Dionyſianæ cœpiſſe Kalendis menſis Januarii anni quadrageſimi quinti Imperii *Auguſti*, Conſulibus *Caio Cæſare*, nepote Imperatoris *Auguſti*, & *L. Æmilio Paulo*. Hinc Eminentiſſimus ille Annalium parens in præfigendo anno primo

primo Aeræ Dionyſianæ erravit duobus integris annis. Quem errorem animadvertens *Baronius*, ut in viam redire, & Æram Dionyſianam, a qua duobus annis deflexerat, aſſequi poſſet, quoſdam e Faſtis Conſularibus expunxit Conſulatus, ac tandem annum Chriſti 280. Æram Dionyſianam aſſecutus eſt, a qua deinceps in ſuis Eccleſiæ Annalibus nunquam diſceſſit. Obſervant etiam periti hujus ætatis Chronologi, eundem Cardinalem *Baronium* in alium impegiſſe errorem, dum in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis annum quadrageſimum quintum Imperii *Auguſti*, a quo incipit annus primus Æræ Dionyſianæ, ſeu Vulgaris, & Chriſtianæ dictæ, conſignavit per Conſulatum decimum quartum Imperatoris *Auguſti*, & *Æmilii Pauli*. Hunc *Baronii* errorem refellit Cardinalis *Noriſius* Diſſertatione 2. *De Cenotaphiis Piſanis* cap. 13. ubi invictis demonſtrat momentis, Imperatorem *Auguſtum* tredecim duntaxat Conſulatus egiſſe. Doctiſſimus itidem *Antonius Pagius* in ſua *Critica Baronii ad annum primum Æræ Chriſtianæ*, multis pariter argumentis probat, Conſulatum decimum quartum Imperatoris *Auguſti* eſſe omnino commentitium, & in vetuſtis emendatiſque *Dionis* Codicibus legi, *Cajum Cæſarem*, nepotem Imperatoris *Auguſti*, fuiſſe Conſulem cum *Æmilio Paulo* anno quadrageſimo quinto Imperii *Auguſti*. Unde facile infertur, corrupta & interpolata fuiſſe illa *Dionis* Exemplaria, quæ conſulit Cardinalis *Baronius*, & in quibus legit, Imperatorem *Auguſtum* anno quadrageſimo quinto Imperii ſui egiſſe Conſulatum decimum quartum cum *Æmilio Paulo*.

D. *Herodem* mortuum eſſe anno trigeſimo ſeptimo poſtquam Rex Judææ a Romanis fuiſſet declaratus, jam inſinuaſti; ſupereſt nunc ut breviter exponas quodnam mortis genus truculentiſſimus ille Rex fuerit expertus.

M. Multis flagitiis infamis Rex *Herodes*, ſed potiſſimum Innocentium infantium Bethleemitarum cæde, quam, naſcente Chriſto Domino, edidit, execrandus; tandem ultricem Dei manum, cujus iram tamdiu provocaverat, ſenſit in morte. Poſtquam enim duos filios *Alexandrum*, & *Ariſtobulum*, quos e ſua conjuge *Mariamne* ſuſceperat, necari juſſiſſet *Herodes*, in gravem ac fœdum incidit morbum, quem in dies ingraveſcentem cum nullis adhibitis remediis delinire poſſet, deploratæ ſuæ valetudini conſulturus, profectus eſt ultra Jordanem, ubi calidis ſeſe fovebat aquis. Inde Hiericuntem repetiit, illucque per ſummam immanitatem acceſſitos Judæos, qui erant ex illuſtrioribus familiis oriundi, in Circo concluſit, ut trucidarentur ſtatim ac ipſe fato ceſſiſſet, ſicque eorum morte ac luctu temperaretur illud gaudium, quod Judæos in ejus obitu habituros prævidebat. Interim, *Herodes* Rex, multis contaminatus ſceleribus, divinæ juſtitiæ calicem quaſi guttatim ſorbebat. Inteſtinum ignem ad viſcera populanda, intimis fovebat medullis. Horrenda voracitate, & dyſenterico morbo laborabat, ulcera, & colicos dolores graviſſimos patiebatur, pedes ex acerrimo pravorum humorum defluxu intumeſcentes, nervos ad convulſionem uſque contrahi, computreſcere genitalia, & ex toto corpore vermes ac intolerabilem erumpere fœtorem ſentiebat. Ad has morborum, & pœnarum corporis anguſtias accedebat perpetuus, & incredibilis animæ dolor, quo crudelis ille & undecumque infelix tyrannus Regni ſui jacturam, domeſticorum diſſidia, infamem vitæ exitum, omnium Judæorum in ſe unum concitata odia, imminens ab ira divina damnationis æternæ fulmen, tanquam damna irreparabilia noctu diuque cum ſumma anxietate perpendebat. Tot malis vexatus, & tantum non cadaveri, quam ſpiranti ſimilior *Herodes*, litteras Roma recepit, quibus Imperator *Auguſtus* poteſtatem ei permittebat animadvertendi in filium *Antipatrum*, quem contra ipſius vitam conſpiraſſe cauſabatur. Hoc unico tantiſper recreatus eſt *Herodes*, ſed paulo poſt acutiſſimis doloribus vehementius quam antehac excruciatus, in furias actus eſt, voluit ſibi conſciſcere necem,

a quo

Digitized by Google

a quo ſcelere impeditus a ſuis domeſticis, indoluit ſceleſtiſſimus ille Rex, quod ſibi violentas manus inſerre haud potuiſſet. Sparſus tamen eſt per Palatium rumor, auditusque de morte *Herodis* clamor, qui ad aures *Antipatri*, ejus filii, cum perveniſſet, fugam e carcere in quem a patre conjectus fuerat, moliri cœpit. Quod cum *Herodi*, Regi, fuiſſet renunciatum, ſtatim filium ſuum *Antipatrum* occidi juſſit. Vivos etiam truculentiſſimus ille tyrannus comburi præcepit *Judam*, & *Mathiam*, nobiles juvenes Judæos ac Legisperitos, quorum ſuaſu quidam Aquilam auream, quàm ipſe in frontiſpicio Templi per turpem adulationem Imperatori *Auguſto* dicaverat, Religionis Legiſque zelo detraxerant. Poſtremo, die quinta ab occiſione filii ſui *Antipatri*, & poſt Eclipſim Lunæ, quæ Hieroſolymis, teſte *Joſepho* lib. 17. *Antiq. Jud.* capite 7. conſpicua viſa eſt anno quadrageſimo primo Imperii *Auguſti*, annos natus ſeptuaginta, fœtidam animam exhalavit Rex *Herodes*, vermibus corroſus, domi exacerbatus a ſuis, criminum furiis exagitatus, Deo, & cunctis mortalibus exoſus, & malorum caterva undecumque oppreſſus. Obſervare tamen debes cum doctiſſimo *Schelſtrato* in libro *De Antiquitate Eccleſiæ illuſtrata*, duas Lunæ Eclypſes Hieroſolymis anno quadrageſimo primo Imperii *Auguſti* (quo anno Rex *Herodes*, ut diximus, mortuus eſt) contigiſſe. Primam Eclipſim laudatus ille Auctor aſſerit incidiſſe In diem XII. menſis Martii, anni quadrageſimi primi Imperii *Auguſti*, non vero in diem XIII. menſis Martii, ut *Petavio*, aliiſque Chronologis viſum eſt. Alteram autem Lunæ Eclipſim cenſet *Schelſtratus* accidiſſe die quinta menſis Septembris ejuſdem anni quadrageſimi primi Imperii *Auguſti*, & poſt illam ſecundam Lunę Eclipſim vita functum eſſe *Herodem*, Regem, die xxv. menſis Novembris ejuſdem anni Imperii *Auguſti*. Hęc *Schelſtrati* Sententia mihi probabilior videtur opinione illorum, qui volunt, Regem *Herodem* mortuum eſſe circa Paſchatis Feſtum, hoc eſt, poſt primam Lunæ Eclipſim. Nam primo, ut obiter dicam, Judæi mortem Regis *Herodis* in *Volumine jejunii* aſſignant diei ſeptimo menſis *Casleu*, ideſt, diei xxv. menſis Novembris, quæ dies a Judæis feſtiva habetur, quod in ea *Herodes*, qui in eos ſævIit, mortem oppetiit. Porro hujus Judæorum *Voluminis jejunii* auctoritatem & antiquitatem maxime commendant *Uſſerius* Tomo ſecundo ſuorum Annalium, & *Schelſtratus* in libro mox a me laudato. Præterea, ſi Rex *Herodes* mortuus fuiſſet circa Feſtum Paſchatis anni quadrageſimi primi Imperii *Auguſti*, non ſibi conſtaret *Joſephus*, Hebræus, dum ſcribit, *Herodem*, poſtquam a Romanis fuit creatus Rex Judææ, regnaſſe annis triginta ſeptem. *Herodes* namque, ut jam obſervavimus, a Romanis renunciatus eſt Rex Judææ menſe Octobri anni quinti Imperii *Auguſti*, ac ſubinde annus Regni *Herodis* trigeſimus ſeptimus inire duntaxat potuit menſe Octobri anni quadrageſimi primi Imperii *Auguſti*. Si ergo *Herodes* mortuus fuiſſet circa Feſtum Paſchatis anni quadrageſimi Imperii *Auguſti*, non attigiſſet annum trigeſimum ſeptimum Regni ſui, imo, nec annum trigeſimum ſextum omnino compleviſſet. Probabilius itaque eſt, Regem *Herodem* mortuum eſſe non poſt primam Lunę Eclipſim, quæ Jeroſolymis accidit menſe Martio anni quadrageſimi primi Imperii *Auguſti*, ſed illum fuiſſe e vivis ſublatum die xxv. menſis Novembris ejuſdem anni quadrageſimi primi Imperii *Auguſti*, poſt ſecundam Lunæ Eclipſim, quæ eodem anno contigit Hieroſolymis die quinta menſis Septembris. Teſtamentum, antequam moreretur, condidit Rex *Herodes*, quo filio *Archelao* Judææ Regnum, *Antipæ*, alteri filio, Galilęam, & *Philippo*, tertio filio, Trachonitidem, Galaanitidem, Bathanæam, & Paneadem, Tetrarchię nomine, reliquit.

D. Hactenus juxta calculum *Joſephi*, Hebræi, pręfixiſti annum obitus Regis *Herodis*. Aſt, Cardinalis *Baronius* in ſuo ad Annales Eccleſiaſticos Apparatu, quem nuperrime

legebam, pertendit, falſum eſſe hunc *Jeſephi* calculum, Regemque *Herodem* non eſſe mortuum anno quadrageſimo primo Imperii *Auguſti*, ſed anno quinquageſimo Imperii ejuſdem *Auguſti*, idque adeo verum eſſe exiſtimat ille Eminentiſſimus Annalium Parens, ut ibidem in *Joſephum*, & in alios, qui hujus Hiſtorici, Hebræi, calculum de anno mortis Herodis, Regis, ſectantur, acriter invehatur his verbis, *Si* Joſephum, Hebræum, *quis ſibi ſequendum proponat, deſerat neceſse eſt Evangelicam veritatem, ut pote qui Judæus Auctor (ut oſtendimus) ante Chriſtum natum ponat Herodis Senioris obitum. Sed redarguimus ejuſdem Auctoris levitatem & incoſtantiam ex ipſiuſmet ſcriptis ſuperius recitatis. Porro, ſi quis eidem ita ſecum pugnanti, & Evangelicæ veritati penitus repugnanti, fidem adhibendam putaverit, hac ex parte Celſum, Porphyrium, & Julianum ſe ſuperare cognoſcat; cum iidem, licet Chriſtianæ Religionis hoſtes infenſiſſimi, & contradictores acerbiſſimi, nunquam tamen auſi reperiantur præponere Joſephum Evangeliſtis. At, cum non ſolum (quod ſatis erat) Evangelica veritate redarguerimus Judæum Hiſtoricum, ſed ex ſuis ipſius ſcriptis ſæpenumero aperta luce eum mendoſiſſimum·oſtenderimus, & in hoc ipſo de annis Herodis ab eo diverſa & plane contraria locutum viderimus: quomodo non magis ſequendus nobis fuit Euſebius &c.* Poteratne Cardinalis *Baronius*, cujus auctoritas magni apud omnes ponderis eſſe debet, acriori Cenſura J*oſephum*, Hiſtoricum Judęum, percellere, ejuſque calculum de anno obitus Regis *Herodis* evidentius reprobare?

M. Bona venia, quæſo: Huic Cenſuræ, qua Cardinalis *Baronius* perſtringit J*oſephum*, Hiſtoricum Judæum, quęque ſale ac pipere ſatis aſperſa videtur, oppono primo judicium omnium virorum eruditorum hujus temporis, inter quos convenit, *Joſephum*, Hebręum, immerito vapulare a *Baronio* tanquam imperitum temporum, cum potius fuerit Hiſtoricus diligentiſſimus, cujus magna fides, & eximia eruditio in his, quæ ſpectant Hiſtoriam & annos Regni *Herodis*, maxime elucent. Hinc clariſſimi omnes hujus ętatis Scriptores, in ſacra & prophana Chronologia verſatiſſimi, calculum *Joſephi* tam circa initium Regni *Herodis*, quam circa annum ejuſdem Regis obitus, tanquam accuratiſſimum, ſequuntur, multiſque luculentiſſimis momentis (quę nos in Diſſertatione ſexta *Tractatus de Myſteriiis & annis Chriſti* expendimus) probant, *Herodem* fuiſſe a Romanis creatum Regem Judæę anno Imperii *Auguſti* quinto, qui concurrit cum anno ſexto Juliano, & cum anno Urbis Romę conditæ ſeptingenteſimo decimo quarto, Conſulibus *Cn. Domitio Calvino, & C. Aſinio Pollione*; Herodem vero, poſtquam regnaſſet annos triginta ſeptem, (ex quo videlicet a Romanis Rex Judææ fuerat creatus) mortuum fuiſſe anno quadrageſimo primo Imperii *Auguſti*, qui annus concurrit cum anno Juliano quadrageſimo ſecundo, cum anno Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimo quinquageſimo, Conſulibus C. *Calviſio Sabino*, & *Ruſo*, ſeu *Rufino*, ut habet *Severus Sulpicius*. Præterea, Viri hujus temporis undecumque doctiſſimi duplicem aſſignant cauſam, cur Cardinalis *Baronius* calculum *Joſephi* in deſcribenda Herodiana Hiſtoria improbarit. Prima cauſa eſt, quod *Baronius* annos triginta ſeptem Regni *Herodis* putandos eſſe duxerit poſt pugnam, ſeu victoriam Actiacam, quam Imperator *Auguſtus* de *M. Antonio*, & de *Cleopatra*, Regina Ægypti, retulit die ſecunda menſis Septembris anni ſui Imperii decimi quarti, ſeu anni Urbis Romæ conditæ ſeptingenteſimi vigeſimi tertii. Qua ſemel a *Baronio* poſita Epocha exordii Regni *Herodis*, coactus eſt Eminentiſſimus ille Annalium parens mortem *Herodis*, qui triginta ſeptem annos regnavit in Judæa, detrudere ad annum Imperii *Auguſti* quinquageſimum, ſeu ad annum Urbis Romæ ſeptingenteſimum ſexageſimum. Sed hallucinatum fuiſſe Cardinalem *Baronium*, dum initium triginta ſeptem annorum, per quos regnavit *Herodes* in Judæa, putavit pe-

Digitized by Google

tendum eſſe ab illo anno, quo Imperator *Auguſtus* in pugna Actiaca *M. Antonium* ſuperavit, duæ invictæ rationes demonſtrant. Nam primo, antiqui Hiſtoriæ Herodianæ Scriptores, diſerte aſſerunt, *Herodem* annos triginta ſeptem Regni ſui in Judæa computaſſe ab anno quinto Imperii *Auguſti* (quo anno *Herodes* a Romanis fuit creatus Rex Judææ) nullus autem Herodianæ Hiſtoriæ Scriptor meminit iſtius triginta ſeptem Regni *Herodis* annorum ſupputationis, quam proprio marte adinvenit Cardinalis *Baronius*, quamque duntaxat poſt pugnam, ſeu Victoriam Actiacam, ab Imperatore *Auguſto* anno decimo quarto Imperii ſui de *M. Antonio* reportatam, initium habuiſſe affirmat. Deinde, ſi poſt pugnam, ſeu Victoriam Actiacam, *Herodes*, qui in Regno Judææ ab Imperatore *Auguſto* fuit confirmatus, Regni ſui triginta ſeptem annorum initium duxiſſet, ſicut pertendit *Baronius*, non vero ab anno quinto Imperii *Auguſti* (quo anno idem *Herodes* a Romanis renunciatus eſt Rex Judææ) ſequeretur, annum trigeſimum ſeptimum Regni *Herodis* concurrere, juxta calculum Cardinalis *Baronii*, cum anno quinquageſimo Imperii *Auguſti*, a quo anno Imperii *Auguſti* uſque ad annum quinquageſimum ſeptimum, qui fuit Imperii ejuſdem *Auguſti* poſtremus, ſeptem duntaxat numerabis annos. Quomodo igitur, juxta illum calculum, quem ſequitur *Baronius*, verum erit id, quod poſt *Joſephum*, Hebræum, aſſerunt omnes ad unum Scriptores Hiſtorici, videlicet *Archelaum*, filium Regis *Herodis*, poſtquam per novem annos Judæam non tanquam Rex, ſed tanquam Ethnarcha, rexiſſet, a Proceribus Judæorum, & Samaritanorum, qui ejus tyrannidem ferre haud poterant, accuſatum apud Imperatorem *Auguſtum*, omni ditione & pecunia mulctatum eſſe, & ab eodem Imp. *Auguſto* Viennam in Galliis in exilium miſſum fuiſſe. Certe illius Facti Hiſtorici veritas, quæ apud omnes Scriptores indubitata eſt, nullatenus cum calculo Cardinalis *Baronii* de obitu *Herodis* cohærere poteſt.

Altera cauſa, propter quam Cardinalis *Baronius* calculum *Joſephi*, Judæi, in deſcribenda Hiſtoria Herodiana vehementer improbavit, hæc eſt: ſibi perſuaſit Eminentiſſimus juxta ac doctiſſimus ille Annalium parens, *Joſephum* in deſcribenda Hiſtoria Herodiana hunc poſuiſſe calculum, ex quo neceſſario ſequebatur, Chriſtum Dominum natum eſſe poſt Regis *Herodis* mortem. Verum, cum nunc apud omnes viros eruditos certiſſime conſtet, ea, quæ *Joſephus*, Hiſtoricus Judæus, de *Herode* ſcripſit, Evangelicæ veritati non adverſari, ex iiſque nullo modo ſequi, Regis *Herodis* obitum anteceſſiſſe Nativitatem Chriſti, ſtandum eſt *Joſephi* calculo, a quo dum receſſit Cardinalis *Baronius*, in aliquot Chronologiæ impegit errores, quos retexerunt & emendarunt Cardinalis *Noriſius* in *Cenotaphiis Piſanis*, & *Antonius Pagius* in *Critica Baronii*, & in ſua *Diſſertatione Hypatica*, ſeu *De Cæſareis Conſulibus*, quos, ſi tibi per otium liceat, adire poteris. Hoc unum duntaxat hic breviter annotabo, nimirum viris eruditis jure optimo non probari opinionem Cardinalis *Baronii*, aſſerentis, Regem *Herodem*, anno quo mortuus eſt, occidiſſe in ea, quam edidit, puerorum Bethleemitarum ſtrage, filium ſuum bimulum. Hæc, inquam, Cardinalis *Baronii* opinio graviſſimis momentis a viris eruditis confutatur. Primo, quia licet ex *Joſepho*, Hebræo, certum ſit, Regem *Herodem* morti addixiſſe tres filios ſuos *Alexandrum*, *Ariſtobulum*, & *Antipatrum*, nullus tamen ex his tribus Herodis filiis erat bimulus, ſed omnes erant grandævi. Imo, Rex *Herodes* eo tempore, quo in pueros Bethleemitas gladio ſævіit, nullum filium bimulum habebat, nec habere poterat, quippe qui, teſte *Joſepho*, jam ſenio confectus erat, & ſeptuageſimum ætatis ſuæ jam attigerat annum. Sed ut dem, Regi *Herodi* tum temporis fuiſſe filium bimulum, nihil tamen cauſæ erat, cur illum una cum pueris Bethleemitis trucidari juberet. Nam *Herodes* eo conſilio horrendam illam puerorum Bethleemitarum ſtragem edi-

xit, ut Chriſtum, quem natum Iudæorum Regem a Magis inaudiverat, in cunabulis de medio tolleret, timens, ne Chriſtus ei, ejuſque poſteris ſceptrum Iudææ eriperet. At tantum abeſt, ut *Herodes* occaſionem habuerit timendi, ne ſibi, ſuiſque poſteris ſceptrum Iudææ proprius filius tenellus adhuc & ad ubera apprenſus eriperet, ut potius per hunc puerulum, filium ſuum, Iudææ ſceptrum in ſua Herodiana familia ſervatum iri, ſperare potuiſſet, ac debuiſſet. Denique, Rex *Herodes* juſſit tantum occidi pueros, qui erant in Bethleem & in finibus ejus, ut ait Scriptura Sacra; ſi quem autem *Herodes* tunc habuiſſet filium bimulum ac tenellum, hunc certe non Bethleemi, ſed Hieroſolymis in Regia genuiſſet, aluiſſet, educaſſet: Nihil igitur cauſæ erat, cur pater *Herodes* lactentem adhuc filium ſuum cum ceteris pueris Bethleemitis occidi juberet. Edictum itaque Regis *Herodis* de occidendis pueris Bethleemitis confundi non debet primo cum Edicto ejuſdem Regis de trucidandis filiis ſuis *Alexandro*, *Ariſtobulo*, & *Antipatro*, quia tres illi filii *Herodis* erant ætate grandævi, quando, juſſu patris, fuerunt mortis ſupplicio affecti; pueri vero Bethleemitæ, qui juſſu impii illius Regis fuerunt occiſi, tenelli adhuc erant, quos inter aliquis filius *Herodis*, qui bimulus eſſet, numerari non poteſt. Secundo, iſtud Edictum Regis *Herodis* de ſtrage puerorum Bethleemitarum confundi etiam non debet cum Edicto, quo crudeliſſimus ille Rex, ingraveſcente ſuo morbo, ſicut ſuperius ex *Joſepho* obſervavimus, nobiliſſimos viros inter Iudæos Hiericuntem accivit, & in hypodromo concluſit, datis mandatis ſorori ſuæ *Salome*, ejuſque viro *Alexæ*, ut, ſe extincto, per milites interficerentur. Hoc etenim ſæviſſimum Regis *Herodis* Edictum non fuit executioni mandatum, quia, teſte eodem *Joſepho*, *Salome*, mortuo *Herode*, fratre ſuo, nobiliſſimos illos Iudæos, in Hypodromo concluſos, dimiſit incolumes, dicendo ita *Herodem* juſſiſſe; At, Edictum Regis *Herodis* de jugulandis pueris Bethleemitis, vivente adhuc *Herode*, executioni traditum fuiſſe ait Scriptura Sacra cap. 2. *Matthæi*. Poſtremo cædes puerorum Bethleemitarum confundi minime debet cum illa cæde, qua Rex *Herodes*, paulo antequam moreretur, *Iudam*, & *Matthiam Margolothum*, eorumque Socios, vivos exuri juſſit, ob deturbatam ab ipſis Aquilam auream, quam ſupra majorem Templi Hieroſolymitani portam idem Rex *Herodes* contra Legem poſuerat; cum enim *Iudas & Matthias Margolothus*, Iudæi, eorumque Socii jam ætate provecti eſſent, eorum cædes, juſſa a Rege *Herode*, nihil commune habere potuit cum ſtrage infantium, quos Bethleemi, & in omnibus finibus ejus a bimatu & infra truculentus Rex *Herodes* occidi juſſit.

D. Inter Judæorum Sectas, quæ in ſexta Mundi Ætate emerſerunt, & de quibus hoc in Colloquio ſermonem te habiturum ſpopondiſti, una eſt, quæ ſicut nuperime dicebat mihi vir eruditus, appellabatur Secta *Herodianorum*. Sed undenam illi Sectarii id nominis traxerint, vel ab *Herode*, Rege Judææ, vel ab altero *Herode*? & quoſnam diſſeminarint errores? a te nunc ſcire deſidero.

M. *Herodianorum* meminere quidem Sacri Evangeliſtæ, nimirum *Matthæus*, cap. 22. v. 16. & *Marcus* cap. 8. v. 15. & c. 12. verſ. 13. Sed utrum hoc nomen vel ab *Herode*, Rege Judææ, vel ab alio *Herode* ſortiti ſint? Quoſnam etiam errores ſparſerint iſti *Herodiani?* non ſatis adhuc liquet. Alii exiſtimant, hanc Sectam *Herodianorum* conflatam fuiſſe ex quibuſdam viliſſimis Iudæis, qui dicti ſunt *Herodiani*, eo quod *Herodem*, Regem Iudææ, quamvis non eſſet genere Iudæus, colerent pro Meſſia, quod putarent in eo impletum eſſe Patriarchæ *Iacobi* morientis vaticinium: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus eſt, &c.* Sic ſentit antiquus Scriptor *Tertullianus*, ſive Auctor, quiſquis eſt, *Supplementi* libri ipſius *De Præſcriptionibus*. Sed hanc Sententiam, tanquam ridiculam explodit *S. Hieronymus* Commentario in caput vigeſimum ſecundum *Matthæi*, ubi hæc habet: *Quidam Latinorum ridicule Herodianos putant, qui Herodem Chriſtum eſſe credebant, quod nuſquam omnino le-*

gi-

gimus. Alii probabilius, mea quidem ſententia, cum *S. Hieronymo*, loco mox a me laudato, cenſent, iſtos *Herodianos* non fuiſſe Judæos, ſed milites & ſervos *Herodis*, Tetrarchę Galilęæ. Vocabantur autem illi milites & ſervi *Herodiani* a Phariſæis, qui eos ſolventes Tributa Romanis eo nomine irridebant, quia *Herodes*, Tetrarcha Galilææ, cujus erant milites ac ſervi, Præfectus erat a Romanis ipſis Tributis recipiendis. Hi *Herodiani* inſidiabantur Chriſto, qui ideo ſuos Diſcipulos præmonebat, ut ſibi caverent a fermento Phariſæorum, & a fermento *Herodis*: *Et præcipiebat eis, dicens*: *Videte, & cavete a fermento* (id eſt, a doctrina, quæ malitiæ & corruptionis plena erat) *Phariſæorum, & fermento Herodis*, cap. 8. v. 15. Evangelii *Marci*.

D. *In quo potiſſimum ſita erat Phariſæorum* doctrina, quam Chriſtus Dominus nomine *Fermenti* indigitat?

M. Phariſæi Sectam apud Judæos conflarunt, quæ jam temporibus Machabæorum ſub Regno *Alexandri Jannai* maxima auctoritate pollebat. Præcipua eorum doctrinę dogmata erant iſthæc: primo, variis conſtitutiunculis, ad quæſtum ac tyrannidem excogitatis, irretiebant populum, & præcepta Legis Moſaicæ pravis interpretationibus pro ſuo arbitrio reſtringebant, & ſpuriis traditionibus corrumpebant. Secundo, Fatum admittebant, quod tamen liberum arbitrium non adimeret, ſicut teſtatur *Joſephus*, Hæbreus, libri 2. *De Bello Judaico* cap. 7. & lib. 13. *Antiquit. Jud.* cap. 9. Tertio, Immortalitatem Animarum credebant quidem Phariſæi, ſed bonarum Animarum Metempſychoſim, ſeu migrationem in alia corpora defendebant, ut fidem facit idem *Joſephus*, Secta Phariſæus, lib 18. *Antiquit. Jud.* cap. 2. Denique, Phariſæi erant veri Hypocritæ, qui omnia ad pompam externam, ad publicum ſimulatæ pietatis ſpectaculum faciebant, affectabant Cœlibatum, venditabant jejunia ſua bis in Sabbato, id eſt, in hebdomada; preces, eleemoſynas & ſuperſtitioſas lotiones plenis ac crepitantibus buccis in publico, arrogantique ſupercilio prædicabant, dilatabant Philacteria ſua, & ut viderentur Legis Moſaicæ admodum obſervantes, ſcribebant Decalogum in membranis, ceu duobus Voluminibus, quorum alterum fronti, coronæ vice, circumponebant, alterum brachio: ut ſive quo manum porrigerent, eſſent in conſpectum, ſive caput moviſſent, ob oculos eſſent. Inde illi Hypocritæ captantes auram popularem, atque ex mulierculis ſectantes lucra, faciebant grandes fimbrias, & quos quiſque latiores fimbrias circumferebat, hoc religioſior habebatur apud ſuperſtitioſos & ſimplices. Hi ſunt Phariſæi, qui in Jeſum Chriſtum ſtimulati ac livore perciti, quod, certatim ad illum confluente populo, contemni ac deſeri ſe viderent, Chriſti doctrinæ totis ſuis viribus repugnabant, eum acriter inſectabantur, conviciis proſcindendo, inceſſendo dicteriis, fodicando actiones, miracula eludendo. At, Chriſtus Dominus illis hypocritis, qui ſanctitatis famam apud homines captabant, larvam detraxit, artemque detexit pſeudo illorum Doctorum, qui per illam externam pietatis, & ſanctimoniæ ſpeciem in animos plebis invadebant, cumque a Diſcipulis ſuis monitus fuiſſet, quod Phariſæi verbis ejus fuiſſent offenſi, actutum reſpondit Chriſtus: *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum: Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadent*. Qua reſponſione aperte ſignificavit Chriſtus, ſe comtemnere offenſionem Phariſæorum, quia veritate offendebantur, ſuiſque ſuperſtitioſis traditionibus addicti, gratiæ Myſteria pro nihilo habebant, & plebem a via ſalutis abducebant. Huic Phariſæorum Sectæ e diametro oppoſita erat altera apud Judæos Secta *Sadducæorum*.

D. Oſtende, ſi placet, quo pacto Sadducæorum Secta diſcrepet a Secta Phariſæorum.

M. Phariſæi, ut mox diximus, Fato omnia regi, illæſa tamen ſtante hominum libertate, arbitrabantur: at, Sadducæi (ut teſtatur *Joſephus* libri 2. *De Bello Jud.* capite 7.) Fatum omnino negantes, & Deum extra omnem

N 4

nem mali patrationem inſpectionemque conſtituentes, omnia hominum ſubjiciebant poteſtati; eoſque ſolos bonarum, vel malarum ſuarum actionum auctores eſſe affirmabant. Secundo, Phariſæi Animarum immortalitatem, exiſtentiam ſpirituum, & corporum reſurrectionem confitebantur. Sadducæi vero hæc omnia inficiabantur, aſſerentes animas hominum cum corporibus interire, nec eſſe aliquos Spiritus, ſive Angelos bonos aut malos. Tertio, Phariſæi Sacros omnes libros recipiebant: Sadducæi autem Sacros omnes Libros, præter Pentateuchum *Moyſis*, repudiabant. Denique, Phariſæi non tantum Legem ſcriptam, ſed etiam Legem oralem, ſeu traditiones excipiebant, & probabant: Sed Sadducęi ſoli Scripturæ Sacræ Textui, rejectis omnibus Traditionibus, quaſi polypi ſaxa immobiliter affixi, adhærebant. Hęc infecta Sadducæorum Dogmata ſi ſedulo expendas, fateberis ultro, Phariſæos ſaniora Sadducæis ſenſiſſe atque docuiſſe. Hinc Chriſtus Dominus de Phariſæis ait: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, quæcumque ergo dixerint vobis, ſervate & facite*. Et *S. Paulus* (ut legitur cap. 23. Actor. Apoſt.) in juș vocatus coram Judæorum Senatu, *ſciens quia una pars eſſet Sadducæorum, & altera Phariſæorum, exclamavit in Concilio: Viri fratres, ego Phariſæus ſum, filius Phariſæorum, de ſpe & Reſurrectione mortuorum ego judicor. Et cum hoc dixiſſet, facta eſt diſſenſio inter Phariſęos & Sadducæos, & ſoluta eſt multitudo*. Sed de his duobus apud Judæos præcipuis Sectis Phariſæorum, & Sadducæorum, hæc levi brachio attigiſſe ſufficiat.

D. Prodieruntne apud Judæos in ſexta Mundi Ætate aliæ Sectæ?

M. Præter has duas *Phariſæorum*, & *Sadducæorum* Sectas, aliæ apud Judæos in ſexta Mundi Ætate eruperunt Sectæ, videlicet *Eſſæorum*, ſeu *Eſſenorum*: *Hemerobaptiſtarum*, *Samaritanorum*, *Galilæorum*, *Caraitarum*, & *Rabbaniſtarum*, de quibus hic pauca dicam. In primis *Eſſæi*, ſeu *Eſſeni*, erant Sadducæis e fronte oppoſiti, quippe qui de providentia Dei, de animarum immorralitate, & de exiſtentia Spirituum, ſeu Angelorum, recte ſentiebant, ut teſtatur *Joſephus*, Hebræus, lib. ſecundo, *De Bello Judaico* capit. 7. & lib. 18. *Antiquit Judaic.* capit. ſecundo. A ceteris Judæis puriori quodam vivendi genere, ſeu Aſceticę vitę ſtudio duntaxat diſcrepabant, cęlibatum ſervabant, Sabbatum aliis Judæis ſcrupoloſius obſervabant, victu parco & auſtero utebantur, omnia bona erant illis communia: Habebant inſuper ſtatas horas ad orandum, variaſque artes & occupationes, in quibus ſeſe, citra ullam cupiditatem, exercebant. Apud eos nemo ſervus, omnes liberi. A juramento, quaſi a perjurio, penitus abhorrebant. Severi erant criminum vindices. Lectioni Scripruræ Sacræ dediti ſſimi, pietatis, puerorum inſtitutionis, beneficentię, hoſpitalitatis ſtudioſiſſimi, ſolitudinis & ſilentii obſervantiſſimi, adverſa quæque, etiam mortem, exquiſitiſſimoſque cruciatus, pro Religionis defenſione ęquanimiter, & alacriter tolerabant. Iſti Judæi, dicti *Eſſæi*, & *Eſſeni*, confundi non debent cum *Therapeutis*, qui, ſicut deſcripſit *Philo*, Judæus, in libris *De Vita Contemplativa*, relictis civitatibus, in agro & ſolitudine degentes, orationi, & contemplationi jugiter vacabant, & durum auſterumque vitæ genus ducebant; hos ſiquidem *Therapeutas* non fuiſſe Religione Judæos, ſed Chriſtianos, memini, me jam oſtendiſſe in Colloquio ſecundo, in Hiſtoriam trium priorum Eccleſiæ ſæculorum, quod, ſi tibi per otium liceat, lectitare poteris. Venio nunc ad Sectam *Hemerobaptiſtarum*, qui ita apud Judæos appellabantur, quod ſingulis diebus Baptiſmo, ſeu Lavacro ſe abluerent, dicerentque: hominem ſine quotidiano illo Baptiſmo probe, ſanctoque vivere haud poſſe. Cum Sadducæis negabant iſti *Hemerobaptiſtæ* reſurrectionem mortuorum, ſed in aliis Religionis dogmatibus plane cum Phariſæis conſentiebant. Plura de his *Hemerobaptiſtis* legeſis apud *S. Epiphanium* Hæreſi 17. Quod ſpectat Samaritanorum Se-

Sectam, jam obſervavimus in noſtris precedentibus Colloquiis, decem Iſraelitarum Tribus, poſt earum deportationem in Samariam a *Salmanaſare*, Aſſyriorum Rege, diro Schiſmate a Judęis fuiſſe ſeparatas, illudque Schiſma eo præſertim tempore invaluiſſe, quo *Sanaballetes*, Samariæ Præfectus primum a *Dario*, Perſarum Rege, deinde ab *Alexandro Magno* veniam impetravit, ædificandi Templum in monte *Garizin*, ęmulum Templo Hieroſolymitano; eidemque Templo Garizitano Sacerdotem præfecit *Manaſſen*, ſocerum ſuum, & fratrem *Jadduæ*, Summi Pontificis Judæorum. Poſt extructum illud in monte *Garizin* Templum, in quo Samaritani, juxta ritus ac ceremonias Iudæorum, Sacra faciebant, erupit Samaritanos inter & Iudæos implacabile odium, quamvis Samaritani unum Deum Iſraelis adorarent, Meſſiam expectarent, & in Circumciſione, Sacrificiis, obſervatione Feſtorum, Purificationibuſque Legalibus cum Iudæis convenirent. In tribus tamen potiſſimum capitibus Samaritani diſcrepabant a Iudęis. Primo, quia Samaritani Deum Iſraelis colebant in Templo *Garizin*: Iudæi vero Deum adorabant in Templo Hieroſolymitano, ſicut ipſemet Deus in Lege præcepit. Secundo, Iudæi non ſolum Pentateuchum *Moyſis*, ſed & Libros Propheticos, & alios, qui in Canone Eſdrino erant conſcripti, ceu Sacros & Canonicos recipiebant. At Samaritani Pentateuchum duntaxat *Moyſis*, ceu Sacrum, admittebant, repudiatis aliis libris, quos in ſuo Canone habebant Iudæi. Denique, Samaritani Traditiones, per Phariſæos invectas, quas ſectabantur Iudæi, omnino repudiabant, & unico puro Scripturæ Sacræ Textui adhærebant. Pentateuchum Samaritanum vetuſtiſſimum, & antiquis characteribus Hebræis exaratum fuiſſe, atque etiamnum extare integrum ac ſincerum, memini me alibi ex ſanctis Patribus obſervaſſe; qua de re ſi plura ſcire deſideres, legeſis doctiſſimum *Joannem Morinum*, Congregationis Oratorii Presbyterum, in *Exercitatione*, quam edidit, *in Samaritanum Pentateuchum*. Conſule etiam *Capellum*, & *Vualtonum*, Prolegomeno undecimo in Biblia Polyglotta Londinenſia. Nunc ipſe ab aliis Iudęorum ſectis, quas mox indicavi, breviter me expedio. Sectæ *Galilæorum*, quam *Ioſephus*, Hebręus, Sectis Iudæorum accenſet, originem dediſſe videtur *Judas Galilęus*, ex oppido *Gamala*, qui, dum *Quirinus* in Iudæam, tum temporis in Provinciam a Romanis redactam, ab Imperatore *Auguſto* miſſus fuiſſet, ut cenſum a Iudæis exigeret; auctor erat Iudæis, ut a Romanis impoſitum Tributum non perſolverent, eoſque ſuapte natura jam ad defectionem proclives, omni, qua valebat, eloquentia hortabatur, ut excuterent Romanorum jugum, ſuæque priſtinæ libertati reſtituti ea denegarent tributa, quæ ab ipſis nomine Imperatoris exigebantur. Sed brevi diſſipata eſt hæc Galilæorum Secta. Nam capto a Romanis ac cæſo illo *Iuda Galilæo*, duobuſque ejus filiis in crucem actis, domiti ſunt Iudæi, ſuiſque ingratiis colla jugo Romanorum ſubdere coacti ſunt. Secta *Caraitarum* conflata erat ex illis Iudæis, qui Legem Oralem, ſeu Traditiones Phariſæorum, & Rabbinorum reſpuebant, & uni tantum Scripturæ Sacræ Textui inhærendum eſſe pertendebant. Multi adhuc in Oriente Iudæi Caraitæ reperiuntur. Poſtremo, Secta *Rabbaniſtarum* ex his coaluit Iudæis, qui, præter Legem ſcriptam, excipiebant Legem oralem, ſeu Phariſæorum & Rabbinorum Traditiones, atque Sacrarum Scripturarum expoſitiones in maximo pretio & honore habebant, ideoque *Rabbiniſtę* fuerunt appellati. Hodiemce Rabbiniſtarum Secta adhuc perſeverat in Iudæis, qui per totam Europam ſunt diſperſi, & acerrimo odio Iudæos Caraitas proſequuntur. His, quas hactenus retuli, Iudæorum Sectis, ſunt qui addunt Sectam *Scribarum*, ſed perperam. *Scribarum* quippe nomen, ut memini, me in ſuperiori Colloquio obſervaſſe, non Sectæ, ſed ordinis & gradus fuit. Inter illos *Scribas*, alii erant *Politici*, alii dicebantur

Sa-

Sacri, & *Eccleſiaſtici*. Politicorum Scribarum apud Judæos duplex erat claſſis. In prima erant politici Scribæ Superiores, ſeu Regii, qui erant a Secretis, vel Conſiliis Regum, quique penes ſe aſſervabant inſtrumenta & acta publica, & rationem temporum, geſtorum, ac redditunm. In altera claſſe conſtituebantur politici *Scribæ* inferiores, qui erant Actuarii, & Notarii communes. At, *Scribæ*, qui dicebantur *Sacri* & *Eccleſiaſtici*, erant, ſicut jam oſtendimus, Doctores & Interpretes Legis, quibus ex officio incumbebat Legem interpretari, Sacras Scripturas in Templo & Synagogis Populo prælegere, dubia diluere, obſcura dilucidare, indeque paſſim in Evangelio *Legis Periti* nuncupantur. Horum *Scribarum* ordinem, qui a Phariſæis diſtinctus erat, poſt captivitatem tantum Babylonicam fuiſſe apud Judæos ortum, in ſuperiori Colloquio jam annotavi. Quamvis enim a *Moyſis* temporibus ſemper fuerint in Judæorum Synagoga viri Legis peritiſſimi, probabilior tamen opinio eſt, Scribas ſucceſſiſſe Prophetis, qui poſt captivitatem Babylonicam ceſſarunt, ac primum, cui *Scribæ* nomen in Scriptura Sacra tributum eſt, fuiſſe *Eſdram*.

D. Illuſtriores Philoſophos, Poetas, & Oratores, qui ſexta Mundi Ætate in Græcia floruerunt, accurate in præcedenti Colloquio percenſuiſti. Præclara etiam geſta Machabæorum, qui eadem Mundi Ætate, immortalem gloriam ſibi apud Judæos pepererunt, in iſto Colloquio plurimum commendaſti; debes nunc attexere ſeriem celebriorum Scriptorum Latinorum, qui in ſexta itidem Mundi Ætate, præſertim circa tempora Imperatoris *Auguſti*, Romæ, & in Italia præ ceteris inſigni Eloquentiæ, & Poeſeos laude claruerunt.

M. Antiqui Romani uſque ad tempora Imperii *Octaviani Auguſti* non tam litteris, quam armis nomen ſuum ubique nobilitarunt, uti declarant tot bella, quæ geſſerunt, & victricia ſua arma in varias nationes intulerunt, nimirum Bella Gallicum, Macedonicum, Hiſpanicum, Numantinum, Mithridaticum, Jugurthinum, tria Bella Punica, quibus tandem urbs Carthago, Romæ æmula, omnino deleta eſt, ut nihil in præſentia dicam de bellis civilibus *Sullam* inter & *Marium*; *Cæſarem* & *Pompejum*, qui ab eodem *Cæſare* in pugna Pharſalica victus eſt, & de aliis id genus bellis, quæ felicem habuerunt exitum, & Romanorum Reipublicæ magnum attulerunt incrementum, ſicut legere poteris apud *Polybium*, *Titum Livium*, *Vellejum Paterculum*, *Florum*, *Eutropium*, alioſque Hiſtoriæ Romanæ Scriptores. Non defuerunt tamen in Romanorum Republica ante tempora Imperatoris *Auguſti* aliquot viri litteris clariſſimi, quos inter cenſentur *Nævius*, Poeta, *Livius Andronicus*, Poeta, *Ennius*, Poeta, & plurimarum Tragædiarum Scriptor; *Cæcilius Statius*, Poeta Comicus; *Marcus Pacuvius*, Poeta Tragicus, & *Ennii* nepos: *Marcus Accius*, *Plautus*, & *Terentius*, Poetæ Comici elegantiſſimi, & nonnulli alii. Aſt, poſtquam *Octavianus Auguſtus*, nepos *C. Julii Cæſaris*, devicto in pugna Actiaca *Marco Antonio*, Imperii Romani habenas ſolus moderari cœpit, multo plures viri doctrina præſtantes Romæ, & in Italia prodierunt, qui veteris Græciæ viris illuſtribus nihilo inferiores fuerunt. *Cajum Julium Cæſarem*, avunculum Imperatoris *Octavii Auguſti*, inſignem Hiſtoricum & Oratorem fuiſſe teſtantur hi, quos edidit, *De Bello Gallico* Commentarii, in quibus dilucide, copioſe, eleganter, vehementer, & appoſite ſcribit pro rei natura, pro argumenti, temporum ac perſonarum conditione. Facundos Oratores, qui Romæ, & in Italia palmam eloquentiæ tulerunt, & inter ceteros *Hortenſium*, percenſet *Cicero* in libro *De claris Oratoribus*. Sed unus omnium Scriptorum cum Græcorum, tum Latinorum ſplendorem obſcuravit eloquentiæ laude *M. Tullius Cicero*, dicendi artifex peritiſſimus, & in Cauſarum Civilium Actionibus nulli fecundus. *Ciceronis* ſtylum & eloquentiam in ſuis libris expreſſam imitantur etiamnum aliqui inter Chriſtianos Scriptores, qui hunc eximium Ora-

Digitized by Google

Oratorem gaudent nocturna verſare manu, verſare diurna. Horum certe ſtudium non improbo, immo auctor ſum juvenibus ut libros *Ciceronis* in ſinu habeant, dummodo ſerio cogitent primo huc humanas Diſciplinas, huc Philoſophiam, huc Eloquentiam tendere debere, ut Chriſtum intelligamus, ut Chriſti gloriam celebremus. Hic eſt enim totius eruditionis, & eloquentiæ ſcopus. Præterea, in primis curent adoleſcentes, ut notitiam aſſequantur Myſteriorum Chriſtianæ Religionis, nec minore ſtudio Libros Sacros evolvant, quam *Cicero* libros Philoſophorum, Oratorum Poetarum, Hiſtoricorum, & Juriſperitorum evolverat. In eos autem, qui eo duntaxat fine libros *Ciceronis* legunt, ut ejus ſtylum ad vanam oſtentationem imitentur, vere quadrat iſtud Poetæ *Horatii* Diſtichon:

O imitatores ſervum pecus, ut mihi ſæpe
Riſum, ſæpe jocum veſtri movere tumultus.

Marcus Tullius Cicero juſſu *Marci Antonii*, in quem ſuas Orationes Philippicas in Senatu declamaverat, occiſus eſt, annos ſexaginta quatuor natus, olim Conſul, de Romana Republica optime meritus, ac Pater Patriæ appellatus, poſtquam *Catilinæ* conjurationem diſſipaſſet. *Marco Tullio Ciceroni* coævus fuit *M. Terentius Varro*, quem *virum undecumque doctiſſimum* jure optimo appellat *Terentianus*. Quadringentos & nonaginta libros a ſe fuiſſe ſcriptos, & ad annum ætatis octogeſimum quartum ſe vitam produxiſſe teſtatur ipſemet *Varro*. Eum maxime commendat *Cicero*, qui ipſi librum primum *Academicarum Quæſtionum* nuncupavit, illiuſque teſtimonio ſæpius *Sanctus Auguſtinus* in libris *De Civitate Dei*, præſertim cap. 2. lib. 6. ubi de Diis Gentium, & eorum Sacris agit, uſus eſt. Floruerunt circa idem tempus eximii Oratores, quos inter *C. Criſpus Salluſtius*. Sed aureum Imperatoris *Auguſti* ſæculum præcipue illuſtrarunt celeberrimi Poetæ Latini, quorum facile Princeps eſt *Virgilius*, patria Mantuanus; *Æmilius Macer*, Veronenſis, *Sextus Aurelius Propertius*, *Quintus Horatius Flaccus*, Lyricorum Princeps, *Tibullus* in ſuis Elegiis cultiſſimus, quas tamen caſtis auribus indignas obſcænitate reddidit; & *Ovidius*, cujus libros *Amorum* & *De Arte amandi*, qui caſtitati & bonis moribus peſtilentem afflant auram, nequidem ſummis digitis attingere, nedum legere, debent Chriſtiani. Quocirca, ut obiter dicam, nullo pacto ferre hactenus potui quoſdam Grammaticulos, munditiarum in ſtylo moroſos exactores, qui a Sacrorum Librorum lectione, ob ſermonis, quo ſcripti ſunt, ſimplicitatem, omnino abſtinent, libros etiam aſceticos, qui de rebus piis citra verborum cultum & elegantiam tractant, adductis labiis, faſtidiunt, & ſemper præ manibus habent Ethnicorum Poetarum libros, eoſque, quod gravius eſt Chriſtianæ juventuti legendos obtrudunt. In hos Grammaticulos, *Deſiderius Eraſmus*, vir licet purioris Latinitatis ſtudioſiſſimus, in ſuo Dialogo, cui titulus eſt: *Ciceronianus*, his verbis juſte invehitur: *Quale porro ſit, materiam piam ob hoc ipſum putere nobis, quod pie tractata ſit? At pie tractati qui poteſt, ſi nunquam dimoveas oculos a Virgiliis, Horatiis, aut Naſonibus? niſi forte quorumdam ſtudium approbes, qui fragmentis Homericorum, aut Virgilianorum Verſuum undique decerptis, & in centonem conſarcinatis, Chriſti vitam deſcripſerunt. Operoſum quidem ſcribendi genus, ſed cui unquam iſta lacrymulam extuderunt? Quem ad pietatem commoverunt? Quem ab impura vita revocarunt? .... Oportebat enim omnem Chriſtianorum orationem reſipere Chriſtum, ſine quo nec ſuave, nec ſplendidum eſt quidquam, nec utile, nec honeſtum, nec elegans, nec facundum, nec eruditum. In ſeriis, quodque gravius eſt, in piis materiis, quis ferat iſta paganica progymnaſmata?*

D. Tuo deinceps ſapientiſſimo utar conſilio, & valere juſſis Ethnicorum Poetarum libris, Sacros duntaxat vel Aſceticos Libros in ſinu meo deinceps circumferam, atque in deliciis habebo: ſingula in his pia curioſitate cognoſcere, diſquirere, & excurrere ſa-

ta-

tagam, ut me in his ſedulo meditantem placida mors inveniat. Sed, cum videam, jam imminere horam, quæ Colloquio noſtro finem imponere debet, obſecro te, ut eam, quam promiſiſti, hic attexas ſextæ Mundi Ætatis Tabulam Chronologicam, quæ accuratum exhibeat calculum annorum, qui a captivitate Babylonica, ubi incipit ſexta Mundi Ætas, uſque ad Natale Chriſti Domini, ubi finem habet eadem ſexta Mundi Ætas, interfluxerunt.

M. Cum tres præcipuæ Epochæ, ſeu Æræ, videlicet Epocha, quæ figit initrium Olympiadum, & Æra, dicta *Nabonaſſaris*, Regis Chaldæorum, per quas Græci tempora notare ſolent, necnon Epocha de condita Roma, qua in ſubducendo annorum calculo utuntur Latini, ſuum in ſexta Mundi Ætate, ſicut jam in præcedentibus noſtris Colloquiis oſtendimus, habuerint exordium, ideo ipſe iſtam, quam hic ſubiicio, ſextæ Mundi Ætatis Tabulam Chronologicam ſic diſponam ac digeram, ut non ſolum tuos ob oculos ponam annos a creatione Mundi, ſed etiam annos Olympiadum, annos Æræ *Nabonaſſaris*, & annos a condita Roma, ſicque, uno quaſi intuitu, modum conſignandi tempora, tam apud Græcos quam apud Latinos uſitatum, perſpectum atque exploratum facilius habere poſſis.

TABULA CHRONOLOGICA

Sextæ Mundi Ætatis, hoc eſt, a captivitate Babylonica uſque ad Natale Chriſti Domini, non tantum per annos a creatione Mundi, ſed etiam per annos Olympiadum, Æræ Nabonaſſaris, *& a condita Roma, accurate digeſta & ordinata.*

JOakim, Rex Juda, regnavit undecim annis, & anno illins Regni ultimo, qui concurrit cum anno octavo Regni *Nabuchodonoſoris*, accidit captivitas Babylonica anno Mundi 3536. anno 3. Olympiadis quadrageſimæ quartæ, anno a condita Roma centeſimo quinquageſimo ſecundo, Æræ *Nabonaſſaris* centeſimo quadrageſimo ſexto, ante Æram Vulgarem anno ſexcenteſimo ſecundo.

Nabuchodonoſor, Rex, poſt abductos Judæos in captivitatem Babylonicam, regnavit triginta ſex annis, & obiit anno Mnndi ter milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, anno tertio Olympiadis quinquageſimæ tertiæ, anno a condita Roma centeſimo octogeſimo octavo, Æræ *Nabonaſſaris* centeſimo octogeſimo ſecundo, ante Æram Vulgarem quingenteſimo ſexageſimo ſexto anno, ab incæpta captivitate Babylonica anno trigeſimo ſexto.

Evilmerodachus, filius *Nabuchodonoſoris*, regnavit duobus annis, & mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo qningenteſimo ſeptuageſimo quarto, anno primo Olympiadis quinquageſimæ quartæ, a condita Roma anno centeſimo nonageſimo, Æræ *Nabonaſſaris* anno centeſimo octogeſimo quarto, ante Aeram Vulgarem anno quingenteſimo ſexageſimo quarto, ab incæpta captivitate Babylonica anno trigeſimo octavo.

Balthaſar cum patre ſuo *Nirigliſſare*, genero Regis *Nabuchodonoſoris*, regnavit quatuor annis, & occiſus eſt anno Mundi ter milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo, anno primo Olympiadis quinquageſimæ qnintæ, a condita Roma anno centeſimo nonageſimo qnarto, Aeræ *Nabonaſſaris* anno centeſimo octogeſimo octavo, ante Aeram Vulgarem anno qningenteſimo ſexageſimo, ab incæpta captivitate Babylonica anno quadrageſimo ſecundo.

Darius Medus, dictus *Nabonidus*, vel *Labynitus*, interfecto *Balthaſare*, Rex a Babylòniis electus eſt, & poſtquam viginti ſeptem annos regnaſſet, e Solio a *Cyro*, Perſidis Rege, fuit deturbatus anno Mundi ter milleſimo ſexcenteſimo quinto, anno quarto Olympiadis ſexageſimæ primæ, a condita Roma anno ducenteſimo vigeſimo pri- | Finis Babyloniorum Imperii.

Digitized by Google

primo, Aeræ *Nabonaſſaris* anno ducenteſimo decimo quinto, ante Aeram Vulgarem anno quingenteſimo trigeſimo tertio, ab incepta captivitate Babylonica anno ſexageſimo nono. In hoc *Dario Medo* finem habuit Babyloniorum Imperium.

Exordium Monarchiæ Perſicæ.

Cyrus anno vigeſimo ſeptimo Regni ſui in Perſide initi Babylonem occupavit, cœpitque imperare in Babylone, tanquam ſupremus Perſarum Monarcha, anno Mundi ter milleſimo ſexcenteſimo ſexto, anno primo Olympiadis ſexageſimæ ſecundæ, anno a condita Roma ducenteſimo vigeſimo ſecundo, Aeræ *Nabonaſſaris* anno ducenteſimo decimo ſexto, ante Aeram Vulgarem anno quingenteſimo trigeſimo ſecundo, ab incæpta captivitate Babylonica anno ſeptuageſimo. *Cyrus* hoc anno primo Regni in Babylone iniri laxavit captivitatem Babylonicam, &, poſtquam regnaſſet per tres annos in Babylone tanquam ſupremus Perſarum Monarcha, occiſus eſt anno Mundi ter milleſimo ſexcenteſimo octavo, anno terrio Olympiadis ſexageſimæ ſecundæ, a condita Roma anno ducenteſimo vigeſimo quarto, Aeræ *Nabonaſſaris* ducenteſimo decimo octavo, ante Aeram Vulgarem anno quingenteſimo trigeſimo, Monarchię Perſarum anno tertio.

Cambyſes, filius *Cyri*, regnavit ſeptem annis, & obiit anno Mundi ter milleſimo ſexcenteſimo decimo quinto, anno ſecundo Olympiadis ſexageſimæ quartæ, a condita Roma ducenteſimo trigeſimo primo, Aeræ *Nabonaſsaris* anno ducenteſimo vigeſimo quinto, ante Aeram vulgarem anno quingenteſimo vigeſimo tertio, Monarchię Perſicæ anno decimo.

Smerdes Magus, poſt obitum *Cambyſis*, imperavit per annum integrum, & occiſus eſt anno Mundi ter milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto, anno tertio Olympiadis ſexageſimæ quartæ, a condita Roma anno ducenteſimo trigeſimo ſecundo, Aeræ *Nabonaſsaris* anno ducenteſimo vigeſimo ſexro, ante Aeram Vulgarem anno quingenteſimo vigeſimo ſecundo, Monarchiæ Perſicæ anno undecimo.

Darius Hyſtaſpis filius, poſt occiſum *Smerdem Magum*, regnavit triginta ſex annis, & mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo, anno quarro Olympiadis ſepruageſimæ tertiæ, a condira Roma anno ducenteſimo ſexageſimo octavo, Aerę *Nabonaſsaris* anno ducenteſimo ſexageſimo ſecundo, ante Aeram Vulgarem anno quadringenteſimo octuageſimo ſexto, Monarchiæ Perſicæ anno quadrageſimo ſeptimo.

Xerxes, filius *Darii Hyſtaſpis*, regnavit annos viginti unum, & abiit e vivis anno Mundi ter milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio, anno quarto Olympiadis ſeptuageſimæ octavæ, a condita Roma anno ducenteſimo octuageſimo nono, Aeræ *Nabonaſsaris* ducenteſimo octuageſimo tertio, ante Aeram Vulgarem anno quadringenteſimo ſexageſimo quinto, Monarchiæ Perſicæ anno ſexageſimo ſeptimo.

Artaxerxes Longimanus præfuit Monarchiæ Perſicæ annis quadraginta, & vita functus eſt anno Mundi ter milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, anno quarto Olympiadis octogeſimæ octavæ, a condita Roma anno tercenteſimo vigeſimo nono, Aeræ *Nabonaſsaris* anno tercenteſimo vigeſimo tertio, ante Aeram Vulgarem anno quadringenteſimo vigeſimo quinto.

Digitized by Google

quinto, Monarchiæ Perſicæ anno centeſimo ſeptimo.

Xerxes hujus nominis *II.* & unicus *Artaxerxis Longimani* filius legitimus, ſucceſſit patri ſuo in Monarchia Perſica, ſed paucos poſt dies a *Sogdiano* filio ſpurio *Artaxerxis Longimani*, occiſus eſt. *Sogdianus* vero, parricida, Perſico potitus Imperio, paulo poſt pariter trucidatus occubuit.

Darius, dictus *Nothus*, quod eſſet *Artaxerxis Longimani* filius ſpurius, proclamatus eſt Perſarum Monarcha eodem anno, quo ipſius pater *Artaxerxes Longimanus* mortuus eſt. Imperavit viginti annis, & vita functus eſt anno Mundi ter milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo tertio, anno quarto Olympiadis nonageſimæ tertiæ, a condita Roma anno tercenteſimo quadrageſimo nono, Æræ *Nabonaſsaris* anno tercenteſimo quadrageſimo tertio, ante Æram vulgarem anno quadringenteſimo quinto, Monarchiæ Perſicæ anno centeſimo vigeſimo ſeptimo.

Artaxerxes, dictus *Mnemon*, id eſt, memoria præditus, poſt *Darium Nothum*, Monarchiam Perſicam rexit annis quadraginta tribus, & migravit e vita anno Mundi ter milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, anno tertio Olympiadis centeſimæ quartæ, anno a condita Roma tercenteſimo nonageſimo ſecundo, Æræ *Nabonaſsaris* tercenteſimo octuageſimo ſexto, ante Æram Vulgarem tercenteſimo ſexageſimo ſecundo, Monarchiæ Perſicæ anno centeſimo ſeptuageſimo.

Artaxerxes, dictus *Ochus*, regnavit annis viginti tribus, fuitque veneno ſublatus anno Mundi ter milleſimo ſeptingenteſimo nonageſimo nono, anno ſecundo Olympiadis centeſimæ decimæ, a condita Roma anno quadringenteſimo decimo quinto, Æræ *Nabonaſsaris* anno quadringenteſimo nono, ante Æram Vulgarem anno tercenteſimo trigeſimo nono, Monarchiæ Perſicæ anno centeſimo nonageſimo tertio.

Arſes, filius *Artaxerxis Ochi*, imperavit duobus annis, fuitque occiſus anno Mundi ter milleſimo octingenteſimo primo, anno quarto Olympiadis centeſimę decimæ, a condita Roma anno quadringenteſimo decimo ſeptimo, Æræ *Nabonaſſaris* quadringenteſimo undecimo, ante Æram Vulgarem anno tercenteſimo trigeſimo ſeptimo, Monarchiæ Perſicæ anno centeſimo nonageſimo quinto.

Darius Codomanus imperavit ſeptem annis, & anno ultimo Imperii ſui victus eſt ad Arbella ab *Alexandro Magno* anno Mundi ter milleſimo octingenteſimo octavo, anno tertio Olympiadis centeſimæ duodecimæ, a condita Roma anno quadringenteſimo vigeſimo quarto, Æræ *Nabonaſſaris* anno quadringenteſimo decimo octavo, ante Æram Vulgarem anno tercenteſimo trigeſimo, Monarchiæ Perſicæ anno ducenteſimo ſecundo.

Finis Perſarum Monarchiæ, quæ duravit ann. 202.

Exordium Monarchiæ Græcorum, quæ in obitu *Alexandri Magni* finem habuit.

Alexander Magnus, devicto *Dario Codomano*, ultimo Perſarum Monarcha, regnavit in Babylonia, tanquam ſupremus Græcorum Monarcha, annis ſex, & mortuus eſt anno Mundi ter milleſimo octingenteſimo decimo quarto, anno primo Olympiadis centeſimæ decimæ quartæ, a condita Roma

ma anno quadringenteſimo trigeſimo , Ærę *Nabonaſſaris* anno quadringenteſimo vigeſimo quarto , ante Æram Vulgarem anno tercenteſimo vigeſimo quarto , Monarchię Gręcorum anno ſexto .

Exordium Regni *Seleuci* in Syria , & Æræ Græcorum Seleucidarum.

Seleucus , dictus *Nicator* , vel *Nicanor* , ſeu *Victorioſus* , ab anno duodecimo poſt obitum *Alexandri Magni* Regni ſui in Syria Epocham duxit . Annus autem duodecimus poſt obitum *Alexandri Magni* incidit in annum Mundi ter milleſimum octingenteſimum vigeſimum ſextum , in annum primum Olympiadis centeſimę decimę ſeptimę , in annum a condita Roma quadringenteſimum quadrageſimum ſecundum , in annum Æræ *Nabonaſſaris* quadringenteſimum trigeſimum ſextum , & in annum ante Æram Vulgarem tercenteſimum duodecimum . Eodem anno incipit Æra Græcorum Seleucidarum . Regnavit *Seleucus Nicator* in Syria annis triginta duobus , & trucidatus eſt anno trigeſimo ſecundo Regni Græcorum Seleucidarum .

Antiochus I. dictus *Soter* , ſive *Salvator* , ſucceſſit in Regno Syriæ *Seleuco Nicatori* , anno Mundi ter milleſimo octingenteſimo quinquageſimo ſeptimo , anno quarto Olympiadis centeſimæ vigeſimæ quartæ , a condita Roma anno quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio , Ærę *Nabonaſſaris* anno quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo , ante Æram Vulgarem anno ducenteſimo octuageſimo primo , & poſtquam regnaſſet annos undeviginti , mortuus eſt anno Regni Græcorum Seleucidarum quinquageſimo primo .

Antiochus II. dictus per adulationem *Deus* , regnare cepit in Syria anno Mundi ter milleſimo octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto , anno tertio Olympiadis centeſimæ vigeſimæ nonæ , a condita Roma anno quadringenteſimo nonageſimo ſecundo , Ærę *Nabonaſsaris* anno quadringenteſimo octogeſimo ſexto , ante Æram Vulgarem anno ducenteſimo ſexageſimo ſecundo . Regnavit quindecim annis , & mortuus eſt anno ſexageſimo ſexto Regni Gręcorum Seleucidarum .

Seleucus II. dictus *Callinicus* , filius *Antiochi* II. ſucceſſit patri ſuo in Regno Syrię anno Mundi ter milleſimo octingenteſimo nonageſimo primo , anno ſecundo Olympiadis centeſimæ trigeſimæ tertię , a condita Roma anno quingenteſimo ſeptimo , Aeræ *Nabonaſſaris* quingenteſimo primo , ante Aeram Vulgarem anno ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo . Regnavit viginti annis , fuitque interfectus anno Regni Græcorum Seleucidarum octuageſimo ſexto .

Seleucus III. cognomento *Ceraunus* filius *Seleuci* II. regnare cæpit in Syria anno Mundi ter milleſimo nongenteſimo undecimo , anno ſecundo Olympiadis centeſimę trigeſimæ octavæ , a condita Roma anno quingenteſimo vigeſimo ſeptimo , Aeræ *Nabonoſſaris* , anno quingenteſimo vigeſimo primo , anno ante Aeram Vulgarem ducenteſimo vigeſimo ſeptimo . Regnavit tribus annis , & mortuus eſt anno Regni Græcorum Seleucidarum octuageſimo nono .

Antiochus III. dictus *Magnus* , frater *Seleuci* II. regnare cæpit in Syria anno Mundi ter milleſimo nongenteſimo decimo quarto , anno primo Olympiadis centeſimæ trigeſimę nonæ , a condita Roma anno quingenteſimo trigeſimo , Aeræ

Nabo-

Digitized by Google

Nabonaſſaris anno quingenteſimo vigeſimo quarto, anno ante Aeram Vulgarem ducenteſimo vigeſimo quarto. Regnavit annis triginta ſex, & interfectus eſt anno Regni Græcorum Seleucidarum centeſimo vigeſimo quinto.

Seleucus IV. dictus *Philopator*, filius *Antiochi III.* dicti *Magni*, ſucceſſit patri ſuo in Regno Syriæ anno Mundi ter milleſimo nongenteſimo quinquageſimo, anno primo Olympiadis centeſimæ quadrageſimę octavę, a condita Roma anno quingenteſimo ſexageſimo ſexto, Aeræ *Nabonaſſaris* anno quingenteſimo ſexageſimo, ante Aeram Vulgarem anno centeſimo octuageſimo octavo. Regnavit annis duodecim, & mortuus eſt anno Regni Gręcorum Seleucidarum centeſimo trigeſimo ſeptimo.

Antiochus IV. dictus *Epiphanes*, ſeu *Illuſtris*, fratri ſuo *Seleuco* IV. in Regno Syriæ ſucceſſit anno Mundi ter milleſimo nongenteſimo ſexageſimo ſecundo, anno primo Olympiadis centeſimæ quinquageſimæ primę, a condita Roma anno quingenteſimo ſeptuageſimo octavo, Aerę *Nabonaſſaris* anno quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, ante Aeram vulgarem anno centeſimo ſeptuageſimo ſexto. Regnavit duodecim annis, & obiit anno Regni Gręcorum Seleucidarum centeſimo quadrageſimo nono.

Judas Machabęus filius *Matathiæ*, Principatum obtinuit in Republica Judæorum eodem anno, quo *Antiochus IV.* dictus *Epiphanes*, exceſſit e vivis, ſeu anno Regni Gręcorum Seleucidarum centeſimo quadrageſimo nono, anno Mundi ter milleſimo nongenteſimo ſeptuageſimo quarto, anno primo Olympiadis centeſimæ quinquageſimæ quartæ, a Roma condita anno quingenteſimo nonageſimo, Aerę *Nabonaſſaris* anno quingenteſimo octogeſimo quarto, ante Aeram Vulgarem anno centeſimo ſexageſimo quarto. Præfuit autem *Judas Machabæus* Reipublicæ Judæorum annis tribus. (Exordium Principatus Machabæorum in Republica Judæorum.)

Jonathas in Principatu Reipublicæ Judæorum ſucceſſit fratri ſuo *Judæ Machabęo* anno Mundi ter milleſimo nongenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, anno quarto Olympiadis centeſimæ quinquageſimæ quartæ, a condita Roma anno quingenteſimo nonageſimo tertio, Aeræ *Nabonaſsaris* anno quingenteſimo octogeſimo ſeptimo, ante Aeram vulgarem anno centeſimo ſexageſimo primo. Præfuit *Jonathas* Reipublicæ Judæorum ſeptemdecim annis.

Simon frater *Judæ Machabæi*, & *Jonathæ*, Principatum obtinuit in Republica Judæorum anno Mundi ter milleſimo nongenteſimo nonageſimo quarto, anno primo Olympiadis centeſimę quinquageſimæ nonæ, a condita Roma anno ſexcenteſimo decimo, Aeræ *Nabonaſſaris* anno ſexcenteſimo quarto, ante Aeram vulgarem anno centeſimo quadrageſimo quarto. Præfuit autem *Simon* Reipublicæ Judæorum annis novem.

Joannes Hyrcanus, filius *Simonis*, in Principatu Judæorum ſucceſſit patri ſuo anno Mundi quater milleſimo tertio, anno ſecundo Olympiadis centeſimæ ſexageſimæ primæ, a condita Roma anno ſexcenteſimo decimo nono, Aeræ *Nabonaſſaris* anno ſexcenteſimo decimo tertio, ante Aeram vulgarem centeſimo trigeſi-

geſimo quinto. Principatum tenuit per triginta annos.

Ariſtobulus, filius *Joannis Hyrcani*, ſucceſſit patri ſuo in Principatu Judæorum anno Mundi quater milleſimo trigeſimo tertio, anno quarto Olympiadis centeſimæ ſexageſimæ octavæ, a condita Roma anno ſexcenteſimo quadrageſimo nono, Æræ *Nabonaſſaris* anno ſexcenteſimo quadrageſimo tertio, ante Æram vulgarem anno centeſimo quinto. Hic *Ariſtobulus* fuit primus, qui apud Judæos, poſt captivitatem Babylonicam, ſibi Regium Diadema impoſuit. Regnavit uno duntaxat anno.

Alexander Jannęus, filius *Ariſtobuli*, regnare cœpit in Judęa anno Mundi quater milleſimo trigeſimo quarto, anno primo Olympiadis centeſimæ ſexageſimæ nonæ, anno a condita Roma ſexcenteſimo quinquageſimo, Æræ *Nabonaſſaris* anno ſexcenteſimo quadrageſimo quarto, ante Æram vulgarem anno centeſimo quarto. Regnavit annis viginti ſeptem.

Alexandra, uxor *Alexandri Jannæi*, mortuo marito, regnare cœpit anno Mundi quater milleſimo ſexageſimo primo, anno quarto Olympiadis centeſimæ ſeptuageſimæ quintæ, a condita Roma anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Æræ *Nabonaſſaris* ſexcenteſimo ſeptuageſimo primo, ante Æram vulgarem anno ſeptuageſimo ſeptimo. Regnavit *Alexandra* annis novem.

Hyrcanus hujus nominis II. filius *Alexandri Jannæi*, mortua matre *Alexandra*, regnare cœpit in Judęa anno Mundi quater milleſimo ſeptuageſimo, anno primo Olympiadis centeſimæ ſeptuageſimæ octavę, a condita Roma anno ſexcenteſimo octuageſimo ſexto, Æræ *Nabonaſſaris* anno ſexcenteſimo octuageſimo, ante Æram vulgarem anno ſexageſimo octavo. Regnavit *Hyrcanus II.* annos tres, ſed victus eſt ab *Ariſtobulo*, fratre ſuo, qui Regnum Judæ invaſit, illudque tribus annis occupavit. Tandem, *Ariſtobulo*, invaſore Regni, a *Pompejo* in ordinem redacto, denuo Judææ Regno potitus eſt *Hyrcanus II.* & adhuc regnavit annis viginti tribus.

Antigonus, filius *Ariſtobuli* a *Pompejo* in ordine redacti, devicto *Hyrcano II.* Judææ Regnum occupavit, cæpitque regnare anno Mundi quater milleſimo nonageſimo octavo, anno primo Olympiadis centeſimæ octuageſimæ quintæ, a condita Roma anno ſeptingenteſimo decimo quarto, Æræ *Nabonaſſaris* anno ſeptingenteſimo octavo, ante Æram vulgarem anno quadrageſimo. Regnavit *Antigonus* in Judæa annis tribus, & menſibus tribus.

Finis Principatus Machabæorum. Et initium Regni *Herodis*.

Herodes, natione Idumæus, tribus annis poſtquam a Romanis fuiſſet declaratus Rex Judææ, vicit *Antigonum*, ultimum apud Judæos ex ſtirpe Aſſamonæorum, ſeu Machabęorum, Principem, & ſolus in Judęa regnare cæpit anno Mundi quater milleſimo centeſimo primo, anno quarto Olympiadis centeſimæ octogeſimæ quintæ, a condita Roma anno ſeptingenteſimo decimo ſeptimo, Æræ *Nabonaſsaris* anno ſeptingenteſimo undecimo, ante Æram vulgarem anno trigeſimo ſeptimo. Regnavit Herodes in Judæa, poſt devictum *Antigonum*, annis triginta quatuor, ſed ab anno, quo a Romanis creatus eſt Rex Judææ, regnavit annis triginta ſeptem.

Jeſus

Jeſus Chriſtus natus eſt in Bethleem die xxv. menſis Decembris anni a creatione Mundi quater milleſimi centeſimi trigeſimi quarti, ann. 4. Olympiadis centeſimæ nonageſimæ tertiæ, a condita Roma ann. 749. Aeræ *Nabonaſſaris* 743. Periodi Julianæ ann. 4709. ann. 40. Imperii *Octaviani Auguſti*, ann. 36. Regni *Herodis*, poſtquam fuiſſet a Romanis conſtitutus Rex Judææ, & anno trigeſimo tertio poſtquam deviciſſet *Antigonum*, Conſulibus *Auguſto Cæſare XII.* & *L. Cornelio Sulla*, quadriennio integro ante Aeram vulgarem. Huic anno illigandum eſſe verum, & proprium Natale Chriſti Domini, multis momentis evici in Diſſertatione ſexta Tractatus, quem edidi, *De Myſteriis*, *& annis Chriſti Domini*.

Natale vulgare Chriſti, hoc eſt, juxta Aeram vulgarem, quam, ut ſuperius obſervavimus, excogitavit *Dionyſius*, Abbas, cognomento *Exiguus*, conſignari debet diei vigeſimæ quintæ menſis Decembris anni Mundi quater milleſimi centeſimi trigeſimi octavi, ann. 4. Olympiadis 194. Aeræ *Nabonaſſaris* 747. Periodi Julianæ 4713. ann. 44. Imperii *Auguſti*, Conſulibus *Coſſo Cornelio Lentulo*, & *L. Calpurnio Piſone*. Hoc anno natum eſſe Chriſtum Dominum exiſtimavit *Dionyſius*, Abbas, dictus *Exiguus*, ſed illum in conſignando Natali Chriſti quadriennio ſolido fuiſſe hallucinatum, jam oſtendimus.

Annus primus Aeræ vulgaris, quæ etiam *Chriſtiana* dicitur, vel *Dionyſiana* a ſuo Auctore Abbate *Dionyſio Exiguo*, auſpicatur Kalendis menſis Januarii ann. 45. Imperii Auguſti, ann. Mundi quater milleſimi centeſimi trigeſimi noni, a condita Roma ann. 754. Aeræ *Nabonaſſaris* ann. 748. ann. Periodi Julianæ 4714. ann. 1. Olympiadis 195. Conſulibus *Cajo Cæſare*, nepote *Auguſti*, & *L. Æmilio Paulo*. Ab hoc autem anno primo Aeræ vulgaris effluxerunt mille ſeptingenti viginti ſex anni, & ideo, annum, quem modo decurrimus, diximus eſſe, juxta Aeram vulgarem, ſeu Dionyſianam, milleſimum ſeptingenteſimum vigeſimum ſeptimum. Sed hæc Aera vulgaris, ſeu Dionyſiana, aberrat a vero & proprio Natali Chriſti Domini quadriennio ſolido, ut jam advertimus.

Hic Colloquiis noſtris in univerſam Hiſtoriam Sacram Veteris Teſtamenti finem facere decrevi, ne modum excedant. Tu interim frequentiſſime lege Sacram Veteris Teſtamenti Hiſtoriam, quæ tota refertur ad Jeſum Chriſtum, qui, teſte Apoſtolo *Paulo*, *finis Legis eſt*. Cum enim Vetus Teſtamentum, ſicut ſæpius diximus, ſit umbra Hiſtoriæ Evangelicæ, maxime congruebat, ut nihil gereret Chriſtus, cujus non aliqua vel umbra, vel ſcintilla præceſſiſſet in Veteris Teſtamenti Libris, quo propenſior eſſet omnium fides ad rem non omnino ſubitam atque expectatam. Hinc quidquid Chriſtus præſtitit, promiſſum eſt Sacrorum Vatum Oraculis, adumbratum eſt figuris & carptim etiam expreſſum eſt, veluti ſubinde promicantibus hinc atque hinc ſcintillulis aliquot, quæ lucem illam, poſt erupturam, toti Orbi portenderent. Hæc omnia Veteris Teſtamenti Symbola, & Oracula perfectiſſime adimplevit Chriſtus Dominus, qui vere eſt ſermo ille contractus, & in compendium redactus, quem tandem fecit Dominus ſuper terram, & in quo recapitulavit omnia, quæ in Cœlis & in Terris, ut quæcumque e tot Libris, e tot Sanctis Viris Veteris Teſtamenti ante petebantur, nunc compendio ab uno Chriſto longe tum expreſſiora, tum abſolutiora ſumi poſſent. Hæc igitur omnia, quæ hactenus de Sacra Veteris Teſtamenti Hiſtoria delibavimus, dicta ſint in laudem & gloriam Domini Noſtri Jeſu Chriſti, cui honos ſit & imperium in omne ævum. Si quid tamen nobis in hoc Opere, vel per ignorantiam excidiſſet, vel per errorem obrepſiſſet, pro non dicto, & revocato habemus. Ignorare quippe, obliviſci, dormitare, falli, labi, ſunt humanæ naturæ, per peccatum *Adami* ſauciatæ, vitia, in quibus, quoniam non nihil aliud quam homines eſſe meminimus, & quotidie experimur, facile veniam petimuſque damuſque viciſſim.

Digitized by Google

D. Rogaverat olim *S. Auguſtinum* Laurentius, ut ſcriberet aliquod *Enchyridion*, ſive Opuſculum mole exiguum, quo plane inſtrui poſſet, & inſtructus ex tempore de Deo recte colendo loqui valeret. Petitioni *Laurentii* annuit *S. Auguſtinus*, & Enchyridion ſcripſit, quod obviis ulnis excepit *Laurentius*, & a cujus lectione ægre divelli poterat. Sequar ipſe exemplum *Laurentii*, & Sacram Veteris Teſtamenti Hiſtoriam, quam meis exoratus precibus in variis Colloquiis a Creatione Mundi uſque ad Natale Chriſti Domini digeſſiſti, eo lubentius legam, quod illam ſtylo ſimplici, ſed citra barbariem, & compendioſe, citra tamen obſcuritatem, deſcripſeris. Quæ methodus, ut candide dicam, multum mihi ſemper arriſit, utpote ad ſtudioſæ juventutis captum magis accommodata, antiquo præſertim canente Poeta:

Quidquid præcipies eſto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Finis Hiſtoriæ Sextæ Mundi Aetatis, & totius hujus Operis.

I N-

INDEX RERUM
TOMI PRIMI.

A

Æ Tas. Ætates Mundi ſex ab Orbe condito ad Chriſtum natum, earumque periodi. pag. 3. Ætas diuturna primorum hominum, non tam ob fructus terræ excellentiores, quam propter frugalitates. 70. Vide *Annus*.

Amor Dei & proximi, cultus eſt interior Legis naturæ. 66.

Angeli. Cur Moyſes ſiluerit creationem Angelorum. 9. Angelorum cognitio matutina in Verbo, Veſpertina in rebus. 9. Angelis in via non fuit collata ſola gratia verſatilis. 36. Angelorum peccatum. 39. Corporis expertes ſunt. 78.79. Mulierum amore capti non ſunt ante diluvium. 78. Abſurdæ de Angelis ſententiæ Lactantii. 79. Lothum e flammis eripiunt. 142. Cherubim præ foribus Paradiſi. 40.

Animal. Nulla animalia, e putri materia, oriuntur, ſed ex ovis. 111. Animalia bruta non ſunt prædita ratione, ut ſenſerunt Origenes,& Lactantius. 114. non ſunt pura automata. ibid. Quomodo in Americam adſportata fuerint poſt diluvium, maxime inſecta, quæ noxia ſunt. 111. & ſeq. 113. aves. ibid.

Annus. Annus antiquus Hebræorum, annus civilis, Sabbaticus, & Jubilæus ab æquinoctio autumnali computantur. 8. Anni initium poſtea ſumptum, Deo jubente, ab æquinoctio verno. ibid. Anni priorum Patriarcharum non erant menſtrui, ſed noſtris ſimiles. 71. Anni centum viginti, non vitæ hominum, ſed pœnitentiæ ſpatium ante diluvium. 97. Vide *Ætas*.

Antichriſtus interficiet Enochum in fine mundi, & hic poſt tres dies reſurget. 82.

Antipodæ. 108.

Arca Noe, ejuſque menſura. 72.85. Fuit Eccleſiæ figura. 93. Arca fœderis. 133.

Aſtra non ſunt animata. 113.

Atomi. Corpuſcula ſeu atomos mundum temere effeciſſe ſomniavit Epicurus. 44.

Auxilia. Vide Gratia.

B

B Aptiſmus concupiſcentiam ac fomitem non aufert. 54.

Bella poſt diluvium prima. 104.

Benedictio Melchiſedechi. 128.

Benignitas Dei. Vide Miſericordia.

Bonitas Dei. Vide Deus.

C

C Aptivitas Ægytiaca quamdiu duraverit? 130.

Carnes. Carnibus veſci an licitum ante diluvium. 69.70.97. Poſt diluvium. ibi. ſuffocato & ſanguine interdictum hominibus poſt diluvium. 97. Eadem vetita initio Eccleſiæ Chriſtianæ. 98.

Caſuiſtæ. Rejiciuntur placita nonnulla circa ignorantiam. Invecta in Chriſtianam Ethicen a laxioribus Caſuiſtis. 56.57.

Chaos Poetarum. 7.

Chriſtus. Ejus figuræ, Adam, Abel, Noe. 91. Melchiſedech. 128. Abraham. 145. Chriſti & ejus Sacrificii typus in Iſaaco 138. & in ariete. ib. Chriſtianæ Legis & Chriſtianorum in Sara & Iſaaco. 145. Chriſtum prævidit Abraham. 139. Fides in Chriſtum omni ævo neceſſaria fuit ad juſtificationem. 133. Vide Meſſias.

Cibus hominum. Vide Carnes.

Circumciſio. Ejus origo. 133. a Deo Abrahamo præcipitur, ibid. non eſt deſumenda ab Ethnicis. ibid. Circumciſione utebantur Ægyptii, aliique, ſed Hebræorum circumciſio omnium vetuſtiſſima fuit & diverſa. 135. Ægypti fœminas quoque circumcidebant, ibid.

Concubinas. Uxores minus præcipuæ, quæ non erant matres familias, quandoque vocabantur concubinæ, vigente polygamia. ibid. 144.

Concupiſcentia. Concupiſcentia contra rationem pugnans, mala eſt, malus nempe effectus peccati. 52. pugna hujuſmodi non fuiſſet in ſtatu naturæ puræ, eſt enim contra naturam ex D. Thoma. 20.52. 53. ſupereſt poſt Baptiſmum. 54. Non eſt peccatum, ſed peccati pœna. ib. & 55.

Confirmatio. Ex clara Dei Viſione oritur confirmatio gratiæ. 25.

Conjuges. V. Matrimonium.
Creatio. Mundus e nihilo conditus, non ex præjacente materia. 7. Creationis opera ſex diebus confecta. 7.
Crux Chriſti. Ejus figura fuerunt ligna quibus imponendus erat Iſaac. 138.

D

DEcimæ. Decimas ſolvit Melchiſedecho Abrahamus. 127. 128.
Deus. Unus eſt, non duo, iſque ſumme bonus quicquid ſomniaverint Magi Perſarum, aliique. 149. Ejus maxima miſericordia. 131. Ejus pœnitentia quæ ſit? 72. Ejus cultus, & nominis invocatio tribuitur Enos ob excellentem Religionem. 80.
Dies ſex creationis rerum. 7. veri extiterunt, non myſtici, neque cognitiones Angelicæ. 8. 9.
Diluvium. 72. fuit univerſale. ibid. Quandonam contigerit? 87. Octo tantum animæ ſervatæ fuerunt, non Mathuſalem, qui jam obierat. 83. 84. An ulli ex iis, qui diluvio perierunt pœnitentiam egerint? 87. Diluvium Ogygium, & Deucalionis idem ac Noeticum. 86.
Dominica dies. Ejus Sanctitas. 81.
Dominium, an locum habuiſſet in ſtatu innocentię? 31. 32.

E

EBrietas Noe ſecundum SS. Patres culpa vacavit. 99. Ebrietas Loth damnanda. 143.
Eccleſia eſt a Chriſto, ut Eva ex Adamo. 43. Illius figura fuit arca Noe. 93.
Errores varii. Vide Opinio.
Euchariſtiæ Sacrificii typus fuit Sacrificium Melchiſedechi 128.

F

FAbulæ Ethnicorum ex S. Scriptura detorta erutæ. 44. 115.
Feſtorum dierum Sanctitas. 80.
Fides, fuit in ſtatu innocentiæ. 27. Fides mediatoris ſemper fuit neceſſaria ad ſalutem poſt peccatum. 65. 133. Fides Abrahami, aliorumque quomodo ad juſtificationem pertineat? 131. Fides ſeu fiducia remiſſionis peccatorum ad examen vocatur. 132.
Fomes peccati hæret in homine poſt baptiſmum. 46. 54. Vide Concupiſcentia.
Fortitudo Abrahami. 139.
Fructus vetitus in Paradiſo. 43.

G

GEneratio animalium e putri materia rejicitur. 111.
Geſta Patriarcharum primæ ætatis. 74. Secundæ ętatis. 136.
Gigantes. Fabulę gigantum cum Diis pugnantium deſumptę ex hiſtoria turris Babel. 115. Gigantes homines fuerunt, non dæmones. 79 80.
Gratia. Gratia ſanctificans collata fuit primo homini, dum conditus eſt; hoc tamen non pertinet ad fidem. 19. 20. Certiſſimum eſt Adamum Sanctum fuiſſe ante lapſum 20. Gratia Sanctificans hominis lapſi mentem Deo ſubjicit, non vero appetitum, aut corpus menti, quemadmodum pręſtitit juſtitia originalis. 24.
Gratiæ Auxilia. Gratia pro ſtatu innocentiæ. 33. 34.
Gratię per ſe efficacis neceſſitatem Thomiſtæ petunt tum ex naturę lapſę imbecillitate, tum ex Dei dominio, tum ex arbitrii indifferentia. 34. Gratiæ per ſe efficacis neceſſitas in ſtatu innocentiæ. 35. Rationes petitę ex doctrina S. Auguſtini pro hujuſmodi gratia. 35. An homo ſine gratia poſſit verum cognoſcere? 59. Homo in ſtatu naturæ puræ potuiſſet diligere Deum ut auctorem naturæ ſuper omnia cum ſolo concurſu generali. 59. In ſtatu naturæ lapſæ non poteſt homo cum ſolo generali Dei concurſu Deum ſuper omnia diligere. Vide Originalis juſtitia. Vide Angelus.

H

HÆreſes variæ. Vide Opinio.
Hiſtoria. Hiſtoriæ prophanæ veritas poſt epocham Olympiadum. 15. Antiquitas fabuloſa plurimorum Orientalium. ibid. Multa e S. Scripturæ hiſtoria petita. 44. 115.
Holocauſtum. Vide Sacrificium.
Homicidium Caini 74. Homicidii ſcelus. 98
Homo propter Deum conditus fuit, mundus propter hominem. 8. Homo cur erectus & ſurſum ſpectans? 18. Hominis maxime naſcentis ęrumnas & imbecillitatem mirati ſunt philoſophi, quod ignoraverint peccatum originis a quo profluunt. 50. 51. Homo lapſus, non Angelus reparatur variis de cauſis. 48. Homo tantæ eſt excellentiæ in comparatione pecoris ut vitium hominis ſit natura pecoris

Digitized by Google

coris ex D. Auguſtino. 53. Omnes homines ex Adamo orti. 14. 15. Omnes homines, etiam Americani ex Noe ſtirpe fluunt. 109. Homines in omnes mundi regiones poſt diluvium fuſi Phalegi ævo 103. 104. Numerus hominum paucis poſt diluvium annis 104.
Humana natura. Vide Status.

I

IDololatria. Idololatriæ ſeu Polytheiſmi origo poſt diluvium. 106. vera religio prior fuit Idololatria. ibid. Ægyptii primi Idololatræ ex Lactantio. 105. Auctor Idololatriæ potius Ninus nepos Noe. 106. Idololatriæ objectum, aſtra, heroes, feræ. 107. Idololatriæ bellum intulit Chriſtus. ibid. Thare Abrahami pater non fuit Idololatra. 126.
Ignorantia. Ignorantia pœna eſt peccati originalis etiam poſt baptiſmum. 54. cur dicta ſit peccatum a S. Auguſtino? 55. Quando peccatum ſit? 56. Ignorantia invincibilis præcipuorum præceptorum juris naturalis non admittenda. 56. 58. In magnis jacet ignorantiæ tenebris qui ignorat peccari poſſe interdum per ignorantiam, ut ait S. Bernardus. 57.
Imago. In quo ſita ſit Divina Imago in homines inſculpta. 19.
Immortalitas. Status Integritatis non erat naturalis. 30. Quænam eſſet? ibid. Cibus requirebatur. 30. Immortalitas hujuſmodi, & immortalitas Beatorum quomodo differant. 31.
Inceſtus filiarum Loth. 143. An excuſari in eo poſſint? ibid.
Innocentiæ ſtatus. Vide ſtatus innocentiæ.
Infecta. Eorum generatio. 111. Quomodo poſt diluvium propagata, etiam in America. 111. 112.
Invidia Caini. 74.
Iris fuit ante diluvium. 96. 97. Poſt diluvium ſignum eſt fœderis. ibid.
Juſtificatio quomodo fidei aſcribatur. 131. 132. Fiducia remiſſionis peccatorum caſtigatur. 132. Fides in Chriſtum omni ævo neceſſaria fuit ad Juſtificationem. 133. Operum neceſſitas. 132.
Juſtus. Vide Teſtamentum vetus.

L

LExNaturę invincibiliter ignorari non poteſt. 58. Ciceronis de lege naturali cuivis nota præclarum teſtimonium. ib. mens S. Thomæ. 58. Quę Legis naturalis ſunt, non fiunt ſine Gratia Dei. 58. Vide Matrimonium, Sacramenta, Sacrificia.
Liberum Arbitrium manet poſt peccatum. 59. 60. Quomodo perditum ſit ſecundum S. Auguſtinum, nempe quantum ad perfectionem, non quantum ad ſubſtantiam 60. Periit libertas ut erat in Paradiſo. ibid. Vide Peccatum.
Libido & ſcelera Sodomitarum. 141.
Lingua omnium una fuit ante turrim Babel. 102. non fuit Cimbrica. 116. neque Celtica vel Aremorica, ibid. Non fuit Caldaica, neque Syro-Caldaica, neque Æthiopica, neque Sinenſis. ibid. Lingua illa prior fuit Hebraica. 102. 117. Lingua Hebraica conſervata fuit in familia Heber. ibid. 118. Ex Hebraica lingua oriuntur Caldaica, Arabica, Phœnicia, ſeu Chananæa, Græca, Latina, Saxonica, Theutonica, Celtica, Aremorica, Gallica, Hiſpanica, Italica &c. 117. 119. Numerus linguarum poſt confuſionem. 102. 119.

M

MAledictio Noe. 99.
Malitia hominum ante diluvium. 71. 72.
Malum. Malum eſſe naturam quandam ſubſiſtentem contendunt Philoſophi Magi Perſarum; & Manichæi hæretici. 51. Errons arguuntur. 52.
Materia a Deo creata eſt. 7. Deus non eſt. ib.
Matrimonium Conjugatorum unio, & amor. 43. In ſtatu innocentiæ extitiſſet conjugalis concubitus. 17. Unica Adamo uxor a Deo data. 16. matrimonii vinculum indiſſolubile. 60. Vide Polygamia.
Mendacium nunquam licitum. 129. 130. Non eſt mentiri ſilere quod verum eſt. ib. Abrahamus non eſt mentitus dum Saram ſororem vocavit, non uxorem. 129. neque quum Iſaacum immolaturus dixit ſervis ſuis *revertemur ad vos*. 140. Mentitus non eſt Deus, quando Abimelecho qui Saram ſuſtulit, mortem minatus eſt. 140. 141. neque Iſaias dicens Ezechiæ, morieris. ib. neque Jonas dum civitati Ninives ruinam minatus eſt. ib.
Meſſias. Meſſias venturus oſtenditur, dum ſerpenti Deus maledicit. 12. Meſſiæ fides ſemper fuit ad ſalutem neceſſaria. 65. Patriarcharum vota, Jacobi morituri

Vaticinium. 13. Meſſias Abrahamo promiſſus. 126.127. Vide Chriſtus.
Miſericordia Divina maxima 131. Miſericordia Dei erga primos parentes lapſos. 47
Montes. Quorundam montium fabuloſa ſublimitas. 72.
Mors eſt pœna peccati. 29. Mors hominis ſtatim ſequuta eſt lapſum Adami, hoc eſt, lex, & neceſſitas moriendi. 49.
Mulier. Mulieris procreatio ex Adami latere. 16. Fœminæ fuiſſent in ſtatu innocentiæ. 18. Non ſunt præter intentionem naturæ. ibid.
Mundus. Mundi creatio. 7. Non fuit temere productus ex corpuſculis. 44. Mundi æternitatem propugnat Ariſtoteles. 44. Mundi æternitas, & antiquitas apud Ethnicos rejicitur. Præadamitarum inſulſum commentum. 16. Qua anni tempeſtate conditus fuerit mundus. 7.8. Vere creatum fuiſſe probabilius eſt. 46. &c. Mundus factus eſt propter hominem, homo propter Deum. 8. ſex diebus conditus eſt; non uno eodemque inſtanti. 9. Sapientiſſime a Deo productus. 10. Mundi ætates ſex a creatione ad Chriſtum natum, earumque periodi. 3. Mundi, ſive orbis terrarum diviſio Geographica. 107. Novi orbis incolæ quomodo deſcenderint ex Noe. 109. &c. Mundum poſt diluvium replent poſteri Noe. 103. Numerus hominum paulo poſt dilivium. 104.

N

Natura humana. Vide ſtatus Naturæ humanæ.
Naturalis Lex. Vide Lex Naturæ.
Nigror quorundam populorum unde oriatur. 109.
Nuptiæ. Vide Matrimonium.

O

Obedientia Abrahami. 138. 140. Iſaaci. 139. 140.
Opera præter fidem neceſſaria. 132.
Opera creationis ſex diebus abſoluta. 7.
Opiniones quædam vel impiæ, vel minus probabiles, variorum Scriptorum vel Ethnicorum, vel Hæreticorum, vel Catholicorum etiam, quæ in hoc tomo rejiciuntur. Aben Eſræ de morte & propenſione ad malum Enochi. 82. Adamitarum turpium hæreticorum. 67. Ariſtotelis mundi æternitas. 44. Antipodæ rejecti, tum ab eodem, tum ab aliis. 108. Aſſerta antiquitas Zoroaſtri. 152. Baii de ſtatu naturæ puræ. 21. de libero arbitrio. 60.61. de ignorantia. 56. Barcephæ de fructu vetito conjugii. 43. Becani, & Torrentii de lingua Cimbrica omnium prima. 116. Beroſi Anniani de genitis a Noe Titanibus poſt diluvium. 13. Cajetani de genitis a Noe filiis poſt diluvium. 100. Cainitarum, Cainum colentium. 78. Calviniſtarum de concupiſcentia & baptiſmo ſententiæ. 54. Cani arguentis Abrahamum mendacii. 141. Caſuiſtarum laxorum de ignorantia. 56. Davidis de Dinanto impia ſententia de materia & Deo. 7. Democriti de Mundi & hominis origine. 44. Epicuri de Divina Providentia, Animi natura, Inferis, Mundo, & Homine. 10.44.45. Hermogenis Heretici de eterna materia. 7. Hugonis de S. Victore aliorumque veterum Scholaſticorum de Gratia ſanctificante non collata Adamo in creatione. 19.20. Janſenii Iprenſis Epiſcopi circa arbitrii libertatem. 60.61. circa ignorantiam. 53. circa ſtatum naturæ puræ. 21. circa Gratiam Sanctificantem Adamo primum collatam. 19. 20. circa auxilia Gratiæ primi hominis & Angelorum. 34. circa clavim doctrinæ Auguſtinianæ. 34. Joſephi Hebræi de vitæ humanę brevitate. 97. Lactantii de Antipodis. 108. de brutorum anima. 114. de Angelorum corporibus & commercio cum mulieribus. 80. Lutheranorum de concupiſcentia & baptiſmo. 54. Magorum Perfidis & Manichæorum de mali natura. 51.149. Mahometis de Iſaaco & Iſmaele. 139. Marſhami, Angli de Sacrificio Abrahami. 146. de origine Circumciſionis, aliorumque rituum Moſaicorum. 133. Melchiſedechianorum. 127. Origenis de Paradiſo terreſtri. 41. de anima aſtrorum & belluarum. 113.114. Pelagianorum, maxime Juliani de concupiſcentia bona. 52.53. de ignorantia. 56. Pereyræ Iſaaci de Præadamitis. 15. de diluvio. 73.74. Pezronii de Celtica lingua omnium prima. 116. Pythagoræorum de mali natura. 51. Rabbinorum de Adamo. 16.17. de Abraham, & Aran. 125. de Caino, an fuerit occiſus a Lamech. 74.75. Ruperti Abbatis de Adami ſalute. 65. Sethianorum hæreticorum. 78.

Spen-

Spenceri de origine Circumciſionis, & aliorum rituum. 133. Tatiani de Adami ſalute. 76. 77. Tertulliani de libro Enoch. 83. de corpore Angelorum, & commercio cum mulieribus. ib. Toſtati excuſantis ædificatores turris Babel. 102. Opiniones aliæ rejectæ, ut Philoſophiſmus. 58. 59. Probabiliſmus. ib. &c.
Originale peccatum. Duo expoſcit, conſenſionem voluntatis hominum cum voluntate Adami capitis, & privationem juſtitiæ originalis. 63. In Adami poſteros transfunditur. ibid. Modus transfuſionis. 63. 64. Ejus effectus. 21. 22. Mors. 50. 64. Dona gratuita ablata & vulnera facultatum naturalium. 50. 64. Ignorantia, malitia, infirmitas, concupiſcentia. 50. 51. Inferorum cruciatus, Dæmonum inſultus 64. Dolor in partu, labor in excolenda terra aliæque ærumnę. 49. Remedium peccati originalis in Lege naturæ. 64. Signum externum permittebatur hominum arbitrio. 65. Originale peccatum ignoratum ab Ethnicis, eos in maximas conjecit difficultates. 13.
Originalis juſtitia erat ordo, & rectitudo totius hominis, mentis, appetitus, & corporis 23. Non eſt Gratia naturalis. 25.
Origines quædam. Bellorum initia. 104. Circumciſionis & aliorum rituum. 133. Cultus ſolemnis Divini. 80. Idololatrię ab Ægyptiis ex Lactantio. 106. ſeu potius a Nino. ibid. Linguarum variarum. 102. 119. Polygamiæ. 75. Regnorum quorumdam. 105. ſculpturæ, vel conſimilis artis, fortaſſe a Prometheo. 44. Vitis colendæ. 99.

P

Paradiſus terreſtris. 39. 40. Ubinam ſitus 7. 40. 41. Corporeus fuit, non allegoricus. 41. Non perſtat niſi ejus Solum, ſublata diluvii aquis amœnitate. 41. 42. Cherubim præ foribus Paradiſi. 40. Incertum eſt an eo translatus ſit Enoch. 82
Peccatum. Nulla eſt peccandi neceſſitas in ſtatu naturæ lapſæ. 61. niſi moralis quandoque. 62. Non requiritur ad peccandum ut quis actu attendat ad peccati malitiam. 57. 58. Peccati Philoſophici commentum rejicitur. ibid. Peccatum primorum parentum. 39. ſuperbia fuit. 46. 47. Immo peccatum generale. 47. Vide Originale, Veniale.
Peregrinationis Iſraelitarum, a promiſſione facta Abrahamo, Anni 130.
Pentateuchus a Moyſe ſcriptus, quod oſtenditur ex traditione Judæorum, & Ethnicorum teſtimoniis. 10. 11. Fons eſt unde plura hauſerunt Scriptores ceteri. 11. A quo recognitus, mortuo Moyſe, 12. Hiſtoria Pentateuchi prioris ævi Moſi nota etiam citra revelationem. 14. 15. Vide Scriptura Sacra.
Philoſophi materiã ęternam ſtatuerunt. 7.
Pœnitentiam. An imminente diluvio aliquos pœnituerit ſuorum ſcelerum. 87. Tempus pœnitentiæ ante diluvium, centum viginti anni. 97.
Polygamia ante diluvium vetita. 69. Polygamia Lamechi e Caini ſtirpe damnatur. 95. Permittitur poſt diluvium ob vitam hominum breviorem. 76. Polygamia Abrahami licita. 144.
Præceptum de non comedendo fructu vetito ortum a Dei dominio. 46. Præceptum Sabbati. 8. 9. Præcepta Noachidarum, ſeu Gentium, ut Hebræi dicunt, fuerunt ſeptem. 98.
Primi homines. Quamdiu in Paradiſo egerint. 41. Vide Fructus, Gratia, Peccatum, Præceptum, ſtatus innocentiæ.
Probabiliſmus. Ejus pernicies. 57. 58. illum maxime execratur Eccleſia Gallicana. ibid.
Prophani Scriptores plurima e S. Scriptura hauſerunt. 44. 115.
Proſelyti portę & domicilii apud Hebręos, non legem Moſaicam, ſed præcepta Noachidarum colebant. 98.
Providentia Divina elucet in Mundo. 44. 45.

R

Religio, cultuſque Divinus, tum interior, tum exterior in lege naturæ. 65. 66. Cultus exterior ſine interiori inanis. 67.
Ritus varios acceperunt Ethnici ab Hebræis, non contra Hebræi ab Ethnicis. 147. 148.

S

Sabbatum. Sabbati, & inepta Ethymologia a Sabbo, ſeu ulcere. 81. Sabbati Sanctitas etiam in ſtatu innocentię. 80. Sabbati præceptum. 89. Sanctitas Sabbati Judaici comperta quoque Ethnicis. 31. Dominica dies ejus loco Chriſtianis ſolem-

ſolemnis. ibid. Annus Sabbaticus. 8.
Sacerdotium Melchiſedechi. 128. Abrahami. 129.
Sacramenta inſtituta fuiſſent Adamo non peccante. 27.28. Sacramenta legis naturæ. 64.
Sacrificium. Sacrificia legis naturæ. 170. Fuerit ne Deo grata animalium brutorum immolatio? 68. 69. Sacrificium Abelis,& Caini. 74. Sacrificium Melchiſedechi typus Euchariſtiæ. 128. Sacrificium Abrahami. 129. Non petitum ab Idololatris, qui non adhuc filios ſuos immolaverant dęmonibus. 147. Sacrificium illud reprę ſentabat ſacrificium Crucis. 138.139. Holocauſta, Sacrificia impetratoria, propitiatoria, & euchariſtica. 108. Sacrificium Chriſti repreſentabant. ibid. Sacrificiorum quorundam apud Ethnicos inhumanitas. 147.148.
Sancti Veteris Teſtamenti. In eorum honorem Romana Eccleſia non ſolet dies feſtos ſtatuere: aliquot tamen Sanctorum faſtis adſcribuntur. 144.
Sanguis. vide Carnes.
Scientia. Primi parentes an ea uſi fuerint? 38. Scientia boni & mali quęnam eſſet? 46. Cognitio nuditatis poſt peccatum experimentalis. 38. 39.
Scriptura Sacra. Duplex verſio ſeptuaginta Interpretum. 120. Septuaginta interpretes prophetico ſpiritu afflati fuerunt. 121. 122. Origenis Hexapla. 120. Codices Hebręi, Gręci, & Samaritani in Chronologia primę, & ſecundę Mundi ętatis diverſi. 161. Chronologia Hebraicorum codicum aliis pręſtat. 155. Vulgatę editionis auctoritas. ib. 87. 88. Samaritanorum codicum diſcrepantia. 84. Quid dicendum de Cainane poſt diluvium apud Septuaginta Interpretes, & S. Lucam? 120. De Cantabrienſi codice? 120. Quid de annis Mathuſalem. 83.84. Quid de Genealogia Chriſti apud Matthęum. 122. Fabulę Ethnicorum ex abuſu Sacrę Scripturæ. 44. Sacræ Scripturæ diverſitas a prophanis Scriptoribus in flagitiis quæ narrat quandoque. 143. 144. vide Pentateuchus.
Septuaginta Interpretes. vide Scriptura Sacra.
Statua Solis in quam mutata fuit uxor Loth. 142.
Status naturæ humanę octo. 20. in ſtatu naturę puræ non fuiſſet pugna concupiſcentiæ & rationis. ibid. ſtatus naturæ puræ non repugnat. 21. In hoc ſtatu non fuit creatus Adamus. 20. Homo in ſtatu naturæ lapſæ minores habet vires quam habuiſſet in ſtatu naturæ puræ. 59. ſtatus innocentiæ felicitas. 50. In eo homines poſt felicem, diuturnamque vitam, ſine morte tranſlati fuiſſent ad cæleſtem beatitudinem. 31. In ſtatu innocentiæ nati fuiſſent homines cum juſtitia originali. 24. Quid ſit juſtitia originalis? 23. Non fuiſſet in eo ſtatu concupiſcentia. 17. Neque peccatum veniale. 24. fuiſſet conjugalis concubitus. 17. fuiſſet diverſitas Sexus, ætatis, ſcientiæ, juſtitiæ, temperamenti, &c. de dominio in eodem ſtatu. ib. Pueri non fuiſſent tunc nati cum perfecto uſu rationis, & membrorum. 25. 28. 29. Non videbatur in eo ſtatu Divina Eſſentia. 26. ſtatus innocentiæ non eſt dicendus Gratia naturalis. 25. In eo erat fides. 27. vide Concupiſcentia, originalis juſtitia, Sacramenta, &c.
Suffocatum, vide Carnes.
Superbia eſt perverſæ celſitudinis appetitus. 46. Peccatum primi hominis. ibid.

T

Tabernaculum. Ejus origo. 133.
Tempus antiquum. Ejus tripartita diviſio apud Varronem, in Obſcurum, Mythicum, ſeu fabuloſum, & Hiſtoricum. 15.
Tentatio. Juſti probantur a Deo tentationibus. 137. 138. Tentatio primorum parentum. 37. Serpens promiſit primis parentibus ſcientiam Angelicæ ſimilem. 38. Uſi non ſunt in tentatione ſcientia, qua præditi erant. 38. 39.
Teſtamentum vetus, juſti Teſtamenti Veteris ad novum pertinebant, verbo Hebræi, re Chriſtiani. 3.
Tribulationes. Earum utilitas. 137.138.

V

Veniale peccatum cur in natura lapſa, non in innocenti? 24.
Vineam primus coluit Noe. 99.
Vita hominum poſt diluvium. 96. 97.
Vulgata Editio. Vide Scriptura Sacra.

INDEX

INDEX HISTORICUS

Rerum, quæ continentur in Primo Tomo.

A Belis victimæ. 68.74. Cælibatus.74. Abel occiditur. Ib. Ejus ſalus certa. 76. 77. Abel Chriſti figura. 91.

Aben Eſra putat Enochum mortuum eſſe, ac fuiſſe ad malum propenſum. 82.

Abrahamidæ, & Iſraelitæ dici volunt Hebræi; ceteros vocant Noachidas. 98.

Abraham natus eſt anno 53. non vero 30. patris ſui Thare. 124. Non fuit primogenitus, ſed minor fratre Aran. 125. Abrahami geſtorum Synopſis. 136. &c. Ejus generationes decem. Ibid. Abrahami fides, & juſtitia. 131. Sacrificium. 68. 136. non ſumptum ab Idololatris. 146.147.&c. Abrahamus fuit Sacerdos. 120. Ei plura Deus promittit. 126.127. Meſſiæ quoque adventum. Ibid. Illius polygamia licita. 144. Non eſt mentitus. 129. 130.140. Vincit quatuor Reges. 141. Abraham Chriſti typus. 145. Vide 153. 154. 155.

Abydenus, Ethnicus Scriptor, agit de turri Babel. 115.

Adamitæ hæretici turpes. 78.

Adamus. Etymologia hujus vocis. 7.16. 17. Vixit annos 930.70. Ejus filii prẹter Abelem, Cainum, & Sethum.77. Adamus totius humanæ ſpeciei origo.43. Ejus ſomnus. 40. & coſta. 42. An fuerit conditus cum gratia. 19. 20. Non fuit creatus in ſtatu naturæ puræ. 20. In ſtatu innocentiæ fidem habuit. 27. non vidit tunc Divinam Eſſentiam. 26. Tentatur. 37. Peccat ex nimio erga uxorem amore. 114. Ejus ſalus certa. 76. 77. Fuit Chriſti figura. 91. 92.

Ægyptiorum fabuloſa antiquitas. 15.101.

Agar fuit uxor Abrahami. 144. Typus Legis Moſaicæ. 145. 146.

Alexander de Ales cenſuit Adamum non fuiſſe creatum cum Gratia Sanctificante. 20.

Alexander Polyhiſtor diluvii meminit. 73. & Moyſis. 11.

Almarici diſcipulus David de Dinanto impie de Deo ſentit. 7.

Amalecitæ Abrahamo multo poſteriores quamvis ejus ævo habeatur regio Amalecitarum per anticipationem. 127.

Ammonitæ ex Loth oriuntur. 143.

Aran frater Abrahami, eodemque major natu. 125.

Ariſtoteles mundi æternitatem adſtruere nititur. 44. negat Antipodas eſſe. 272. Antiquiorem, ac par ſit, facit Zoroaſtrum. 150.

Arphaxad. 152. 153. 154.

Aſſyriorum vetuſta, & commenta. 15.

S. Auguſtinus. Ejus Sententia de diebus creationis. 8.9. Nulla nota illi inurenda eſt.9. Antipodas credidit figmentum 108

B

B Accus non fuit primus vineæ cultor, ſed Noe. 99.

Bahal idem ac Belus, ſeu Nembrod. 106. 107.

Bajus Michael. Ejus ſententia circa ſtatum naturæ purę. 21. circa liberum arbitrium. 60.61. circa ignorantiam.56.

Barcepha Moſes exiſtimat fructum vetitum in Paradiſo fuiſſe uſum conjugii.43

Becanus Joannes Goropius, cenſuit communem linguam primorum hominum fuiſſe Cimbricam. 116.

Belus idem ac Nembrod. 105.

Beroſus apud Joſephum diluvii meminit. 73. Agit de Moyſe. 11.

Beroſus Annianus putat natos fuiſſe poſt diluvium Gigantes, dictos Titanas, filios Noe. 100.

Bochartus vir eruditiſſimus, ejuſque Phaleg. 101. 103. 108.

S. Bonaventura negat Adamum conditum fuiſſe cum Gratia ſanctificante. 19. 20.

C

C Abral Hiſpanus e Luſitania ſolvens, procellarum vi in Braſiliam adſporatur. 109.

Cajetanus Cardinalis Thomas de Vio exiſtimat, Noe poſt diluvium filios procreaſſe. 100.

Cainan filius Enoſi ante diluvium.70.81.

Cainan alter poſt diluvium inter Arfaxad & Salem an ſit ſuppoſititius. 119. Admittendus videtur. 124. Non perturbat Chronologiam Hebraici textus & Vulgatæ. 123. 153.

Cainitæ hæretici Cainum venerantur. 78.

Cai-

Cainus. Ejus munera - *66. 67. 68.* Ejus ſcelus. 74. Cainus non eſt occiſus. 74. 75. Noluit Deus Caini ſtirpem cum Sethi filiis miſceri. *69.*
Calviniſtæ hæretici putant concupiſcentiam peccatum eſſe, & baptiſmo tegi, non vero deleri. 54.
Canus, Melchior, vir doctiſſimus caſtigatur. 141.
Carthaginenſes Saturno homines immolabant. 147. 148.
Celtica Lingua non fuit omnium prima. 116. Cenſorinus. 15.
Cetura fuit Abrahami uxor. 144.
Chaldæorum, antiquitas fabuloſa. 14. 15. 101.
Cham filius Noe, 93. Parum in patrem pius: *99.* Ejus filio maledicit Noe. *99.*
Chanaan non fuit in Arca genitus a patre Cham. 100.
Ciceronis pro lege naturæ omnibus nota præclarum teſtimonium. 58.
Cimbrica Lingua non fuit omnium prima. *116.*
Cleopatræ Ægypti reginæ Bibliorheca igni conſumpta. 120.
Codorlahomor rex Elamitarum victor. 141. Ab Abrabamo victus. Ibid.
Cointius, Antonius. Ejus adnotationes in Chronologiam Nicephori improbantur quod a vulgatę Chronologia recedant. 156
Columbus, Chriſtophorus primus detexit inſulas quaſdam novi orbis. 109.

D

DAvid de Dinanto, Almarici diſcipulus, Deum cum materia prima impie confundit. 7.
Democriti de mundi & hominis origine inepta ſententia. 44. 45.
Deucalionis diluvium idem atque Noeticum. 86.
Diodorus Siculus quid ſentiat de Moyſe. 11. Diluvii meminit. 73. Ejuſdem fabuloſæ antiquitates. 105.
Duns. Vide Scotus.

E

ENcratitæ hæretici. 76. 77.
Enoch non eſt mortuus. 82. Ubi nunc degat incertum. 82. Contra Antichriſtum in fine mundi pugnabit, morietur, atque reſurget. 82. Quid de eo Rabini quidam ſentiant. Ibid. Ejus homine inſcriptus liber Apocryphus. 83.
Enos Patriarcha ante diluvium ſolemnes preces inſtituit. 68. Dictus ob id invocare cœpiſſe nomen Domini. 80.
Epicurus male ſentit de origine mundi & hominis, de Divina Providentia, de Animę immortalitate, & de inferis. 44. 45.
Eſdras ſacros Libros recognovit. 11. 12.
Evæ origo. *16. 40.* Tentatio. 37. Salus certa. *76.* 77.
Eupolemi Scriptoris ethnici judicium de Moyſe. 11. Agit de turri Babel, & hominum diſperſione per orbem terrarum. 115

H

HArduinus, Joannes S. J. ſcripſit de Chronologia Veteris Teſtamenti. 123. 124.
Heber Patriarcha. 153. 155. Propheta fuit. 105. Ejus familia neque ſubiit pœnam diſperſionis, neque antiquam communemque prius linguam Hebraicam didicit. 117. 118.
Hebræi, an ita vocati ſint ab Heber Patriarcha? 118.
Hebraica Lingua prima, & quondam communis. 117. Ceteræ ex illa naſcuntur. Ibid. Conſervata fuit in familia Heber. Ibid.
Hecatæus de Moyſe quid ſentiat. 11.
Henoch. Vide Enoch.
Hercules. Eum ob res fortiter geſtas primi Idololatræ coluerunt. 106. 107.
Hermogenes hæreticus materiam æternam, & a nullo productam docuit. 7.
Huetius Epiſcopus Abrincenſis vir doctiſſimus. 136. 149. 150. Moyſi vindicat Pentateuchum. 11. Edidit opuſculum de Paradiſo terreſtri. 42. Quid cenſear de prima hominum Lingua. 116. Sæpius Origeni favet. 114. Illum tamen alicubi caſtigat, Ibid.
Hugo a S. Victore negat Adamum conditum cum Gratia ſanctificante. 19. 20.

I

JAnſenius Iprenſis Epiſcopus. Rejiciuntur quædam ejus placita circa arbitrii libertatem. 60. 61. Circa ignorantiam quamlibet peccato obnoxiam. 53. Circa ſtatum naturæ puræ. 21. Circa Gratiam ſanctificantem Adamo, ut primum creatus eſt, collatam. 19. 20. Et circa Gratiam primi hominis & Angelorum. 34. Quænam ſit clavis doctrinæ Auguſtinianæ ex Janſenio? 35.
Japhet. Noemi filius. 93. Primogenitus. 100.

Jared. 70. 81.
Job ſacrificia. 68.
Jonas propheta mendax non fuit. 140.
Joſephus Hebræus exiſtimat vitam hominum poſt diluvium annis centum viginti claudi. 97.
Joſue quid addiderit Pentateucho. 12.
Iſaac male in Alcorano poſtponitur Iſmaeli. 139. Ejus holocauſtum. 138. 139. Typus ſacrificii Crucis. Ibid. Iſaac typus Chriſtianorum. 145, 146.
Iſaias propheta mentitus non eſt. 138. 139.
Iſmael male proponitur Iſaaco in Alcorano. 139. Typus fuit Judæorum. 145. 146.
Julianus Pelagianus cenſuit concupiſcentiam, rationi obluctantem, bonam eſſe & a Deo. 53.
Julianus Toletanus Antiſtes. Ejus tertius Liber improbatur quod nimis adhæreat Chronologiæ lxx. Interpretum. 156.
Juppiter. Ejus flagitia. 143.
Juvenalis, ſatyrographus, Moyſis meminit. 11.

L

LActantii nævi. 80. Antipodas, ut fabulam rejecit. 108. Brutis animantibus nimium favet. 114.
Laertius, Diogenes. 149.
Lamech ex Caini ſtirpe. Polygamiæ etiam tum vetitæ auctor. 75. Cainum non occidit. 75.
Lamech, alter filius Mathuſalem, & pater Noe. 84.
Longini, Zenobiæ reginæ Palmyrenorum a conſiliis, & ſtudiis, judicium de Moyſe. 11.
Loth nepos Abrahami ab eo in libertatem vindicatur. 141. Angelorum ope illæſus. 141. 142. Ejus ebrietas, & inceſtus. 143. Damnatur ebrietas, & inceſtus, imo peccat etiam dum filias exhibet Sodomitis. 148. Lothi virtutes, & ſalus æterna. Ib. Uxor Loth ſalis ſtatua effecta. 142.
S. Lucas. Ejus Evangelium nullibi interpolatum. 120. 121.
Luciani teſtimonium de diluvio. 86.
Lutherani hæretici docent concupiſcentiam eſſe peccatum; ſed non imputari propter baptiſmum. 54.

M

MAgi Perſarum. Eorum Religio. 149. Quid ſenſerint de mali natura. 51. 52. 149.
Mahometes. 139. 149. 150.
Malaleel. 82.
Manes & Manichæi hæretici exiſtimant malum eſſe naturam quamdam Subſiſtentem. 51. 52.
Manetho de Moyſe agit. 11.
Manichæi. Vide Manes.
Marshamus male ſentit de origine circumciſionis, & aliorum rituum Legis Moſaicæ. 133. Audax ejuſdem ſententia de Iſaaci Sacrificio. 146.
Mathuſalem. 70. Mortuus eſt ante diluvium, quicquid in codicibus lxx. Interpretum legatur. 83. 84.
S. Matthæus cur quoſdam prætermiſerit in Genealogia Chriſti? 121. 122.
Melchiſedech quiſnam fuerit. 127. Ejus oblatio, ſacrificium, Sacerdotium, benedictio, decimæ. 68. 128.
Melchiſedechiani, hæretici. 127.
Moabitæ a Loth oriuntur. 143.
Moyſes ſcriptor vetuſtiſſimus. 11. 134. Pentateuchi auctor. 10. 11. Ejus laudes a quo fuerint inſertæ Pentateucho? 11. 12. Etiam citra revelationem prioris ævi hiſtoriam callebat. 12. Potuit citra revelationem, hiſtoriam Sacram didiciſſe a filiis Joſephi, hi a Jacobo, Jacobus ab Iſaaco, Iſaacus a Semo, Semus a Mathuſale, Mathuſalem ab Adamo. 13. 14.

N

NAchor. 1. 154. 155.
Nembrod, dictus eſt a Prophanis ſcriptoribus Belus. 105. Saturnus Babylonius, Juppiter. 106.
Nicolaus Damaſcenus agit de Moyſe. 11.
Ninus rex Aſſyriorum & Babyloniorum. 105. 107. Idem atque Aſſur. 106. Idololatriæ auctor. Ib. Diodori commenta. 105.
Noachidæ vocantur ab Hebræis illi, qui Hebræi non ſunt. 98. Septem eorum præcepta. Ibid.
Noe. 70. Dictus & ab Ethnicis Siſutrus, vel Siſithrus, & Xiſuthrus. 73. & Oſiris. Ib. Ob juſtitiam fuit ſervatus in diluvio. 85. Ejus arca. 72. 85. Ejus Sacrificia. 68. 69. Altare erexit poſt diluvium. 96. Fuit Chriſti typus. 92. Vineam coluit primus, non Bacchus. 89. Ejus Ebrietas, ac nuditas. Ib. Ejus poſteri in omnem regionem diffuſi, etiam in Americam. 199. non genuit poſt diluvium Titanas. 100.
Numenius tractat de Moyſe. 11.

Ogy-

O

Ogygium diluvium idem quod Noeticum. 86.
Origenis errores, Paradiſum terreſtrem cenſuit non fuiſſe corporeum, ſed tropologice de eo Moyſem loquutum. 41. Ejus ſententia de anima, & cognitione aſtrorum, & belluarum. 113. 114.
Oſiris Ethnicorum idem atque Noe. 73.
Oxiartes rex Bactrianorum cum Nino pugnavit. 149.

P

PAſchalis, Blaſius. Ejus cogitata. 13. Pelagiani, ac Pelagius cenſet concupiſcentiam rebellem bonam, & a Deo eſſe. 52. & ignorantiam nunquam obnoxiam eſſe peccato. 56.
Pereyrus, Iſaccus, Præadamitarum auctor, primum Calvinianus, poſtmodum Catholicus. 15. Negavit diluvium fuiſſe univerſale. 73.
Perſæ. Vide Magi.
Petavius vir doctiſſimus. 104.
Pezronius, Paulus, Ciſtercienſis Monachus, docet Celticam linguam omnium primam extitiſſe. 116.
Phaleg. 152. 153. 154. Idem valet ac diviſio. 103.
Philocorus quid ſentiat de Moyſe. 11.
Platonis de Moyſe judicium. 11.
Plinius Moyſis meminit. Ibid.
Plutarchus Moyſis meminit. Ibid. & diluvii. 73.
Porphirius agit de Moyſe. 11.
Præadamitarum fabula. 124.
Prideaux Humphridus, Anglus. 149.
Prometheus hominem e luto finxiſſe dictus 44. Fortaſſe artis ſtatnariæ inventor. Ib.
Pythagoras quid ſentiat de Moyſe. 11.
Pythagoræorum error circa mali naturam. 51. 52.

R

REhu. 152. 154. 155.
Rupertus Abbas falſo credidit probabilem eſſe æternam Adami damnationem. 76. 77.

S

SAnguens, Ordinis Minorum, vir doctus, ſcripſit de cauſa, & origine peſtis, quæ anno 1720. in Provincia graſſari cœpit. 112.
Sale. 152. 153. 154.
Sanchez, Alphonſus Bæticus; primum oram maritimam Americæ luſtravit, ſuaque Scripta dedit Veſpuccio. 110.
Sara Abraham uxor & filia Aran fratris Abrahami. 124. 125. Uxor & neptis, quanquam more Hebræorum dicitur ſoror Abrahami. 129. 130. Uxor ejuſdem præcipua, & materfamilias. 144. 145. Sterilis erat quum Deus prolem pollicitus eſt. 126. 127. Typus fuit legis Evangelicæ. 145
Sarug. 152. 154. 155.
Saturnus Babylonius idem ac Nembrod. 106. 107.
Scotus negat Adamum conditum fuiſſe cum Gratia ſanctificante. 20.
Sem filius Noe. 93. 152. 153. 154. An fuerit primogenitus. 100. Ex Semo Patriarchæ, Prophetæ, Chriſtus, Apoſtoli. 100.
Seth filius Adami 78. 79. Pius fuit. 78. Ejus filii dicuntur filii Dei. Ibid. Uxores e Caini Stirpe ducere non poterant. 69.
Sethiani hæretici Sethum colunt ut Chriſtum. 78.
Sinarum fabuloſa antiquitas. 15.
Sixtus Senenſis perperam Origenem defendit. 114.
Smerdes Magus rex Perſarum. 149.
Sodomitarum flagitia. 141. 142.
Spencerus male ſentit de origine quorundam rituum Moſaicorum. 133.
Strabo de Moyſe agit. 11.

T

TAcitus hiſtoricus meminit Moyſis. 11. In rebus Judaicis rudis. 134.
Tatianus auctor hæreſis Encratitarum negavit æternam Adami ſalutem. 76.
Tertullianus falſo credidit genuinum librum Enoch, & illinc hauſit ſententias quaſdam perabſurdas. 83.
Thare Abrahami pater. 153. 154. 155. Abrahamum genuit, non 70. ſed 130. anno ætatis. 124. Non fuit Idololatra. 126.
Theopompus quid de Moyſe ſentiat. 11.
Thomaſſinus, Ludovicus, linguarum Orientalium peritus. 117. Linguam Hebraicam omnium primam cenſet. 44. Docet Adamum in ſtatu innocentiæ vidiſſe Divinam Eſſentiam. 27.
Titanas poſt diluvium non genuit Noe. 100.
Torrentus, Levinus, cum Becano putat primam linguam fuiſſe Cimbricam. 116.
Toſtatus excuſat ædificatores turris Babel. 102.
Trogus Pompejus de Moyſe agit. 11.

Var-

Digitized by Google

V

VArro doctiſſimus Romanorum. 15.
Veneris turpitudo. 147.
Veſpuccius, Americus Florentinus Americam detegit. 108.
Voſſius, Joannes Gerardus, vir eruditus, ſcripſit de Idololatria. 106.
Waltonus Anglus in Bibliis Polyglotiis quid ſentiat de prima hominum lingua. 127.

Z

ZOroaſter. 149. Fuit Myſe poſterior. Ibid. Ejus antiquitas fabuloſa. 150. Falſo dicitur inveniſſe artes magicas. 149. 150. Multa a Moyſe accepit. 150. Ejus commendatio. Ib. Non eſt ſuppoſititius, neque duo fuerunt ita vocati. 150.

INDEX RERUM

TOMI SECUNDI.

A

ABſtinentia Chriſtianorum. 149.
Actiones Earum duplex genus. Quædam ex ipſa natura, & ſemper malæ, quædam non ita. 43.
Adulterium, & ilia Venerea prohibentur ſexto Decalogi præcepto. 122. Adulterium Davidis. 178.
Aetas Mundi tertia annorum. 168. a vocatione Abrahami ad profectionem Hebræorum ex Aegypto. 93. Aetas mundi quarta ab exitu Hebræorum ex Aegypto ad Templi ædificationem ſub Salomone. 98. 184. 185. 187. Complectitur 606. annos. ibidem.
Aeternum in Sacra Scriptura quandoque idem ac diu duraturum. 133.
Agnus Paſchalis fuit Chriſti figura. 59. 143.
Altare uni Deo dicandum. 117. Altare thymiamatis. 109. 112. 114. Altare holocauſtorum. 109. 113. 114.
Amor Dei neceſſarius. 140. &c. Præcipitur primo Decalogi mandato. 116. Amor proximi. 138.
Amphibologia, Vide Mendacium.
Angelus aliquis, non Deus ipſe apparebat Patriarchis ex vulgata ſententia, quæ tamen rejicitur. 30. Angeli exterminatores Aegypti. 25. Angelus vaſtator Aegypti Hebræis parcit. 55. Angelus apparet Gedeoni. 170. Matri Sampſonis. 172. Angelus, orante David, gladium recondit. 179.
Animalia quædam cur offerrentur in veteri lege? 142.
Annus. Ejus initium apud Hebræos. 55. Anni peregrinationis Hebræorum. 48. Vide Aetas Mundi.
Apparitio. Apparuit Patriarchis Verbum Divinum ſub humana ſpecie. 30.
Apparitio in rubo. 24.
Aqua dulcis efficitur injecta arbore. 99. fluxit e rupe tacta Moyſis virga. 100. Aqua zelotypiæ pro ſuſpectis fœminis 128.
Arca Fœderis. 108. In ea erant tabulæ legis, virga Aaron & manna 112. 115. Ejus origo. 113. Arca a Philiſthæis capta. 175.
Ariſtocratia, ſive regimen optimatum, ſub Moyſe. 94. Ariſtocratia Reipublicæ Hebrææ poſt ſolutam captivitatem Babylonicam. 33.
Aſini effigiem ab Hebræis coli falſo & imprudenter ſcripſit Tacitus. 51.
Atrium tabernaculi. 113.
Azymorum ſolemnitas 56. Cur inſtituta? 58. 59. Cur primus, & ultimus dies Azymorum ſolemnes eſſent? ibid.
Azymus panis. Eo utitur Eccleſia Latina in conficienda Euchariſtia ob Chriſti Domini exemplum.

B

BAptiſmus. Ejus figura fuit Circumciſio. 143.
Bellum juſtum. 121.
Biblia ſacra, Vide Liber, Pentateuchus, Scriptura Sacra, Beniaminus a fratre ſuo Joſepho valde dilectus. 20. fuit pater decem filiorum, quos tamen dum una cum patre ſuo Jacobo deſcendit in Aegyptum, genuiſſe probabile non eſt. 22.
Bruta animantia non ſunt pura automata. 36.

C

CAeremoniæ Veteris Legis cur inſtitutæ in tanta multitudine? 141. Earum ceſſatio. 144. Vide Lex vetus.
Cæremonialia præcepta veteris legis dividuntur in Sacrificia, Sacramenta, Sacra, & Ob-

Digitized by Google

& Obſervantias. 124.
Candelabrum aureum. 109. 112. 114.
Caritas *vide* Amor. Caritas erga proximum. 138.
Caſtitas Joſephi. 18.
Cherubini Propitiatorii. 109. 113.
Chriſtus. Illum prænunciabant plura Pentatenchi oracula, & Sacrificia veteris Legis.125.142.Ejus figura fuit manna.100. Agnus Paſchalis.57.143.Serpens æneus erectus.105.Propitiatorium.114.Joſephus 61. Job.62.63.Moyſes. 69.Aaron. 161.Joſue 166.David. 181. vide 101. 114.V.Fides.
Chronologia Sacra. Eam Hebræi non vitiarunt. 86.
Ciborum delectus. 149.
Cinifes in Aegypto. 25.
Circumciſio. Quomodo dicatur æternum duratura? 133.
Ciſtę Ethnicorum ex arcæ æmulatione.113
Cogitationes pravæ. 124.
Columna, quæ Hebræis præibat. 26.
Compenſatio an licita? 37. 50.
Conſecratio Sacerdotum, tam ſummi, quàm aliorum in veteri lege. 136.157.
Coturnices vento delatæ ad caſtra Hebræorum. 99.
Crudelitas Simeonis & Levi in Sichimitas. 16.
Cultus Dei internus neceſſarius. 138.

D

DÆmones. Eorum reſponſa. 40.
Decalogus eſt lex naturalis litteris conſignata. 116. Ejus explicatio. Ib.
Directio operum in Deum neceſſaria. 140.
Divinatio vetita. 116. Divinatio Joſephi prophetica. 21. 22. V. Superſtitio.
Diviſio Terræ promiſſæ. 165.
Doctrina & veritas, ſeu Urim, & Thummim in Rationali. 155. 156. Non erat ſimulacrum ſuperſtitioſum. 157.
Dominicæ diei Sanctitas. 120.

E

EDucatio filiorum ad matrem pertinet, & multo magis ad patrem. 42. Pravæ educationis exemplum in Heli, & ejus filiis. 170.
Eccleſia. Ejus leges colendæ. 150.
Ephod. 155. 156.
Errores varii. Vide opinio.
Euchariſtia conficienda eſt adhibito pane azymo apud Latinos. 57. Ejus figura fuit manna. 100.

F

FŒminæ in oſtio Tabernaculi excubantes quænam eſſent? 154. fœminæ ad idololatriam, & libidinem illiciunt.106.
Feſtum. Sanctificatio feſtorum. 118. 119. Quomodo veteris legis ſignificarent noſtra? 143. Pœnæ non colentium feſta. 105. Feſta Hebræorum; Sabbatum, Annus ſabbaticus, Annus Jubilæus, Neomenia, Feſtum turbarum, Expiationis, Scenopegiæ, ſive Tabernaculorum, Cœtus, ſeu Collectæ. 126. Paſcha, dies Azymorum, & Pentecoſtes. 126.
Fides Meſſiæ, ſeu mediatoris Chriſti Domini, fuit ſemper neceſſaria ad ſalutem 31. & 32.
Figura. Sacramenta veteris legis fuerunt figuræ Sacramentorum legis Evangelicæ. 143. Feſta Moſaica ſignificabant noſtra. ib. &c. Manna figura fuit Euchariſtię. 100. Vide Chriſtus.
Fœcunditas mulierum in veteri teſtamento Dei munus fuit. 39. fœcunditas Hebræorum in Ægypto. 48. 49.
Fornicatio ante legem Moſaicam vetita. 41. 42. Prohibita quia mala. Ib. Peccatum eſt grave cum obſit prolis certitudini & educationi.Ib.Pręclarum S.Thomæ teſtimonium, ib. fornicatio vetita fuit ab Apoſtolis, quod Gentiles cenſerent, eam non eſſe peccatum. 148.
Fugitivorum civitates. 165.
Furtum, ejuſque genus multiplex prohibetur ſeptimo decalogi pręcepto. 122.123. Quid ſentiendum ſit de multiplicatione gregis Jacobi. 36. Quid de Idolis Labani, quę ſurripuit Rachel? 40.

H

HÆreſis. V. Opiniones.
Hircus emiſſarius. 126.
Hiſtoria. Ad quos pertineret apud varias nationes memorię prodere hiſtoriam ſuorum temporum? 39.
Hiſtorici, & ſcriptores prophani hiſtoriam ſacram fabulis adſperſerunt, ut idololatriam ſtabilirent. 26.29.Egerunt de captivitate Hebræorum in Ægypto. 26.
Holocauſtum Sacrificium præſtantiſſimum. 125. 126.
Homicidium, & alia cum illo prohibita in Decalogo.121.&c.In bellis & judiciis juſtis non homo occidit, ſed lex. 121.
Honor quibus debeatur. 120. 121.

Ido-

I

IDololatria primo decalogi præcepto vetita. 116. Idololatriæ peccatum. 74. Idololatria Hebræorum aureum Vitulum colentium. 103. Colunt Baal, ſeu Beelphegor, ſeu Priapum. 106. Pœnæ Ib. 167. Rachel idololatriȩ non fuit addicta. 39. 40. Idola Labani. 40. Idololatriæ ædiculas & templa portatilia falſorum Numinum conſtruunt poſt Tabernaculum moſaicum. 110. Sacra Ethnicorum plena inhumanitate. 80. Idololatriæ cultus barbarus & obſcȩnus Molocho, atque Saturno præſtitus. 153. Idololatrarum Teraphin. 157.

Jejunium. 149.

Imaginatio. Ejus vis in fœtu. 36.

Imagines in templo Hebræorum, & in Eccleſia Catholica. 117. Sacrarum Imaginum cultus. Ibid.

Immunditia legalis, ejuſque ſpecies octo. 127.

Incarnatio. Permiſſio ſcelerum ante, & poſt diluvium oſtendebat neceſſitatem Incarnationis. 1. Filius Dei apparens Patriarchis ſub humana ſpecie præludebat Incarnationi. 30.

Inceſtus. Peccatum Ruben cum Bala noverca. 16.

Inimicorum dilectio. 139.

Intentio recta quandonam excuſet? 23.

Invidia fratrum Joſephi unde orta fuerit? 17.

Jubilȩus annus. In eo agri venditi redibant ad priores dominos. 128.

Judices in Republica Hebrȩorum quo jure & auctoritate fruerentur? 167.

Judicialia præcepta Hebræorum, eorumque quadruplex genus ex S. Thoma. 127. &c.

Tribunalia, Magnum Synedrium. &c. 128. Judicialia præcepta veteris legis nunc ſunt mortua, non mortifera, & in quo ſenſu per Chriſtianos Principes revocari poſſent? 152.

Juramentum. 17. 18. tres conditiones ut ſit licitum. 118. juramenti maximam rationem habendam eſſet docet Joſue. 162.

L

LAbrum æneum. 109.

Legalia ex SS. Auguſtino & Thoma ante Chriſti Paſſionem, neque mortua, neque mortifera erant; poſt Evangelii promulgationem ſunt mortua, & mortifera; a Paſſione Chriſti ad Evangelii promulgationem mortua erant, ſed non mortifera. 146. Legalia quandoque permiſſa Judæis fidelibus, non vero Ethnici ritus gentilibus, quia illa a Deo inſtituta erant, hi a Diabolo. Ib. Qui legalia nunc obſervaret, eſſet ex S. Auguſtino impius Sepulturæ violator. 147. Cur Eccleſiȩ quædam diu abſtinuerint a ſanguine & ſuffocato? Ibid.

Lepra. Hebræi ex Ægypto exeuntes lepra non laborabant, ut Tacitus falso ſcribit. 50. Lepra laboravit Jobus. 65. Leges Moſaicæ circa leproſos. 51.

Leviratus. Jure Leviratus Onanus & Sela ducunt uxorem Thamar. 40. 41. Qui eſſet hujuſmodi jus 44. Notum Patriarchis antequam Lege Moyſis ſanciretur. Ib. Non fuit ab Ægyptiis petitum. 42.

Levitarum civitates quadraginta octo. 165.

Lex. Lex naturæ. Vide Decalogus. Lex naturȩ fere deleta erat ex hominum mentibus, hinc lex deſcripta ei adiicitur. 102. Legis veteris & novȩ diſcrimen. 101. Lex vetus danda erat tempore Moyſis. 130 85. 86. 131. ſolis Hebræis danda videbatur. Ib. Ea non obſtringebantur niſi Hebræi, demptis iis, quæ pertinebant ad legem naturalem. 131. Cur ceſſare debuerit? Ib. Quantum ad præcepta naturalia non eſt abolita. 135. Legis & Sacerdotii abolitio. 134. &c. 144. Lex Moſaica bona eſt & a Deo. 129. Lex Moſaica, quamvis ſancta, propria vi non conferebat verã juſtitiam. 82. Non tamen Deus reliquit homines in impotentia obſervandi legem. 83. 84. 85. Lex Moſaica, manifeſtando morbos & peccata, diſponebat ad quȩrendum Salvatorem Chriſtum. 85. Lex moſaica. Vide Cȩremoniæ, Judicialia præcepta, Legalia Prȩcepta, Sacrificium, Sacramentum. Lex Evangelica Moſaica multo præſtantior. 138. Præcellit antiquæ in cultu interno, in amore proximi, in dilectione inimicorum, in matrimonii vinculo, in juramentis, in patientia, & aliis. Ibid. Leges condere poteſt Eccleſia. 150.

Liber. Pẽtateuchi liber. Vide Pentateuchus. Liber Joſue. Ejus auctor fuit Joſue ætate jam provecta. 164. Eſdras ei addidit caput poſtremum, & alia. 186. Liber Job Canonicus. 66. &c. Quis ejus auctor? 67. Moyſi aſſerendus. Ibid. Ejus elegantia

tia. 68. Cur idiotiſmis linguarum Orientalium ſcateat? 68. Liber Pſalmorum. Vide Pſalmorum liber. Liber Juſtorum, de quo fit mentio in libro Joſue, erat carmen Epinicium editum ſtatim poſt cęſos hoſtes Gabaonitarum. 164.
Litteræ veteres Hebraicæ erant eędem atque Chananææ, & Samaritanæ. 72. Jonum Græcorum litterę antiquiſſimæ ab eis non valde abludunt. Ibid.
Lucernæ Candelabri. 105. 114.

M

Magia. Ab ea antiqui patres abhorruerunt. 21. Magi in Ægypto præſtigiis virgas in ſerpentes mutant. 25.
Mandragoræ & earum vis pro utero purgando & ſomno conciliando. 39.
Manna. 99. Non fuit naturale ob ſaporem & alia plura. 100. Totos quadraginta annos pluit manna. Ibid. Typus fuit Euchariſtię. Ibid. manna in Arca. 112. 115.
Mare Rubrum. Vide Miraculum.
Matrimonium. Matrimonii fœdus, & amor. 42. Quid in nuptiis ſpectandum. 11. Nuptiæ in quibus eſt maxima ætatis diſſimilitudo plerumque reprehenſione dignæ, non tamen legibus reſcinduntur. 11. Soboles eſt ſæpe argumentum Divinæ benedictionis, & Sanctitatis Matrimonii. 12. Matrimonia, Polygamia, Repudium Hebræorum. 128. Abrahami & Ceturæ conjugium laudabile 11. Felix conjugium Iſaaci, & Rebeccę. 10. &c. Matrimonium Judę inconſulto parente Jacobo. 17. Matrimonium inauſpicatum Sichem, & Dinæ. 15. &c.
Mendacium vetitum octavo decalogi præcepto. 123. Mendacium licet officioſum, & recta cum intentione ſemper illicitum. 44. Amphibologiæ, & mentis reſtrictiones veritati, & ſocietati humanæ perniciosæ damnantur. 36. non mentitur Jacobus benedictionem præripiens ob Spiritum Prophetiæ. 35. Non mentitur Joſeph vocando fratres ſuos Exploratores Ægypti. 19.
Menſa panum propoſitionis. 109. 112.
Menſis primus Hebræorum. 55.
Meretrices. Meretricum fallacię. 173. Pœnæ. 106. V. Scortatio.
Meſſias. Vide Chriſtus, Incarnatio, Prophetia.
Miraculum. Vide Miracula a falſis diſtinguenda. 25. Miraculorum Moyſis veritas. 79. Mutat Moyſes baculum in ſerpentem 25. Plagæ decem Ægypti. 25. Columna, quæ Hebræis præibat. 26. Tranſitus maris rubri. Ibid. & 52. Alexander Magnus nihil ſimile præſtitit. 53. Non debet tribui refluxui maris, quem obſervavit Moyſes rerum naturalium peritus. 53. Aqua amara dulcis efficitur injecta arbore. 99. Coturnices, & manna. Ibid. Aqua fluit e rupe Moyſis virga tacta. 100 Aaronis virga floret, editque amygdalas. 105. Serpens æneus morbos depellit. 160. Sol obtemperat imperio Joſue. 164. Jordanis tranſitus. 165. E dente erumpit aqua, orante Samſone. 173. Miracula Arcæ captę. 175. Miracula in Templi dedicatione. 184. Miracula Sacrarum Reliquiarum. 117.
Mitra byſſina. 155.
Monarchia Hebræorum. 98.
Multiplicatio & ingens numerus Hebræorum in Ægypto. 48. 49.
Murmuratio Hebræorum. 99.

N

Nominis Divini Sanctitas. 117. 118.
Nuptiæ. Vide Matrimonium.

O

Obduratio impii miracula videntis. 25. Pœnę ejuſdem. Ibid.
Obſtetrices Ægyptiacæ ob miſericordiam laudantur, non ob mendacium. 49.
Opiniones quędam vel impiorum & infidelium, vel etiam Catholicorum auctorum quæ in hoc tomo refelluntur. Aben Eſra cum Toſtato, & quibuſdam Hebręis putat Iſraelitas non tranſiſſe ab uno littore maris rubri ad aliud oppoſitum, ſed rupem quamdam circuiviſſe ſecus mare refelluntur. 54. Anabaptiſtæ aliique hęretici, Pſalterium expungunt ex albo librorum Canonicorum. 181. Carteſiani exiſtimant bruta animantia eſſe mera automata. 36. 37. Eraſmus, & Queſnellus male ſentiunt de lege veteri 82. 83. Hebręi nonnulli cenſent, Saram timore corruptam in immolatione filii ſui Iſaac obiiſſe. 9. &c. Hebræi quidam arbitrantur eamdem fuiſſe Ceturam, atque Agar 12. Iconoclaſtæ, & Novatores negant cultum Sacrarum Imaginum, & Reliquiarum. 117. Joſephus Hebræus dubitat de miraculo in tranſitu maris rubri

52.

52. &c. Julianus Apoſtata Imperator negat Oraculum Moyſis cap. 18. Deuteronomii pertinere ad Chriſtum. 70. 71. Manichęi, aliique hæretici quædam ciborum genera execrantur. 149. 150. Marshamus Anglus arbitratur, Serpentem æneum a Moyſe erectum fuiſſe velut quoddam amuletum, & taliſmanum, inſtar Ægyptiacorum præſtigiorum. 160. Exiſtimat cum Spencero Templum Salomonis extructum fuiſſe, quia Hebræi ſeſe accommodare ſtudebant moribus gentium & ævi. 184. Putat Ægyptios ante Moyſem fuiſſe artium & diſciplinarum inventores. 24. Contendit Manethonem hiſtoricum voluiſſe per *Hycſos*, ſeu *paſtores* ex Ægypto ejectos, indicare Arabes, non Iſraelitas. 28. Nititur evertere antiquitatem Veteris Teſtamenti; negat Deum eſſe auctorem Cæremoniarum Moſaicarum, & Prophetiam Danielis lxx. hebdomadum ad Chriſtum pertinere. Ibid. Docet ante legem Moſaicam Hebræis in nuptiis licuiſſe corporis copiam pro libitu facere. 42. Exiſtimat, Hebręos mutuatos fuiſſe ab Ægyptiis jus leviratus. 45. Montaniſtę hęretici jejunia & quadrageſimas multiplicabant. 149. 150. Pelagius ſentit veteres Patres non fuiſſe juſtificatos ex fide Mediatoris. 82. Pezronus Ciſtercienſis Judicum Chronologiam turbat & annos adiicit plures. 166. &c. Tribuit quartæ Mundi ætati, ab Exitu ex Ægypto ad Templi ædificationem, annos 873. 186. Samoſatenus Paulus male ſentit de libro Pſalmorum. 181. Simonius Richardus Pentateuchi ſcriptorem fuiſſe Moyſem pernegat. 72. Spencerus putat Tabernaculum Hebræorum ex prophana Gentium religione originem duxiſſe. 109. Arcam repetit a ciſtis Ethnicorum, & Cherubim a ſimulacris Ægyptiorum. 113. Scribit Sacrificia animalium apud Hebræos fuiſſe ex prava Gentiū opinione, eaque emundata, a Deo tolerata fuiſſe 124. 125. Exiſtimat *Urim* in Rationali nihil aliud fuiſſe quam parvum ſimulacrum ſimile Ethnicorum Teraphim. 157. Tacitus ſcribit Hebreos ob ſcabiem ex Ægypto pulſos fuiſſe, eoſque aſini aquam monſtrantis effigiem coluiſſe. 51. Theodorus Mopſueſtenus aliique cenſent Jobi hiſtoriam Fabuloſam. 66. Rejicit Pſalmorum librum. 181. Toſtatus aliique Debboram ex albo Judicum expungunt. 169. 170. Opiniones quorundam cenſentium, licitas eſſe reſtrictiones mentales exemplo Jacobi Patriarchæ, & aliorum. 36. Angelos Dei vice apparuiſſe antiquis Patriarchis 30. Mandagoras conſerre ſeminis fæcunditatem, & vim habuiſſe philtri amatorii ad devinciendum animum Jacobi. 38. 39. Rachelem fuiſſe Idololatrię addictam. 39. 40. Moyſem mortuum non eſſe. 107. 108. Moyſem in Chriſti Transfiguratione reſurrexiſſe. 108. Opinio quorumdam confundentium in Chronologia Judicum annos ſervitutum Hebræorum cum annis præfecturę Judicum. 185. 186.

Oraculum, ſive Propitiatorium. 108. 109.

Oraculum Dęmonum. 40. Oracula Ethnicorum a doctis viris ſugillabantur. 75.

Oratio, & ejus vis. 100.

Origines rerum quarumdam. Arcæ 113. Cæræmoniarum variarum in Lege Moſaica. 141. Feſtorum Azymorum. 58. Paſchatis. 55. 56. 57. Pentecoſtes. 126. Hebręorum falſa origo ex Tacito. 50. 51. Monarchiæ apud Hebræos. 175. 176. Nominis Judæorum communis omnibus Hebræis. 34. 35. Sacrificiorum. 124. 125. Tabernaculi. 109. Templi. 184.

P

PAcifica Sacrificia. 125.

Panes propoſitionis. 109. 112. 113.

Parentes colendi. 129.

Paſcha idem ac tranſitus, nempe Angeli. 55. Quomodo Paſchalem agnum primo comederint Hebræi, quomodo ſequenti ęvo. Ibid. 56. Tempus celebrandi Paſchatis 55. Chriſtus ultimum Paſcha celebravit die a lege ſtatuta. 55. 56.

Patientia Jobi heroica. 63. 64.

Patriarchæ duodecim filii Jacobi. 15.

Peccatum peſſimum fratrum Joſephi quodnam fuerit ex Ruperto, & S. Thoma? 17.

Pentateuchon, ejus Divina auctoritas. 73. 79. Ejus Auctor Moyſes 73. Cur ab eo ſcriptus. 74. Quando ſcriptus & quo characterum genere? 72. Stylus & doctrina. 79. 80. Ex Moyſis Pentateucho plurima mutuati ſunt Scriptores prophani. 76. Pentateuchi verſio Græca antiquior verſione lxx. Interpretum. 78.

Digitized by Google

Pentecoſte Hebræorum. 126. Chriſtianorum. 101.
Phariſæorum ſuperſtitio. 148.
Philoſophi plura a Moyſe acceperunt. 76.
Philtra amatoria; illis uti non licet. 39.
Plagæ Ægypti decem. 25.
Pœnæ Veteris Legis pro delictis. 129.
Poeſis ſacra. 67. 68.
Præcepta Veteris Legis alia erant moralia, ſeu naturalia, alia Cæremonialia, alia Judicialia. 124. Vide Decalogus.
Præſtigia. Vide Magia.
Primogenitura. Ei annexum erat Sacerdotium Iſaaci ævo. 14.
Prophani Scriptores. Vide Hiſtorici.
Prophetia. In Pentateucho plurima ſunt oracula Meſſiam promittentia. a p. 70. uſque ad 72. Prophetia Jacobi Patriarchæ. 31. Impletur tempore Herodis alienigenæ, naſcente Chriſto 34. Prophetia Balaami. 106.
Propitiatorium. 10. Locus S. Thomæ ad illud pertinens reſtituitur. 112. Fuit Chriſti figura. 113.
Propitiatorium Sacrificium, ſive pro peccato ob ignorantiam admiſſo, quadraplex. 126.
Pſalmorum liber Canonicus. 181. Non omnes pſalmi Davidi adſcribendi ſunt. 180. in maximam partem a Davide eſt concinnatus. Ibid. Pſalmi quidam editi ſunt poſt captivitatem Babylonicam. 180. Pſalterium non eſt digeſtum ſecundum ordinem temporum. 160.

Q

Quadrageſima, & jejunia. 149.

R

Rabbini Judæorum non ſunt Sacerdotes Moſaici. 136. 137.
Raptus Dinę. 15. &c.
Rationale, ſive ſuperhumerale. 155. 156.
Redemptio Chriſti ſimilis Ægyptiacæ; immo excellentior ex R. Bechai. 60.
Religio. 116. Vota, Sacrificia, Templa, & Altaria ſoli Deo debentur. 117.
Reliquię Sanctorum earumque cultus. Ibi.
Repudii libellus. 139.
Reſpublica Hebræorum. Ejus varium regimen. 33. 56. 59. Adminiſtratio, & jus Judicum. 167. A Patriarcha Jacobo ad Herodem alienigenam habuit ſemper e ſua gente Duces, Reges, Principes. 33. 34.
Reſtrictio mentalis. Vide Mendacium.
Rex. Regem petentes Iſraelitę a Samuele, deterrentur a ſententia. 175. Primus Hebræorum Rex Saul, Deo jubente. 176.
Ritus Veteris Legis. Vide Cæremoniæ, Conſecratio Sacerdotum, Feſtum, Sacrificium, Sacramentum &c.

S

Sabbatum. Sabbati Sanctitas. 119. Præceptum Sabbati partim fuit naturale, ac morale, partim cæremoniale. 119. Sabbatum in S. Scriptura quandoque idem eſt ac feſtum, & ſolemnitas. 58. 59. Mutatum eſt in diem Dominicam. 116.
Sacerdos, & Sacerdotium. Sacerdotium ab univerſali diluvio annexum fuit Primogenituræ. 14. Sacerdotium Melchiſedechi diuturnius Levitico. 135. Sacerdotii Aaronici duratio. 133. 134. Abolitum eſt, nec Hebræi Sacerdotes habere poſſunt, cum Tribus Levitica non diſtinguatur ab aliis. 135. Non poteſt eſſe ſine Templo Hieroſolymitano. Ibid. &c. Conditiones Sacerdotum eligendorum in lege veteri. 156. Vide Conſecratio. Summi Sacerdotes apud Hebræos, eorumque auctoritas poſt ſolutam captivitatem Babylonicam. 33. 155. 157.
Sacramentum. Sacramentum Veteris Legis. 126. 127. Circumciſio, Conſecratio Sacerdotum, Agni Paſchalis manducatio, Oblatio Victimarum, Eſus panum propoſitionis, carniumque conſecratarum, Purificationes, & Luſtrationes. 127. Sacramenta antiqua quomodo figuræ eſſent Evangelicorum. 143.
Sacrificium. Vetus Religio Sacrificiorum Deum eſſe oſtendit. 6. Sacrificium ſoli Deo offertur. 117. Jobi Sacrificia. 62. Sacrificia Veteris Legis erant Chriſti figuræ. 125. 142. Ea offerre ſolis Sacerdotibus Aaronicis licebat in Templo, poſt latam legem Moyſis. 62. Species Sacrificii tres, Holocauſtum, Pacificum, & pro peccato, ſeu Propitiatorium. 125. Sacrificium pro peccato quadruplex. 126. Sacrificium juge 126. 127. Quæ animalia munda, & quæ res inanimes in ſacrificiis offerrentur. 125. Ritus Sacrificiorum. Ib. Origo Sacrificiorum non eſt arceſſenda ab erroribus Ethnicorum. 125.
Sancta Sanctorum. 109.
Sanctuarium. Vide Tabernaculum.

Sanguis. Vide ſuffocatum.
Scientia. Ægyptii non fuerunt primi auctores artium, & diſciplinarum. 24.
Scortatio vetita erat ante legem Moyſis. 41. Pœnæ ejuſdem. 106. Vide meretrices.
Scriptores prophani a Moyſe multa ſunt mutuati. 76. & 78.
Scriptura Sacra. Eam, data opera, vitiare Hebræi neque potuerunt. 86. Oracula, a Chriſto Domino & Apoſtolis laudata, etiam num integra ſuperſunt. Ib. Vulgatæ editionis auctoritas. 87. 88. Irrepſerunt in textum Hebraicum menda minoris momenti, quæ nec fidem, nec mores lædunt. Ib. Quædam in S. Scriptura ſcripta ſunt oratione vincta numeris. 67. 68. Scriptores librorum Canonicorum. 73. Antilogia, quæ videtur circa Sepulcrum quod emit Abrahamus, nulla eſt. 8. &c. Nulla pariter eſt antilogia inter caput 6. libri 3. Regum, & librum Judicum circa Chronologiam, neque mendum ullum irrepſit. 185. 188. Sanctus Lucas, deſcribens Acta Apoſtolorum, & enumerans 75. animas ingreſſas in Ægyptum, ſequitur lxx. Interpretes, neque adverſatur textui Hebraico, ubi leguntur ſeptuaginta animæ. 22. Vide Liber, Pentateuchon, Pſalmorum.
Seditio, & ejus pœna. 104. 105. 106.
Sepultura. An eam vendere liceat? 9.
Serpens æneus a Moyſe erectus. 159. 166. fuit Chriſti figura. 106. Serpentes igniti in Hebræos ſeditioſos immiſſi. Ibid.
Servitus, ſeu captivitas, ſive oppreſſio multiplex Hebræorum tempore Judicum. 167. 168. Aſſyriaca. Ib. Moabitica. 168. Chananęa. Ibid Madianitica. 170. Ammonitica. 171. ſub. Philiſtæis. 172. 173.
Sol Joſue voci obtemperat. 164.
Solemnitas. Vide Azymorum ſolemnitas, feſtum, Paſcha.
Somnia myſtica Joſephi. 17. Pharaonis. 52. Somniorum hujuſmodi interpretatio. Ib.
Suffocatum. A ſanguine & ſuffocato abſtinentiam imperarunt Apoſtoli pro pace ſancienda inter Judæos & Græcos, qui Chriſto nomen dabant. 148.
Summus Sacerdos. Vide Sacerdos.
Superhumerale. Vide Ephod.
Superſtitio vetita primo Decalogi pręcepto. 116. Ejus variæ ſpecies. Ibid. Abhorruerunt ab illa Patriarchę. 22.

T

Tabernaculum conſtruitur in deſerto. 104. Tabernaculi, ſeu Sanctuarii ſtructura. 108. 109. Ejus origo non arceſſenda a ſuperſtitione Ægyptiorum, vel aliarum gentium. 109. 110. Diverſitas ejus a templo 111. Tabernaculum Moloch. 110.
Tabulæ legis in Arca. 112.
Taliſmanes; imagines natura efformatæ aniles fabulæ. 160.
Templum ſoli Deo dicatur. 113. Cur conſtruantur Templa? 112. Templi diverſitas a Tabernaculo. 111. Templi Hieroſolymitani fabrica. 184. Quantum Deo placuerit. Ibid. In ſolo Templo Hieroſolymitano licebat Judęis Sacrificium offerre. 135. Templum nunquam inſtaurabitur. 136. ſępius irrito conatu nituntur Judæi illud ædificare. Ibid. 145. 146. & cuncta in lege Moſaica ſpectabant ad Templum; eo ſublato, intelligimus legem abolitam eſſe. 145.
Teſtamenti utriuſque diſcrimen. 85. 86. 101.
Theocratia Hebræorum, ſeu regimen ab uno Deo pendens. 95.
Theologia veterum Phenicum, Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum, orta eſt a Pentateuho ab Ethnicis vitiato. 77.
Tranſitus maris rubri, & Jordanis. Vid. Miraculum.
Tribus duodecim filiorum Iſrael. 15.

V

Venditio. Primogenituram vendens Eſau peccat, non Jacob, qui emit, 29. &c. Vide Sepultura.
Verſio Gręca Pentateuchi ante lxx. Interpretes. 78. 79.
Veſtis, Sacerdotales veſtes. 155. 156.
Virga Aaron in Arca. 112. 115. Vide Miraculum.
Virginitas. Eam coluerunt aliqui in Veteri Teſtamento, ſed nemo ante Deiparam ejus votum Deo nuncupavit. 154. Virginibus fœminis neceſſarium eſt hominum conſpectum vitare. 16.
Votum ſoli Deo fit. 117. Votum Jephte illicitum. 171.

Z

Zelotypiæ aquę pro ſuſpectis uxoribus. 128.
Zelus Moyſis. 105. Zelus Phinees. 106.

INDEX RERUM

TOMI TERTII.

A

ABdias. Quartus inter Prophetas minores, de Chriſto vaticinatur. Ejus patria, Geſta, & Vaticinia. 18.
Abias Roboami filius, & Succeſſor. Ejus Geſta, & Regni duratio. 10.
Acaptaletici, Socratis diſcipuli, eorum dogmata. 138.
Achab Rex Iſraelis impius, repugnat. Ejus Geſta. 30.
Achez Joatham patri ſuccedit. Ejus Geſta. 19.
Æram Nabonaſſaris quando incipit? 32. Seleucidarum æræ initium. 142. 176.
Æra vulgaris a Dionyſio exiguo inventa. 193.
Æræ Lagidarum initium. 117.
Aerę Pompejanæ exordium. 135.
Aeſchylus, Poeta Tragicus. 212.
Aeſchines, orator. 139.
Aethyopes, Zara Duce, in Judæam irrumpunt; & ab Aſa delentur. 11.
Aggæus, Propheta minor. Ejus Geſta, & Vaticinia a pag. 150. uſque ad p. 151.
Abias, Propheta, regnum Jeroboamo prædicit. 25.
Alexander Magnus Darium Codomanum ter vincit. 124. Ejuſdem res geſtæ. 124. 208.
Alexander Jannæus regnat. 186. 211.
AlexanderBalaSyrię regnum invadit. 211.
Alexander Zabina, Rex Syriæ. 183.
Alexandra Judææ Regina. 211.
Amaſias Rex Judę ſuccedit JoaſoPatri. 16.
Amos Manaſſe Patri pœnitenti ſuccedit. 21.
Amos inter Prophetas minores Tertius. Ejus Geſta, & Vaticinia. 88.
Amri, poſt conflagratum Zamri, regnat. 26.
Anacreon Poeta Lyricus. 139.
Ananus, Propheta, Aſam reprehendit, & in vincula conjicitur. 11.
Anni regni Salomonis. 8.
Joa: Annius Viterbienſis errat circa librum de temporibus Philoni adſcriptum. 14.
Annulus Salomonis opus magicum. 8.
Antigonus, Aſię Rex, a Seleuco vincitur. 136.
Antigonus Gonotas regnat in Macedonia. 126.
Antigonus II. regnat. Ibid.
Antigonus, Judæus, capite plectitur. 116. 117.
Antigonus alter regnat. 212.
AntiochusI.Soter regnat poſt patrem.136.
Antiochus II. Patri ſuccedit. Ibid. 136.
Antiochus III. Magnus. 210.
Antiochus IV. Epiphanes. 107. 210.
Antiochus Eupator. Ibid.
Antiochus Sidetes. 183.
Antiochus Gryppus. 184.
Antiochus Cizizenus. Ibid. Euſebes. Ibid.
Antipater, & Alexander Caſſandri filii regnant. 126.
Antipater II. regnat dies xlv. 126.
Antipater Aſcolonites. 186.
Apries, Ægypti Rex, admittit profugos Judęos. 31.
Arabes invadunt Judæam, omnes, excepto uno, Jorami filios trucidant. 13.
Aratus Poeta. 140.
Arbaces Medos in libertate vindicat. 31.
Arceſilaus, Medię Academię princeps. 139.
Aridęus frater Alexandri regnat in Macedonia. 126.
Ariſteę Epiſtola ad Philocratem de verſione Septuaginta. 130.
Ariſtoteles, Peripateticorum princeps. 138.
Ariſtobulus regium diadema ſumit. 185.
Ariſtobulus II. 186. 211.
Arphaxad nomen commune Regibus Mediæ. 31. 65.
Arſes Patri Artaxerxi Ocho ſuccedit. 120. 122. 208.
Arſinone uxor Lyſimachi regnum occupat. 126.
Artaxerxes Longimanus quando regnat. 119. 122. 207.
Artaxerxes Mnemon patri Dario Notho ſuccedit. 120. 122. 207.

Arta-

Artaxerxes Ochus ſuſcipit Imperium Perſicum. 120. 207.
Aſa, Abiæ filius, Rex Judæ. 10.
Aſiongaber, Judææ portus. 13.
Aſſaradinus, Babyloniorum & Aſſyriorum Rex, Manaſſem debellat, & capit. 21. 32.
Aſſuerus quis maritus Eſtheris? 168.
Athalia, uxor Jorami, filia Achabi. 12. Ejus crudelitas, & impietas. 15.
Athenienſis Reſpublica. 33.
Atrium Templi quotuplex? 5.
Auctores librorum Regum, & Paralipomenon quinam? 45.
Auguſti Octaviani Imperii Epocha duplex. 196.
Azarias, Propheta 11.
Azarias, qui & Ozias, ſuccedit patri Amaſiæ 17.

B

BAal, Idolum, a Judæis cultum. 13.
Baaſa, Rex Iſrael, Romam occupat, 11. interfecit Nadab. 26.
Babylonicum, & Aſſyriacum Regna conjuncta ab Aſſaradino. 32.
Bagoas, Eunuchus dives, Perſarum Reges occidit. 120. 122.
Mich. Baii propoſititio damnata. 59. 60.
Balſami planta a Regina Saba in Palæſtinam allata. 6.
Balthazar cum Nirigliſſare, Patre ſuo, regnat. 52. 112. 205.
Baronii circa mortem Herodis ſententia confutatur. 196.
Baruch, Propheta. 81. Ejus de Chriſto vaticinia. 82. deſcendit in Ægyptum. 23.
Baſemath, filia Salomonis. 8.
Beelzebud, Acaronitarum Deus. 23.
Beli a Daniele everſi hiſtoria. 144.
Benadadus, Syriæ Rex. 11.
Booz, Columna veſtibuli Templi. 6.
Bubatiſtarum in Ægypto Dynaſtia. 10.

C

CAbala apud Hebræos quid & quotuplex ſit? & an Eſdram auctorem habeat? 160. 164.
Callimachus poeta. 140.
Caliſthenes Olynthius. 139.
Cambyſes, Cyri filius, & ſucceſſor. 117. 121. 206.
Canon librorum ſacrorum apud Hebręos duplex. 60.
Canticum Canticorum explicatur, & defenditur. 46.
Melch. Canus de fine captivitatis Babylonicę explicatur. 54. 114.
Captivitatis Babylonicæ Calculus. 115. 116. Ejuſdem initium. 22. 24. 25. 49. 51. 114. Canon ejuſdem Chronologicus. 52. Captivitas Aſſyriaca differt a Babylonica. Ejus initium. 49.
Caraitarum apud Judæos Secta. 200.
Caranus, Conditor Regni Macedonici. 127.
Carneades, novus Academicus. 139.
Cartago quando condita? 30.
Carteſius Philoſophiæ mechanicæ Sectator. 139.
Caſſander quando regnare cœpit? 126.
Chinaladanus, Rex Aſſyriorum. 33.
Cryſippus, Stoicus. 139.
Cicero, Academicus. 139. Orator. 202.
Cimon, Athenienſis, terra marique Perſas vincit. 119.
Clavicula Salomonis, opus magicum. 8.
Clanthes, Zenonis ſucceſſor. 139.
Cleopatra, Soror Ptolomæi, dicti Dionyſii, regnat in Ægypto. 129.
Confucius, Sinenſis philoſopus. 138.
Conſulatus quando Romæ introductus. 35.
Cyrus, Rex, Darium Medum vincit. 113.
Duplex Epocha regni ejus. 51. 116. Libertatem Judæis impertit. 51. 114. 121. A Tomire, Regina Maſſagetarum, occiſus. 116. 205.

D

DAmaſcus, Civit. Syrię metropolis.
Danielis Geſta ſub Nabuchodonozore. 111. Sub Balthazare. 112. ſub Dario Medo. 116. 140.
Darius Medus, dictus Nabonidus, & Labynitus, regnat, & a Cyro vincitur. 52. 113. 206. Darius Hyſtaſpis filius regnat in Babilonia. 54. 117. 297.
Darius Nothus regnat. 207.
Darius Codomanus ab Alexandro devictus 55. 56. 121. 122. 208.
Dejoces, Medorum Rex primus. 65.
Demetrius, Phalereus, Bibliothecam Alexandriæ inſtituit. 127.
Demetrius Poliorcetes regnat. 126. Demetrius Soter regnum Syriæ occupat. 137. Demetrius II. Nicanor regnat in Syria. 137. Demetrius filius Antigoni Gonotæ patri ſuccedit. 126. Demetrius Eucærus, Filius Antiochi Gryppi. 184.
Democritus, Epicuri præceptor. 139.
Demoſthenes, Orator Athenienſis. Ibid.

Deu-

Deutero-canonici Judæorum libri quinam? 62.
Diogenes, Cynicus Philoſophus. 139.
Dionyſius, Halicarnaſſenſis hiſtoricus. 139.
Dionyſius Exiguus auctor ęræ vulgaris. 191.

E

Eccleſiæ Catholicæ eſt Canonem librorum Sacrorum condere. 44. 45.
Eccleſiaſtici liber contra Impios & Atheos defenditur & explicatur. 40. 41.
Eccleſiaſticus a quo compoſitus? 44.
Ela, filius Baaſę, ſuccedit Patri. 26.
Eleazarus lxx. viros ad Ptolomæum Philadelphum mittit. 130.
Eleazari Senis martyrium. 180.
Elias, propheta, Achabo excidium pręnunciat. 26. Ejus tempus, miracula & res geſtę, an vivat etiamnum? 96. 98.
Eliakim qui Joakim & Jechonias, poſt abductum fratrem, regnat in Judæa. 22.
Eliakim, ſeu Joakim, Summus Sacerdos aſſeritur. 66.
Eliezer Joſaphato expobrat fœdus cum Ochoſia. 13.
Eliſæus, propheta. 27. Ejus res geſtæ, miracula, & vaticinia. 99.
Epicurus, Philoſophiæ mechanicæ cultor. 135.
Epitome librorum Regum & Paralipomenon. 47. & ſeqq.
Epocha annorum Regum Syriæ quando incipit. 96.
Eſdras auctor aut ſaltem compilator librorum Sacrorum hiſtoricorum. 45. Quis ille fuerit? 154.
Eſſenorum Secta. 200.
Eſtheris hiſtoria deſcribitur. 162.
Evilmerodachus, Rex Aſſyrius. 52. Jechoniam libertate donat. 112. 205.
Eupolemi error circa Salomonis ad Tyri Regem Epiſtolam. 30.
Euripides, poeta Tragicus. 139.
Expenſę in ſtructura Templi. 6.
Ezechias, piiſſimus, Patri Achazo impiiſſimo ſuccedit. 19.
Ezechielis Prophetæ res geſtæ, & de Chriſto vaticinia. 83.

F

Forma Templi Salomonici quotuplex? 19.

G

Galilæorum apud Judæos Secta. 200.
Garizin mons ubi Templum a Samaritanis extruitur. 124.
Gaſſendus, philoſophiæ Mechanicę ſectator. 139.
Græci Perſas in campis Marathonis debellant. 118.
Hugo Grotius in hiſtoriam Judithæ vapulat. 64.

H

Habacuch, Prophetarum minorum ſeptimus. Ejus patria, tribus, & Vaticinia. 92.
Hananus, Pater Jehu Prophetæ. 12.
Harduinus argitur. 189.
Hazael, Syriæ rex, irrumpit in Judęam. 16.
Hebdomades lxx. Danielis quando incipiunt? 152.
Hecbatanis Civitas a Dejoce condita. 31.
Helcias in Templo librum legis invenit. 22. 23.
Hemerobaptiſtarum Secta. 200.
Herodis regni in Judæa anno trigeſimo ſexto naſcitur Chriſtus. 109.
Herodis Regni duplex Epocha. 188.
Ejuſdem hiſtoria. 187. 212.
Herodianorum Secta. 198.
Heſiodos quando vixit? 34.
Hieremias, Propheta, ſuccedit in Ægyptum poſt mortem Godoliæ. 23. Ejus hiſtoria. 81. Ejus de Chriſto vaticinia. 81. 82.
Hiramus, Tyriorum Rex. 30.
Holofernes, Dux Exercitus Babylonici. 67.
Homerus quando floruit? 34.
D. Horatius Poeta Lyricus. 203.
Hyrcani res geſtę. 184. 210.
Hyrcanus Pont. 186.

I

Jachim columna veſtibuli Templi. 6.
Jaddus, Summus Pontifex, Alexandro occurrit, & benigne excipitur. 124.
Jadon Propheta Jeroboamum litantem Diis corripit. 35.
Idumæa deficit a Joramo. 13. Idumæi ab Amaſia debellati. 17.
Jehu, Propheta, Joſaphatum arguit. 12.
Jehu deſtructor familię Achabi. 14. 27.
Jehu propheta a Baaſa occiditur. 26.
Jeroboamus, filius Nabati, Rex ab Iſraelitis eligitur. 9. 25. 26. Jeroboamus II. Rex Iſraelis, patri Joas ſucceſſor datus. 28.
Jeſus Chriſtus, quando naſcitur? 191. 212.
Jezabel, filia Ethbaal, uxor Achabi. 26. 27.

Inter-

Interregnum Iſraeliticum XI. annis durat. 28.
Joachaz, filius Jeſſu, Patri ſuccedit. 28.
Joachaz, qui & Ochozias, filius Jorami. 13.
Jochazus poſt Joſiam Rex captivus in Ægyptum abducitur. 22.
Joakim filius Eliakim, ſucceſſor Patri poſt tres menſes captivus abductus eſt. 22. 205. Joakim, qui & Jechonias, & Eliakim, fatri ſucceſſor datus. 25.
Joan. Harduinus arguitur. 189.
Joan. Hyrcani res geſtę. 184. 210.
Joaz, filius Joachaz, regnum Iſraelis hęreditat a Patre. 28. Joas, filius Ochoziæ, a Joſaba, Amita, ſalvatur. 14. Succedit Patri ſeptennis. 15. Joaſus, Iſraelis Rex, Amaſiam captum ducit Hieroſolymam. 17.
Joathas Patri Oziæ ſuccedit. 18.
Joel inter prophetas minores ſecundus. Ejus vaticinia. 87.
Joadas, Pontifex, cum uxore Joſaba in templo Joaſum abſcondit, & reſtituit ſolio. 15.
Jonas, inter Prophetas minores quintus, vaticinatur de Chriſto. 90.
Jonathas Machabæus Rex Judęorum. 182. 210.
Joramus, Rex Iſraelis, cum Ochozia infauſte Hazaelem aggreditur. 12. Joramus, Achabi filius Ochoziæ fratri ſuccedit. 27. Jorami nuptiæ cum Athalia. 12. Patri mortuo ſuccedit. 13. Fratres ſex occidit. Ibid. Idololatriam in Regnum invexit. Ibid.
Joſaphatus Aſę Patri ſuccedit. 11.
Joſephus, Hebræus, Jobi, & Tobiæ hiſtorias quare prætermiſit? 61. Ejus error in annis Regni Salomonis. 8. Ejus calculum circa initium Regni, & obitum Herodis Regis accuratiſſimum eſſe probatur contra Card. Baronium. 196.
Joſias, piiſſimus, impœnitenti Amoni Patri ſuccedit. 21.
Iſaias, Propheta, mortem, ſanitatem, & captivitatem Babylonicam Ezechiæ denunciat. 20. Ejuſdem res geſtæ. 76. 77. De Chriſto vaticinia. 78. Manaſſe ſerra per medium diſſectus. 21.
Iſmael, Ammonita, Godoliam obtruncat. 23.
Iſocrates, orator. 139.
Iſraelis Regnum a Jeroboamo conſtituitur 25. Tabula Chronologica Regum Iſraelis. 25.
Judæ Regnum. 8.
Judæ Regnum a Davide uſque ad Sedekiam Tabula Chronologica. 23.
Judæ Machabæi facinora, & mors. 181. 210.
Judęorum opiniones falſę de Meſſia. 93. 94.
Judices per urbes Judæ a Joſaphato conſtituti. 12.
Judithæ Hiſtoria contra Grotium, Lutherum, & alios propugnatur. 64.
Julius Cæſar mittitur in Ægyptum. 129. Ejus Commentaria. 202.

L

Laboroſardochus, qui & Balthazar. 112.
Labynitus, qui & Darius Medus. 112.
Lactantii de Regum imitatione ſententia. 29.
Lacydes, tertiæ Academiæ auctor. 139.
Latini Scriptores circa tempora Auguſti. 202.
Leotychidas, Lacedæmonius, Perſas ad Mycalem debellat. 119.
Lepra corripitur Rex Ozias ob impietatem. 18.
Lycurgus dat Reip. Lacedæmoniorum leges. 30.
Lyſimachus regnat in Macedoniæ. 126.

M

Macedonicum Regnum fundatur. 33.
Machabæorum hiſtorię, 174. & ſeq. Ejus auctoritas, ſolutio argumentorum.
Magica Salomonis opera falſa. 8.
Malachias, Propheta inter minores duodecimus. Ejus Geſta, & Vaticinia. 153.
Manahemus Regnum Iſraeliticum invadit. 28.
Manaſſes, Ezechiæ filius, impius, ſanctiſſimo Patri ſuccedit. 20.
Manaſſes Jaddi frater, templum in monte Garizin extruit. 124.
Manethos, Sebennyta, hiſtoricus. 140.
Mardochęi hiſtoria. 163.
Mardokempadus, qui & Merodach Baladan, Rex Babyloniorum. 32. 33.
Mardonius, Perſarum Dux, a Gręcis vincitur. 119.
Marathonia Græcorum victoria a Perſis relata. 118.
Maſora apud Hebræos qui ſit? 160.
Maſſagetarum natio. 116.

Maſ-

Deutero-canonici Judæorum libri quinam? 62.
Diogenes, Cynicus Philoſophus. 139.
Dionyſius, Halicarnaſſenſis hiſtoricus. 139.
Dionyſius Exiguus auctor æræ vulgaris. 191.

E

Eccleſiæ Catholicæ eſt Canonem librorum Sacrorum condere. 44. 45.
Eccleſiaſtici liber contra Impios & Atheos defenditur & explicatur. 40. 41.
Eccleſiaſticus a quo compoſitus? 44.
Ela, filius Baaſę, ſuccedit Patri. 26.
Eleazarus lxx. viros ad Ptolomæum Philadelphum mittit. 130.
Eleazari Senis martyrium. 180.
Elias, propheta, Achabo excidium prænunciat. 26. Ejus tempus, miracula & res geſtę, an vivat etiamnum? 96. 98.
Eliakim qui Joakim & Jechonias, poſt abductum fratrem, regnat in Judæa. 22.
Eliakim, ſeu Joakim, Summus Sacerdos aſſeritur. 66.
Eliezer Joſaphato expobrat fœdus cum Ochoſia. 13.
Eliſæus, propheta. 27. Ejus res geſtæ, miracula, & vaticinia. 99.
Epicurus, Philoſophiæ mechanicæ cultor. 135.
Epitome librorum Regum & Paralipomenon. 47. & ſeqq.
Epocha annorum Regum Syriæ quando incipit. 96.
Eſdras auctor aut ſaltem compilator librorum Sacrorum hiſtoricorum. 45. Quis ille fuerit? 154.
Eſſenorum Secta. 200.
Eſtheris hiſtoria deſcribitur. 162.
Evilmerodachus, Rex Aſſyrius. 52. Jechoniam libertate donat. 112. 205.
Eupolemi error circa Salomonis ad Tyri Regem Epiſtolam. 30.
Euripides, poeta Tragicus. 139.
Expenſę in ſtructura Templi. 6.
Ezechias, piiſſimus, Patri Achazo i... ſimo ſuccedit. 19.
Ezechielis Prophetæ res geſtæ, ... ſto vaticinia. 83.

F

Forma Templi Sal... 19.

Galilæorum ap... Garizin m... maritanis extru...
Gaſſendus, philoſophiæ Mechanicę ſectator. 139.
Græci Perſas in campis Marathonis debellant. 118.
Hugo Grotius in hiſtoriam Judithæ vapulat. 64.

H

Habacuch, Prophetarum minorum ſeptimus. Ejus patria, tribus, & Vaticinia. 92.
Hananus, Pater Jehu Prophetæ. 12.
Harduinus argitur. 189.
Hazael, Syriæ rex, irrumpit in ... dęam. 16.
Hebdomades lxx. Danielis quando ... piunt? 152.
Hecbatanis Civitas a Dejoce condita ...
Helcias in Templo librum legi... nit. 22. 23.
Hemerobaptiſtarum Secta. 20...
Herodis regni in Judæa anno ... ſexto naſcitur Chriſtus. 1...
Herodis Regni duplex Ep... Ejuſdem hiſtoria. 187. ...
Herodianorum Secta. 198.
Heſiodos quando vixit? ...
Hieremias, Propheta, ſucc... poſt mortem Godoliæ. ... 81. Ejus de Chriſto ...
Hiramus, Tyriorum ...
Holofernes, Dux Ex...
Homerus quando ...
D. Horatius Poe...
Hyrcani res ge...
Hyrcanus Pon...

JAchim ... Jaddu... occurri...
Jadon ...
D...
I...

Interregnum [illegible] rat. 28.
Joachaz, filius [illegible] 28.
Joachaz, qui & [illegible] mi. 13.
Jochazus post [illegible] Ægyptum [illegible]
Joakim filius [illegible] tres menses [illegible] 205. [illegible] kim, [illegible]
Joan. [illegible]
Joan. [illegible]
Joaz, [illegible]
Joathas [illegible]
Joel inter [illegible]
Ejus [illegible]
Joadas, [illegible] fobo. 15.
Joñas, [illegible]
Jonathas [illegible] 182. [illegible]
Joramus, [illegible]
Josias, [illegible]
Isaias, [illegible]

[illegible] Iſraeliticum e merat. 28.
[illegible] occidendo Ado-[illegible] biatarem exauctorat. [illegible] ab eo ſcripti ſunt [illegible] Idola veneratur. [illegible] merit? Ibid. Quot [illegible] An ſit ſalvus? 36. [illegible] it in Ochoſia. 14.
[illegible] inivit cum Hiramo [illegible] & naves ad mercationibus exercen-[illegible] 7.
[illegible] ura Templi Hieroſo-[illegible] giæ ſuæ domus ma-[illegible]
[illegible] ptem filiis Machabæis [illegible] t. 181.
[illegible] origo. 26.
[illegible] pud Judæos Secta. 200.
[illegible] m, pars templi. 5.
[illegible] Aſſyriæ Rex, Manaſſem [illegible] nat. 21. 65. 81.
[illegible] r a quo ſcriptus? 43.
[illegible] occiſus. 31.
[illegible] d Judæos quinam erant? 201.
[illegible] pud Judæos alii erant politici, [illegible] acri, & Eccleſiaſtici. ibid.
[illegible] urbs quæ & Samaria. 172.
[illegible] ias, qui & Mathanias, ultimus [illegible] dææ Rex. 22.
[illegible] apud Judæos, Phariſæorum, Sadducæorum, Herodianorum, Eſſenorum, Hemerobaptiſtarum, Samaritanorum, Galilæorum, Caraitarum, Rabbaniſtarum, a pag. 198. uſque ad p. 202.
Seleucidarum æra. 16. 17.
Seleucidarum Æram ſectabantur Judæi, Syro-Macedones, Edeſſeni, Apameenſes, Damaſceni, Tripolitæ, Antiocheni, Seleucienſes, Laodiceni, Gazenſes, &c. 135.
Seleucus, Nicanor, regnum Syriæ conſtituit. 134. 136. 208. Seleucus Callinicus. 136. 206. Seleucus Ceraunus. Ib. Seleucus IV. Philopator. 137. 209.
Sellumus Regnum Iſraeliticum occupat. 28.
Semejas, Propheta, Roboami expeditionem in Rebelles coercet. 9.
Sennacherib obſidet Hieroſolymam, fugit inde-

Digitized by Google

Maſſiliæ fundatio. 33.
Matham, Baalis Sacerdos, a Joaſo Rege occiſus. 16.
Mathanias. V. Sedecias.
Mathathias, Sacerdos, Machabæorum pater, & Dux 180.
Medici tanquam Dei miniſtri obſervandi 7.
Meleager in Macedonia. 126.
Mendacium Jehu a SS. Patribus improbatum. 27.
Menander, novæ Comœdiæ Poeta. 139.
Menelaus, Judæorum Pſeudo pontifex. 180.
Mercatura Iſraelitarum ante Salomonem. 7.
Merodach Baladan, Rex Babylonius. 20.
Michæas Propheta, perniciem Acabo prædicit.27. Michæas, Prophetarum minorum ſextus, vaticinatur de Chriſto. Diverſus eſt ab alio Michæa filio Jemle.80.
Molochus, Idolum Judæorum. 49.
Moria mons. 5.
Mulieres Salomonis ad mille acceſſerunt. 8.

N

NAaman, Syrus, ab Eliſæo mundatus lepra. 102.
Naamanem ab Eliſæo Propheta petiiſſe licentiam ſimulandi cultum externum Idolo exhibitum, oppido falſum eſt.103.
Nabonaſſarus rex Chaldæorum creatur.32.
Nabonidus; qui & Darius Medus. 113.
Nabopolaſſar, ſeu Nabuchodonozor. 1. 33. 52.
Nabothus, vinea & vita a Jezabele exutus. 26. 27.
Nabuchodonozor, rex, in Judæam, irrumpit. 22. 56. 57. 111.105. Nabuchodonozor II. Patri ſuccedit. 32. 33.
Nabuzardan urbem Hieroſolymam incendit. 22.
Nadab Jeroboamo ſuccedit filius. 26.
Nahum, Prophetarum minorum ſeptimus. 91.
Naneæ Templum in Perſide fruſtra aggreditur Antiochus Epiphanes. 181.
Natale verum & proprium Chriſti diſtingui debet a Natali Chriſti, quod dicitur vulgare & Dionyſianum. 191.
Nechaon, Ægypti Rex. 22. 31.
Nehemias Hieroſolymam urbem ædificat. 123. & ſeq.
Nehemias, qualis fuerit? Ibid.
Neriglifſar regnat cum filio Balthazare. 115.

O

OChoſias, Iſraelis rex, fœdus pepigit cum Joſaphato 13. 27. Ochozias, qui & Joachaz, Jorami regis Judæ filius, Patri ſuccedit. 14.
Ochus, ſeu Darius Nothus, Imperio Perſico potitus. 120. 122.
Octavius Auguſtus Cleopatram, & M. Antonium ad mortem adigit. 129.
Oded, Propheta, in Samaria. 59.
Olympias prima quando inſtituta? 33.
Ophir, regionis ſitus. 7.
Oſee, filius Elæ, parricidio regnum Iſraelis invadit, Regni Iſraelis ultimus. 28.
Oſee, inter Prophetas minores primus, ejus vaticinia. 85.
Ovidius Naſo, Poeta. 203.
Ozias, qui & Azarias, Rex Judæ, filius & ſucceſſor Azariæ. 17.

P

PŒnitentia Salomonis an certa? 8.
Paſcha celebratur a Rege Ezechia.20.
Perſeus ultimus Rex Macedoniæ a Romanis victus. 126.
Pezroni error in annis Regni Salomonis 8.
Phacee in Regem Iſraelis inauguratio. 28. Judæam invadit. 19.
Phaceja, filius Manahemi, mortuo Patri in Regnum ſufficitur. 28.
Phariſæorum ſectæ & errores. 199.
Philippus, frater Caſſandri, Rex in Macedonia. 80.
Philippus filius Demetrii, Rex Macedoniæ. 126.
Philo, Judæus, non eſt auctor libri de temporibus, ipſi ab Annio Viterbienſi afficti. 14.
Phurim, dies feſtus Judæorum. 164.
Pindarus, poeta lyricus. 139.
Plato, Philoſophus. 139.
Pompejus regnum Syriæ in provinciam redigit. 137. 148.
Prophetæ nomen quid ſignificet? 71. 72. Notæ veri Prophetæ.72. Quomodo ſolet Deus inſpirare Prophetas? 74. Quorum vaticiniis fidem habere tenemur contra Grotium. 74. 75. Sexdecim ſunt Prophetæ. 76. Quomodo factis vaticinati ſunt? 103. 104.
Prophetarum oracula ad Chriſtum Dominum recta collimant. 75.

Pro-

Prophetia apud Hebræos duplex. *61.*
Protagoras, Philoſophus & orator. 139.
Sex. Aur. Propertius, Poeta. 203.
Protocanonici Judæorum libri quinam? *61.*
Proverbiorum liber an ſit totus Salomonis? 38.
Ptolomæus, Lagi filius, regnat. 1*26*. Ægyptum occupat. 127. 128. A quonam incipit æra Lagidarum. Ib. Ptolomæorum Regum Series. 128. & ſeqq. Ptolomæus Laturus, Ægypti Rex. 184.
Puncta vocalia in libris Hebræorum an ab Eſdra inventa. 158.
Pyrronici a Pyrrhone Accademico dicti. 138.
Pyrrhus regnat in Macedonia. 1*26*.
Pytagoras, Sectæ Italicæ dogmaticæ Princeps. 138.

Q

QUeſnelli error damnatus. 59.

R

RAbbaniſtarum apud Judęos Secta. 200. Rabbini, Judæorum doctores. 173.
Raphael Archangelus a mendacio excuſatur. *60*.
Razias mortem ſibi conſcivit. 179.
Razinus, Rex Syrię, contra Achaz. 19.
Regnum quid differt a Sacerdotio ex Chryſoſtomo? 18.
Regum, qui Alexandro Magno in Regno Ægypti ſucceſſerunt, Series. 128.
Regum duodecim priorum qui Alexandro M. in Regno Syrię ſucceſſerunt, ſeries. 13*6*.
Regum Syriæ Geſta uſque ad Pompejum, qui illud Regnum in Provinciam redactum Romano ſubjecit Imperio. 180.
Revelatio duplex, mediata, & immediata. 74.
Roboamus, Salomonis filius, quot annis regnavit? 8.
Romæ fundatio deſcribitur. 24.
Romanorum Regum Series. 34. 35.
Romulus, Romæ fundator. 34.

S

SAba Regina venit Hieroſolymam. *6.* fabula de ejuſdem cum Salomone concubitu, & de prole ab ipſo ſuſcepta, refellitur. *6.*
Sadducæorum Secta, & errores. 199.
Salaminia navalis pugna. 119.
Criſp. Salluſtius, hiſtoricus. 203.
Salmanazar Regnum Iſraeliticum e medio tollit. 29.
Salomon an peccaverit occidendo Adoniam, Joabum; & Abiatarem exauctorando? 37. Quot libri ab eo ſcripti ſunt Canonici? 38. Uxorius Idola veneratur. 8. Quot mulieres habuerit? Ibid. Quot annis regnavit? 8. An ſit ſalvus? *36*. Ejus Stirps non defecit in Ochoſia. 14. & ſeqq.
Salomon ſocietatem inivit cum Hiramo Rege Tyriorum, & naves ad mercaturam cum aliis nationibus exercendam conſtruxit. 7.
Salomonis in ſtructura Templi Hieroſolymitani, & Regiæ ſuæ domus magnificentia. *6.*
Salomona cum ſeptem filiis Machabæis martyrium ſubit. 181.
Samarię Civitatis origo. 2*6*.
Samaritanorum apud Judæos Secta. 200.
Sancta Sanctorum, pars templi. 5.
Saoſduchinus, Aſſyriæ Rex, Manaſſem libertate donat. 21. *65*. 81.
Sapientiæ liber a quo ſcriptus? 43.
Sardanapalus occiſus. 31.
Scribæ apud Judæos quinam erant? 201. 202.
Scribæ apud Judæos alii erant politici, alii Sacri, & Eccleſiaſtici. ibid.
Sebaſtę urbs quæ & Samaria. 172.
Sedekias, qui & Mathanias, ultimus Judææ Rex. 22.
Sectę apud Judæos, Phariſæorum, Sadducæorum, Herodianorum, Eſſenorum, Hemerobaptiſtarum, Samaritanorum, Galilæorum, Caraitarum, Rabbaniſtarum, a pag. 198. uſque ad p. 202.
Seleucidarum æra. 16. 17.
Seleucidarum Æram ſectabantur Judæi, Syro-Macedones, Edeſſeni, Apameenſes, Damaſceni, Tripolitæ, Antiocheni, Seleucienſes, Laodiceni, Gazenſes, &c. 135.
Seleucus, Nicanor, regnum Syriæ conſtituit. 134. 13*6*. 208. Seleucus Callinicus. 13*6*. 20*6*. Seleucus Ceraunus. Ib. Seleucus IV. Philopator. 137. 209.
Sellumus Regnum Iſraeliticum occupat. 28.
Semejas, Propheta, Roboami expeditionem in Rebelles coercet. *9*.
Sennacherib obſidet Hieroſolymam, fugit inde-

inde deleto ab Angelo exercitu.20. 32.
Serpens æneus ab Ezechia confractus. 20.
Seſacus, Rex Aegypti, vaſtat Judæam. 9. Quis iſte Seſacus? 9. 30.
Seſoſtris idem ac Seſacus, Seſooſis, Seſonchis, Seſachis. 10.
SeverusSulpitius correctus in annisRoboami.8.idem de annis Evilmerodachi.112. Ejus error de annis Balthazaris. ibid.
Simon Machabæus, Dux populi Judaici. 183. 210.
Simonides Ceus, Poeta Lyricus. 139.
Rich. Simonii Critica de hiſtoria Pentateuchi exploſa. 46.
SmerdesMagusCambyſi ſuccedit.117.206.
Socrates, Scepticorum princeps. 138.
Sogdianus, ſeu Secundianus Xerxem II. occidit, & regnat. 120. 122.
Solon, legislator, quando floruit? 32.
Sophocles, Poeta tragicus. 139.
Sophola, quæ & ophir. 7.
Sophonias, Prophetarum minorum nonus. 92. 93.
Soſthenes regnat in Macedonia. 120.
Stoici, auctore Zenone, coaleſcunt. 138.
Suſanna a Daniele puero liberatur.111.141.
Synagoga magnaHebræorum quid ſit?171.

T

Tabula Chronologica Regum Judæ a Davide adSedekiam 23. Tabula Regum Iſrael. 25. a captivitateBabylonica uſque ad Natale Chriſti. 205.
TabulaChronologica,exhibens ſeriem,initium,& finemMonarchiæ Perſicæ.121.
Tabula Chronologica ſucceſſorum Alexandri Magni in Regno Macedoniæ, uſque ad Perſeum. 125.
Taphet, filia Salomonis. 8.
Teglathphalaſar, Aſſyriæ Rex, Acazo fert ſuppetias. 19. 32.
Templum Salomonicum quo anno cœptum? 5. Ejuſdem Templi deſcriptio. ibid. forma quotuplex. 5.Templi,&Civitatis Hieruſalem Hiſtoria quando incipit & definit? 53. & ſeq. 114.
Thales Mileſius Sectæ Jonicæ Dux. 136.
Tharſis, regionis ſitus. 7.
Thebnes æmulus Amri in Regno Iſraelitico. 26. 27.
Theocratia, Dei regimen. 7.
Theocritus. Eglogarum ſcriptor. 140.
Termopylarum pugna. 119.
Terſa, Civitas Metropolis Regni Iſraelitici ante Samariam. 25. 26.
Thucydides, Hiſtoricus Græcus. 109.
Tobiæ Hiſtoria.57. & ſequentibus. Canonicam eam agnoſcitConc. Trid.61.circa eamdemHæreticorum objectiones.61.62.
Tomyris, Regina Maſſagetarum, Cyrum obtruncat. 117.
Tyranni imago in Manaſſe Rege. 21.
Tyriorum hiſtoria. 29. Tyrii Mercatores. 7.

V

Varoniana Epocha ceteris præferenda. 34. M. Terent. Varro Vir doctiſſimus. 203.
Verſio Sacræ Scripturæ quomodo a lxx. viris facta? 130. & ſeqq.
Virgilius Maro, Poeta. 203.

X

Xerxes Patri Dario ſuccedit. 118. 122. 207.
Xerxes II. Artaxerxis Longimani ſucceſſor a Sogdiano occiditur. 120. 122. 207.

Z

Zacharias Propheta, Jojadæ filius, a Joaſo occiſus. 16.
Zacharias Propheta apud Regem Oziam. 17. 18.
Zacharias filius Jeroboami II. ſuccedit Patri. 28.
Zacharias, Propheta minor. 151.
Zamri, occiſo Rege Ela, regnat. 26.
Zara, Ethiopum rex, ab Aſa deletus. 10.
Zeno, Stoicorum Auctor. 139.
Zoilus, dictus canis hiſtoricus. 140.
Duplex Zorobabel. 161.

BIBLIOTECA NAZ. ...
70.273.2
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google